FEYNEUS F.
MEDICINA
PRACTICA

1650

FRANCISCI FEYNEI,

CONSILIARII, MEDICI, NECNON REGII APVD MONSPELIENSES Medicinæ Professoris, vt peritissimi, ita celeberrimi,

MEDICINA PRACTICA:

In quatuor Libros digesta.

OPVS VERE AVREVM, SVMMORVM MEDENDI *Artificum puram putam doctrinam præferens, ac selectißimis probatißimisq; remediorum formulis abundè instructum, ad felicem facilemq; internorum omnium corporis humani affectuum diagnosin, prognosin & curationem.*

NVNC PRIMVM E BIBLIOTHECA Clar. Viri, RENATI MORÆI, Archiatri, Regiique Medicinæ apud Parisienses Interpretis, Studiosorum vsibus benignè concessum.



LVGDVNI,
Sumpt. IOANNIS ANTONII HVGVETAN, & MARCI ANTON. RAVAVD.
M. DC. L.

CLARISSIMO,
SPECTATISSIMOQVE VIRO,

D. RENATO MORÆO,

DOCTORI MEDICO PARISIENSI, NECNON REGIS Christianissimi Consiliario, Archiatro, ac Professori Regio Meritissimo,

Sal. ac Obsequium.

VIR CLARISSIME AC SPECTATISSIME,

Frequenter admodum egregiarum complurium lucubrationum vicem dolere subit, quæ magnis ab ingeniis profectæ, orbitatis damnum, ob suorum parentum decessum, priùs experiuntur, quàm publicâ luce irradiari potuerint: variis enim posteà de causis ægerrimè emergunt ex tenebris. Quandoquidem vt taceamus, posterorum quorundam, quibus contingit hisce potiri, prauam indolem, auaritiæ, liuoris, incuriæ aut astorgiæ tabo suffusam; non pauci quorum in manus inciderunt, vt vt

officiosi, pij probíque, varias remeligines offendere solent, quæ publicationem aut suspendere, aut planè missam facere cogant. Proptereáque minùs mirandum, hanc ipsam quoque aleam, communi aliorum sorte, *Francisci Feynei* laboribus obtigisse, qui perpetuâ procul dubio nocte sepulti iacerent, nisi singulari tuo munere, *Clarißime Moræ*, in apricum educti, debitâ immortalitate pasci tandem aliquando inciperent. Quo quidem luculento ac propè diuino pietatis erga defunctum officio, præterquàm quòd vberrimam gloriæ sementem tibi iecisti, illius etiam *Operum nuncupationem* ita promeritus es, nullum vt ad alium sine insigni piaculo dirigi debuerit. Quemadmodum enim fabulosus olim phœnix Phœbo Apollini, cuius benigno fotu renascebatur, sacer habebatur: ita certissimus hic rei medicæ phœnix *Feyneus*, tibi alteri Apollini, à quo vitam arcessit meliorem, vnicè votis expetit consecrari. Quanquam alio etiam nomine, eóque præcipui momenti, celeberrimo tuo Nomini hæc debetur inscriptio, propter stupendam scil. qua polles πανεπιστημοσύνην atque sapientiam. Quapropter vt tripus ille aureus à Cois piscatoribus inuentus, ex oraculi responso, nonnisi sapientissimo cuipiam adiudicandus fuit: ita tetrabiblus hæc aurea, ab inclyto quondam Scholæ Monspeliensis antistite nobis relicta, tibi vni, inter huius ætatis salutis magistros sapientissimo, decernenda maximè fuit. Adde quòd,

cùm

cùm iampridem ſummam noſtram in te, talem ac tantum Virum,obſeruantiam aliquà declarare quæſierimus, occaſionem modò affulgentem idipſum faciendi, prætererire,meritò nefas habuimus. Inceſſebat hîc eximia quædam libido, in laudum tuarum campum pleno gradu excurrendi, præſtantiſſimas animi tui dotes, auguſtúmque tuæ eruditionis ſacrarium pandendi, inque tua perſona θαυμασιώτατον Panaceæ ſimulacrum, venerandum proponendi: Cæterùm nimiâ argumenti iſtius maieſtate præſtrictæ mentium noſtrarum acies, planè nobis à tanto hiatu vt abſtineamus perſuaſerunt,cùm multò ſit conſultius, vt tam nobilem picturam graphia noſtris longè feliciora delineandam ſuſcipiant. Reliquum eſt vt de *Feyneo* ipſo pauca ſubiiciamus, non quòd hæc tibi ignota putemus, (qui non tantùm cuncta ad hunc ſcriptorem attinentia, intus & in cute perſpectiſſima habes, ſed etiam hunc nobis amicè digito primus monſtraſti,ac ſcripta typis committenda ſubminiſtraſti)quinimò quòd publici interſit,in occulto minimè latere.Vixit ergò *Feyneus* Monſpelij, quod natale ſolum ipſi fuit, ibidémque Medicinam ſumma ſua cum gloria exercuit,ac Regij Profeſſoris dignitate inſignitus, multos per annos Philiatros publicitùs docuit,inprimíſque *Practicas has prælectiones* ipſis dictauit, non tantùm ſtilo terſiſſimo exactéque edecumato, verùm etiam maturo

grauíque iudicio ac rerum delectu contextas & adornatas, planè ad mentem atque obrussam principum ac probatissimorum medendi artificum, inter quos fatendum est, ipsum peculiariter Latinorum duûm Hippocratum, *Cornelij* (inquam) *Celsi*, ac *Ioannis Fernelij*, magnum & admiratorem & imitatorem se præbuisse, ita vt expressis ipsorum verbis, cùm melioribus vix liceat, identidem vti non vereatur, quibus tamen lucem de suo non rarò conciliat. Cùm autem inter medica præsidia, expeditus pharmaceuticorum vsus χαριεστάτῳ cuique Asclepiadæ maximè sit tum decorus, tum necessarius, suam hac in parte sedulitatem noster hic haudquaquam passus est desiderari, adeóque lectissimis remediorum formulis suas lucubrationes vbertim instruxit. Quod quidem ἀμύμονος auctoris factum quia facilè præcipitis iudicij hominum patére posset calumniis, quasi Pharmacopœolorum rebus magis quàm ægrorum saluti consulere voluerit, sicut alios plerosque περιοδευτὰς summo artis dedecore patrare passim videre est: alienum fortasse non fuerit, ad amoliendam huius reatûs suspicionem, verbulum adiicere. Equidem fidi Medici est, suas actiones ad exemplum almæ Naturæ componere: Hæc autem, si nulla vrgeat necessitas, nil superfluum, nil frustrà molitur, paucísque contenta esse solet; vbi verò vsus aliter suadet, fugit omninò πενιχρῶς agere, libentérque entia multiplicat. Similiter

ergò

ergò facere debet Medicus, paucis inquam remediis rem gerere, quantum res feret, cùm maiori laude digna prædicet remedia Hippocrates, quæ ὀλίγα ἐόντα αὐτάρκεα ἐστὶ; sed vbi magnis implicitíſque affectibus, vno aut altero, ſimplicíque remedio ſatis occurri non poſſe intelligit, multifaria parare non dubitat. Quapropter plurimùm hallucinari conſtat, qui πολυφαρμακίαν in Medico perpetuò dignam putant vituperatione: ſuus enim illi in docendo ſemper, ſæpe verò etiam in medicando locus eſſe debet. Vnde honorifico epitheto apud Græcum Poëtam, Medicinæ numen πολυφάρμακον nuncupari animaduertimus. Atque huc ſpectans ipſemet auctor, inſtituti ſui rationem verbis hiſce notatu digniſſimis reddere voluit: *Plures* (inquit) *remediorum compoſitiones adſcripſimus, quò maior habeatur remediorum ſupellex, faciliúſque ſibi quiſque copiam vendicet contumaciſſimis vitiis accommodatam: variis enim remediis interdum pugnandum, quibus vel iteratis plerunque non cedunt.* Quid appoſitius, obſecro, quid verius ſuper hoc negotio pronunciari poterat? Videbat nimirum *Feyneus*, qui non corpus erat ſine pectore, quàm abſurdum eſſet morborum portenta minutis & inefficacibus remediis adoriri, Polyphemorum proſtrationem vieti pomi iaculatione ſibi polliceri, totorum exercituum diflationem ſolo ſpiritu meditari. Meminerat quàm rectè iam olim ſenſiſſet perſpica

l. de vict. acut. init.

Solon in Eleg.

l. 4. c. 30.

Antor epiſt. ad Iul. Caliſtum.

ſpicaciſſimus Aſclepiades, ſcribens: *Vltimæ ſortis eſſe Medicum, qui non ad ſingula quæque vitia binas ternáſve compoſitiones, & expertas habeat.* Intelligebat denique quanti referret, *vt earum copia ſelecta haberetur, quoniam reuerà quædam magis quibuſdam, at non omnes omnibus, propter differentiam corporum & affectionum conueniant.*

Idem.

l. 3. c. 78.

Quo fit vt Paulus prudenter monuerit: *Idem auxilium huic quidem articulo prodeſſe; alteri verò in eodem ægroto ſimiliter inflammato non ſolùm non prodeſſe eâdem etiam horâ, ſed quandoque etiam inſuper lædere.* Qui ipſe diſcolor medicaminum euentus in cæteris etiam morborum generibus cottidie comprobatur. Tametſi verò huiuſmodi πολυφαρμακίαν ratione & experientia probè ſubnixam, contendamus non modò extra noxam eſſe, ſed etiam magno habendam in pretio, abſit tamen vt hoc nomine, pudendo iſti profanæ multitudinis abuſui patrocinari cogitemus, quo tumultuariè omnis generis medicamenta, meri κακῶν ὁρμαθοὶ, per ſummum nefas languentibus obtruduntur. In quo hominum genere quoſdam τῶν μιγματοπώλων, tyrannidem in re medica dudum affectantes, familiam ducere audimus, qui totas officinas ægreſcentibus corporibus inconſultò aduoluunt, leuiſſimóque affectui medicinas ex nouo orbe petitas adhibent, nullo penitùs freti indicatio-

num

num ductu, nullâ occaſionum, quas Hippocrates τῶν θεραπειῶν ψυχὰς nuncupabat ; habitâ ratione. In eodem quoque reatu apertiſſimè verſantur imperitiſſimi ſexus vtriuſque Empirici , qui longè præfidentiùs immitiúſque quàm nocturni quivis præmiatores (vt Næuiano verbo vtamur) mediâ luce incautos impunè nummis aut etiam vitâ ſpoliant. His autem fortè adiungi poſſent , quotquot ſacris addictorum, fictæ pietatis obtentu , multiplicia ἄκη aut potiùs ἄχη temerè popello venditant, ſuam in alienam meſſem nullo iure falcem iniicientes. Quid de glorioſis Chemicis modò dicemus , qui non verentur ſummum in Parcas imperium ſibi arrogare, ſuas σωταγὰς titulis ornare adeò magnificis , vt propter ipſos vadimonium deſeri poſſit , denique mille modis credulos decipere ? Quibus de noſtrorum temporum abuſibus non ſemel præſtantiſſimos Medicos conquerentes , ac magiſtratuum conniuentiam accuſantes videre eſt : vt non abs re tot hominum temeritatis probè conſcij ac tandem pertæſi veſtri Pariſienſis Ordinis Aſclepiadæ , meritò totis viribus illam arcere , certámque perniciem à ciuium capitibus depellere moliantur. Sed deſinimus tua tempora , *Clariſsime Moræ* , pluribus morari , obnixè rogantes , vt noſtram hanc μικροδοσίαν

æqui boníque consulere digneris : quod si feceris, abundè nobis ipsis videbimur fortunati. *Vale.*

Clarissimi tui Nominis Studiosissimi Cultores

IOAN. ANTON. HVGVETAN,
& MARC. ANT. RAVAVD.

PRIVILEGE DV ROY.

LOVYS par la grace de Dieu, Roy de France & de Nauarre, à nos amez & feaux Conseillers les gens tenans nos Cours de Parlement, Maistres des Requestes ordinaires de nostre Hostel, Baillifs, Seneschaux, Preuosts, leurs Lieutenans, & à tous nos autres Iusticiers & Officiers qu'il appartiendra, Salut. Nostre cher & bien amé *Pierre Rauaud*, Marchand Libraire demeurant à Lyon, nous à faict remonstrer qu'il auroit recouuert par ses soings & frais, vn liure intitulé, *Francisci Feynei Doctoris Medici & Professoris Regij Monspeliensis Practicæ Medicæ lib. quatuor.* Lequel il desireroit faire imprimer, s'il nous plaisoit luy accorder nos lettres sur ce necessaires, humblement requerant icelles. A ces causes desirant fauorablement traicter ledict exposant, & qu'il ne soit frustré de son labeur : NOVS luy auons permis & permettons par ces presentes, d'imprimer, ou faire imprimer ledit liure en telles marges & caracteres, & autant de fois que bon luy semblera, & le vendre & debiter par l'espace de sept ans, à commencer du iour que ledit liure sera acheué d'imprimer pour la premiere fois, pendant lequel temps nous faisons deffenses à toutes personnes de quelque qualité & condition qu'elles soyent, de le faire imprimer, vendre, ny debiter en aucun lieu de nostre Royaume, pays, terres, & Seigneuries de nostre obeissance, sans le consentement dudit Exposant, ou de ceux qui auront charge de luy, à peyne de douze cens liures d'amende, applicable vn tiers à l'Exposant, l'autre tiers au denonciateur, & le surplus à l'Aumosne generale de Lyon, de confiscation de tous les exemplaires contrefaicts, & de tous despens, dommages, & interests : A condition toutesfois que ledit exposant mettra en nostre Bibliotheque publique deux exemplaires dudit liure, & vn en celle de nostre tres-cher & Feal Cheualier Chancelier de France, le sieur Seguier, auant que d'exposer en vente ledit liure : à peine de nullité des presentes : du contenu desquelles Nous voulons, & vous mandons, que vous fassiez jouyr & vser plainement & paisiblement ledit Rauaud, & ceux qui auront droict de luy, sans souffrir qu'il luy soit donné empeschement. Voulons aussi qu'en mettant au commencement, ou à la fin dudit liure, vn extraict des presentes, elles soyent tenues pour deuëment signifiées & que foy y soit adioustée, & aux Copies collationnées par l'vn de nos amez & feaux Conseillers & Secretaires, comme à l'Original. Mandons en outre au premier nostre Huissier, ou Sergent sur ce requis, faire pour l'execution des presentes tous exploits, & actes necessaires, sans demander autre permission : Nonobstant clameur de haro, Chartre Normande, Prise à partie, & lettres à ce contraires : Car tel est Nostre plaisir. Donné à Paris le dixseptiesme iour d'Aoust, l'an de grace mil six-cent quarante trois, & de nostre Regne, le premier. Par le Roy en son Conseil, signé MASCLARY.

Ledit Sieur Pierre Rauaud, a transporté son droict du susdit Priuilege, à Marc Antoine Rauaud son fils, associé de Sieur Iean Antoine Huguetan.

Acheué d'imprimer le 9. d'Aoust, 1650.

INDEX
LIBRORVM, SECTIONVM, ET CAPITVM
huius Operis.

LIBER PRIMVS,
De Febribus curandis.

LIBER II.
De morbis Capitis.

SECTIO PRIMA.
De morbis Cerebri. p. 78

XV. Apo

SECTIO SECVNDA.

De Oculorum morbis. p.202

SECTIO TERTIA.

De Aurium morbis, & Curationibus. p.240

SECTIO QVARTA.

De Narium morbis, & Curationibus. p.257

SECTIO QVINTA.

De morbis dentium, & oris. p.272

SECTIO SEXTA.

Mammarum affectus & symptomata. p.294

LIBER III.

De morbis Thoracis.

SECTIO PRIMA.

SECTIO SECVNDA.

LIBER IV.

De Affectibus Ventris inferioris.

SECTIO PRIMA.

SECTIO SECVNDA.

SECTIO

SECTIO TERTIA.

De Lienis affectibus: necnon mesenterij ac pancreatis. p.504

SECTIO QVARTA.

De morbis & symptomatis intestinorum. p.526

SECTIO QVINTA.

De Ani affectibus. p.580

SECTIO SEXTA.

De Renum ac Vesicæ affectibus. p.598

SECTIO SEPTIMA.

De vitiis obscœnarum partium. p.640

SECTIO OCTAVA.

De morbis vteri. p.646

SECTIO NONA.

FRAN

FRANCISCI FEYNEI,

DOCTORIS MEDICI, AC Professoris Regij Monspeliensis,

PRACTICÆ MEDICINÆ LIBER PRIMVS,

De Febribus curandis.

PROOEMIVM.

QVEMADMODVM nihil est, quod gratiosi cuiusdam nectaris instar vniuersum vitæ statum æquè condire soleat & recreare, ac alma Sanitas: ita profectò nihil huius lucis vsuram magis inuisam acerbámve homini nato reddere potest, quàm Pandoræ δύσδωρα δῶρα, *variæ scilicet Ægritudines, quibus subinde conflictatur. Harum autem aliæ Externæ sunt, aliæ Internæ: & illæ quidem, vtpote oculorum aut digitorum sensui expositæ, non modò Chirurgicorum, sed & idiotarum plurimorum curaturæ ferè permittuntur: hæ verò quòd in obscuro lateant, nec nisi pectoris (vt sic dicam) oculis valeant deprehendi, solorum Medicorum ditioni addicuntur, quos perspicacissimos esse decet, vt symbolo draconis Æsculapio appicti significauit anti-*

quitas. Cum huiuscemodi ergò vitæ hostibus intestinis manum conserere aggredimur, idque dogmaticâ methodo omnium præstantissimâ, nequis meram empiricam hîc se speret inuenturum, cùm non minore dignam vituperio semper censuerimus τριβὴν ἄλογον, *quàm* λόγον ἄπειρον. *Totum porrò negotium quatuor omnino libris commodè perfici posse nobis persuasum est, ita vt* Primus *Febrium medicinam doceat:* Secundus *morbos Capitis persequatur:* Tertius *morbos Thoracis:* Quartus *denique morbos Ventris inferioris. Cur autem à Febribus, præter plerorumque Practicorum morem, auspicia faciam, hæc mihi causa fuit minimè (nî fallor) aspernanda, quòd inter languores facilè primas teneant Febres, siue frequentiam ipsarum spectes, præ quâ rari visuntur acuti morbi* ἀπύρετοι, *siue latè grassandi licentiam: cùm enim maxima pars reliquorum affectuum, vnam duntaxat aut alteram functionem deteriorem reddere soleat, constat febres omnibus simul, naturalibus nimirum, vitalibus, ac animalibus modò minorem, modò maiorem vim inferre, proüt calor præternaturalis in Corde semel conceptus, atque inde diffusus, quascunque microcosmi regiones peragrârit, Phaëtontis more vstulat & incendit, quâ ipsâ in re natura Febris procul dubio consistit. Iam verò cùm potissima Febrium differentia, à subiecto desumpta, sit ea quâ in Ephemeras, Putridas, & Hecticas diuiduntur, de singulis verba sumus facturi, ducto ab Ephemera febre exordio.*

CAPVT

CAPVT PRIMVM.

De Ephemera.

Sedes febris Ephemeræ.

FEBRIS Ephemera, quia sedem habet in efferuescente spiritu vago & admodum dissipabili, facilè solui potest. Quinimò sponte, nullóque artis subsidio, sed naturæ beneficio plerumque illa sanescit. Quoniam autem morbus omnis contrariis est curandus, in ephemera quia simplex est intemperies calida & sicca, in spirituum feruore corpori inhærens, cuius iam causa esse desiit, simplicissima erit per refrigerantia & humectantia Curatio: iisque solis & spiritus & corpus ad mediocre temperamentum remigrabunt. Sed quantum sit refrigerandum & humectandum, prægressæ causæ vis, & laborantis natura, ætas, ambientis constitutio, ac consueta vitæ ratio indicabunt. Quæcunque illud præstant, aut alimenta sunt, aut medicamenta, horum autem alia intrò sumuntur, vt syrupi, apozemata; alia verò extrinsecùs adhibentur, vt temperatum dulcis aquæ balneum, frictio & vnctio, quæ fuliginosa excrementa ex spirituum vstione derelicta planè discutiant, alioqui febrem putridam illatura, quandoquidem non solùm præsentes morbos curare, sed etiam futuros prohibere, prudentis est medici. Atqui facilis & expeditus diariæ in alias febres transitus est, quoties nimirum vel medentium, vel assidentium errore, quidpiam præter rationem committitur. Itaque hæc quæcunque instituitur curatio, futuræ imminentísque febris veriùs præcautio est. Quamprimùm ergo inclinante febre, laborans in balneum ducendus, adhibitâ insuper tum pingui, tum leni frictione. Balnei quidem duplex est vsus, feréque adhibetur, vbi summam cutem relaxari, euocaríque tenues & fuliginosos vapores; & habitum corporis mutari expedit. Etenim tota diariæ febris curatio in his duobus consistit, vt sudore, aut halitu, quæ ex spirituum feruore prouenerunt fumida excrementa eiiciantur, & si quid præterea caloris alieni vel in humoribus, vel partibus ipsis derelictum sit, extinguatur: in hæc enim balneum accommodatissimum est. *Antiqui audaciùs eo vtebantur, nos timidiùs. Neque terrere ea res debet; si tempestiua est, alioqui nocet*, Adhibenda enim cautio est, primò ne vlla subsit in primis venis cruditas, quæ in omne corpus rapi possit. Secundò, ne Cacochymia illud grauet. Tertiò, *ne præcordia dura sint*. Quartò, *ne ea tumeant*. Quintò, ne nobilioris cuiusdam visceris imbecillitas adsit. Horum si nihil adest, tutò

Remediorum genera in Ephemera febre vsurpandorum.

Medici prudentis officiũ.

Balnei administratio diaria optima. Vide Gal. com. in aphor. 42. lib. 7.

Scopi curationis febris diariæ.

Parodia verborum Celsi cap. 17. l. 2.

Cautiones in balnei vsu. Cels. ibid.

æger lauari poteſt. Particulatim autem ſicubi denſitas & adſtrictio febrem intulit, in balnei aëre immorandum; aër enim calidus vndúſque per omnia cutis ſpiracula meabilis, in intima quæque penetrat. At ſi aliæ cauſæ diariam excitârunt, lauacrum accommodatius; vapor enim balnei extrinſecùs corpori occurſans, ipſius humorem exhaurit ſuo calore, ac diſſipat, proinde ex accidente ſiccat: humor verò aqueus in craſſiore, fluxáque ſubſtantia poſitus, dum in vias receſſuſque corporis inſeritur, diutius ſubſiſtit & hæret, eáque madidiora reddit. Cæterùm frictio mollis ex oleo tepente, ac largo vtilis eſt, hæc enim carnem rarefacit & auget: frictione enim ſi vehementior ſit, indurari corpus; ſi leuis, molliri; ſi multa, imminui; ſi modica, impleri ſolet. Sed neque frictio, neque vnctio omnibus æquè vtilis: maximè quidem iis qui ex cutis adſtrictione, non adeò illis, qui ex bubone febricitant. At verò ira, triſtitia, curæ & vigiliæ nec frictione indigent, nec multâ lotione: ſed omnibus iis qui ab his cauſis febricitant, oleum tepidum minimè adſtringens largiùs infundendum eſt. Sed ab æſtu ortâ febre protinus refrigeratio, crebriórque ablutio, & capiti oxyrhodinum imperandum. Longâ verò frictione vti, aut oleum largum infundere non conuenit: vngi tamen violaceo, leniterque pertractari corpus, modò hoc in remiſſione fiat, & ante cibum.

Lauacrum vbi locum habeat.

Frictio ex oleo.
Frictionis differentia.
Frictio & vnctio quibus conueniant.

Quod ad cibum attinet, æſtimatâ cauſâ laborans nutriendus eſt alimentis boni ſucci: qui & promptè alant, & febri aduerſentur, & minimè cutis meatibus inhæreant. Fluxile enim & conſpirabile corpus eſſe debet. Inter hæc primas tenet ptiſſana, ab hac pulli gallinacei, columbini, turtures, perdices, & alia id genus. Victus enim humidus permittendus, maximè ſi ex labore, mœrore, inediâ, vigiliis inducta febris eſt, maximéque cùm laborans calidus & ſiccus naturâ eſt: hunc quippe inedia accendit, & in periculum hecticæ præcipitat. Quum verò diariæ cauſſa grauior eſt, vt cruditas ex crapula, & cutis conſtipatione, aut ab vlcere adenum tumor, atque dolor, tum exactior & tenuior eſt victus præſcribendus, neque cibi quippiam offerendum, niſi finitâ, aut inclinante febre, quâ præſente tamen frigidæ potus haud dubiè conceditur, niſi viſcerum imbecillitas obſtet, túmque aut ſyrupo adiantino, aut violaceo, aut acetoſo ea temperatur: at verò cibum dare malum, quum enim tres hæ cauſſæ non ſolùm qualitatem, ſed & vitioſam materiam, vel in corpore retineant, vel aliunde ſuggerant, ac proinde in periculum adducant putridæ febris, maiore curâ vtendum. Quamobrem vinum, quod in cæteris niſi irâ concitatis, conuenienter datur, vtique ſi album, tenue, & odorum, vt concoctionem iuuet, & vrinas ſudoréſque promoueat, in iis prorſus arcendum eſt, niſi cùm ſine plenitudine leuior cutis adſtrictio eſt, quam reſerare poſſit, alioqui id perſpirationem non habens, humores accendit & exagitat, magnóque detrimento in venas transfert; itaque concitati humores dum ſubſiſtunt, corpus iactatione nimiâ fatigant. Iam verò cùm in ephemera vel

Victûs ratio.
Alimenti dotes.
Cibi in ſpecie.

Frigidæ potus.

Vinum.

vel plenitudo, vel cacochymia ſubeſſe deprehendatur, illa venæ ſectione, hæc purgatione demenda, non præſentis quidem febris neceſſitate, ſed imminentis putridæ metu. Hac ratione in ephemera ab obſtructione, vt in ſynocho ſimplici, ſanguis copioſè mittatur, antequàm materia putreſcat; ſic vbi cacochymia, aut alia præparata incendio materia latuerit, ea ceu originem ephemeræ calorem nacta, putredinem accendet, niſi purgatione eximatur, & tempeſtiuè ſubducatur: ſic enim & antecedentis cauſæ, & futuri morbi neceſſitas efflagitat, quem arcere neceſſe eſt. Nam quæcunque morbis præſentibus rectè peraguntur, eadem imminentibus illis præmittenda ſunt. Si recens ventriculi cruditas febrem intulit, hæc obuia primo quouis tempore ſubducenda eſt, aut inediâ vtique ſi leuior; aut vomitione, ſi ſurſum vergat; aut deterſione atque ſubductione, ſi deorſum inclinet, & humor locis illis tenaciùs hæreſcat. Suppreſſa jamdiu aluus clyſtere mollienda, aut mitiore pharmaco ducenda. Hinc ventriculus tum aſſumptis tum admotis roborandus, ſicuti particulatim ad ſtomachi imbecillitatem ac dolorem ſcribam. Si obſtructio & meatuum conſtipatio ſuſpecta eſt, hanc eandem victûs ratio, eáque medicamenta curabunt, quæ putridis febribus curandis mox dicam; vt ſi aluus aſtricta aut ſoluta, ſi vrina ſuppreſſa, ſi dolor atrox, ſi ex vlcere tumor hanc febrem accerſat, tollenda hæc ſunt per eadem, quæ in ſymptomatis febrium exponam. Perpetuò autem infeſtanti cauſæ, quæ non omnino deſerit, contraria opponenda ſunt remedia: vt labori quies, vigiliis ſomnus, iræ, triſtitiæ, & excandeſcentiæ ſermones, actiones, & ſpectacula, quæ omnino voluptatem adferant.

Vena ſectio & purgatio quando inſtituenda.

Cruditas ventriculi quid indicet.

Vnicuique cauſa morbifica vt occurrendum in ſpecie.

CAPVT II.

De Synocho non putri.

NEque verò ſynochus ſimplex aliis quàm ephemera remediis curari debet: animaduerſionem tantùm hanc habet neceſſariam, vt vehementiori malo maiora decernantur remedia. Hæc autem duo ſunt: copioſa ſanguinis miſſio, & larga frigidæ potio, quorum vtrumque imperandum, ſeruatis hiſce rebus, quas in ſynocho putri mox exponam: hîc tamen nullâ concoctione expectatâ, frigidæ potio conceditur.

Sanguinis miſſio larga, & potio frigida.

CAPVT III.

Curatio febrium putridarum vniuersalis.

Causa febris putridæ, primùm amoliëda, nisi quid vrgentius incidat.

Indicationes curatiuæ febr. putrid.

Rectum curationis ordinem inuertentia.

FEbrium putridarum calor ex colluuie putridâ emergens, nonnisi repressâ putredine, sublataque impuritate tutò penitúsque extingui potest; sic enim methodica curatio efflagitat, quæ omnem primam causam, deinde genitum effectum iubet summoueri. Itaque nisi vrgentius quippiam interpellat, primum omnis impurus humor exturbandus, atque hinc orta humorum putredo euacuanda; deinde si quid caloris alieni vel in humoribus, vel in partibus ipsis derelictum sit, extinguendum. Interdum tamen quædam accidunt, quæ necessariò rectam methodum & curationis ordinem inuertere cogunt. Sic enim æstuantem febris ardorem; prætermissâ causâ compescimus, ex quo aliàs causæ, aliàs febri obsistendum. Itaque aut refrigerandum, aut adhibitâ præparatione, solutísque priùs obstructionibus vacuandum. At plerumque repugnant ea, quæ febrem extingunt, & quæ causam summouent: refrigerantia enim per se obstructiones augent, materiam incrassant, & euacuationi obsistunt, quin etiam obstructione auctâ, interclusísque vaporibus fuliginosis, putredinem conduplicant; aperientia verò, id est, detergentia & incidentia ferè omnia, calida sunt, quemadmodum purgantia, quæ idcircò febri per se aduersantur, eámque intendunt: Quamobrem occurrendum vrgentiori, altero non neglecto. Methodica etenim curatio priùs causam quàm effectum summouet; & quando virium robori confidimus, methodus rigidè seruanda est, & obstructiones aperientibus reserandæ, putridúsque humor expurgandus, tametsi per ea quæ hæc præstant, febris aliquantulum asperetur. Quæcunque affectio quæ per legitimas euacuationes inducitur, leuis & breuis esse solet, vt quæ completâ euacuatione mox quiescat. Quum verò ingenti febris incendio vires suprà modum resoluuntur, frigidis tum sumptis, tum epithematis ardorem quamprimùm restinguere tentandum: præsertim quum virium spirituúmque substantia tenuis & dissipabilis, in corpore calido, raro, laxóque concluditur, vt proinde suopte impetu dispersdatur & vanescat, tum enim per ea quæ causam abscindunt, febrem augere tutum non est, ne simul cum morbo ægrum de medio tollas; satiúsque fuerit, eo quidem corporis statu, febrem ardentem imprimis restinguere, etiamsi quid pecces in eius causam. Quòd si postea vires firmari contingat, tunc idonea & methodica curatio repetenda erit. Quoniam ergo in morbis curandis, primas tenet causarum obseruatio, in febribus putridis primùm noxiæ materiæ portio euacuanda

Contraindicatio febris putridæ, & eius causæ.

Vrgente febre vt procedendum.

Causarum febr. putr. methodica ablatio, per præparantia & euacuantia.

euacuanda, reliqua naturæ imitatione præparanda, cúmque iam illius beneficio cocta, aliquò propellitur, illac etiam arte protrudenda est, & radicitus extirpanda. Per initia autem humor vacuatur aut venæ ſectione, aut purgatione. Venæ ſectione quidẽ in omnibus continuis; pharmaco etiam in his ſi materia turgeat; & intermittentibus, in quibus etiam quandoque phlebotomia permittitur, quoties nimirum aut venarum plenitudo, aut pulſans capitis dolor, corporis iactatio, æſtus penè ſuffocans, aliúdve ſanguinis incaleſcentis ſymptoma continuam minatur, quam imminentem ſuo remedio arcere conuenit. Etenim febrium continuarum materia in vaſis maioribus concluſa eſt, aut circum hæc aliquâ ſede coërcita putreſcit, vt in viſcerum inflammationibus: atqui humorum qui in vaſis maioribus peccant, accommodatum remedium eſt venæ ſectio, quamobrem ſynochus vtráque, & cauſus, omníſque alia febris continua venæ ſectione protinus curanda, antequàm ſanguis ardoris incendio torreatur, aut putredo latiùs ſerpat. Ita quidem initio febrium continuarum, ſi vires ferant, ſanguis mittatur. Adhibenda tamen eſt deinde purgatio, quæ vt proprium remedium cacochymiam detrahat, & reliquam impuritatis portionem, non vt venæ ſectio ſanguini permixtam, ſed ſinceram eliciat. Neque verò in omni purgatione concoctio expectanda eſt, ſed vbi materia turget, & ſuo motu fluctuans & oberrans omnia conturbat, protinus inter initia valido medicamento exturbanda, vt in acutiſſimis morbis ſæpe vſuuenit; in mitioribus verò, in quibus non eo feruore corpus exercet, etiam vtiliter noxij humoris portio medicamento purgante demi poteſt, vt natura oneris portione leuata, quod reliquum eſt faciliùs concoquat, ſecernat, & expellat. Sed & plerumque præter humentem febris materiam, quæ in vaſis eſt maioribus, alia quædam impuritas in ventriculo, inteſtinis, & viſceribus adeſt, dolore, nauſeâ, amarore, æſtu, aliiſque ſignis manifeſta, quæ quidem primo aditu expurganda eſt, vel ante venæ ſectionem, & multò magis ante aperientium vſum: alioqui metus eſt, ne vel rapta, vel impulſa materia vi medicamentorum aperientium in venas, earum ſanguinem magis inquinet: ſemper enim verendum, ne confuſis, aut tranſlatis humoribus, corpus euadat impurius: Quapropter vnaquæque regio ſuo ordine expurganda eſt, ne à ventriculo & viſceribus in venas maiores, atque ab his in corporis habitum noxij humoris fiat traiectio. Itaque humor qui publicis viis ſubſiſtit, inter initia eiiciendus, vomitione, ſi ſurſum vergat, aut deiectione, ſi deorſum inclinet, atque etiam blando medicamento. Quum verò aut in viſceribus eſt, aut in venis continetur, ſi turget, neceſſariò vehementiore; ſi non turget, vtiliter mitiore medicamento purgandus. Atque in eâ purgatione, quæ per initia inſtituitur, arceri ea debent, quæ aſtringendo purgant: vt myrobalani, rhobarbarum, niſi fortè tenuiſſimum eius dilutum, maximè cùm euidentior obſtructionum ſuſpicio eſt, tum quippe hæc non minùs quàm abſynthium initio verenda ſunt. Cæterùm in venis perfectè expurgandis diligens

Phlebotomia.

Purgatio.

Quandónam purgandum.

Vnaquaque corporis regio ſuo ordine expurganda.

Aſtringendò purgantia cauenda, dum per initia morborum purgamus.

diligens adhibenda præparatio, per quam & viæ pateant, & euacuandus humor faciliùs medicamento trahenti cedat. Atqui in febribus putridis obstructi sunt aditûs & interclusæ arctiores viæ, ob quas prohibitâ ventilatione putredo inducta est; quocirca humores crassos incîdere, lentos detergere, in summâ obstructiones ante purgationem aperire oportet; interdum etiam feruentes, effrenatos, atque æstuantes humores, quos omnino purgare non licuit, sedare atque compescere, ne vel impetu, aut feruore in partem principem irruant, vel acrimoniâ purgationis vias exulcerent. Accõmodanda verò vnicuique humori ea præparationis forma, quæ pariter morbi sæuitiam leniat; vt acutis febribus syrupi & apozemata, ex eorum materiâ, quæ attenuando detergendóque refrigerant, aut non impensè calefaciunt: diuturnis atque lentis, quas aut pituita, aut humor melancholicùs procreauit, valentiora, & calidiora. Ergo feruentes, turgentes, & quodam furore concitatos humores, quos neque venæ sectio temperauit, neque medicamentum abripuit, frenare atque obtundere oportet medicamentis refrigerantibus, non tenuis substantiæ, ne magis exagitent, neq; tamen crassæ, quòd hæc vacuationi obsit, sed quodammodo mediæ; cui etiam austeritatis, vel aciditatis, vel vtriusque quippiam sit adiunctum; cuiusmodi est omphacium, succus oxalidis, mali punici acidi, citrij, quibus bilis maximè retunditur, acrimonia & putredo in calidis humoribus accensa prohibetur, ne ampliùs serpat. Quemadmodum hebetiorem frigidorum humorum putredinem aromatum vsus coërcet, leui tamen purgatione præmissâ. Cæterùm detergentia & attenuantia tum calidis, tum frigidis humoribus præparandis accommodantur, quòd vtrique aut lentore, aut crassitie obstruere possint, vt in bile vitellinâ perspicuum est. Itaque detergendi & attenuandi facultas, interdum cum frigidâ qualitate coniuncta est, vt in cichorio & aceto, sed efficacior & frequentior cum calidâ, vt in absynthio, hyssopo, origano, pipere, cinamomo. Illis calidi & biliosi humores, qui febres acutas accendunt, præparari solent, ac simul calor febrilis extingui: his frigidi & pituitosi, qui diuturnas efficiunt. Et reuerà in ardentissimis ac biliosis febribus sæpius humor qualitate magis quàm quantitate peccat, ideóque refrigerantibus potiùs quàm vacuantibus, vt in Erysipelate, opus est. Contrà in frigidis ac pituitosis, in quibus segnior est calor, qui ægrè accenditur. Quamobrem in his rectè mulsa datur, in quâ origanum, calamenthum, & pulegium coxerint, aut oxymel in quo horum vis insit: in calidis verò nihil horum ardori accommodatum, aut laboranti tutum esse potest, sed refrigerantibus & bilis & febris ardori simul obsistimus, refrigerantibus quoque vitiosum humorem, qui ipsius fomes est, ante purgationem præparamus, at facultate diuersâ; etenim frigidorum medicamentorum alia refrigerando impetum humorum acrium sedant, vt lactuca, violaria, lenticula palustris, portulaca, rosa, succus vuæ acerbæ, mali punici acidi, mali citrij, limonij, & arantij, oxyacanthæ, ribes vulgaris, berberis, & qui ex his sunt

Præparatio, purgationi generis venosi in febr. putrid. præmittenda.

Feruidiores humores ante purgationem perfectam quibusnam optimè frænentur.

Detergentia & attenuantia alia calida, alia frigida.

Medicamentorum refrigerantium varij effectus.

Refrigerantia acres humores temperantia.

fiunt ſyrupi,vt ſyrupus ex granatis acidis, ex omphacio, è limonibus, ex acetoſitate citrij, oxyſaccharo ſimplici, & ad ſopiendos feruidiores humores ſyrupus de nymphæa, de papauere, item conſeruæ roſarum, oxalidis, quibus demum vti expedit, cùm febris effrenatione celeriter reſoluuntur elanguidæ laborantis vires; aliàs verò minimè, quæ enim à refrigerantibus manifeſtè aſtringunt & exiccant, putredinis exhalationem præpediunt, & euacuationi aduerſantur. Alia refrigerando attenuant & detergunt, proindéque obſtructiones reſerant, vt radices aſparagi, graminis, ruſci, quæ temperatiores ſunt, endiuia, cichorium, aliáque genera, oxalis, hepatica, id eſt, lichen, agrimonia moderato calore prædita, adianthos, aliáque capill. genera, & quatuor ſem. frig. maj. hæc enim incîdunt & detergunt, atque horum plurima præterea iecur omniáque viſcera infarctu liberant, ſeruato eorum robore. Acetum verò, aut veriùs acetoſi ſyrupi, non ſolùm bilis impetum ſedant, febriúmque putredinem & malignitatem extinguit, ſed etiam obſtructiones expediunt, & purgationi aptè præmittuntur: itaque in febribus conuenientiſſimi habetur, & non ſolùm cauſæ, ſed etiam febri eâdem operâ ſuccurrunt, quod in omni curatione maximè expetendum eſt. Hanc bilioſorum humorum præparationem efficiunt, non modò acetoſus tum ſimplex, tum compoſitus, ſed etiam ſyrupus endiuiæ tum ſimplex, tum compoſitus, ſyrupus Byzantinus, qui duplo ſtillatitiarum aquarum, aut decoctionis cuiuſdam conuenientis diluuntur, & miſturæ ſelibra datur, eáque ℈j. aut puluer. tria ſant. aut diamarg. frig. aut ſant. citrini, aut cinamomi, aut alterius aromatis condîtur. Aptior tamen, ſi tempus virentes herbas non denegat, Apozematum vſus eſt, quibus non ſicut ſtillatitiis aquis, vlla empyreumatis vis ineſt febri aduerſa; quapropter his vel ſyrupis vel decoctis refrigerando tenuantibus & detergentibus, conuenienter bilioſarum febrium obſtructiones reſeramus, & noxiorum atque feruentium in illis humorum præparationem ante perfectam purgationem molimur: bilis enim tametſi calida, plerumque tamen viſcida tenáxque eſt. Quinetiam in bilioſis febribus adeſt nonnunquam viſcerum, denique venarum obſtructio à pituitoſis aut reſiccatis humoribus; ita vt alius ſit humor qui obſtruit, alius qui obſtructione intercluſus in vaſis maioribus putreſcit, & putredine efferueſcens febrem accendit. Ex quo illorum error facilè coarguitur, qui ſpretâ Hipp. Gal. & Rhaſ. authoritate, aduerſarium Auicen. ſequuti, bilioſos tenuéſque humores ante purgationem incraſſandos eſſe iubent; in idque frigidæ potionem, & refrigerantes ſyrupos commendant; quandoquidem bilis ſi tenuis eſt, quàm mox nullâ adhibitâ præparatione euacuanda, vtique ſi tum reſeratæ viæ ſint, nec crudi humores purgationis vias obſederint; quò enim tenuior eſt humor, eò ad fluendum aptior exiſtit, & ille promptiùs trahenti medicamento cedit; ſi verò craſſa & tenax fuerit, potiùs alterantibus & detergentibus ad purgationem præparanda, quàm incraſſantibus, quorum permixtione firmata,

Refrigerantia ecphractica.

Acetum, & ſyrupi acetoſi.

Iulepi.

Apozemata.

Quandò præparatio bilioſis humorib. in febr. putrid. debeatur ante purgationem.

Bilioſos humores ante purgationem incraſſare nō decet, contra Auic. 1. 4. tract. 2. c. 7.

firmata, dein ignauiùs exit, nec nisi vi è corpore educi potest. Si verò sanguini permixta, aut potiùs si biliosus sanguis putrescens febrem accendat, vix nisi coctus & naturæ vi secretus trahentis medicamenti vim sequitur, & quamuis concoctione crassescat, non tamen purgationi idcircò aptior est, quòd crassior euaserit, sed quòd sit à reliquis humoribus secretus, húncque natura expellere contendat. Concoctione enim humidis partibus euanescentibus, fit quædam inspissatio, naturæ operâ, non à frigido concretio. Præparatio ad expulsionem, longè alia res est, in quâ & naturæ similitudine humorem abducimus, quò faciliùs pellatur. Id verò extenuando fit, non incrassando. Quod verò obiicit Auicen. tenues humores se immergere membris, & in abditos corporis recessûs insilire, nisi incrassentur: nos pari facilitate dicemus educi, permanente eadem tenuitate, quæ exitûs vt ingressûs causa erit. Quòd si postquam immersa est bilis, incrassescat, & obstructiones pariat, extenuantibus & detergentibus, non incrassantibus vtendum. Itaque artis vsu syrupum endiuiæ compositum, aut Byzantinum, aliósque aperientes, non autem syrupum de granatis, aut cydoniorum purgationi præmittimus, cauemúsque ne pharmacum sumpturo syrupus è papauere detur, etiamsi somnus difficilis sit. Quinimò Auicen. quasi sui immemor, refrigerandum esse vetat, cum his quæ prohibent resolutionem, & vias obturant, per quas purgatio futura est; nam frigida qualitas per se purgationis motum impedit, non adiuuat: idémque in biliosis febribus, aluo iam leuiter subductâ, quæ vrinas sudorésque mouent, præscribit. Extenuantibus quoque natura iuuatur, noxij humoris excretionem per vrinas aut sudorem moliens. Neque verò argumenti huius ratio constat: in præparatione ad purgationem extenuabitur crassum, ergo & incrassabitur tenue. Sententia quidem Galeni est, præcipientis vt quod in naturalem statum redire potest, alteretur, tenue incrassando, crassum attenuando: at quod adeò vitiosum est vt excludi debeat, non eam alterationem requirit, quâ ad purgationem incrassando præparetur. Neque etiam à sputorum mediocrium faciliori excretione duci potest argumentum, quòd crassa maneant, tenuia facilè relabantur. Neque præterea à medicamentorum repellentium effectu, quorum vim id quod tenue est effugiens, præterlabitur, ac in parte figitur: nam euacuantium præsidiorum quædam trahendo vacuant, vt cathartica, alia pellendo, vt astringentia. In tenuioribus humoribus, & spiritu in tussi erumpente, actio prima naturalis est attractio, ad quam paratissimi sunt tenues humores, proindéque trahenti medicamento promptiùs cedunt: secunda, violenta quædam expulsio est, in quâ tenues humores propulsi facilè dissiliunt, & hac atque illac diffluunt: quamuis autem bechica quædam astringentia ad tenues fluxiones incrassandas comparata sunt, nulla tamen ab illis concoctio est, sed Narcotica huiusmodi, & ad somnum inducendum, & extinguendam acrimoniam biliosæ fluxionis

Obiectio Auicen. diluitur.

Contradictio Auic.

Secunda obiectio refellitur.

Tertia obiectio refutatur necnon quarta.

instituta sunt, vt concretos reddant humores; qui extracti violenter non trahenti cedunt. Quinetiam licèt tenuitas cruditatis signum existimetur, ac euacuationem prohibeat, illa tamen tenuitas non est humoris educendi qui naturâ tenuis est, vt bilis, sed emissi excrementi indicantis, vt lotij, quod iusto tenuius naturam nondum concoxisse demonstrat, ex quo nec purgandi opportunitas adest, quia naturam nondum, nisi concoctione secretionéque peractâ, habeamus adminiculantem. Quamobrem non concoquendam, aut incrassandam esse bilem imperabimus, ante purgationem, sed expectandum dicemus, vt post venosi generis coctionem natura secernat, ac multo accuratiùs, quoties bilis venarum sanguini sese miscuit, vrinas suo colore inficiens, multóque adhuc magis, si biliosus sanguis sit qui facit febrim: Etenim vtilioribus succis permixtus & confusus, nonnisi naturæ operâ & perfectâ concoctione secerni queat. Ergo sic res est contrahenda: bilis sincera, id est, excrementitia, si tenuis est, ante purgationem minimè incrassanda, sed mox educenda; si verò crassa & tenax, postea detergenda priùs & attenuanda. Si sanguini permixta, etiam concoctio expectanda naturæ beneficio futura. At interim non ineptè, meâ quidem sententiâ, vtroque præsidio quis vtatur, nimirum humidam victûs rationem & refrigerantes simpliciter syrupos, si febrilis calor vrgeat, priùs adhibens. Instante verò purgatione, detergentes & attenuantes, sic enim Hippoc. corpora ante purgationem fluida facere iussit, & Galenus extenuantia purgationi continenter præmittit. Ac licèt tenuis sit humor, extenuantia tamen contemni tutum non est, maximè si frigidis & frenantibus antea sis vsus, nec satis constet, an viæ sint liberæ ac expeditæ, per quas & medicamentum & vacuandus humor decurret; itaque licet aliquando syrupis vti feruorem compescentibus, aliquando extenuantibus, aliquando vtrisque, quod acerrimo medici iudicio decernendum est.

Quanam tenuitas sit index cruditatis.

Conclusio huius disputationis.

Cæterùm in frigidis & pituitosis humoribus, qui febres diuturnas cōmittunt, diligentior adhibenda præparatio, quâ & viæ pateant, & trahenti medicamēto omnia cedant. In his enim pertinaces admodum obstructiones esse consueuerunt, vt ad eas reserandas, maiore attenuantium & detergentium vi cum calore coniunctâ sit opus: quo in numero habentur è simplicibus rad. apij. petrosel. fœniculi, galang. hyssop. iris, betonica, origanū, calament. pulegium, prassium, chamædrys, chamæpitys, satureia, thymus, stœchas, rosmarinus, vuæ passæ, ac semina attenuantia, quæ si febris auctior est, refrigerantium aut mitiorum quorundam permixtione temperanda sunt; quemadmodum si melancholicus humor lentus, crassus atq; terrenus, cuiusmodi lienis tumores, & quartanas excitat febres, ad purgationē præparandus decoctis ex cortice rad. tamaricis, caparū, fraxini, borrag. buglossi. melissoph. lupulorum, fumar. scolopend. cuscutæ, cicerum rubrorum, & pro ratione adauctæ febris, adiectis quoque violis, glycyrrhiza, succo pomorum redolentium, succo rad. buglossi: interdum

Quanā præparatio frigidis humorib. in febr. putrid. quærenda, ante purgationem.

Melancholici humoris præparatio.

tamen endiuiâ, cichorio, agrimoniâ. Ita quidem præparandus humor est, quisquis fuerit, dum principium morbus statúmque præterierit. Inter hæc autem concoctionem diligenter animaduertere, & patienter in acutis morbis crisim expectare oportet. Neque enim in febris furore ipso, cùm grauissima symptomata vigent, & natura circa morbi concoctionem tota incumbit, prudentis est Medici, hanc medicamento purgante lacessere, & purum humorem pariter cum impuro promiscuè & indiscriminatim effundere, naturæ molitionem interturbare, tenuiorem humoris portionem abripere, atque purgationis agitatione concoctionem præpedire, quæ potiùs quiete iuuanda erat, quod Hipp. breuiter expressit, quum morbi incipiunt, si quid mouendum videtur, moue; quum verò consistunt, melius est quietem habere: Nam circa initia & fines omnia imbecilliora; quum verò consistunt vehementiora. Quum enim humores tum maximè præ morbi furore, quodam quasi æstu iactati efferuescant, obturatíque permisceantur, nulla omnino queat iusta illorum fieri secretio. Quapropter nulla eiusmodi euacuatio, quæ vires lacessit, in tanto morbi furore tutò obiri potest, multóque minùs quum iam dies criticus appulerit: minùs etiam instante crisi, fortè enim natura aliò inclinat, & vel in vrinas, vel in sudores motum conuertit, cuius sunt interiores motûs nonnunquam incomprehensi: periculosiùs etiam præsente criticâ perturbatione & excretione, tum quippe medicus non opifex, non naturæ adiutor, nisi eâ succumbente, sed tantum operum eius contemplator esse debet, nam, vt inquit Hipp. quæ iudicantur & iudicata sunt integrè, neque mouere, neque nouare oportet, sed sinere, dum natura opus compleuerit: deinde si integrè iudicauit, & omnem morbi materiam expulit, res in tuto est, nec aliud quippiam mouendum. Sin quidpiam derelictum esse, quasi ex imperfectâ crisi, suspicio est, quoniam quæ relinquuntur in morbis recidiuas facere consueuerunt, medicamento id quoque detrahendum: multóque magis si in statu, vehementiâ præsente, nulla successit excretio decretoria; nam iis quæ præter rationem leuiora apparent, minimè fidere oportet, nec turbari, si quid temerè grauius acciderit, imò noxium humorem excludere debemus, ne morbus subinde reuertatur. Vniuersa ergo morbi materia, nonnisi concocta & post statum, quum iam symptomata mitescunt, radicitus extirpari potest, tum quippe naturam habemus adminiculantem & auxiliatricem, quæ concoctione peractâ secretos humores excludere contendit. Itaque tum expellente naturâ, tum attrahente medicamento fœlicissima sequetur medicatio. In febribus autem vacuatâ multitudine, vbi concoctionis signa apparent, vitiatos humores non solùm per aluum, sed etiam vrinas, & sudores vacuare tentandum. At si quis præsente plenitudine & cruditate, vrinas vel sudores mouere contendat corruptos humores diffundit, irritat, conturbat, & quasi in furorem agit, quos in angustiores meatûs impellit, in quibus dehinc

Concoctionis signa diligenter notãda.

Hipp. Aphor. 29. & 30. lib. 2.

In statu aut die critico, nõ purgandum.

Aph. 20. lib. 1.

Quando post crisim purgare liceat. Aph. 12. lib. 2.

Aph 27. lib. 2.

Concocta medicanda.

Intẽpestiuus diureticorum & hidroticorum vsus, quæ mala inferat.

non

non facile dimoueri possint. Quare satius est, decrescente iam febre has excretiones moliri atque prouocare, vrinas quidem syrupo acetoso composito, aut oxymelite composito, aut diuretico cum decoctione aperientium Rad. ac seminum frigidorum maiorum, vel cicerum rubrorum, adiectis etiam petroselini atque fœniculi seminibus; sudores verò frictione & vnctione ex chamæmelino, irino, anethino, quibus vinum album sit admixtum, aut tepentis aquæ fotu, aut vini albi generosi potu, modò ne id fiat, nisi febre iam inclinante, & naturâ iuuante, aut minimè repugnante: nam quò natura repit, eò deducere oportet per conuenientem regionem, & si natura perturbatè agat, per breuem rectúmque tramitem dirigere, & inchoata eius opera complere; sic modò consuetas hæmorrhoides renouare, modò menses ciere, modò sanguinis è naribus excretionem prouocare, vtique si facies rubeat, oculorum venæ tument, temporum arteriæ vehementiùs pulsent, naréfque pruriant. Quin etiam in febribus ardentissimis, quæ in hecticam præcipitare solent, leuis frictio ex oleo viol. rosf. nymphææ, & è salicibus iuuare solet, quæ humores à colliquante febris ardore supra modum diffluentes ac profusos cohibeat. In omnibus autem febribus, atque per omnem curationis progressum occasio magnum habet momentum, quæ quia præceps est, cum quadam celeritate arripienda est. Sunt aliæ quoque obseruationes in febribus necessariæ, atque hîc accuratè videndum est, an astrictum corpus sit, an profluat, quorum alterum natiuum calorem & spiritûs substantiam strangulat, alterum celeriùs digerit & dissipat: quoniam in his quæ superant, est quod morbis demat; in his quæ desunt non est quod morbum ferat: itaque si astrictum est, ducenda aluus est, mouenda vrina, eliciendus omni modo sudor. In hoc genere morborum sanguinem etiam misisse, concussisse vehementioribus frictionibus corpus, demisisse in balneum, imperâsse famem, sitim, atque interdum vigiliam prodest: sic enim vires onere leuatæ alacriores euadunt. Contrà verò si corpus profluat, vt in febribus cardiacis & colliquantibus, sudor coërcendus, quies adhibenda, tenebris somnóque quomodocunque volet vtendum, non frictione agitandum corpus, cautè sanguis mittendus, parcè mouenda aluus denique pro genere mali subueniendum. Nam si venter profluit, aut si stomachus non continet, aut si sudor exercet, ea facienda erunt, quæ deinceps in symptomatis præcipiam. Hæc magis per omnia febrium genera perpetua sunt & communia, nunc ad singulas earum species descendamus.

Per quam regionem humor potiùs educendus. Aph. 21. lib. 1.

Occasio capitanda. Cels. c. 6. li. 3.

Astricto corpore quid agendum. Cels. ibid.

Corpore profluente, quid consilij capiendum.

Cels. c. 5. l. 3.

CAPVT IV.

De febribus acutis & biliosis, hoc est, de synocho, & febre ardente, atque de tertiana, tum continuâ, tum intermittente.

SYnochus putris,& causus,& tertiana, duobus scopis sunt curandæ, euacuatione & alteratione; nam remediorum alia euacuant & causam tollunt,alia vitiosum affectum immutant, & febrilem calorem extingunt. Ergo si vires sunt, quamprimùm sanguinem mittere oportet, abundantiùs quidem in synocho, interdum quidem eò vsque, vt vires flaccescant aliquantulum, & initium patiantur defectionis: nunquam enim euacuationis quantitate in veram lipothymiam æger præcipitandus est,multóque minùs in syncopen; parciùs verò atque restrictiùs in causo,ne bilis supra modum excandescat. In eo tamen nefas est sanguinem non detrahere,quòd biliosus sit sanguis, qui in venis maioribus putrescit, & efferuescens febrem continuam accendit, aut bilis sanguini permista; atqui venæ sectio non solùm euacuat,sed etiam feruentis humoris subductione refrigerat, & frigidi aëris introitu feruorem compescit. In vtrâque autem febre quàm celerrimè sanguinem mitti necesse est; nam quò celeriùs eiusmodi febres effrenantur ac vigent, eò maturiùs hæc auxilia sunt adhibenda. Venæ sectioni clyster aptè præmittitur,nisi febris immanitas accelerari cogat.

Vena sectio largior in synocho, parcior in causo esse debet.

Cur in causo mitti sanguis debeat.

Tempus administrandæ phlebotom.

Clyster emolliens & eccoproticus.

℞. Matr.alth.viol.acanthi, foliorum lact. folior. cucurb. vel cichor. ana M.j.prunorum dulc.passul.mund.par.xxiiij. sem. frig. maiorum,ana ʒ.iij.anisi ʒ.j.trium florum comm.& nymph. ana p. j. fiat decoct. in colaturâ dissolue cass.recenter extractæ,vel catholici ℥j diapr. simpl. ℥. ß. aut si acriùs aluus mouenda, solutiui parem modum, olei violati ℥iij. mellis violati,aut rosati, sacch. rub. ana ℥ij. fiat clyster. Quem etiam ex decocto vel hordei integri,vel furfuris parare licet: vel pro pauperibus, ex hydromelitis ℔. j succi ciclæ, aut mercurialis, & olei violati, ana quart.j.ac si nausea,vel stomachi dolor premit,& humor sursum vergere videtur,addendus artis stimulus,& vomitus eliciendus hoc modo.

Potio emetica blanda.

℞. Syrupi acetosi simpl.℥ij. mellis ros.℥j. aut si viscosior est humor, ℥jß.decoct.hordei,℥.v.misce,detur tepidum, & horæ quadrante interiecto,vomitus excitetur,modò facilis sit.

Turgente humore purgandum mox ab initio.

Cùm autem in his febribus acutis plerumque humor turgeat, Hippocratis consilio, inter initia medicamento vtendum, in his enim cunctari,malum. Itaque si turgentis humoris impetus, subsultantísque bilis feruor venæ sectione nondum satis repressus esse videatur, bilis omnia conturbans, aut alioqui ex putrescente sanguine prognata, medica

medicamento accommodato ſubtrahenda eſt: pleniùs quidem in cauſo,& tertianâ continuâ;parciùs verò in ſynocho. Neque eorum ſtandum eſt ſententiæ, qui in cauſis, pharmacis interdicunt, quæ diagridium excipiunt, quòd inflammationem & ardorem augeant; ſed potiùs aſſentiendum Hippocrat. præcipienti eâdem die in acutiſſimis medicandum,vehementioribus,inquam, medicamentis vtendum, quæ eius ſeculum vſurpabat: eâ voce Hippocrat. non modò celeritatem remedij, ſed & vehementiam hortatur, minimè illius calorem veritus, vt ſimul feruentem bilem expurget,ac ſic ex accidenti refrigeret, quò enim acutior eſt morbus,hoc magis acceleranda,validiórque decernenda purgatio eſt. Vt tandem extremis morbis extrema exquiſitè addantur remedia. Non ſic autem in tertianâ intermittente, atque in eâ continuâ, in quâ materia non turget. In his enim cùm mitiora ſint omnia, mitiùs quoque agendum; neque temerè in acriora prorumpendum. Accommodatum autem medicamentum eſt quod ita bilem ducit, vt non admodum calefaciat, aut ſaltem refrigerantium permiſtione ſit temperatum,quo in numero habentur caſſia,manna,tamarindi, ſyrupus roſ.aut roſ.ſuccus,ſyrupus violatus ex infuſionibus,& dilutum rhabarbari,quod turgentem materiam citra agitationem educit. Hæc, inquam, vel ſingula,vel plura,cum decocto refrigerante, aut lactis ſero vtiliter dantur, & inter ſe hoc modo componuntur.

Medicamenta diagrediata in cauſo rectè imperātur.

In tertianis interpolatis, & continuis mitioribus, blanda pharmaca offerri debent.

℞. Prunorum, tamarindorum, & glycyrrhizæ recentis,ana ℥ß. ſem. melonum & cucurb.ana ʒij.trium florum, ana p. j. fiat decoct. in aquâ hordei,& in colaturæ ℥iij. diſſolue:ſi materia turgeat, diapruni ſol.ʒiij. aut elect.de ſucco roſ.aut elect.è pſyllio,ſi paretur, oxylaxatiui Nicol. ſi extaret,tantumdem,ſyrupi roſ.laxat. ʒjß. aut viol. ℥ij. at ſi non turgeat, detractis ſcammoniatis,diſſolue mannæ recentis ℥j.vel caſſiæ ℥ß. mucilaginis pſyllij ʒij.ſyrupi violati ℥j.Ita mitiſſimũ efficies aut formâ boli.

Potio benignè purgans.

℞. Caſſiæ recenter extractæ ℥ß. diapruni ſolutiui ʒiij.vel in tertianâ, pulpæ tamarindorum ʒvj. Cum ſaccharo fiat bolus, quem capere poterit per ſe, vel diſſoluendo cum decocto communi medicinæ; vel cum infuſione ſeſquidrachmæ rhabarbari;cum aqua endiuiæ. Aut.

Bolus catharticus.

℞. Succi mali punici acidi,& dulc.ana ℥ij.nocte vnâ reſideant: poſtridie diſſolue ſacchari albiſſ.℥j. ſyrupi viol ℥iß. & exhibeatur. Tergit, aluum ducit,diſſolutum ſtomachum firmat:neque temerè in vehementiora deſcendendum,quibus acuitur potiùs quàm leniatur febris.

Hauſtus aluū ſubducens.

Cæterùm hîc quædam interuenire ſolent, quibus præſentibus non ſanguinem facilè mittere, non facilè ducere aluum, non alio modo cruciare conuenit, vt in febribus lipyriis & cardiacis, & iis quas Græci ἀσώδεις vocant: etenim bilis os ventriculi vellicans, & roſionis ſenſum inferens,ægrum magnâ iactatione fatigat,& leuiſſimâ occaſione in ſyncopem,aut conuulſionem præcipitat,ac tum occaſio præripitur maiorum remediorum,neque venæ ſectione,neq; purgatione ægri vires conuellendæ ſunt. Sed his malis antè conſulendum leuiter abſtersâ bile, óſque

Febres lipyria,cardiaca, & aſſodes,nō tolerant maiora remedia.

ósque ventriculi muniendum hiſque corroborant, quæ humorum influxum arcent, quæ humorum acrimoniam obtundunt; iis vbi proſpectum iam eſt, neceſſariò vacuatio inſtituenda, & reliqua curatio tranſigenda eſt. Iam verò maxima pars curationis, in extinguendâ bile, aut feruido ſanguine temperando conſiſtit. Semper enim contraria qualitas qualitati præter naturam excedenti obiicienda eſt, tanquam id longè præſtantius ſit, quàm quouis modo vacuare, præſertim iis in morbis quorum materia qualitate magis quàm quantitate peccat; quâ in re obſeruatio quoque neceſſaria quam ſuprà poſuimus, ideóque diſtinguendum, an ſanguinis & bilis feruor ſit extinguendus, humórque turgens domandus, & putredo inhibenda: an potiùs, quod ferè ſecundum eſt, derelictus humor, quem medicamento eximere non licuit, ad futuram purgationem præparandus. Quæ igitur primum ſubiectum, æſtuantem ſanguinem, ferocientémque bilem compeſcunt, & febrium ardores extingunt, inhibéntque putredinem, hæc ſunt.

Syrupus.

℞. Oxyſacch. ſimpl. & ſyr. de limonib. ana. ℥iij. vel ſyrup. è ſucco oxalidis, tantumdem, vel ſyrup. roſ. ſimpl. & viol. aut è nymphæâ, aut ſi vigiliæ vrgent, de papauere, parem modum, cum duplo id eſt, ℔. j. aquarum, vel decocti endiuiæ, cichorij, acetoſ. bugloſſ. & borraginis, vel lactuc. & portul. fiat ſyrupus ʒj. ſantali condîtus, in trium dierum matutinam potionem. Sed vbi vehementior eſt dolor, ac maximè præceps febris, etiam bis in die dari nihil prohibet, ſic vt horâ tertiâ quoque detur.

Apozema.

℞. Acetoſ. cum toto, endiuiæ, cichor. cum rad. roſtri porc. hepat. vel ſummitatum lupuli, lactucæ, portul. vel lenticul. paluſtr. an. M. j. tamarind. electorum ℥j. prunorum acidorum p. xv. ſem. melonum & cucurb. ana ʒiij. & ſi vigiliæ vrgent, ſeminis papauer. albi, tantundem, ſem. acetoſ. & portul. ana ʒjß. aut ſi qua malignitatis ſuſpicio ineſt, ſeminis citrij, & cardui benedicti, ana ʒij. aniſi ʒß. trium florum communium, nymph. an. p. j. aut roſ. recent. ſi tempus ferat, aut florum pomorum, tantundem, fiat decoct. & in colaturæ ℔j. diſſ. ſucci mali punici ℥iiij. aut aceti, aut ſucci citrij, vel limonum, ℥ij. ſacchari q. ſuff. fiat apozema clarum, quod aromatizetur puluere diamarg. frig. ad tres doſes. At ſi vlla obſtructionis adſit ſuſpicio, aut alioqui humor ad purgationem præparandus eſt, exemptis aſtringentibus & incraſſantibus, adiicienda alia quæ pariter refrigerando detergunt & attenuant, vt rad. aſpar. ruſci, graminis, an. ℥j. addendo etiam adianti quantitatem ſufficientem. vel:

℞. Syrup.

℞. Syrup. end. compos. & acetos. simpl. ana ℥iij. decoct. hord. ℔j. vel tantundem decoct. rad. aspar. cichor. oxalid. graminis, & rusci, endiuiæ, hepat. agrimon. seminis Melonum & cucurb. fiat syrup. in tres doses, conditus ʒj. pulu. triasant. Huiusmodi ergo syrupi in biliosis febribus tum intermittentibus, tum continuis, seu ardentes, seu pestilentes hæ sint, accommodari solent. At ne siti quidem nimiâ vexandus æger est, quamobrem his febribus auxiliantur syrupi qui sitim extinguunt, vt syrup. è succo citrij, aut limonum, aut acetos. simpl. aut cerasorum, aut è prunis pomisue acidis, aut cùm non magna obstructionum suspicio est, vel aluus profluit, iulep. Alexandrinum ex ℔j. aquæ ros. & ℥iiij. sacch. aut quum pleniùs humectandum, syrup. violatus; aut cùm leuiter attenuandum, syrup. de capillis veneris, exclusis omnibus aliis medicamentosis.

Iulep. refrigerans, detergẽs, attenuans.

Iulep ad sitim sedandam, & bilis feruorem, & putredinem coercendam.

℞. Aquæ ros. succi limonũ, succi granatorum, & sacch. albiss. ana ℥iiij. lentè coquantur dũ despumata sint; dilutior verò fiet, adiectâ ℔j. aquæ ros. & demum acidis succis sub finem additis; vel in succorum acidorum vicem, aceti ℥iij. indantur. Auxiliantur etiam cardiaca condîta, refrigerando, corroborando, ac coërcendo putredinem, quæ inprimis vitæ aduersatur. Hæc autem parantur tum ex conseruis calidis, aut florum cichor. rad. buglos. florum borrag. viol. nymph. aut si obstructio suspecta est, capillorum veneris; sin minùs, rosarum, admixto his quodam puluere cardiaco, vt puluere diamarg. si cor; triasant. si iecur; diarhod. si stomachus firmandus: Idque eâ ferè mensurâ, vt pro tribus ℥. conseruarum, ʒjß. puluerum, & pro ℥iiij. illarum ʒij. misceantur, & sacharo adiuncto parentur condita hoc modo.

Condîta cardiaca.

℞. Conser. rad. buglos. & oxalid. ana ℥j. florum cichorij ʒvj. florum nymph. aut violarum ℥ß. pulu. diamarg. frig. ℈ij. pulu. triasantali, & diarhodon Abbatis, ana ℈j. folia auri, si diues sit, numero v. sacchari albiss. q. suff. fiat conditum auro coopertum. Vel si laborans eiusmodi odoratiora abhorreat, his exemptis, puluerem margarit. rasuram eboris, aut cornu cerui, aut os è corde Cerui, aut puluerem Coralli rubri, maximè cùm aluus soluta est, aut quatuor semina maiora mundata & incisa, miscere conuenit. Si hæc quoque ingrata sint, Electarium præscribatur hac formâ.

Formula conditi.

℞. puluer. diamarg. frig. ʒj. pulu. triasantali, & diarhod. ana ʒß. rasuræ eboris aut cornu cerui ℈j. sacchari albiss. aquâ bugloss. diss. quantum suff. aut si corpus nimio æstu dissoluatur, in aquâ ros. fiat elect. in formâ tabellæ formatum, sumat vnam aut alteram ante syrupum.

Tabella.

pum. Neque hîc saccharum rof. vereri oportet, vt plerique faciunt: magis enim roborando cordi & febrili ardori restinguendo, quàm alij attendere oportet.

Admouenda.

Cordi & hepati, per has febres, externis remediis prospiciendũ.

Non solùm autem assumptis, verùm etiam admotis æstuosum febris ardorem extinguere tentabimus: in id verò vsurpantur, tum quæ extrinsecùs cordi adhibentur vitæ principio, vnde vitales spiritûs feruidiores prosiliunt; tum quæ iecori, ex quo fonte materia alendo corpori necessaria promanat.

Epithema cordis æstum compescens.

Sacculus cardiacus.

♃. Pulu.diamarg.frig. ℨii. coriandri præparati, santalorum omnium, aut pul. triasantali, sem. acetos. & portul. ana ℨiß. trium florum communium, & nymph.ana p. j. trochiscorum de caphura ℨi. gran. tinctorum ℨß. aquarum buglossi, endiuiæ, acetos. & ros. ana ℥iiii. vini albi ℥iii. aut in carnoso corporis habitu, aceti ros. ℥iß. aut succi rosarum, aut pomorum, aut limonum tantundem. Tritis terendis, fiat epithema cordi admouendum tepidè, madefactis pannis coccineis: modò multus sudor criticus obstare non videatur. Sunt qui corallum, & succinum, & lapidum quorundam fragmenta admisceant, sed parum pro futura. Nos si vires languent calorque fatiscit, foliorum melissophylli siccorum, seminis ocymi odoratioris, ana ℨi. vel pulueris elect.de gemmis, aut confect. Alchermes, aut os de corde cerui adiicimus tantundẽ, ex iisdem aridis, adiectis quoque rosis, & serico rubro raro inclusis, parantur sacculi explanati & interpuncti, qui excepto priùs vapore aquæ ros. cui vini albi parum insit, cordis regioni admoueantur eodem spectat, quod meliore formâ sic parabimus.

Epithema solidũ pro corde.

♃. Confect alchermes ℨi. pulueris diamarg. frig. ℨß. pulueris triasantali ℨi. sem. acetos. ℨß. granorum tinctorum ℈i. camphoræ gr. iiii. cogantur cum oleo è nympheâ, aut cum syrupo è pomis redolentibus, & succo citrij, adiectis vini albi guttis aliquot, & imposito panno rubro, applicentur cordi. Verùm de his pleniùs in syncope disputabimus.

Epithema refriger. pro hepate

♃. Vnguent.ros. descr. Mesuæi, aq. endiuiæ loti, ℥iiii. vel huius & cerati santalini, ana ℥ii. sem.acetos. & endiuiæ, & (nisi ceratum insit) santalorum omnium, ana ℨi. spicæ nardi ℈i. olei viol. & nymph. ana ℥i.ß. misce, fiat vnguentum, vngatur regio hepatis, addendo tempore vnctionis aceti albi parum; atque si vehementior sit ardor, rasuræ cucurb. recentis ℥i. eodem quoque vel cerato albo Galeni cum oleo nymph. aut mucilagine psyllij, renum dolor ac ardor leniri potest,

Ad renum dolorem ac ardorem.

quibus nonnunquam succus lactucæ, aut cucurb. aut cucumeris, aut plantaginis,

plantaginis, aut capreolorum vitium additur. Si epithematis pugnandum est, his vtendum quæ iecinoris inflammationes restinguere dicemus, aut ex succo portulacæ, intybi, aut omphacio, aut
℞. Aquæ rosſ. ℔j. & aceti, quantum sufficit.

Epithema pro hepate.

℞. Aquarum endiuiæ, & rosſ. ana ℥iiii. aquæ solani, & nymph. vel lactucæ ana ℥iß. aquæ absynthij ℥i. santalorum omnium, & spodij, ana ʒi. camphoræ gr. iii. fiat epithema hepati, atque etiam testiculis aptandum.

Litus pectoris. Interdum quoque necessarium est, si thoracis æstus percipitur, eius temperandi causâ, pectus violaceo aut rosaceo inungere, sic vt subinde commutetur, sed id elui oportet, ne facilè inflammetur: quinimò totum corpus si vltra modum diffluat, vt in febribus colliquantibus, iisdem vtiliter illinitur. *Animalia calore proprio adhuc tepentia, cordi, aliisque partibus admouenda.* Sunt qui pullos gallinaceos, aut columbinos per medium dissectos, ac proprio calore tepentes, aut catulos, aut recèns mactati animalis pulmones, cordi, hepati, ventriculo, capiti admouent, vt laxatis viis calorem febrilem euocent, quod non improbo, si tempestiuè fiat. *Febribus lipyriis conueniũt cardiaca sicut & frictio.* At verò in febribus lipyriis, in quibus interiores ardoris vehementiâ conflagrant, exteriores corporis partes frigent, quod in malis est, tunc præter cardiaca, vnicum in frictione præsidium est, quæ si calorem in cutem euocabit, potest alicui medicinæ locum facere; quum verò in summo incremento morbus est, corpus vehementissimo cordis incendio flagrat.

Frigida potus liberalis, præsentib. pepasmi signis, vnà cũ aliis diorismis necessariis Cels. c 7. l. 3. Apparentibus iam concoctionis signis, magnâ siti antecedente, frigida aqua copiosè præstanda est, vt bibat pleno haustu etiam vltra satietatem, vtique si iuuenis est, ac bene carnosus, & ei potioni assuefactus. At quum iam venter & præcordia vltra modum repleta, satísque refrigerata sunt, vomere debet. Quidam ne vomitum quidem exigunt, sed ipsâ aquâ tantùm ad satietatem datâ pro medicamento vtuntur. *Conditiones corporis ψυχροποσία ἀγωνιστικῇ vsuri.* Vbi vtrumlibet factum est, multâ veste operiendus est, & collocandus vt dormiat, feréque post longam sitim & vigiliam, post multam satietatem, post infractum calorem, plenus somnus venit, per quem ingens sudor effunditur. Id præsentissimum auxilium est, sed in iis in quibus præter ardorem, nulli dolores, nullus præcordiorum tumor, nulla viscerum imbecillitas, nulla firmata obstructio, putredinísve humor incoctus nullus, nulla neruorum imbecillitas, aut ingens corporis extenuatio, nihil prohibens vel in thorace, vel in pulmone, vel in faucibus, non vlcus, non deiectio, non alui profluuium fuit. *Quantitas frigidæ potãdæ quibus ex rebus metiẽda.* Itaque modum eius ex tempore, regione, ætate, naturâ, totius corporis habitu, & consuetudine accuratiùs metiri conuenit. *Refutatur Auic. opinio, circa tempus ψυχροποσίας.* Ex quo minimè probanda erit Auicennæ sententia,

 qui

qui biliosorum humorum concoctionem atque præparationem frigidæ potu molitur, cùm hæc nonnisi apparentibus concoctionis signis, Galeni præcepto, rectè dari possit; ac neque in tertianis intermittentibus, sed in ardentissimarum febrium vigore generosius id remedium præscribit. Sed quomodo bilem purganti medicamento præparabit, quum ea ipsa tanquam postremum remedium adhibeatur. Intempestiua enim & immoderata illa natiuum calorem infringit, atque interdum ventriculum adeò debilitat, vt nulla dehinc concoctionis integritas sperari possit. Hinc nonnunquam spirandi difficultas, tremor, paralysis, conuulsio, aut gulæ resolutio, aliáve mala sequuntur, adeò frigidæ potio larga parum tuta est, atqe genus hoc curationis, anceps videtur! Vbi febris sine decretoriâ euacuatione tenuata est, medicamento purgare oportebit, nisi alius conuenientior naturæ motus appareat: Etenim naturâ cessante, nulla certior via excogitari potest. Medicamentum autem deligi, sicut initio turgente materiâ præcipitur, adiectis decoctioni myrobalanorum citrinorum ℥iij. aut quod proximè subiungam.

Damna intempestiuæ potationis frigidæ.

Quando purgandum.

Potio purgās.

℞. Rhabarbari electi in aquâ endiuiæ infusi, & expressi, ʒij. cinnamomi interioris ℈ß. diaprunis sol. ʒiij. aut ʒiiß. syrup. ros. laxat. aut viol. ex IX. infusionib. ℥j. Misce, fiat potio, exhibeatur cum artis obseruatione. Hanc si respuat, detur ℥ß. diaprunis solutiui boli formâ, aut tantundem elect. ros. aut diagnidij g. viij. pruris inclusi.

Bolus.

Pilulæ.

Pilulas non approbo, ægro tamen cætera respuente, aggregatiuarum vel aurearum detur ʒj. postridie verò detur ad corroborandum stomachum tabella vna diarhodon, vel diamarg. frig. vel triansantali duplicato rhabarbaro: & senibus quibus iecur in vitio est, per aliquot dies quotidie manè sumenda erit vna ex his quas suprà descripsimus; vel quod maximè probo, cremor hordei dandus, alit enim & remedij loco est. Nam refrigerat mediocriter, humectat, lenit, detergit, excretiones omnes promouet, aut saltem non retardat, quinimò non ineptè dantur illa quæ blandè vrinam cient, vt emulsio quatuor seminum frigid. maior. in decoctione hordei & liquiritiæ, aut rad. asparagi & Cicerum nigrorum deprompta, Cui syrupus acetos. simplex, aut si aciditas suspecta est, syrupus capillorum veneris, sin minùs, syrupus è duabus Rad. aut byzantinus ad ℥j. miscetur. vel hoc modo:

Tabellæ roborantes.

Laus cremoris hordei.

Emulsio.

Potio refriger. ac diuretica.

℞. Syrupi acetos. compos. & emuls. quatuor seminum frigid. maior. ana ℥iß. aquæ hordei ℥iij. sacchari ℥ß. misce, fiat potio tepidè danda. Vtile etiam est in balneum dulcis aquæ tepentis descendere. Interdum etiam oleum in solio cum aqua calida miscere, vt inhærentes putredinis reliquiæ penitus discutiantur: quod auxilium etsi hoc sæculo exoleuit, tamen maximè necessarium est, quum inclusis vel frigore, vel astringente vi cutis meatibus, febris accessit: id quod multò

Balneum aquæ dulcis tepidæ.

multò vtilius est, si egredienti vinum album dilutissimum egregiè detur, vt sudor multus effluat; aut si vinum suspectum sit, aqua hordei ad ℥viij. adiecto saccharo tepidè exhibeatur. Quòd si balneum tutò administrari non possit, febre inclinante, rectè in vicem eius frictio adhibetur, vt fuliginosos vapores sub cute retentos patefactis spiraculis excutiat. At si aliò natura motum conuertit, eò dirigere oportet, & naturæ vices tempestiuè supplere, vt inchoatam hæmorrhagiam vel setis porcinis, vel folio borraginis ficulneóve naribus indito proritare. Post has euacuationes vix fieri potest vt febris maneat: sed si manserit, vtendum erit prædictis refrigerantibus, & assumptis, & admotis, quæ Intemperiem relictam extinguunt. Multa porrò eadémque grauissima his febribus implicantur, vt capitis dolor, vigiliæ, deliria, lipothymiæ, sitis, linguæ scabrities, vomitus, alui profluuium, aliáque symptomata, quæ quomodo lenire oporteat, quum ad ea venero, sigillatim exponam. Hæc febrium biliosarum & acutarum curationis forma est.

Frictio balnei vicaria.

Victus Ratio.

Nec in victûs ratione minor obseruatio esse debet: Nam æger magno conclaui, quò lenior aura aspiret, & cubili ampliore, omni hominum turbâ prohibitâ, tenendus est, vt multum purum & frigidum aërem trahere possit; hic si talis non est, arte comparetur, vt lenibus euripis, irrigatione pauimenti, aquarum transfusione, flabellorum ventulo, instratis humi refrigerantibus herbis, vt lactucâ, vitium pampinis, multâ arundine, salicum frondibus, rosis, nymphæâ, frigidis quoque fructibus iuxtà positis; denique aquâ rosf. nymphææ, cum aceti momento naribus per spongiam obiectâ, frigida aura conquiratur, quæ spiratione ducta, febris ardorem temperet: sed interim continere æger sub veste manûs debet, eâdemque crura pedésque contegere, ne aër frigidior extrinsecùs corpori occursans, interim exhalationi corporis obsit, putridámque fuliginem per tenuia perspiracula exilientem cohibeat: idcircò præter opinionem vulgi linteola sæpe commutanda, ne putri halitu inquinata febrem foueant. Moderatio autem in cibo quoque adhibenda, eóque maior, quò febris vehementior est, nam & ipsius quantitas, & qualitas, & tempus, & occasio accuratè notanda. Victus initio quidem tenuis, in incremento tenuior, in statu tenuissimus esse debet: Quum enim natura circa morbi concoctionem tota incumbit, pleniore cibo distrahenda non est; quinetiam in accessionibus cibum dare malum: optimúmque cibi tempus est, finitâ febri, alioqui recèns assumptum alimentum aut putredinis admixtione inquinatur, aut febris ardore torrefactum exustúmque vertitur in bilem. Vnum illud & semper & vbique seruandum est, vt ægri vires subinde medicus inspiciat, & quamdiu

Aër.

Cels. c.6.l.3.

Cibus.

Cibi quantitas, tẽpus, & occasio.

Cels. c.4.l.3.

ſupererunt, abſtinentiâ pugnet: ſi imbecillitatem vereri cœperit, cibo ſubueniat: Id enim eius officium eſt, vt ægrum neque ſuperuacuâ materiâ oneret, quâ morbus exaſperetur, neque imbecillitatem fame perdat, vireſque conuellat, quas ita tueri par eſt, vt morbi longitudini atque iudicationi ſuſtinendæ ſatis eſſe queant: quamobrem iamdiu exploſus eſt ille tenuiſſimus victus antiquorum, plurima tamen in dando cibo diſcrimina reperiuntur, nam famem faciliùs fert adoleſcens quàm puer; faciliùs in denſo cœlo quàm in tenui; faciliùs in æſtate quàm hyeme; faciliùs vni cibo quàm prandio quoque aſſuetus; faciliùs pituitoſus quàm bilioſus homo ſuſtinet, ſæpius quidem in eo magis neceſſaria cibi feſtinatio, qui minùs inediam tolerat. Cibus autem refrigerans & humidus aptiſſimus eſt, aut humori certè quàm proximus, vtique ex materiâ quàm leuiſſimâ, maximè ſorbitio, eáque, ſi magnæ febres erunt, quàm tenuiſſima eſſe debet. Neque danda caro niſi quàm rariſſimè, promptiùs enim corrumpitur; neque fructûs, qui ex facili putreſcunt, aut alioqui feruore non carent, aut adſtringunt. Cremor ergo ptiſſanæ, in quibus non aceſcit, adhibendus eſt, etiam adiectis ſeminibus melonum, & cucurbitæ; quin ſi vigiliæ vrgent, papaueris albi, ſemine ad ℥j. & ſemiſſem, ad ſummum ad ℥ij. & mulſa, quibus in bilem non vertitur, aut potiùs hydroſaccharum, aut panis ex aquâ. Si cremor hordei ſtomachum offendit, inſpergi tantillum Cinnamomi debet; aut dari in vicem eius iuſculum pulli, in quo oxalis, portulac. Vel lactuca, borrago, cucurbitæ, aut vuæ immaturæ coxerint, atque interdum ad leniendam aluum, malua, & blitum. In ardentiſſimis febribus & acutiſſimis panis elotus, punici mali ſuccus cum pauco ſaccharo rectè datur. Et dum febres quidem increſcunt ac vigent, is ſolus, aut ille, idoneus cibus eſt: Vbi verò aut deſinunt, aut leuantur, ſenſim adiiciendum aliquid, ratione habitâ ſubinde & virium hominis, & morbi: Si enim propter infirmitatem neceſſitas vrget, ius caponum, gallinarum, & carnes hædinæ, aut vitulinæ, & perdicum, aut intrita, aut gelatina, colatitia ex his rectè dantur, vt infirmum corpus magis nutriatur. Ex auibus quæ molles ſunt carne, ex piſcibus ſaxatiles aliquando conceduntur, ponendi verò ægro ſunt varij cibi, vbi faſtidio vrgetur, neque vires ſatis ſufficiunt, vt paulum ex ſingulis deguſtando, imbecillitatem vitet. At ſi neque vis, neque cupiditas deeſt, nulla varietate æger ſollicitandus eſt, ne plus aſſumat quàm concoquat. Interim ſi compreſſa aluus eſt, pruna cocta, aut pomum; ſi profluit, pyrum dari poteſt ex his quæ ſtomacho conueniunt, eſt punicum malum, ſi pomus eſt ſtomachus, & lactuca ex aceto, vel feruore aquæ tepefacta ſaccharo conſperſa, ſi ille languet; tum lactucæ, cauliculi ſaccharo condîti, & cucurbita condîta; minimè verò cortex citrij, niſi febre iam inclinatâ, & frigidiore ventriculo. At potio debet eſſe magis liberalis, & ante cibum, & poſt hunc, & cum hoc, vt ſitis coget. Neque tamen ſupra modum potet, neque nimia ſiti crucietur. Hanc inprimis aqua compeſcet, quæ pura ſit, leuis, & omnis

Cibi qualitas. Celſ. c. 6 lib 3.

Cremor hordei.

Genera ciborum, quæ in febris declinatione offerri poſſunt. Celſ. ibid.

Potus. Celſ. c. 6. l. 3. Celſ. cap. 4. lib. 3.

omnis alieni saporis expers, qualis è puriſſimo fonte per ſaxa & areno-ſa profluit, vel transfuſione crebrâ, immersâ etiam interdum panis medullâ, vel læuiſſimâ coctione præparata. In hac etiam hordeum integrum concoquitur, vt glycyrrhiza, aut vuæ paſſæ, aut ſaccharum, ſi vlla eſt pectoris affectio, adiecto ſub finem cinnam. tantillo, ſi ſtomachi quædam imbecillitas adeſt. Si verò febris ardentior adeſt, quia dulcibus bilis incenditur, acidis miteſcit & frenatur, in eâ vel mali punici expurgata grana incoquantur, vel mali citrij, vel limonum pulpa, vel horum ſuccus affundatur; vel ſi obſtructio ſubeſt, graminis, oxalidíſve radix. *Celſ. ibid.* Vinum omnino arcendum eſt; atque ſi magna ſitis vrgebit, plenior aquæ potio dari poteſt: os etiam ægri elui, vbi & ſiccum eſt, & fœtet ipſi, quamuis id tempus potioni aptum non eſt. Quod ad ſomnum pertinet, *Somnus.* moderandus eſt, vt ægri interdiu vigilent, noctu, ſi fieri poteſt, conquieſcant. At ſi in præcordiis inflammatio eſt, per initia eò concurrente humore, arceri ſomnus debet; quemadmodum in intermittentium acceſſionibus, niſi inclinatâ iam febre per ſomnum ſudor profundatur. Interim ſi qua eueniant, quæ exaſperatura eorum animos ſint, optimum *Animi pathemata.* eſt, quantum fieri poteſt, ea ægrotantium notitiæ ſubtrahere. Hæc quæ expoſui, in omnibus febribus acutis ita obſeruanda ſunt.

CAPVT V.

Particularis obſeruatio in tertiana curanda, & cæter s intermittentibus.

At neq; febris tertiana exquiſita aliter curanda, modò hanc neceſſariam obſeruationem adiunxeris, quæ omnibus intermittentibus eſt communis, vt neq; ſanguis mittatur, niſi aliâ quauis ex causâ, quoties tumentibus venis, & moleſtè pulſantibus temporum arteriis continua *Phlebotomia, purgationis, & diæta tëpus maximè idoneum.* impendet, quam arcere neceſſe eſt; neq; ſi mittendus fuerit ſanguis, aut dandum medicamentum, aut cibus exhibendus, id niſi in intermiſſione & maximâ tranquillitate faciendum; quum enim per circuitûs irritantur morbi, non ſolùm vniuerſalium temporum, ſed etiam particularium, & horarum, tum alendo, tum medendo delectus eſt habendus; & quia libe- *Celſ. c. 5. l. 3. Cibandi ratio in tertianis febr.* raliter quieta tempora ſunt, expeditior tutiórque cibi & medicinæ ratio eſt. Quum ergo tertiana diebus alternis repetat, mediíſque integrum corpus ſit, tertio quôque die cibus ægro commodiſſimè datur, vt alter inediâ febrem minuat, alter viribus ſubueniat. Si duplex tertiana eſt, decedente potiùs quàm incipiente febre detur. Etenim per- *Celſ ibid.* petuum eſt, & ad quod omne conſilium dirigi poteſt, cibum quàm maximè ſemper ab acceſſione futurâ deducere, & hoc ſaluo, dare quàm integerrimo corpori: ſic enim cùm acceſſiones diutius prorogantur, in harum remiſſionibus aliquid dandum, etiam dum vltra

manente

Cibandi ratio in quotidianis febr. Cels. c.4. l.3.

manente febre; deinde eâ bene finitâ, reficiendum liberaliùs. Sed quum quotidiana etiam breuissimum intermissionis tempus præstet, quò possit alimenti concoctio compleri, satius est principia cibi à decedente febre, quàm reliquias ab incipiente excipi. Eadem quoque in administrandis medicamentis obseruatio esse debet, sine quâ dispensari illâ non possunt. Natura febrium intermittentium accessionibus, vomitiones & declinationibus sudores commodè ciet; quo tempore nobis licebit eadem vtiliter arte promouere: at non alui ductionem, aut venæ sectionem, sed euacuationes eiusmodi, quæ vires lacessunt, mitescenti, non excandescenti malo adhibendæ, & cum maximâ corporis integritate. Sic & pharmacum tanto ante accessionem tempore offerendum, vt possit purgatio compleri. Atque in refrigerantibus etiam obseruatio quædam est, ne vlla in febris accessione impetentur, tum quippe natura obsidetur, neque in descensione, est enim id tempus resolutioni aptum, sed in summo vigore, quo calor efferuescit. In his tamen refrigerantium vis paulò remissior, quàm in continuis esse debet. Neque verò in intermittentibus vlla mali vis epithematis vti cogit, aut aliis remediis, quæ ad symptomatum sæuitiam imprimis leniendam comparata sunt Cætera eadem quæ in continuis facienda sunt, hoc est, in maximâ tranquillitate ducenda aluus, & hîc post horrorem vomitus concitandus, mouenda in febre inclinante vrina, eliciendus omni modo sudor. Itaque nullum nisi in tempore discrimen est, non tamen frigidæ larga potio danda, generosius enim remedium est, sed potiùs calida aqua, apparentibus iam coctionis signis; aut vinum album tenue, oligophorum largè permittendum, quod vrinas & sudores ciere possit; & iuscula in quibus radices petros. vel cichor. coxerint, & vrinæ potionibus iis, in quibus maduerit, anethum, copiosiùs prouocentur; sudores verò balneis calidis ex aquâ dulci, hæc enim mirificè prosunt, quòd sudore & halitu bilis reliquias dissipant, tum quòd humectant, & facultate refrigerant, sed nonnisi opportunè, id est, notatâ concoctione, administranda sunt. His ferè sub eâ curatione febris omnino vincitur; si verò non cedit, spuria illa est.

Natura Medico imitanda.

Pharmaci in intermittentibus exhibendi tempus idoneum.

Refrigerãtia remedia in summo vigore optimè dantur.

In declinatione febr. intermittentium, prouocantur vtiliter vrinæ, ac sudores.

Balneum aquæ dulcis.

CAPVT VI.

De Tertiana Notha.

Tertiana Notha vix primis diebus discutitur, feréque incidit in vetustatem: Itaque longitudo mali pertinaciâ curantis vincenda est. Cùm autem in hac crassior pigriórque materia sit, non vt in exquisitâ tertianâ adeò refrigerantibus & humectantibus, sed præcipuè detergenti

Indicationes.

gentibus, incîdentibus, atque purgantibus vtendum, & in genere iis quæ causam potius quàm febris calorem oppugnant. At neque hîc secanda vena est, nisi aut plethora, aut symptomatum sæuitia apertè suadeat. Quoniam autem hanc profert bilis vitellina, aut flaua, cum pituitâ mixta, simúlque extra venas putrescens, seu vomitus eliciendus, seu mouenda aluus, siue materia præparanda, siue pharmaco vtendum, seu vrina sudórve prouocandus, simul vtrique eâdem operâ prospiciendum, vt hîc mixtâ tertianæ & quotidianæ curatione, quasi ex duobus contrariis contemperata remediorum forma videri possit: hoc tamen circumspecti Medici est, vt ad eum humorem præcipuè animum intendat: quem antecellere iudicabit, altero tamen non neglecto. Et quia bilis ardorem pituita restinguit, & spirationem prohibet, tria remedia, vomitus, ductio alui, & vrinarum sudorúmque prouocatio sensim ordinatímque tenenda, & subinde non modò semel, verùm etiam sæpius repetenda, donec morbus planè sit euictus; sic tamen vt in interiectis spatiis vires recreentur. Itaque in ciendâ vomitione, quæ hîc vtilissima est, conuenit syrupus acetosus cum oxymelite, aut melle rosato, decocto hord. & anisi, vel anethi, vel aqua in qua raphanus coxerit. In humorum præparatione, cichorium, endiuiam, adiantum, vel agrimoniam, cum origano, calamento, pulegio miscebis; vel syrupum de endiuiâ compos. cum oxymelite, aut syrupum acetosum, & de Byzantiis cum melle rosato. In purgatione rhabarb. cum agarico Elect. ros. cum diacarth. aut diaprunum laxatiuum cum diaphæn. aut syrupum ros. cum melle, aut pilul. cochias cum aggregatiuis, aut sine quibus, visceribus corroborandis conseruam cichorij & capill. Veneris cum conseruâ rorismarini, vel puluerem diarhod. cum diagalangâ, diamarg. cum Arom. ros. triasantalum cum cinnamomo miscere oportet. In victu quoque eâdem moderatione vtendum, vt incîdat & abstergat, adiectâ quadam vi caloris: Ideóque hyssopum cum endiuiâ: in declinatione rad. Apij cum cinnamomo ritè iusculis incoquentur. Aut ius cicerum & asparagorum datur; aut cremor hordei cum multo saccharo, aut cinnamomo, vel piperis momento; aut mulsa potui exhibetur, in quâ aceti parum, aut si stomachus languet, cinnamomi paucum sit coniectum: aut hydrosaccharum ex ℔. vj. aquæ ℔. j. sacchari, cum ℥ij. cinnamomi. Atque omnia pro ratione vel exasperatæ vel leuatæ febris, pro humoris copiâ, pro corporum naturâ, ætate, consuetudine, & ambientis aëris statu temperanda sunt. Sic vbi tertiana spuria permixtione bilis & melancholiæ prouenerit, mixta tertianæ & quartanæ Curatio esse debebit, sed illa vix diu talis persistit, quin breui in quartanam degeneret.

Vena sectio quatenus celebranda.

Curatio tertiana notha, humorem tũ biliosum, tum pituitosum sibi proponit præparandum, ac expurgandum.

Vomitus, alui ductio, vrinæ sudorisque prouocatio sæpius hîc cienda.

Vomitũ ciētia.

Humores præparantia ad purgationem.

Purgantia.

Victus qualis esse debeat.

Tertiana notha minoris famæ, qualem medendi rationem desideret.

Syrupus solemnis, & qui habet vim purgandi & præparandi bilem & pituitam.

℞. Quinque rad.apert.ana ℥i. endiuiæ, cichor. agrimon.herbarum capill.mercurial.fumar.summitatum lupuli,origani,calamenti, pulegij, ana M.j.& si pituitæ plus insit,betonicæ, & hyssopi,ana M.ß. vel si purgationes quædam fuerint prægressæ, absinthij parem modum, passul. enucleatarum,prunorum dulcium, ana par. xx. seminis melonum ʒiii. anisi,fœnicul.ana ʒi.follicul.sennæ,polypod.quercini,& seminis carthami contusi,ana ℥ii.agarici recenter trochiscati linteolo obuoluti,℥ß.seminis cuscutæ ℥iii. florum vtriusque bugl. rorism. vel stœchados, ana p.j.fiat decoctio:& in colaturæ ℔.ij. dissol.syrupi rof.laxatiui, ℔.ß. sacchari albissimi q.suffic.fiat syrupus clarus,& aromatizatus, in quo maceretur & frequenter exprimatur rhabarbari electi ℥ß.cinamomi ʒj. reseruetur vsui hoc modo.

Potio præparans,& purgans. ℞. Syrupi præscripti ℥iiß. decoctionis mercur. fumariæ, vel borrag. tantundem. Misce, detur semel in hebdom. præcedente vsu clysteris acrioris: atque cùm febris remissio est,saltem inclinatio. Eodem syrupo ad medium cocto,purgantibus detractis,obstructiones referantur,& humor conuenienter præparatur. *Alia potio purgans.* Abundè verò etiam vtitur medicamento ex rhabarbari,& agarici trochiscati, ana ʒj. quibus in aquâ endiuiæ & melle rof.col.infus.& expressis,diaphœnici & diacarthami,ana ʒiß.adiicitur. *Pilulæ.* Aut in laborantis gratiam, pilul.polychrestæ, quas aggregatiuas appellant,ʒj.pondo dentur, admixtis diagridij gr. ij. aut pilulæ de rhabarb.& agarico,vna commixtæ,quibus autumno potiùs vti licet. *Fotus hypochondriorũ.* Foueri deinde præcordia debent, quibus mali fomes insidet,ac fomento extenuante noxius humor demulceri. In id autem rad. aperientes, tum cappar.tamar.& lini semen,& fœniculi,aut anisi,aut anethi, chamæmeli flores,& meliloti coquuntur:& dehinc vnguenta,& illitûs aptandi ex chamæmelino,& anethino oleo,amygd dulc.& de absynthio:atque affecto liene,ol.de capparibus: & vt summatim dicam,si qua alia pars,vt aut stomachus,aut iecur deteriùs habet,huic præcipuè opitulandum,per ea quæ propriis locis fusissimè explicantur; *Litus,& vnguenta.* maximè verò in iis tertianis quæ exquisitæ non sunt, prospiciendum quoad fieri potest, ne morbus increscat,deiiciantúrque vires, quas conflictari diutius oportet. *Victus,qualis esse debeat.* Inediâ vires infringuntur,cibo cruditas morbúsque intenditur. Itaque eâ lege temperanda omnia sunt,vt neque nimiâ abstinentiâ vires conuellantur, neque cibo pleniore morbus accrescat,sed ita vt vires conseruentur, & morbi longitudinem tolerare possint.

Curatio semitertianæ.

Celf.c.8.l.3. Atque vbi id genus tertianæ est, quod Hemitritæum medici appellant

lant,eâdem curâ opus eſt:verùm quia hîc quotidiana continua cum tertianâ intermittente complicata eſt, niſi magnopere res aliqua hoc prohibet,inter initia ſanguis mitti debet, tum maiori remiſſione dari cibus,qui neque incitet febrem, & tamen longum eius ſpatium ſuſtineat,quia plurimi ſub alterutro errore curantis moriuntur.

CAPVT VII.

De pituitoſis febribus, tum continuis, tum intermittentibus.

SI quotidiana eſt,eadémque ſine vllâ intermiſſione corpus tenet,primùm ſublatâ primæ regionis cruditate, etiam venæ ſectionem admittit,ſed cruditatis ac virium ratione moderatam. Cruditas enim ſanguine miſſo refrigerata intenditur,& huic ferè comes virium imbecillitas largam euacuationem non tolerat, quia & cruditas & putredo in venis eſt, quæ natiuum calorem obruere poteſt, & imbecillas vires opprimere,idcircò venæ ſectione minuenda eſt illa: ita quippe natiuus calor,antea crudorum humorum copiâ, vt exiguus ignis viridium lignorum ſtrue,oppreſſus,detractâ oneris portione emicat, & liberiùs euentilatur,ac vires plerumque reſurgunt,& alacriores euadunt. Hinc quod reliquum eſt,faciliùs ferunt, minoréque negotio domant atque conficiunt. Hoc quidem in pituitoſis,ſed continuis audiendum;in intermittentibus verò minimè: illarum quippe materia ſanguis eſt pituitoſus, qui in vaſis maioribus putreſcit;harum verò excrementitia quædam pituita,à ſanguine ſecreta & diſſita, vt proinde illo detracto in venas innatans ipſa rapiatur, aut alibi derelicta maximè recrudeſcat,vix vt vnquam emendari poſſit. Hoc idem in lentis febribus etiam audiri velim, quæ ex latente atque inueteratâ viſcerum obſtructione,abſque impuritate continuò corpus exercent,quandoquidem non è venis ſed è malè affectis viſceribus mali origo eſt, in quibus fomes continetur. Cæterùm in eâ continuâ quotidianâ,cuius putredo in venis maioribus concluſa eſt,ſi cætera conſentiant,tempeſtiuè vena ſecari poteſt, non tamen id abundanter & vniuersè, ſed parcè ac partitè faciendum. Sic etiam maturè aperiatur vena,vt nulla ſubſit in ventriculo & primis venis,nulla in viſceribus crudorum humorum copia, nulláque alia cacochymia, quæ in venas rapi poſſit;nam huiuſmodi crudorum humorum copia in hac febre differre hortatur venæ ſectionem,dum ſit expurgata. Has autem partes à putridis crudiſque humoribus occupari, demonſtrant cibi faſtidium,nauſea,humoris vomitio,ventriculi grauitas, aut dolor,ventriculi ac præcordiorum tumor atque diſtentio, quæ quoties præter vllam ciborum cruditatem in ægris apparebunt,è primâ corporis regione, antequàm

Quotidianæ continuæ curatio. Venæſectio moderata, quas vtilitates adferat, in quotidiana continua.

In quotidiana intermittente,phlebotomiæ locus non eſt.

In lentis febrib. etiam vena ſecanda non eſt.

In quotid. continuâ ante venæſectionem, prima corporis regio excrementis liberanda. Signa cacochymiæ in primâ regione ſtabulâtis.

antequàm vena ſecetur, deturbandus eſt vitioſus humor, illorum author, & velut ſeminarium. Primum à clyſtere acri huius curationis ducatur exordium. Ac clyſter parandus eſt ex eorum decocto, quæ attenuant, laxant, detergunt, & flatûs diſcutiunt, his enim præcordia flatu multo ſunt diſtenta.

Clyſter. ℞. Altheæ totius, mercurial. atriplic. calamenti, orig. anam. j. paſſularum mundatarum, p. x x. caricarum pinguium par. viij. ſeminis fœnugr. ℥ß. aut ſi febris acrior eſt, lini tantundem, aniſi, fœniculi, ameos, ana ʒij. ſeminis carthami ℥j. florum ſtæchados, & vtriuſque bugloſſi, ana p. j. fiat decoct. in colatura diſſol. mellis roſ. ℥ii. olei chamæmelini ℥iij. diaphæn. ℥j. aut hieræ picræ, aut benedictæ, tantundem: vel incoquatur agarici linteolo inuoluti ℥ß. aut turbith. ʒij. fiat clyſter. Iniiciatur vel poſt vomitum, vel ante. Hinc cienda vomitio, ſi humor ſurſum vergit, hauſtâ potione ſequenti.

Hauſtus emeticus. ℞. Oxymelitis ſimpl. vel compoſ. vel ſi craſſior eſt humor, & locis illis pertinaciùs adhæreſcit, ſcillitici ℥iij. decoctionis ſeminis raphani, vel atriplicis, vel aniſi, ℥v. miſce, detur tepidum. vel:

Alius. ℞. Raphani ℥j. florum chamæmeli p. j. decoquantur, & in colaturæ ℥iiij. diſſolu. oxymelitis ℥j. croci pilos quatuor. Si quid euomuit, vtendum eodem, iterúmque vomere cogendus. Si ne id adhuc ſatis humorem expurgat, adiici decocto vel aloës, vel agarici vel aſari ʒj. poteſt: eóque non modò ſemel, ſed etiam ſæpius vti expedit, præſertim ſi humor ventriculo innatans, aut inhæreſcens nauſeam mouet. Poſtea medicamentum imperabitur, præſertim ſi nullâ cacochymiâ, & crudorum humorum copiâ primæ partes ſint confertæ, quas nullâ expectatâ concoctione, primo quouis tempore, mitiori medicamento, atque paulò interdum vehementiori expurgare licet, ſine quo vix tuta craſſorum humorum crudorúmque, qui altiùs vel in iecinore, vel in venis reſident, præparatio & attenuatio eſſe poſſit. Nam ſi in tantâ crudorum humorum copiâ, quæ hanc febrem fouet, attenuantibus fuſi colliquatique humores fuerint, facilè naturam ante ſtatum obruent. Itaque crudior humoris portio detrahenda eſt, & copia minuenda, etiam ante concoctionem. Præſtat enim, authore Galeno, vitioſi humoris aliquâ parte ſubductâ, ad reſerandas obſtructiones accedere, quàm primùm attenuantibus & reſerantibus vti, quibus primarum partium cacochymia altiùs impellitur, & in venas præcipitata atque traiecta, ſanguini grauiore malo permiſcetur. At purgatâ primâ regione, nihil iſtiuſmodi verendum eſt. Caſſia in id parum eſt efficax, vt quæ ſolâ vi leniente & lubricante, craſſos & tenaces humores non educere poteſt; minùs tamarindi, quia frigidum ſtomachum offendunt: minùs adhuc pruna & violæ; minùs myrobalani, aut abſynthium, quia hærentem pituitam impingunt. Accommodatior hiera picra, aut agaricus, aut cnicus, aut aloë, aut aliud blandum. Vt

Medicamentum minorativum.

Lib. 8. meth. med. cap. 4.

Catharticorū delect. sunt habendus.

Potio purgās. ℞. Agarici recenter trochiſcati, in melle roſato, aut oxymelite, aut aquâ

aquâ capillorum veneris infusi & expressi, ℥j. zinzig. ℈. iiij. diaphænici, aut diacarth. ʒiij, aut vtriusque ʒjß. fiat potio. Vel

Bolus purgãs. ♃. Diaphœnici, & electarij indi maioris, ana ʒij. cum saccharo fiat bolus. Vel.

Tabella. ♃. Electarij diacarth. ℥ß. aut minùs, si delicatior est natura, detur per se, aut dissol. cum decocto passularum, glycyrrhiz. & anisi. Ab iis, aut saltem parum ante recreatis viribus, tempus venæ sectioni aptum bene sequitur. Oportet enim vnamquamque regionem suo ordine expurgare. Iam sectâ venâ, quæ impuritatis portionem abripuit, sed minimè sinceram, tandem reliquæ impuritati propriè accommodanda plenior purgatio est. Verùm quia purgandus humor nimiùm glutinosus, crassúsque est, & crudus, aliisque humoribus omnino permixtus, & in venis conclusus, neque viam expeditam habet, per quam medicamento facilè detrahi possit, diligens est adhibenda præparatio, & naturæ concoctio multò accuratiùs hîc, quâm in cæteris febribus expectanda; sic enim artis ope attenuatus & detersus humor, idémque naturæ beneficio concoctus ac secretus, patefacto aditu facilè & perfectè expurgabitur, qui aliter nonnisi vi, & cum perturbatione educi potest. Igitur artis præparatione crassus humor attenuandus, lentúsque detergendus. Quæcunque id præstant medicamenta, pariter quoque venarum, per quas futura est purgatio, obstructione aperiunt. hæc autem quamuis Calida sint per se, ac tenui substantiâ, ex accidenti tamen refrigerant, dum reseratis arctioribus viis natiuus calor euentilatione liberiùs fruitur. Quinetiam primò causam oppugnant, perinde ac purgantia, ex accidenti verò febrem tollunt. Atque in hac potissimum, causa, eiúsque occasio summouenda, tametsi inde calor paululum exasperetur. Materiam incîdentium huic curationi aptam superiùs recensui, atque ex syrupis qui extant, notaui syrupum adiantinum, è glycyrrhizâ, acetosum simplicem, & compositum vtrique humori accommodari posse. Mel rosatum, oxymel tum simplex, tum etiam diureticum, & scilliticum, syrupum è duabus rad. & è quinque, syrup. de eupat. de hyssop. qui thoraci, & de stæchade, qui capiti propriè destinatur. Nunc verò compositionum exempla subnectam, si priûs admonuero, incîdentium & detergentium dissimilem vim requiri, pro humoris conditione, & febris vehementiâ, & corporis constitutione: etenim minore illorum vi, ac temperatiore calore in salsa & dulci; maiore verò & diutius repetitâ, in acida & vitrea, quæ epialam facit, est opus. Sic pro ratione accensæ vel remissæ febris, adeò vt lentis febribus acriorum vsu sit opus, intenditur enim semper ex eo febris, & maior ortus calor simul torporem discutit, & spem remissionis in eâ ostendit curatione. Etenim in hoc casu medici cura esse debet, vt morbum mutet, & ex diuturno acutum faciat, ita quippe curationi opportunior fiet. Nam circumspecti medici est, & nouare interdum, & augere morbum, & incendere febrem, quia curationem vbi id quod est

Præparandus diligenter humor, & via expedienda ante, perfectam purgationem.

Attenuantia, incidentia, ac deobstruentia calida, bellè huc quadrare.

Syrupi incidentes.

Incidentium ac detergentium vis dissimilis expetitur, pro variâ humoris, febris, ac corporis conditione.

Cels. lib 3. c. 9.

Cels. ibid.

non recipit, poteſt recipere id quod futurum eſt, quod in lentis febribus ſæpe vſuuenit. Sunt alia, vt laborantis natura, ætas, regio, anni tempus, & ambientis conſtitutio, quæ in calidorum & attenuantium vſu & viribus curiosè animaduertenda ſunt, miniméque in rebus multùm inter ſe differentibus perpetuum præceptum quantitatis remediorum eſſe poteſt, ſeu purgandum, ſeu præparandum exiſtimes.

Celſ. l. 3. c. 4.

Iulepus.

℞. Syrupi capil. ven. oxymel. ſimpl. mell. roſ. colat. ana ℥ij. aquarum fœnic. bugloſſi, & endiuiæ, ana ℥iiij. pulueris diarhod. ℨj. fiat. iulepus ad tres doſes. Poſt quem ſubductâ aluo, alius fortior imperetur: Vt enim progreditur febris, attenuantium vis augenda eſt; neque temerè primo aditu in calidiora eſt properandum, quia in copiâ materiæ nimiùm exagitant, febres intendunt, & vires eneruant.

Iulepus alius efficacior.

℞. Syrup. è duabus rad. oxymel. ſimpl. & ſyrup. de hyſſopo, vel de glycyrrhiza, ana ℥ij. aquarum betonicæ abſinth. & capill. ven. vel cuſcutæ, ana ℥iij. fiat iulepus aromatizatus ʒj. cinnamomi electi. Vel: Oxymelitis ſimpl. ℥ij. decoctionis hyſſop. ℥iiij. miſceantur, & dentur.

Apozema.

℞. Quinque rad. aperientium (ſi maiore penetratione opus eſt, in aceto maceratarum) ana ℥j. glycyrrhizæ ʒvj. corticis citrij ſicci ℥ß. rad. Mentæ, vel foliorum eiuſdem ſiccorum, ʒiij. (viridia flatûs gignunt) vel aſari ℥ß. pulueris betonicæ, chamædryos, chamæpityos, hyſſopi, & herbarum capillarium, ana m. i. agrimon. cichor. & endiuiæ, borrag. (quarum permixtione calida temperentur) ana m. ß. paſſul. mund. par. xx. vel ficuum par. viij. ſemin. aniſi, fæniculi, apij, & petroſ. aut ameos, ana ʒiß. ſeminis melonum ʒij, (ſemper aliquid ratione febris admiſceri par eſt) florum vtriuſque bugloſſi, & roriſm. vel ſtæchados, & cicerum rubrorum, ana par. j. fiat decoct. in hydromelite: in colat. ℔. ij. diſſol. mellis roſ. vel ſi palato inſeruiendum eſt, ſacchari q. ſuff. fiat apozema clarum condiendum ℈ii. pulueris aromat. roſ. aut diagalangæ, aut cinnamomi, ad quinque doſes. Id hyeme ex herbis aridis comparari poteſt, in hydromelite leuiter ferueſactis, quòd iis areſactis caleſaciendi incîdendi, detergendíque facultas vel etiam maior inſit. Quòd ſi pituita aut acida, aut vitrea ſit, calidorum vim intendere licebit radice cyperi, galangæ craſſæ, calamo odorato, cortice rad. cappar. aſaro, ſchænantho, ſemine ameos, & vrticæ: ad hæc thymo, ſerpillo, & ſimilibus, vel adiiciantur aceti ſcillitici ℥iiij. vel oxymel. ſcillit. ℔ß. vel condiatur puluere cinnamomi, galangæ. zinzib. piperis, adiecto etiam ſpicæ momento. At verò in dulci

Cùm humor febris quotid. cauſa, eſt pituita acida, aut vitrea, calidiora ipſi adhibenda ſunt: Mitiora verò cùm eſt pituita dulcis, aut ſalſa.

dulci & salsâ, calida minuenda erunt, corúmque vis temperanda cichorio, lupulo, frigidis seminibus, agrimonio, & aliorum frigid. permixtione. Ita quoque syrupis ex decoctis crassamque lentamque pituitam præparamus, contumacésque obstructiones reseramus, quæ tametsi diuretica sint, acriora inquam, hîc tamen ad vacuandi humores præparationem, non ad vrinas ciendas adhibentur, quas in declinatione tutiùs ciere licet: plerumque enim ob variam corporis humorúmque constitutionem, diuretica vrinas non prouocant, sed incîdendo & detergendo humores præparant purgationi, ac vias parant. Idem quoque obscuriùs molimur condîtis, quibus præterea vis inest viscera roborandi, maximéque ventriculum, qui in his febribus præcipuè laborat. Non est enim in quotidiana quin laboret ventriculus: Ergo in eo maxima cura esse debet. Parantur autem ex conseruâ florum stæchados, rorisinarini, capillorum ven. & scolopend. ex cortice citrij condito, ex puluere aromatici rof. diarrhod. diagal. hoc modo:

Diuretica, nō semper ad vrinas ciēdas adhibentur, sed sæpe ad incidendū ac detergēdum.

Condita tum ad humores præparandos, tum ad viscera roboranda.

Gal. lib. 1. de arte cur. ad Glauc. cap. 5.

Conditi formula.

℞. Conseruæ florum rorism. & stæch. ana ℥j. ß. capill. ven. & scolop. vel conseru. rad. apij, ana ʒvj. pulueris diagalang. vel aromatici rof. vel si acrior est febris, diarrhod. abbat. ʒj. cinamomi inter. ʒß. sacchari albiss q. suff. fiat condîtum auro coopertum. Eodem spectant electuaria diarrhod. vel diagalang. si tabella vna detur. Vt iam concoctionis signa elucescunt, humórque præparatus est, si nullus aut languidus naturæ motus, tum medicamentum naturæ vices tempestiuè suppleat: si natura, inquam non mouet, medicamento phlegmagogo exturbandus est humor, cum eâ tamen obseruatione, vt obscurè cocta parcè; manifestè, moderatiùs; perfectè, validiùs expurgentur: neque expectandum est, dum materia perfectam coctionem sit assecuta, sed tum in incremento, tum in statu medicamentum offerendum cuique purgationi gradatim præmissâ conuenienti præparatione. Pharmacum verò deligetur, aut vnum ex his quæ suprà posui, aut quod proximè subnectam.

Concoctione apparente, purgandum plus minusue.

℞. Glycyrrhizæ, & polypod. ana ℥ß. seminis Carthami ʒiij. folliculorum sennæ ʒij. agarici recens trochiscati, & panno lineo inuoluti, ʒj. anisi ʒß. passul. mund. par. viij. florum vtriusque buglossi, & stæchados, ana p. j fiat decoct ad ℥iiij. in colaturâ infunde rhabarb. electi ʒjß. (purgat enim non solùm bilem, sed etiam pituitam) cinnamomi ℈ß. expressioni adde syrupi rof. solutiui ℥j. fiat potio. Vel cum expression. ʒj. agarici cum oxymelite, dentur diacarth. ʒiij. aut paulo plus, ex aquâ fœniculi, aut hyssopi. vel

Potio purgans.

Alia.

Bolus purgans.

℞. Turbith gummosi ʒj. agarici, & pulueris hieræ, ana ʒß. mastich. ℈ß. cum succo absinth. & oxymel. cogantur in bolum. Aut ʒj. turbith, cum ʒvj. zinzib. duplo saccharo conditi. Hanc medicamentorum dosim mediocritate rerum definitam, cuique pro purgandi facilitate vel difficultate, minuere vel augere lîcebit, at certè rerum quæ in arte

Quantitas medicamentorum legitima, nonnisi acri iudicio decerni potest.

arte geruntur, vna quantitas omnium acri iudicio maximè transigenda decernendaque est. Si æger liquida respuat, & pilulas exoptet, in hac febre non admodum incommodaturæ sunt. Ergo præscribantur hac formâ.

Pilulæ. ℞. Massæ pilul. de agarico, & aggregatiuarum maiorum, ana ℈ij. malaxentur cum aquâ fœniculi, fiant pilulæ vij. auro coopertæ. Dentur horam vnam post mediam noctem.

Alia. ℞. Massæ pilul. cocciarum ʒj. trochiscorum alhandarh. g̃. ij. cum tribus guttis aquæ hyssopi, fiant pilulæ vij. minùs hîc probo recenter ex toto paratas, vix enim massa nisi tempore fermentari potest; nec nisi exquisitâ permixtione, catharticorum vehementiorum malignitas corrigi potest; in illis iam diu edomita est. Quoniam autem vix potest vllius medicamenti vi totus hic humor elici radicitus, quin vires alioqui imbecilles concidant, atque prosternantur: Eam ob rem sensim, & partitè, ac subinde repetitâ purgatione elici debet, rursúsque derelicta humoris portio tum præparari, tum deinceps perfectè expurgari, donec tandem integra totáque sanitas sequatur. In iis frictio quoque, & vnctio, & acriora diuretica, & balneum salubria videntur, modò tempestiuè fiant, hoc est, neque initio, neque crudiore morbo, sed iam vniuersalibus, præmissis, & in concoctione, alioqui fusis & transmotis humoribus, corpus magnâ perturbatione iactabitur: semper enim verendum est, ne crudos humores foras, mordaces intrò reuocemus. Sæpe igitur concoctione apparente oleo chamæmel. & anethino, aut irino, quibus vini albi parum sit adiectum, corpus eius pertractandum, & spina rectè perungenda, quoniam interdum si euenit vt horror oriatur, fiátque initium quoddam noui motûs, quò magis corpus incaluit, & humor attenuatus est, sequetur etiam remissio. Balneum neque oriente febre, neque vigente, sed cùm eius est decessio, tentandum erit: in eóque aptè illa coquuntur, quæ attenuant atque rarefaciunt, vt origan. puleg. calament. betonic. satureia, fœniculus, absinth. sisymbrium, semina lini, & fœnugræci, flores chamæmeli, meliloti, anethi, adiecto vino albo. Hoc autem accommodatius est, quoties ob cutem à frigore densatam, aut ob exilium meatuum constipationem prohibita transpiratio putredinem atque febrem inuexit. In quâ tandem vnctio ex chamæmelino, aut alio simili conuenientissima est, sicut quæcunque ad algores discutiendos postea exponam. Si quotidiana intermittit, sic vt corpus integrum maneat, quod tamen rarissimum est, non alienum erit vel ante vel post accessionem, dare mithridatij aut theriacæ antiquæ ʒj. ex vino tenui, aut ex decocto apij, fœniculi, origani, & calamenti. His enim horror & frigus discutitur, indéque ortus sudor, aut profusa vrina febrem finit. Porrò si præcordiorum dolor est, aut ventriculi inflatio, protinus calidis & siccis fomentis vti licet, atque iisdem omnibus

Purgandum per epicrasin.

Frictio.

Vnctio.

Balneum.

Mithridatij aut theriacæ vsus percommodus in feb. quotid. intermittēte.

Symptomata vt tollenda.

nibus quæ ſtomacho apta eſſe dicam. Sin aliud eſt quod premit, aut ſopor altus inuadit, ad ea leuiora veniendum, quibus lethargici exitari ſolent: ſic & reliqua ſymptomata, ſuis remediis tollenda.

Victus.

Victus attenuans detergénſque imperetur, nec adeò tenuis, ſed duntaxat parcior: quamuis enim inedia humidioribus ſit aptiſſima, procurandum tamen eſt, ne morbi longitudo corporis vires frangat, quapropter moderatione quadam vtendum, ſub quâ raro iuſcula dari debent. Iuuant tamen in quibus rad. petroſel. aut aſparagi, aut tantillum hyſſopi, aut origani ſicci, aut cùm ſtomachus dolitat, menthæ ſiccæ incoctum ſit, aut cinnamomi. Sic adultis auibus potiùs vtendum quàm iunioribus, reiecto piſcium atque omnium humidorum vſu. Potio verò erit aqua ſaccharata cinnamomo condîta, aut mulſa, aut ea in quâ glycyrrhiza, & vuæ paſſæ, & radices graminis incoxerint.

Ciborũ qualitas, & quãtitas.

Iuſcula, cuiuſmodi eſſe debeant.

Potus.

CAPVT VIII.

De febre pituitoſa cardiaca.

SÆpe autem in hac febre quædam incidere conſueuerunt, quæ omnem curationis ordinem peruertunt, ac medentium animos mirum in modum perturbant. Nam quandoque crudorum humorum vi, qui aut ſtomachum, aut corpus vniuerſum occupauerunt, caloris & ſpiritûs ſubſtantia adeò comprimitur, vt leui momento frequentes animi defectiones obrepant; quin etiam venarum arteriarúmque obſtructio, quæ à multis lentis craſsíſque fit humoribus, nonnunquam ſpiritûs adeò coërcet, atque ita calorem premit, vt ſuffocationis periculum impendeat. In eo rerum ſtatu, neque venæ ſectio, neque purgatio, neque attenuantium, aut detergentium vſus tutò decerni poteſt. At neque cibo, neque vlli remedio locus eſt: nam ſi Medicus cibo ſubueniat, ægrum ſuperuacuâ materiâ grauiùs onerabit; ſin minùs, fame & imbecillitate perdet, adeò vt nunquam idoneus eſſe videatur. Impurum corpus ægrè inediam perfert, eáque languidæ vires fatiſcunt, & tamen ſi nitaris diſſolutionis iacturam frequenti alimento reſarcire, non corpus, ſed eius perniciem ales. In remediis, venæ ſectio cruditatem refrigerans, ipſam conduplicat, & vires imbecillas proſternit. Aperientia humorem diffundunt & exagitant, atque in anguſtiora loca protrudunt, è quibus erui non poſſint. Purgatio verò multò magis exagitat, & grauiori ægri periculo decernitur: nam ſi mitioribus inſtituitur medicamen

Cauſa cardiacæ paſſionis febrem pituitoſam quandoque ſtipantis.

Curatio huius affectûs quàm ſit anceps, ac periculiplena.

Ἀμηχανίαι circa cibi adminiſtrationem.

Venæ ſectionis pericula.

Aperientium medicam. incommoda.

Purgationes quid ſuſpectas reddat.

mentis, conturbat magis quàm vacuet, suscitatóque vapore tetro corpus inflat; si vehementioribus, noxium quidem humorem, sed vi prolicit: non enim facilè cedit crudus & pertinaciter impactus humor. Omnis ergo eiusmodi ægrum torquet, vicinámque syncopen accelerat, & tamen interim nisi occurritur, vires copiâ opprimentur: si occurritur, etiam multo promptiùs collabentur, quum vel per se languescant, vel commotâ camarinâ deficiant, & vndiquaque dubia & periculosa sit curatio. In summâ corpus magnâ labe, humanúmque copiâ pressum, medicamenti vi labefactatum concidit, quemadmodum ruinosæ ædes instaurando fortè concussæ, mox vniuersæ corruunt: atqui turpis est error medicamento dato aliquẽ occumbere, ne Medicus occidisse videatur, quem sors ipsius peremerit. Quamobrem in tam ancipiti corporis statu, pro medicatione expedit interdum victu opportuno blandiri, aut ægrum, si nequeat in integrum restitui, sublatâ morbi portione leuare, & minutatim aliquid substituere. Ideò eam materiam, quæ lædere videbitur, clystere leni ducendo sæpius aluum, subtrahere, & per alimenta boni succi, facilísque coctionis, modicè & sæpius oblata, miscere nouam materiam corruptæ, vt epicrasis fiat, & per cardiacas potiones vires subinde confirmare, ac erigere, varios autem recreandi modos in syncope exposuimus. In hoc casu etiam Medici cura esse debet, vt & crebris artificiosísque frictionibus calorem sopitum excitet, ac crassos, putridósque vapores qui cor offundunt, cerebrúmque aggrauant, quàm maximè dissipet: & quamuis id auxilium in remissione potiùs, & ante cibum, non increscente morbo, & in multâ cacochymiâ conueniat, hîc tamen eligere tempus non licet, & vtendum eo quod incidit, nam periculo vrgente expectare tutum non est. Quoniam autem totius corporis imbecillitas frictionem per totum exigit, primùm breuior esse debet & lenior, vt tantummodò summam cutem emolliat, quò faciliùs capax nouæ materiæ fiat. Deinde verò multâ valentíque extremarum partium frictione opus est, vt à mediis corporis partibus materiam euocet, & suffocantes halitûs discutiat. Sed in modo hoc etiam discrimen est, vt deorsum conuersâ manu, aut aspero linteolo, primùm crura, dein brachia, postea spina & scapulæ ordinatim perfricentur: non potest autem frictionum numerus definiri, nisi provt vires sunt. Ergo si imbecillitas occupauit, pro medicatione clyster erit ex iusculo pulli, aut capi; aut hordei, glycyrrhizæ, passularum, & ficuum decocto, cui mellis & sacchari plurimum insit, adiectis etiam ouorum luteis. Si ne hunc quidem sustinet, adhibenda tamen frictio est: si hæc quoque vehementiùs onerat, intra quietem, & stomachi vnctionem, & cibum, & cardiaca sistendum est; fortasse enim his modis recreatus & adiutus æger, dein legitmæ curationi opportunior fiet, ac demum si vires erigi contingat, reuiuiscentem laborantis naturam expediet acrioribus clysteribus identidem repetitis subleuare, ac blandis sensim pharmacis explorare potiùs quàm temerè vehe

Hippoc. lib. de medicam. purgant.
Cels. lib. 5. cap. 26.
Quanam medicandi ratio, tutissima videatur.
Clysteres.
Epicrasis.
Cardiacorum vsus.
Frictiones.
Tempus adhibendæ frictionis.
Modus frictionis.
Cels. l. 3 c. 15
Si æger frictionem sustinere nequeat, quid agendum.

vehementioribus impetere. Hîc igitur ſummâ prudentiâ eſt opus, quia ſi quid peccatur, grauiſſimum eſt. Sed in iis, vbi primùm admonueris in difficili rem eſſe, ſedulò virium robur ex pulſu dignoſcendum, humorúmque concoctio in vrinâ, quæ duo maxima in febribus ſigna notantur.

CAPVT IX.

Curatio quartanæ febris.

QVartana rariſſimè continua, ſemper ferè intermittens, ſiue ea ſimplex, ſiue compoſita, ſpatium longiſſimum habet, niſi primis diebus diſcuſſa ſit: ex quo diligentiùs ab initio præcipiendum, quid in eâ fieri debeat. Cùm enim huic aut nulla, aut vitioſa adhibetur curatio, tum febris exacuitur, atque ita exaſperatur, vt ex ſimplici duplex, ac nonnunquam triplex, aut vtrâque difficilior euadat. Igitur hanc per initia moderatè lenitérque tractare oportet, nec vllo vehementiori medicamento, aut inſigni euacuatione impetere; vehementiorum enim medicamentorum vi melancholicus humor magis ac magis craſſeſcit, & tenui parte diſſipatâ, fæx quædam terrena manet indiſſolubilis. At neque vſquam ſanguinem mittere conuenit, niſi venæ ſupra modum confertæ grauius periculum minentur; túmque ea plenitudo melancholica ex ſiniſtri cubiti interiore venâ detrahitur, ita enim efflagitat lienis ſitus. Primùm autem ſuppreſſa aluus clyſtere leni mollienda, deinde etiam acrioribus ſollicitanda.

Celſ. lib. 3. c. 15. Prognoſticũ.

Quartana febris per initia clemẽtibus tractanda venit medicamentis.

Galen. 1. ad Glauc. c. 11.

Venæſectio quando in quartanâ feb. admitti poſſit, & ex quâ parte inſtituenda ſit.

Clyſter.

℞. Herbarum, emollientium, & Mercurial. ana m. i. paſſul. mund. par. xx. ſeminis lini ℥ i. ſeminis melonum & cucurbitæ, ana ʒ iij. aniſi, & fœniculi, (melancholici enim flatibus ſcatent) ana ʒ ij. florum trium com. & florum chamæmeli, aut anethi, & ſambuci, ana p. i. fiat decoctio: in quâ diſſol. catholici ℥ i diaſennæ ſimpl. vel ſolutiui ℥ ß. ol. chamemelini & aneth. & mellis roſ. ana ℥ ij. fiat clyſter. Iniiciatur pridie quartanæ. Deinde verò poſtridie leni medicamento vti nihil prohibet. Vehementioribus quidem pharmacis inter initia interdictum eſt, quæ Hippocratis & Galeni ſæculum, concoctâ iam materiâ, tantùm vſurpabat, Elleboro & ſimilibus; at mitioribus & eccoproticis, vt ſennâ, polypodio, fumariâ; aut alio quovis blando, cuius vis vniuerſam corporis molem neutiquam exagitet, quouis morbi tempore vti licet, non vt coniunctam morbi materiam, ſed vt cruditatem quandam primis viis inſidentem expurgemus.

Bolus minoratiuus. ℞. Catholici ʒvi. diasennæ solutiui ʒiij. vel diapruni solutiui ʒij. aut si pigrior est aluus, ʒiij. cum saccharo fiat bolus, detur per se, vel cum decoctione mercur. fumar. aut glycyrrhiz. prunorũ, passul. aut iuiubarum.

Potio minoratiua. ℞. glycyrrhiz. ℥ ß. passul. mund. & iuiub. ana par. vi. folliculorum sennæ, & polypod. querc. ana ʒ iij. epithym. ʒ ij. anisi, & cinnamomi, ana ʒ ß. trium florum, ana p. i. fiat decoctio: in colaturæ ℥ iij. dissol. catholici ℥ ß. syrupi violati ℥ i. fiat potio: quam si minùs ingratam esse velis, detrahendum ex eâ catholicum, pro quo sennæ, polypod. & epith. quantitas ad singulorum ʒ i. augenda.

Scopi curatiui febr. quartanæ. Tota autem curatio, melancholici humoris conuenienti præparatione, ac blandâ eiusdem crebráque purgatione completur, adiectis præterea nonnullis, quæ lieni & iecinori prospiciant. Post leue pharmacum, præscribenda erunt medicamenta, quibus melancholia lenitur, atque etiam præparatur: quúmque sit melancholia duplex, vna terrena, quæ sanguinis fæx est, frigida & sicca, qualis primarias quartanas profert; altera exusta; ex quouis humore torrefacto, cuiusmodi eas quartanas excitat, quæ aliis prioribus morbis, vt febribus continuis, aut tertianæ succedunt: illam quidem leniunt & demulcent, quæ humore quodam blando, aut miti calore terrenam ipsius materiam diluunt & mitificant, vt borrago, bugloss. violæ, succus pomorum redolentium, vuæ passæ, liquiritia, & qui ex iis fiunt syrupi. Ad purgationem verò præparant leuiter attenuantia & detergentia, quæ moderatè calida & sicca sunt, aut alioqui leniente aut humectante quapiam vi temperata, qualia notantur fumaria, lupulus, cuscuta, eupatorium, herbæ capillares, & præcipuè asplenium, capparis, & fraxini cortex, cortex tamarisci, eiúsque & genistæ flos, chamædrys, chamæpit. pimpinella, raphanus, asarum, scilla, aliis temperata, quibus adduntur radices aperientes, vt lienis obstructione solutâ, melancholicus humor faciliùs excidat in aluum, non (vt quidam existimant) in vrinæ vias dirigatur, licèt eò natura interdum dirigat. In id quoque extant syrupi, qui crassam fœculentámque melancholiam attenuant, atque ex tumente aut obstructo liene dissipant. Non enim est febris quartana, quin patiatur lien: huiusmodi sunt syrupus capil. de scolop. de fumar. simp. deinde byzant. & de quinque radicib. oxymel simpl. & diuret. scill. incîdere quidem aceto, aut oxymelite vti, aut acetos. syrup. non licet, vbi vniuersum corpus melancholico humore confertum est: at iisdem, vt obstruentem lienis crassitiem extenuemus, vti licet, præsertim aliorum permixtione retusis. Bilem atram, aut exustam illam quidem, & maximè calidam, tum domant, tum præparant eadem, sed quæ frigidis illis & acidis flauæ bili extinguendæ aptis temperata sunt: in iis autem præscribendis, à mitioribus ad vehementiora sensim ordinatímque vt morbus accrescit & concoquitur, quem δυσαπαλλακτον esse scimus, progrediendum est. Igitur neque vehementer calefaciendum, neque refrigerandũ est, sed deligenda erunt

Melanch. frigidam siccam lenientia.

Melanch frigid. siccã præparantia ad purgationem.

Galen. 1. ad Glauc. c. 5.

Aceto, & acetosis vti quando liceat.

Bilem atram, ac retorridam retundentia, ac præparãtia ad purgationem.

erunt quæ vel temperata, vel iis proxima ſunt. Quum verò in ſummo incremento conſiſtit, calidiora & tenuium partium conuenientiora ſunt. Atque vt humor non ſtatim vniuerſus,ſed eius pars alia priùs, alia poſteriùs, & putreſcit, & concoquitur, ſic quicquid coctum eſt,id interuallis quibuſdam eliciendum, atque epicraſi eximendum eſt. In purgationibus quoque obſeruatio quædam adhibenda eſt, vt neque pharmaca illa vehementiora, quæ more flammæ humorem derepente abripiunt, & violenter abſumunt, neque nimiùm exſiccantia imperentur,ſed ſiquæ ſunt huiuſmodi, quodam ſuaui humore perpetuò leniantur,vt pingui iure,vuis paſſis,iuiubis,violis,glycyrrhizâ, aut quodam ex his ſyrupo. Hoc præterea in quartanis ſolis permittitur,vt etiam in febre,ac perturbatione,medicamentum detur; nam quo die morbus exaſperatur, agitatáque materia in motu eſt,protinus medicamento detrahitur;in quiete verò ſopita ægrè trahenti cedit, & immota manet. At frequentiùs in acceſſionibus vomitum ciere conuenit, ſi quidem humor ſurſum fertur,ideóque decoctione anethi,ſeminis atriplicis, & raphani, ſyrupo acetoſo, & melle roſato aptè concitabitur. Nunc vt omnia exemplis fiant illuſtriora,præſcriptionum formulas ſubnectenus, à ſyrupis auſpicantes.

Humor noxius in feb. quartanâ per epicraſin vacuandus.

Cautio in vſu ac delectu purgantium.

In ipſo quartanæ paroxyſmo, licet pharmacum exhibere, ac præſertim vomitū prouocare.

Syrupus præparans craſſam, & fæculentam melancholiam.

℞. Syrup. de fumariâ ſimpl. & capill. ven. & ſcolopend. ana ℥ii. aquarum bugloſſ. agrim. & lupuli, ana ℥iiii. puluer. elect. de gem. ʒi. fiat ſyrupus,pro trib. doſibus.

Formula aliquot præparantium melancholiam medicamentorum.

Validior Syrup.

℞. Syrup. è duabus rad. oxymel. ſcillit. & ſyrupi è glycyrrhizâ, ana ℥ii. aquarum fumar. bugloſ. & cuſcutæ, ana ℥iiii. puluer. electarij lætific. ʒj. fiat ſyrupus.

Apozema ad eandem melancholiam præparandam, & ad lienis obſtructionem.

℞. Quinque rad. aperientium, infuſarum in vino albo, vel etiam aceto,corticis rad. tamariſci, mediani fraxini, capparis, aut valerianæ, ana ℥j. glycyrrhizæ, ʒ. vj. mercurial. fumar. lupuli, agrimon. meliſſæ, chamædryos, ceterach, & aliarum capillarium, bugloſſi cum toto, vel pimpinellæ,vel dictamni, calamenti, aut betonicæ, ana M. j. paſſularum mundatarum par.xv. iuiub. par. viii. ſeminis melonum & cucurb. vt ſiccitatem calidorum emendent,ana ʒiii. aniſi, fœniculi, & ſeminis citrij,

citrij, aut ſeminis portulacæ, aut hyperici præſtantiſſimi, ana ʒii. ſeminis cuſcutæ ℥ß. florum trium communium, vel florum geniſtæ, tamariſci, & cicerum rubrorum, ana p. j. fiat decoctio: & in colaturæ ℔ii. (indiget enim multâ præparatione) diſſol. ſacchari q. ſuffic. puluer. cinnamomi interioris, & trochiſcor. de capparibus, ana ʒj. fiat apozema clarum pro quatuor doſibus.

Syrupus atram bilem aduſtam demulcens.

℞. Syrup. de pomis redol. viol. & de bugoſſo, vel è liquiritiâ, ana ℥ii. aquarum endiu. acetoſ. & borrag. ana ℥iiii. puluer. diamarg. frig. ʒj. fiat ſyrupus. vel ſi ad humoris præparationem inſtituitur, huic rectè adiicitur ſyrup. de endiuiâ compoſ. aut de acetoſ. citrij.

Apozema.

℞. Rad. lapathi acuti, & acetoſ. ana ℥iß. rad. bugloſſ. ℥ij. glycyrrhiz. recent. ℥j. herbarum capillarium, borrag. acetoſ. hepat. endiuiæ, & cichor. ſummitatum lupuli, ana M. j. betonicæ, meliſſæ, chamædryos, chamæpit. ana M. ß. quatuor ſeminum frigid. maiorum, ana ʒij. ſeminis lactucæ & portulac. ana ʒj. prunorum dulc. & ſebeſten, iuiub. ana par. vij. florum viol. recent. (ſi tempus ferat) pug. iiii. florum borrag. & bugloſſ. ana p. j. fiat decoctio. In colaturæ ℔iß. diſſol. ſucci pomorum redolent. vel ſucci rad. bugloſſ. ℥v. & ſacch. q. ſuff. fiat apozema clarum condîtum ℈iiii. triaſantali.

Formula purgantium melancholiam medicamentorum. Poſt accuratam melancholici humoris præparationem, demum exactæ purgationis incidit occaſio.

Medicamentum purgans melancholiam.

℞. Decoct. præſcriptæ, quæ ſennam recipit, ℥iiii. in quâ infunde rhabarbari elect. ʒiß. cinnamomi ℈ß. ſyrup. viol. ℥j. ita rhabarbari ſubſtant. quia ſicca & adſtringens, leniendæ aluo, temperanda eſt. Vel:

Alia potio purgans. ℞. Confect. hamech, & diaſennæ, ana ʒii. ſyrup. capill. ℥ii. cum decoct. fructuum, fiat potio. Sic confectionem hamech temperari volo, quam aliter vix probem, quòd myrobal. recipiat.

Medicamentum ad atram bilem retorridam.

℞. Rhabarb. In ſero lact. infuſ. & expreſſi, aut aquà endiuiæ, ʒiß. cinnamomi g̃. viii. diapruni ſolut. & diaſennæ ſol. ana ʒiß. ſyrupi violati ex nouem infuſ. ℥j. miſce. Neque verò prætermittenda eſt illa purgationis forma, quæ ex iuſculo galli gallinacei antiqui, præſertim paſſulis, glycyrrhizâ,

Ius galli antiqui.

glycyrrhizâ,sennæ folliculis,polyp. & epithymo infarcti, efficitur; neque illa quæ ex lactis sero, in quo epithymum & senna præmaduerint. Et quia peruicacius hoc malum non vni purgationi cessurum speratur, syrupi cathartici recte imperantur, simulque si in præscripto apozemate, folliculorum sennæ, polypod.querc. seminis carthami,singulorum ℥ii. epithymi ℥j. coxerit, adiectâ sub finem syrupi rof. laxat. aut viol. ℔ß. & expressâ rhabarbari ℥ß. aut qui fiunt ex succo lupuli, fumariæ, buglosf. aut mercur. in quibus purgantia illa macerata efferbuerint. Verùm de ijs atque opiatis purgant. Capite de melanchol. fusiùs agemus Antiqui sæpe vomitum exigebant, in eóque rectè præcipuam curationis partem collocabant, ideóque radiculam veratri albi ramis transfixam in oxymelite macerabant, quod haustum à cibo vomitione purgaret. Auicenna sinapi & elleborum in syrupo acetoso infundit, & expressionem exhibet. Licet quoque illud semidrach. pondo in hydromel. aut decocto hord. infundere, aut in iure pingui incoquere, & expressum dare. Si enim morbus mitioribus non cessit, vehementioribus tollendus. Verùm quia illud suspectum est, terroríque plenum, corticum rad. lauri succum ex vino albo dandum esse triduo, ℥iiii. mensurâ consulo: id enim validâ purgatione quartanam deuincit, sursum deorsúmque factâ: in cuius vicem è mediano sambuci cortice expressus succus similiter dari potest Mitissima vomitio fiet,vt dixi,in ieiuno,haustâ decoctione seminis raphani, atriplicis, & anethi,vel vrticæ,cum oxymelite. Hîc etiam si qua euacuatio, vt mensium, aut hæmorrhoidum præter consuetudinem suppressa fuerit, suis remediis euocanda. Nunc autem reliqua prosequemur, hoc est, condîta & antidota, quæ tametsi leuiorem aperiendi extenuandíque vim, corroborrandi tamen euidentiorem habent, & reliquias humoris melancholici discutiunt absumúntque. Verùm corroborrantibus, nonnisi concoctione prægressâ,conuenienter vti licet.

Serum lactis purgans.

Syrupi magistrales purgantes.

Gal. libro: quos, quando & quibus. Elleborismus.

1.4 tract.2. cap.63.

Συρμαϊσμὸς. Solennium euacuationũ suppressarum prouocatio.

Corroborantia.

Conditum, atque opiata roborans.

℞. Conser. scolopend. ℥iß. conf. capil. ven. & rad bugloff. aut eryng.ana ℥j.conf.florum borrag aut cort.citrij condîti, ℥ß. confect.alker.℥iß.pulu.elect. de gemmis,& lætific.aut rof.nouellæ,ana ʒj.sacchari albiff q.fuff.fiat condîtum auro coopertum:quo vtatur frequenter. Vel cum syrup.pomorum redol. reducantur in formam opiatæ, ex qua sumat quotidie,superhaustâ vini exiguâ quantitate.

Opiata reliquias discutiens.

℞. Conser. florum tamaricis,& rad. apij, ana ℥j. conser. florum genistæ,capil.ven.an. ʒvi. pul.trochiscorum de capparibus,& cinnamomi interio

interioris,ana ʒj. dialaccæ,aut diacucurmæ , ana ℈ii. cum ſyrup. capil. ven.aut de ſcolopend. reducantur in modum opiatæ. Vtatur quotidie manè,ſumpto dein vini albi pauxillo. Sic Galenus progreſsâ iam quartanâ,diatrion pipereon exhibet, atque etiam dioſpoliticon , quod cymino,pipere,rutâ,& nitro conſtat,minimè calorem veritus, ad reliquias abſumendas,& præcordiorum inflationem diſcutiendam. Etenim omnibus his ferè turgida , flatúque admodum craſſo diſtenta ſunt, quâ ratione & diacyminum, & diagalang. & dianiſum aptè etiam præſcribuntur, & vinum tenue copioſius in ipsâ febre bibitur , quod ſudores elicit. Sed omnium vtiliſſimè antiqua theriaca ʒj. pondo, aut paulo plus datur,eo ipſo die quo febrem expectabit,ſic vt febrem duabus horis præueniat, quo tempore fortiter exerceri oportet, neque vereri ne in ipſam exercitationem tempus febris incurrat : ſic enim ſæpe illa,aut eius horror diſcutitur, in eius vicem etiam mithridatium cum ſucco plantag. ſubactum, vel aurea Alexandrina dari poteſt. Si nihilominùs redit,dandum aliud ex iis quæ aduerſus has febres commendantur. In quibus omnium probatiſſimum antiquis fuit, quod ex liquore cyrenaico parabant,hoc eſt, ſucci cyrenaici, (pro quo aſſam intelligimus) myrrhæ,& piperis, æquo pondere omnibus , rutæ ſucco exceptis in pilulas,quæ dentur oboli menſurâ. Aliud quod ad Archigenem refertur, habetque fœniculi,glycyrrhiz.Zinziberis, ana ℥j. decoquantur in vino ad tertias , ſumat cyathum vini Meſuæi hoc eſt, theriacæ veteris ℈ij. myris electæ ℈j. fiant pilulæ, quas deuoret ieiuno ventriculo : iis nonnulli melanthium & aſſam adiiciunt,aut moſch.g̃.iii.ex vino. Probatur quoque ſeminis hyperici,aut millefolij ʒj. ex vino. Vel :

Lib. 1. ad Glauc.c.11. lib.4. de ſan. tu.

Theriaca vetus.

Celſ.lib.3. cap.15.

Mithridatiũ. Aëtius tetrab.2.ſerm. 1.c.84.

℞. Cinnam.rad.gentianæ,ana ʒii.piperis,baccarum lauri , rutæ,ſiccæ, ana ʒi.croci,myrrhæ,ſtyracis,& caſtorei. ana ʒß. excipiantur melle anthoſato,detur ʒß.ex vino albo. Per hæc enim & ſimilia corpus agitandum eſt,vt moueatur ex eo ſtatu quo detinetur. Sed hæc nonniſi in vigore,& apparente concoctione præſcribenda ſunt; initio enim ſumpta ſimplicem quartanam in duplicem,aut deteriorem vertunt. Neque verò alienum eſt vel ante perfectam purgationem & concoctionem , vel poſt eam,balneum experiri : at non eâdem ratione; tametſi Galenus id quouis modo videatur reiicere. Etenim cùm omne corpus terreno craſſóque humore opprimitur, hunc rectè Arabes ante purgationem balneo,perinde atque fomento præparare iubent,quo tamen minimè proritentur ſudores,ſed duntaxat emolliatur & colliqueſcat vacuandus humor. Hoc quidem præparationis genus diuturnis & melancholicis affectibus eſt accommodatiſſimum , quòd craſſos humores, inueteratos, conſopitóſque excitet,attenuet,emolliat,colliquet , fluxiléſque reddat, vt facilè ſequantur, quocunque medicamentum trahet. Eiuſmodi parantur ex althæa,malua,mercuriali,pariet. borrag. bugloſ. lupulo,meliſſoph.capillaribus,item ſemine lini & fœnugr.aniſi, & fœniculi,floribus chamæmeli,meliloti,anethi,ac ſambuci, omnibus in aqua dulci coctis, affuſo

Celſ.l.3.c.16. Calida initio febris quartanæ ſumpta, febrem exaſperant. Balnem ἀνίδρωτον, ante purgationem adhibendum.

Sylua ſimpliciũ,ex quib. balneum aut fomentũ parari poteſt.

affuſo inſuper oleo. Poſt purgationem verò & concoctionem, validiora & aperientia tutò inſtituere licet, qualia parantur adiectis aperientibus, rad. ariſtoloch. Iride, elenio, chamædry, chamæpit. calamento, puleg. orig. betonicâ, & aliis in apozemate præſcriptis. Eodem pertinent hypochondriorum, maximéque lienis fotûs per ſpongiam, qui mali fomitem demulceant: initio quidem ex emollientibus & relaxantibus, deinde verò adiectis iis, quæ flatûs diſcutiunt & attenuant; inſuper vnctio ex oleo amygd. amar. oleo tamariſc. capparum, rutaceo, aneth. irino, aliiſque quibus lienis obſtructiones & tumores diſcutiuntur. Quin etiam quum primùm quis inhorruit, multo oleo rutac. & anethino admixtâ quoque theriacâ, aliiſque calefacientibus tota ſpina perfundatur, adhibeatúrque valida frictio: ſic enim horror diſcutitur. Sed horror ipſe quibus particulatim ſit expugnandus, poſtea explicabo.

Validiora balneo aut fomento, poſt purgationem adhibendo, conueniunt. & quænam illa ſint.

Vnctio hypochondriorũ, nec non ſpina totius.

Victus Ratio.

Alimenta boni ſucci, mediocriter calida & humida, conuenientiora ſunt; glutinoſa verò, & craſſæ compactæque ſubſtantiæ, & maiorum animantium carnes. Deinde omnia quæ refrigerant ſimul & exſiccant, prorſus arcenda: Item acerba & acida; hæc enim humorem melancholicum accumulant. Quamobrem vinum album aut tenue, pellucidum, benéque odorum conuenit. Ex auibus paluſtres, & nigricante carne: ex piſcibus glutinoſi, in vitio ſunt. Laudatur peculiari ratione ius, in quo nappi aut paſtinacæ coxerint, modò priùs vnâ decoctione cacochymiam depoſuerint, idque quia obſtructiones reſerant, & vrinas mouent. Salſamentis verò liquidioribus, pipere, ac ſinapi vtendum eſt: parciùs quidem in principio, vbi potiùs leniendum, & humectantibus laxandum eſt, ac terrena fæx ſuauiter eſt demulcenda & diluenda: Tutiùs verò deinceps, vt craſſos humores attenuent, diſcutiant & abſumant: ſic enim neque ſcirrhoſum tumorem vſquam diſcutere tentamus, priuſquàm ſit emollitus. Atque ita per hæc variare oportet vt interdum humidos cibos anteponat, interdum ad acres & ſalſos redeat. Cæterùm in hac febre neque longâ abſtinentiâ cruciandus æger eſt, niſi cùm in febre eſt; neque ſiti, niſi cùm frigus horrórve expectatur: idque agendum, vt quod diu ſuſtinendum eſt, corpus facilè ſuſtineat. Ergo poſt febrem oportebit vehementer perfricari, cibum & validum & fortiter aſſumere, vino vti quantum libuerit. Poſtero die cùm ſatis quieuerit, ambulare, exerceri, vngi, perfricari fortiter, cibum accipere. Tertio die abſtinere, ſed eo die quo febrem expectabit, exerceri. Cùm autem vetus quartana rarò niſi vere ſoluatur, vtique eo tempore attendendum eſt, ne quid fiat quod valetudinem impediat, prodéſtque in vetere quartanâ mutare ſolum & cœlum, & victûs genus, eóque vitare frigus, calorem, cruditatem, laſſitudinem, per hæc

Alimentorũ delectus.

Vinum.

Ex auib. & piſcib. quinã fugiendi.

Ius napporũ, aut paſtinacæ.

Celſ. l. 3. c. 15.

Celſ. lib. cit. cap. 9.

enim finiri solet, vixque nisi grauissimâ culpâ reuertitur. Sed cùm plerique vel etiam peritiores medici, traditos sibi ægros & diu tractatos expedire non possunt, interdum accidit, vt quos ratio non restituit, temeritas adiuuet.

Cels. l. cit. c. 4.

CAPVT X.

De febre hectica.

Prognosticũ.

SI febris hectica est, inter initia protinus occurrere est necessarium: ac neque cùm incipit, & adhuc primo gradu continetur, facilè satiari potest. Difficillimè, cùm aliquandiu perseuerauerit, & ad secundum perducta est, ac velut marcor prorsus immedicabilis est, non minùs quàm senium: partes enim quæ verè solidæ sunt, vbi semel exsiccatæ fuerint, nusquam rursus humectari possunt, satis est si eas exsiccari prohibeas: nam quidquid accedit instauratione, plurimùm deficit ab integritate eius insiti humidi, quod euanuit, quodque olim fuerat à semine comparatum. Ergo prohibendæ essent causæ omnes, quæ corporis substantiam diripiunt & inflammant: at minimè ipsas excindere necesse est, quum iam planè desierint. Quapropter simplex in hecticâ, vt in ephemerâ curandi ratio est, ob quam solis refrigerantibus & humectantibus pugnandum, sed diu multúmque repetitis, & corporis macies instauranda est alimentis, quæ boni succi copiam exaggerent, ad partium nutritionem. Sic igitur curationem partiemur: corporis substantia hectico febris calore obsessa & extenuata, tum refrigerantibus in mediocritatem caloris, reducenda, tum alimentis glutinosis & incrassantibus, quæ dissipationem prohibeant, reficienda sensim est: quamuis enim corpus extenuatum celeri multáque refectione indigeat, ad hanc tamen sensim veniendum suadet virium imbecillitas, ne si corpus infirmum subitâ multitudine oneretur, succumbat: nam quæ longo tempore extenuata sunt corpora, sensim reficere oportet; quæ verò breui, repentè. Cibis ergo opus est paucis, sæpius oblatis, boni succi, quibus insit facultas & humectandi, & refrigerandi mediocriter, quique etiam minùs facilè aut corrumpantur, aut dissipentur, sed pertinaci & constante materiâ voraci exedentíque calori obsistant: huiusmodi habentur extrema animalium, oryza, amylum, ptissana, polenta, simila cum lacte amygdalino, aut iusculo: testudo terrestris, cancri fluuiatiles, & quæ ex iis elicitur stillatitia aqua, ranarum coxæ, limaces, & animalium extrema, omnísque caro glutinosa. Iis adiiciuntur in ventriculi imbecillitate alij, qui facilè coquuntur, & maximè alunt, vt iusculum pulli, in quo hordeum mundatum cum lactucâ, & portulacâ, aut endiuiâ, aut borragine coxerit: vt gallinarum, perdicum, pha

Cur hectica febr. sint curatu difficiles, aut etiam planè immedicabiles.

Hectica febres curantur refrigerantib. ac humectantib. nec non analepticis.

Corpus cur in hectica febre sensim refici debeat.

Hippoc. aph. 7. sect. 2.

Alimenta qualia hecticis offerenda.

phasianorum, vitulorum, hædorum, porcellorúmque carnes, recentia oua, testiculi gallorum nondum coëuntium, pisces saxatiles, lac, hoc enim quanquam in capitis doloribus, & in acutis putridísque febribus, & tumentibus præcordiis pro veneno est, in hecticâ tamen, sicut in phthisi rectè dari potest. Modus autem, & delectus, atque vtendi ratio, ex phthisi repetenda. Farina quoque vel tritici, vel hordei, lacti ouillo caprinóve mixta, deinde concocta, insperso saccharo, & paucâ rosaceâ sub finem affusâ: aut panis elotus, & cum lacte recenti subactus. Item tortiuus ille furfuris cremor nostro more paratus, aut amylum cum lacte amygdalino paratum, aut aqua hordei; in quâ cancri fluuiatiles, aut astaci exemptâ testâ coxerint, ac pleraque alia eodem capite notata. Eóque tempore bibenda aqua hordei, aut saccharata, & si infirmius corpus est, etiam vinum oligophorum & subausterum. Si maior est imbecillitas, magísque tenuari corpus apparet, iusculis, gelatinis, colatitiis, intritis, expressionibus, instillationibus cardiacis ex capo, gallina, perdice, phasiano, hædo, vitulo, testudine, & similibus vti licet. Instaurandæ etiam vires sunt cardiacis quibusdam, & paulum erigendæ: cuius rei causâ hæc confectio imperetur.

Lac hecticis idoneum.

Vide infrà lib. 3. cap. 7.

Potus.

Præter analeptica, vsurpanda etiam sunt cardiaca.

Confectio.

℞. Carnium testudinum nemoralium in aquâ hordei coctarum, aut pulpæ caponis, quart. j. pulueris electarij resumpt. recent. ℥ß. margar. electar. vel corall. rub. vel ras. eboris, vel ossis cordis ceruini ʒj. cinnamomi ʒß. seminis melonum mundat. ʒjß. amygd. dulc. mundatar. & infusar. in aqua ros. ℥ij. granorum pini recentium eodem modo infusorum ℥j. sacchari albissimi in aqua ros. dissoluti q. suff. fiat confectio ad formam manûs Christi à cuius compositione omnia magis medicamentosa arceo.

Liquor stillatitius.

℞. Pulpam vnius capi, exemptâ pinguedine & pelle, minutim incidatur, & aquâ lactucæ, aut buglossi abluatur: deinde conf. viol. bugl. & borrag. ana ℥iß. conf. ros. ℥j. puluer. diamarg. frig. aut triasantali ʒiß. seminis melon. recent. mundat. & minutissimè incisorum ℥ß. seminis papaueris albi, & lactucæ, ana ʒj. succi pomorum redolentium ℥ij. foliorum auri, numero decem, misceantur omnia, & in duplici vase reponantur, atque distillentur secundùm artem.

Liquoris huius frequenter exhibeatur cochlear vnum per se, aut cum iusculis misceatur. Idem ex ranarum coxis, aut testudine, aut cancris parari potest: Alia his similia in tabe curandâ exposuimus. Nam & saccharum rosatum, & pineolatum, & massi

maſſipanes, & ſaccharatæ placentulæ ex eâdem materiâ parari poſſunt adiecto etiam, ſi vigiliæ vrgent, papaueris albi ſemine, & aliis pleriſque, quæ hecticis, vt tabidis conueniunt. Iam verò calor præter naturam in ſolidâ corporis ſubſtantiâ primùm ac per ſe inſidens, & radicitus infixus, medicamentis refrigerantibus & humectantibus extinguendus eſt: tutior tamen eſt humectantium quàm refrigerantium vſus. Nam frigida, præſertim vehementiora, dum febrem hecticam expugnare contendunt, inſito pariter calori iam fracto & debilitato negotium faceſſunt, atque neruoſis partibus extenuatis & macilentis maxime aduerſantur, eáſque detectas promptiùs offendunt, & nutritioni obſiſtunt, quâ deficiente ſiccitas & atrophia ingraueſcit: Itaque ſenſim blandéque vſurpanda. Humectantia verò non item, quibus minor efficacitas & repugnantia minor, vt idcircò vel copiâ maiore adhibenda, vel ſæpius repetenda ſint. Quamobrem neque refrigerantia quæ ſiccant, vt trochiſci è caphurâ ſoli, aut è ſpodio; neque humectantia quæ calefaciunt, vt vinum, & ſuccus carnium, vſurpari debent, niſi hæc refrigerantibus, illa humectantibus, aut admixtis, aut præmiſſis, aut etiam ſuperhauſtis temperentur. Quin etiam in hac febre refrigerantia & humectantia aliquam, licèt obſcuram, alendi vim habere conuenit. Hic enim ſolis alterantibus pugnandum, euacuantia enim aliena ſunt: nam hîc neque ſanguinem mittere, neque ducere aluum, non vomitum prouocare, non mouere vrinas, aut ſudores, quin ſi adſint, potiùs cohibere oportet. Si tamen clyſtere vtendum eſt, is refrigeret, humectet, ac nutriat, qualis ex lacte aut iure pulli, aut capitum & pedum agni, cum melle, ſaccharo rubro, & vitellis ouorum parari poteſt. vel:

Medicamẽta qualia hectica febris deſideret.

Humectantium medicamentorum vſus tutior eſt, quàm refrigerantiũ: & huius rei cauſa.

Cautio circa refrigerantia quæ ſiccant, & humectãtia quæ calefaciunt.

Solis alterantibus, nequaquam euacuantibus, in hecticâ feb. locus eſt.

Clyſteres, quales hecticis conſulẽdi.

Clyſter.

℞. Hordei mund. p. ij. glycyrrhizæ recent. ℥ij. paſſul. mund. par. xxx. iuiubarum par. xv. quatuor ſemin. frig. maior. ana ʒiij. trium florum, ana p. j. roſ. rub. p. ß. fiat decoct. in colaturæ ℔. j. diſſol. olei viol. ℥iij. aut butyr. recent. tantundem, mellis roſ. & ſacchari rub. ana ℥ij. vitellos ouorum, numero ij. fiat clyſter: cui ſi aluus nimiùm adſtricta ſit, caſſiæ ℥j. vel mucilag. ſeminis citoniorum, aut pſyllij, tantundem adiicitur. Si ex ventriculi cruditate aliqua putredini apta materia ſubeſt, hanc leniſſimis deturbare ſat erit, vt mannâ, caſſiâ, ſyrupo violato, roſato, prunis, tamarindis, & ſimilibus, neque vnquam in alia prorumpendum.

Ventriculi cruditas leniſſimis medicam. purgantib. exturbanda.

Syrupus.

Iulepus.

℞. Syrup. viol. è iuiubis, & nymph. vel pomorum redolentium, vel è ſucco cucurbitæ, vel è portulacâ deſcr. Meſuæi, vel roſ. ſimpl. vel ſi vigiliæ vrgent, ſyrupi è papauere, ana ℥ij. decoct. hord. glycyr. paſſul. mundatarum, & trium florum ℔j. pulu. diamarg. frig. ʒj. fiat ſyrupus in tres doſes.

Apozema.

Apozema.

℞. Glycyrrhizæ recent. ℥j. vtriusque bugloss. portul. lactuc tenellæ, endiuiæ, lenticulæ palustris, summitatum maluarum, ana m.i. passul. mund. par. x. iuiubarum & sebesten, granorum pini recentium, & pistachiorum, ana ℥i. quatuor seminum frigid. maiorum, ana ℥ß. seminis citoniorum, lactucæ, portulacæ, papaueris albi, seminis bombacis & maluæ, ana ʒij florum trium communium, & ros. rub. ana p. j. fiat decoctio in aquâ hordei, & in colaturæ ℔j. dissol. sacchari ros. & penidiorum ana ℥ii. puluer. triasantal, vel diatragacanthi frigidi ʒj. fiat apozema, quo sæpe diúque vtendum est. Vel detur emulsio amygd. dulcium, quatuor semin. frigid. maiorum, seminis lactucæ, & papaueris albi, extracta cum decocto hord. & glycyrrhizæ, aut cum iure, adiecto interdum syrupo violato : aut extrahatur cum iure testudinis, ranarum, & cancrorum. Vel dentur trochisci è caphurâ cum syrupo viol. aut cum aquâ hordei, in quâ testudo, vel cancri fluuiatiles coxerint.

Emulsiones.

Condîtum.

℞. Conf. viol. nymph. ros. & rad. bugloss. vel florum borrag. ana ℥j. puluer. elect. resumpt. ʒiij. sacchari rosati q. suff. fiat condîtum auro coopertum: vel loco pulueris resumpt. seminum melonum & cucurbitæ minutim incisorum, ana ℈ii. pulueris triasantali, & diamarg. frig. aná ʒß.

Balneum aquæ dulcis, hecticis accommodatissimum.

Cæterùm quædam etiam extrinsecùs adhibentur, vt calorem temperent atque humectent, in ídque balneum dulcis aquæ hecticis accommodatissimum est, quo tamen non proritentur sudores, sed eo tepente duntaxat emolliatur strigosior corporis habitus, & facultate insilientis aquæ refrigeretur. Interpositis ergo dierum spatiis, bis die, concocto iam cibo, demittendus æger est in solium, in quo sit aqua tepida, & oleum: vel aqua, in quâ althæa cum radicibus, malua, viola, acanthus, folia cucurbitæ, aut ea ipsa dissecta, folia lactucæ, salicis, nymphææ, item semina frigida & lini, ad hæc hordeum contusum, & flores tum violæ, tum nymphææ, & rosarum coxerint, adiecto etiam iure capitum, intestinorum, & pedum veruecis, sicut aliis locis expressimus; sed perpetuò adhibitâ cautione, ne in eo æger insudet: cuius rei causâ, & ad balnei vim altiùs impellendam, Galeno post balneum frigidæ perfusio maximè placuit. At neque multùm extenuato hæc satis tuta esse potest, nisi fortè per initia mali; quamobrem Auicen. ex tepente aquâ frigidiusculam efficit, adiectione frigidæ, ita vt sensim commutatio fiat. Quin potiùs à balneo emergens æger, leniter vngendus oleo ros.

Balneũ aquæ dulcis quibus alterari possit simpl medicam.

Balneo sudor haudquaquã prouocandus.

Gal. l.10. m. m. cap. 10.

Auic.1. 4. tr. 4. cap. 6.

Vnctio corporis à balneo.

rof. autè nymphæâ, aut violato, aut amygd. dulc. aut recentiſſimo butyro aquâ roſ. eloto, aut lacte multo caput, atque etiam corpus fouendum, aut illud balneo aquæ dulcis adiiciendum, aut oua plurima exemptis teſtis immiſcenda: aut in oleo viol. vel oliuarum recentiſſimo, pulpa cancrorum fluuiatilium, & limaces, & teſtudines, & ranarum coxæ coquendæ, dum contabeſcant, eóque oleo ſpina perungenda. Neque in lectulo is multâ veſte cooperiendus. Quinetiam ter quatérve die extremæ partes leniter perfricandæ, vt molliantur, & allecto ſanguine reficiantur, & ſpina, ac thorax leni manu pertractandus, etiam poſt cibum intermiſſis duabus tribúſve horis. Vtile eſt etiam his vnguenta quæ refrigerent & humectent adhibere, quale hoc videtur.

Extremorum frictio.

Linimentum.

Litus prothoracæ.

℞. Butyri recentis ℥iij vel lactis recent. tantundem mucil. ſeminis citoniorum, altheæ, & pſyl. extractæ in aquâ roſ. vel hord. ℥ij. axungiæ gallinæ & anſeris, ana ℥ i ß. medullæ cruris vituli, aut cerui tantundem, pulueris electarij reſumpt. ℥ß. gummi tragacant. & arabici, ana ʒi. olei viol. roſ. & nympheæ, aut è ſemine cucurbitæ, ana ℥ij. ceræ parum. Fiat linimentum, quo præcipuè thorax perungendus. Nec alienum eſt iecinoris ardorem temperare vnguento roſ. & cerato ſantalino cum oleo roſ. viol. ſucco portul. & lactucæ, vel intybi, aut cordis æſtum epithematis cardiacis aliiſque remediis extinguere, vt ſuprà in capite de febribus acutis & biliofis: & per omnia iis partibus, vnde primùm hectica proceſſit, proſpiciendum. Per omne verò tempus fruendum aëre frigidiore & humidiore, aut alioqui artificiosè temperato, lecto etiam & conclaui ampliore & cultiore vtendum; tum à negotiis abſtinendum eſt, omnibúſque rebus quæ ſollicitare animum poſſunt: ſomno indulgendum, cauendæ deſtillationes, & ob id vitandus eſt ſol, atque frigus, & cruditas.

Topica iecori & cordi admouenda.

Hecticorum victûs ratio.

Verba Celſi, c.22. lib. 3.

Porrò ſi lipothymia obrepit, aut ſi ſudor exercet, aut ſi venter fluit, aut ſi ſtomachus non continet, aut ſi appetentia languet, diligenter occurrendum per ea, quæ cuique ſymptomati conuenire paulo pòſt dicam.

Symptomatum hectica febri interuenientium mitigatio.

CAPVT XI.

De Peſte.

De peſte adeò multa plerique magnis voluminibus ſcripſerunt, vt poſteris vix vllus ſcribendi locus eâ de re relictus eſſe videatur. Ego tamen ne huic operi meo defuiſſe videar, ea ſtrictim perſtringam,

ſtringam, & in medendi vſum breuiter conferam, quæ vel antiquiores ſubtiliter repererunt, vel recentiores viri rectè ſecuti ſunt, aliis planè reiectis, quæ aut inutilia ſunt, aut minùs neceſſaria. Itaque ex multâ remediorum incertorum congeſtione, pauca eadémque optima, non ſolùm ad peſtilentium febrium præcautionem, ſed ad earum etiam curationem ſelegimus, quæ Medici perſonâ minimè inquinatâ, ab eius conſilio tantùm emanare tutò poſſunt.

Præcautio Peſtis.

Eſt igitur obſeruatio neceſſaria, quâ quis in peſtilentia vtatur adhuc integer, cùm tamen ſecurus eſſe non poſſit. Tantæ autem perniciei arcendæ atque propulſandæ ratio duplex: vna in externis efficientibúſque cauſis vel ſummouendis, vel infirmandis conſiſtit: altera ad obiecti, excipientíſque corporis tutelam & dyſpathiam pertinet. Primùm igitur oportet peregrinari, nauigare, vt promptè cœli ſolíque mutatio fiat, modò è graui loco in ſalubrem fiat tranſitus; atque id vt quàm citiſſimè, ita & quàm longiſſimè fieri poterit, tardéque redire. Vbi id non licet, verſari in aëre libero, miniméque montium iugis, aut ſtagnantibus aquis circumſepto, habitare ædificio feneſtrato, quà placidior aura ſpirat, aëríque maximè peruio, lucido, in aquilonem aut orientem conuerſo, (niſi inde aduolet mali labes) perflatum æſtiuum, hybernum ſolem habente: cauere meridianum ſolem, humentem auſtrum, matutinum & veſpertinum frigus, itemque auram fluminum, atque ſtagnorum, miniméque nubilo cœlo ſoli aperienti ſe committere, ne modò frigus, modò calor moueat Magis verò grauibus locis iſta ſeruanda ſunt, in quibus peſtilentiam faciunt. Vitare etiam fatigationem, meridianum ſomnum, curas, vigilias, cruditatem, libidinem, atque omnia ex quibus reſpirandi neceſſitas intenditur; multóque magis ſe continere, ſi qua grauitas in corde eſt. Quin etiam luculentiſſimis, ampliſſimis, crebríſque ignibus ex iunipero, roremarino, lauro, cupreſſo, pinu, thymo, ſpicâ, tamarice, ſabinâ, vitium palmitibus, quercu ſicciſſimâ, oleâ, fraxino, lentiſco, adiectâ ſaluiâ, abſinthio, ſampſucho, ſtœchade, aëris inquinamenta diſcutere, arcere & abſorbere, maximè quà peſtilens aura efflatur, & ſuffimentis odoratis ex cinnamomo, caryophyllis, cypero, nuce moſchatâ, zedoariâ, cortice citrij, iride, galangâ, iunco odorato, calamo aromatico, myrrhâ, maſtiche, thure, benjoino, ſtyrace, gummi iuniperino, & ladano, ſi quidem frigida aëris conſtitutio eſt: ſi verò æſtuoſa, ſantalis, roſis, cortice pomorum, nymphæâ, coriandris, violis. Item ex calidis lapidibus aquâ roſaceâ, acetóque, aut vino reſtinctis, atque iis etiam pauimenta domûs, ſeu tabulata conſpergere, ac planè irrigare, myrthi ſalicíſque ramos, & vitium pampinos, arundines, iuncos, vlmi, atque populi frondes humi conſternere, veſtimenta, & ſtragula crebrò mutare, & nitidiſſimis vti: canes

Celſ. c. vlt. l. 1.

Duo præcautionis ſcopi: cauſis peſtis obſiſtere, & corpus roborare.

Victûs ratio qualis hîc eſſe debeat.

Aër.

Celſi verba cap. 2. lib. 1.

Modus in cæteris rebus non natural.

Celſ. cap. vii. lib. 1.

Ignis.

Suffitus.

canes ac feles domicilio omni ſorde vacuo excludere, & maiores turbas vitare, & per omnia in victu moderato contineri, id eſt, neque famem, neque ſitim perpeti, ſed cibis vti modicis, boni ſucci, frigidis, acidis, lenibus, humore quàm minimo, vt putredo arceatur. Cuius rei causâ omphacio, oxalide, mali punici, medici, limonij, citrij ſucco, & aceto vti conuenit. Atque huic rei vtiles cappares auiæ, & alia quæcunque aut acidam, aut ſalſam, aut ſubamaram qualitatem nacta ſunt, quâ putredini aduerſentur Sed in iis refert quale corpus ſit, quale cœlum, quæ ætas, quod anni tempus. Etenim frigidior rerum conditio vinum, cinamomum, ambram, moſchum, caryophyllos, aliáque calida aromatica admittit; alioqui frigidis potiùs vtendum. In ſummâ corpus excrementis quàm maximè fieri poteſt, vacuum, & obſtructionibus liberum eſſe debet, neque tamen nimiùm patens, aut laxum, ideóque omni ratione ſiccandum, & vitandæ omnes cauſæ, quæ ad peſtilentiam præparant, eámque gignunt, accelerant, augent, & conſeruant. Neque tamen niſi magnâ plenitudine vrgente ſanguis mittendus, neque ſæpe mouenda aluus, aut vomitus eliciendus, aut alio quouis modo corpus concutiendum; ſanguis enim motu faciliùs labem contrahit, & venenata vis per venas inanitas promptiùs in cor effertur: quin etiam venæ ſectione, vt purgatione, vires imminutæ, irruenti perniciei minùs obſiſtunt. Quibus ſeruatis, ex reliqua victûs conſuetudine quàm minimum mutari debet. Sæuiente igitur peſte in mitiſſimis ſubſiſtendum, quâ ratione meritò pilulæ Ruffi omnium ore celebrantur, quamuis non eadem apud omnes illarum compoſitio habeatur.

Cibi opportuni.

Celſi verba c.4. lib. 3.

Maiora remedia, putà venæ ſectio & purgatio, in peſtis prophylaxi minùs tuta ſunt. Celſ. cap. vlt. lib. 1.

Pilulæ Ruffi.

℞. aloës optimæ partes duas, myrrhæ electæ partem vnam, croci partem mediam, excipiantur vino aromatico & generoſo, aut ſucco ſcabioſæ.

Poſſunt etiam purgandi maiorem vim obtinere, ſi rhabarb. & agarici, ana partem, vnam adieceris. Neque tamen his vtiliter bolus armenus inſeritur, ſed potiùs interdum rad. tormentillæ, & dictamni, ana pars quarta inſeritur, & cum ſucco citrij omnia excipiuntur, vel:

Pilulæ aliæ eximiæ.

℞. Betonicæ, pimpin. & chamædry. ana ℥ß. infundantur in aquâ vitæ, diei naturalis ſpatio, deinde in expreſſione maceretur aloës ℥j. myrrhæ ℥ß. croci ʒii. & formentur pilulæ. Detur ʒj. ſemel in hebdomade.

Inter omnes corporis partes, cor præcipuè roborãdum, in peſtis metu.

Corpora ergo, cùm periculum inſtat, præmunire, atque aduerſus contagionum ſemina obfirmare conuenit. Quoniam autem venenum peſtilenſque malignitas præcipuè cordi aduerſatur, vitalémque ipſius facultatem primò & per ſe oppugnat, cardiacis accommodatis, id eſt, modò calidis, modò frigidis, aut temperatioribus, pro aëris ſtatu muniendum, vt iis ſuffultum circumſtanti inſilientíque perniciei magis obſiſtat: atque de cardiacis, omníque eorum differentiâ, & componendi ratione, cap. de ſyncope egimus.

Vide inf. c. 17.

Sunt

Sunt tamen pleraque alexiteria & alexipharmaca huic pestilenti contagioni aduersa, quibus tum ad præcautionem, tum ad curationem variè vti liceat; vt in calidis myrrha, aloë, gentiana, baccæ lauri, iuniperi, tormentilla, radix tunicis, scorzonera præstantissima, angelica, zedoaria, aristol. galanga, enula, myrrha, scordium, dictamnus, betonica, pimpinella, scabiosa, ruta, carduus benedictus, buglossum vtrumque, hyssopus, prassium, melissophyllum, chamædrys, coccos baphicos, sericum crudum, semen citrij, flores hyperici, rorismarini, calendulæ, ad hæc cinamomum, caryophylli, nux moschata, macis, crocus, agallochum, moschus, Ambra, & alia aromatica: & in compositis, theriaca, mithridatium, puluis bezoardicus, puluis electarij de bolo, electuarij de gemmis, lætificans, confect. Alkermes, & confectio ex hyacintho.

Alexiteriorum sylua.

Alexiteria calida simplicia.

Alexit. calida composita.

Frigida simplicia, acetosa, succus mali punici, citrij, medici, oxyacantha, acetum, tapsus barbatus, santala, semen portulacæ, endiuiæ, oxalidis, coriand. rosa, nymphæa, margaritæ, rasura eboris, cornu ceruini, os è corde cerui, corallium; caphura, succinum, bolus arm. terra sigil. smaragdus, hyacinthus, rubinus, foliola auri & argenti.

Alexit frigida simplicia.

Composita: puluis diamarg. frig. triasantali, trochisci è caphurâ. Nunc omnia in vsum referemus, à suffitu & odoramentis auspicantes, quæ ex priùs commemoratis aromatis commodè parantur.

Alexit. frigida cõposita.

Suffitus & odoramenta, quæ cor Exhilarant, & à pestilenti malignitate Vindicant.

℞. Ladani puri, styracis calam. benioini, ana ℥ß. caryophyllorum, angelicæ, ana ʒiij. zedoar. nucis mosch. macis, cinamomi, calami aromatici, santali citrini, ros. rubr. ana ʒii. ambræ, moschi, ana ℈ß. aut galliæ moschatæ, ℈j. plus minúsve, pro facultatibus. Omnia excipiantur aquâ ros. aut florum citranguli, factâ infusione gummi tragacanth, & in pomi formam conglomerentur, quod sæpe naribus admouendum. Hæc eadem in pastillos finguntur, quorum suaui fumo aëris inquinamenta vincantur. Idem trochiscis galliæ, aut aliptæ moschatæ, vel auiculis cypriis experiri licet. Quemadmodum naribus & ori subinde admouere spongiam, aceto rosaceo imbutam, admixtis etiam aliis odoratioribus: aut malum medicum, limonium, citriúmve multis caryophyllis transfixum perpetuò circumferre, vt illius vis odorandi sensum feriat.

Pomum ambræ.

Pastilli pro suffitu.

Spongia medicata olfacienda.

Malum citrium caryophyllis confixum.

Ore voluenda, ad pestis præcautionē. Neque erit alienum ore continere aut zedoariæ, aut rad. angelicæ fragmentum, aut trochiscos muscellinos ex iisdem paratos. Nunc ad ea quæ intrò sumuntur, descendendum.

Puluis, electuarium, & opiata.

℞. Boli armeni vino generoso, vel aquâ rof. loti, ℥ß. rad. tormentillæ, dictamini, angelicæ, gentianæ, tunicis, vel corticis citrij sicci, ana ʒii. scabios. siccæ, scordij, vel centurij, aut chamæleontis albi, seminis acetos. endiuiæ, portulacæ, seminis citrij, rutæ, & cardui benedicti, ana ʒj. santalorum omnium, zedoariæ, cinamomi, macis, caryophyll. ana ℈ii. rasuræ eboris, rasuræ cornu cerui, margaritarum electarum, electri, ana ʒß. croci, rof. rub. ana ℈j. moschi & ambræ, ana ℈ß. fiat puluis: cuius ʒi. sumatur ex vino generoso aquâ buglossi diluto, aut per se adiecto saccharo, aut cum octuplo sacchari albissimi aquâ rof. soluti, aut succo pomorum redolentium eliquati, concinnentur tabellæ, vel trochisci lupinorum instar. Vel cum syrupo è pomis, & acetos. citrij, fiat confectio mollis, de quâ detur instar nucis iuglandis, hausto insuper vino tenui. Eadem in pilulas pro arbitrio conformetur. Aut theriaca, aut mithridatica compositio ʒj. mensurâ, ex vino vel aquâ buglossi.

Opiata.

℞. Conf. oxalid. & rad. buglos. vel rof. ana ʒi. theriacæ antiquæ, aut mithridatij ʒß. confectionis alker. & pulu. præscripti, vel pulueris bezoardici, ana ʒii. vel pulueris diamarg. frig. & de gemmis, ana ʒj. cum syrupo pomorum redolentium, vel de limonibus; vel in constitutione frigidiore, conseruationis corticis citrij, reducantur in modum opiatæ, ex quâ sumat ad quantitatem castaneæ, superbibendo parum vini. Huic rectè adiicietur myrobalanorum chebulorum, aut emblicorum, aut corticis citrij saccharo conditi ℥ß. rad. dictamni, gentianæ, aut tormentillæ, ana ʒj. Aut:

Tabellæ.

℞. Pulu. electarij de bolo, & bezoardici, ana ʒi. pulueris diamarg. frig. & elect. de gemmis, ana ʒß. vel trochiscorum de caphurâ, & de spodio, tantundem: Angelicæ & tormentillæ, ana ℈ij. cinamomi, & seminis card. benedicti, ana ℈j. vel seminis citrij & acetos. ana parem modum. Theriacæ antiquæ, vel confectionis alkerm. ʒiß. sacchari

facchari in aquâ rof. diffoluti, q. fuff. fiat electarium in tabellis, pondere ʒiiß. quibus adiicere licebit moſchi ℈ß.

Electuar. euporiſton pro pauperibus. Plin. cap. 8. lib. 23. & Q. Serenus Samonic. tit. Venenis prohibendis.

Pauperibus ex baccis lauri & iuniperi, ariſtolochiâ, gentianâ, vel rutâ, & myrrhâ, æquo pondere melle exceptis, detur à ʒj. ad ʒiß. vel quod Mithridati regi tribuitur: nuces duæ, ficûs totidem, rutæ folia viginti, ſalis granum, quæ trita, & melle excepta, manè deuorantur.

Aqua Theriacalis ad præcautionem.

℞. Rad. ariſt. tormentillæ, enulæ, ana ℔ß. angelicæ, gentianæ, ana quart. j. baccarum lauri & iuniperi, contuſarum, ana quart. ß. pimpinellæ, ſcabioſ. ana m. ii. cardui benedicti, ſcordij, betonicæ, acetoſæ cum toto, bugloſſi vtriuſque cum rad. ana m. i. foliorum rutæ & meliſſæ, ana m ß. ſeminis citrij, acetoſ. & portulacæ, & granorum tinctorum, ana ℥ß. citrangulos per fruſta diſſectos, numero ii. aut ſucci limonum ℔ß. theriacæ electæ, tantundem, roſ. rub. par. ij. cinamomi contuſi, caryophyll. nucis moſchatæ, ana ℥ß. croci ʒj. aquæ vitæ optimæ ℥iij. omnia concludantur alembico vitreo, & aqua eliciatur ex arte, cuius cochlear vnum detur.

Curatio peſtis.

Simplex febris peſtilens alexiteria protinus exposcit.

Febris peſtilens putrida coniuncta, ante alexiteriorum vſum, phlebotomen & purgationem requirit.

Phlebotome quâ ex parte facienda.

Purgatio quibus ex medicam. comparanda.

Celſ. c. 7 l. 3.

Alexiteriorũ tempeſtiuus vſus.

Si iam correptus aliquis eſt, conſiderandum inprimis ſimpléxne febris peſtilens ſit, an huic putrida coniuncta ſit. Si ſimplex, protinus alexiteria imperanda: ſi putrida, non antè, quàm plethoram venæ ſectione, cacochymiam purgatione ſuſtuleris, ne obruantur alexiteriorum vires, quaſi in ſordidiſſimum lutum demerſæ. Quare ſi putrida eſt, quàm mox ſecanda vena buboni vicina; aut ſi nondum is apparet, ea quæ maximè diſtrahat à corde: ſemper enim cauendum, ne per partem principem vitiati ſanguinis fiat tranſitus. Deinde verò purgatione cacochymia eximenda; & quò acutior morbus eſt, hoc magis acceleranda purgatio. Illa eſt quam ardentiſſimis febribus aptauimus, & tamarindorum, prunorum, caſſiæ, atque rhabarb. diluto, cum ſyrupo roſ. laxante, adiecto etiam electuario roſ. vel de gemmis, vel decoctioni additis myrobalanis citrinis: hinc alexiteriorum & alexipharmacorum vires explorandæ, quæ veneni perniciem obtundant, alterent, imminuant, & foràs exterminent. Sed in iis maturiùs quoque agendum: nam quò celeriùs eiuſmodi febres corripiunt & enecant; eò maturiùs auxilia, etiam cum quadam temeritate rapienda ſunt: ergo aſſumptis & admotis cor muniendum, & veneni vires infringendæ, hoc modo.

Potio.

℞. Theriacæ antiquæ ʒj. (non enim febris hæc tam ardoris vehementiâ, quàm tacitâ malignitate accidit) boli armeni ℈ij. ſyrup. de limonib.℥jß. aquæ acetoſ. aut ſcabioſ.q.ſuff. fiat potio. Sic enim calida frigidiorum permixtione temperanda ſunt. Si euomat, in malis eſt, ac nihilominus repetenda,exploratis omnibus retinendi modis. vel:

℞. Puluer. elect. bezoardici, & elect. dè bolo, vel cardiaci vocati, ana ʒj. terræ ſigillatæ ʒß. ſyrup. de acetoſ.citrij ℥iß. aquæ cardui benedicti, aut bugloſſi,q. ſuff. fiat potio: cui ſi vires labant,confect.Alkerm. ℈ij. adiiciendi, ſi ne hæc quoque ſatis, ad ea remedia confugiendum, quæ ſuprà poſui.

Apozema.

℞. Rad. tormentillæ & angelicæ, ana ℥j. gentianæ, enulæ, aut zedoariæ,& galangæ,ana ℥ß. oxalidis cum toto,ſcabioſæ,dictamni, cardui benedicti,(hæc enim calida minimè verenda ſunt, modò quadam frigidorum permixtione temperentur,) vtriuſque bugloſſi, & endiuiæ, ana M.j. ſeminis portul.acetoſ.citrij,& coriandri præparati,ana ʒij. roſ.rubr. florum nymph.& vtriuſque bugloſſi,vel ſi pituitoſum corpus eſt,florum ſonchi,calthæ Virgilij,calendulæ,ana p.j. fiat decoct.& in colaturæ ℔.ß. diſſol.ſyrup.de limonibus & granatorum,ana ℥iij. puluer. diamarg.frig. ʒiß.fiat apoz.bis die ſumendum.

Syrupus.

℞. Syrupi de acetoſ.citrij, & oxalid.ana ℥j. aquarum bugloſ. & ſcabioſæ,vel acetoſ.ana ℥ij. puluer. elect. bezoardici.℈j.fiat ſyrupus bis in die ſumendus.

Conditum.

℞. Conſ.oxalid.& rad.bugloſ. ana ℥j. conſ.roſ. ʒvj.conſeru. florum cichor.℥ß.pulu.bezoard.& diamarg.frig. ana ʒß. raſuræ cornu cerui, & margaritarum electar.ana ℈j. folia auri numero vi. ſacchari ſolidi q. ſuff.fiat conditum tempore ſitis aptum. Hæc quoque extinguitur ſyrupo è limonib. è ſucco citrij, ſyrupo granatorum, & ſimilib. aquæ mixtis.

Sacculi & Epithemata cordi admouenda.

Vtile eſt etiam cordi ſacculos & Epithemata adhibere,quæ in ſyncope ac febre ardente expoſita ſunt;& Symptomatis grauioribus occurrere,ſicut in ſyncope & palpitatione cordis præcepimus.

CAPVT

CAPVT XII.

De Febrium Symptomatis.

COnsiderandum etiam febrésne solitariæ sint, an grauiora quædam symptomata his adiuncta sint, vt vehemens capitis dolor, vigiliæ, deliria, sopor, tussis, respirandi difficultas, præcordiorum oppressio, distentio, & corporis iactatio, animi defectio, stomachi dolor, appetentia deiecta, & cibi fastidium, sitis, lingua sicca, aspera, nigricans, vomitio, alui profluuium, vrinæ suppressio, vel difficultas, frigus, horror, & rigor, atque vitiosus sudor; his enim plerumque febres stipatæ incedunt, quorum præsentiâ legitimam curationem peruerti atque interrumpi necesse est. Nam in affectuum connexione, & vehementiorum symptomatum occursu, plerumque vrgentiori vel inuerso ordine inprimis succurrendum, aliis tamen, quoad fieri potest, minimè neglectis. Et febrium quidem ratio exposita est, supersunt verò symptomata: ex quibus cùm plurima in partium affectibus exposita sint, ea tantùm subnectam, quæ certis partibus assignari non possunt. Incipiam in frigore, rigore, & horrore, quia has febres antecedunt, quæ certum habent circuitum, & ex toto remittuntur.

Insigniora febrium symptomata.

CAPVT XIII.

Remedia contra frigus & horrorem, quæ Febres antecedunt.

IGitur vbi frigus expectatur, omni potione prohibendus æger est; hæc enim paulo antè data multum mali adiicit. Item maturiùs veste multâ tegendus est, & antequam inhorrescat, admouenda partibus iis pro quibus metuimus, sicca & calida fomenta ex milio, sale, auenâ calefactis, & in linteum coniectis, sic vt non statim vehementissimi calores incipiant, sed paulatim increscant. Si nihilominùs horror proruperit, fomentis protinùs validioribus totum corpus circumdare conuenit, maximéque inuolutis testis: quinetiam calido oleo replentur vtriculi, quibus id fouendum, perfricandæ quoque partes ac spina tota manibus vnctis ex vetere oleo, eíque adiiciendum aliquid ex calefacientibus, vt cinamomi, indis, piperis, zinzib. sinapi, rutæ, spicæ, costi, enulæ, peucedani, pyreth. castorei, aut oleo chamæm. aneth. irin. rut. hyperic. (quartanis aptissimo,) laurino, sicyonio, (id est, ex rad. cucumer. agrest.) è spicâ, & iunipero, costino, petroleo, vel alio quodam ex his, quæ paralysi ac-

Celsus cap. 11. lib. 3.
Operimenta.
Fomenta sicca.
Cels. cap. 12. lib. 3.
Fotus ex vesicâ oleo repletâ.
Cels. cap. 11. lib. cit.
Frictiones.

Celſ.c.12 lib. cit. commodantur, horum aliquo inter ipſa veſtimenta perfundatur, adhibeatúrque frictio, quantam is ſuſtinere poterit, maximéque in pedibus & manibus: neque deſiſtendum eſt, etiamſi horror perſeuerat; ſed potiùs adiiciendum aliud quod potentiſſimè calefaciat, attenuet, ac diſcutiat, vt vnguentum martiatum, aut aregon, aut efficaciſſima theriaca, quæ ſic in vſum referentur.

℞. Theriacæ antiquæ ℥ij. olei anethini, & laurini, vel rutacei, ana ℥iß. aquæ vitæ ℥i. miſce, vngatur ſpina tota calidiſſimè.

Litus ſpinæ Dorſi. ℞. Olei irini, vel hyperici, ana ℥ij. ſucci arthemiſiæ ℥i. croci, ſeminis rutæ & piperis, ana ʒi. ferueant ad ſucci conſumptionem, & additâ paucâ cerâ fiat linimentum. Vel:

Alius. ℞. Olei laurini, & amygdal. amarar. & chamæmelini, ana ℥ij. vini cretici, quart.ß abſinth. rutæ, & origan. calaminthæ, ſaluiæ ſiccæ, ana ʒi. caryophyl. & nucis moſch. ana ℈ ij. aut loco horum olei de caſtoreo, ℥i. ceræ parum: fiat vnguentum. Vel:

℞. Olei chamæm. & anethini, ana ℥iij. vel olei antiquiſſ. ℔ ß. ſucci rutæ ʒij. vini cretici ℥ i ß. piper. zinzib. cinamomi, macis, ſeminis hyperici & ameos, ana ʒ i. pyrethri, croci, caſtor. ana ℥ ß. lento igne vaſe bene obturato coquantur ad vini & ſucci conſumptionem: colato vtere. Vel:

℞. Rad. lilij cæleſtis ℥ß. cardam caſtor. ſeminis rutæ, ſtœchados arab. calamenti, piperis nigri, pyrethri, ana ʒ ß. terantur & incorporentur cum oleo chamæmelino, fiat vnctio: vel cum oleo abrotanino, vel coſtino, duabus horis ante rigorem. Cauendum autem ne quid horum in cruditate tentetur, maximéque his vtendum in paroxyſm. ad vigorem ſpectantibus.

Parodia verborum Celſi c.16.lib.2.

Cautio in vſu lituum ſpinæ.

Veſicatorium. Auerſio quoque fiet admoto cataplaſmate acriore manuum carpis, pedum malleolis, atque etiam temporibus, quâ parte micant arteriæ, cuiuſmodi hoc eſt:

℞. Vrticæ, angelicæ, ana m. i. pentaphylli, m. ß. telæ aranearum, ʒvi. ſalis communis ʒij. fuliginis fornacis ℥ß. componantur ſimul cum pauco aceto, fiat cataplaſma, quod applicetur pulſibus. Potiones etiam in eiuſmodi malis quædam ſunt, quæ frigus rigorémque diſcutiunt, quam vim præcipuè habet rubea trochiſcata, horâ vnâ duabúſve ante rigorem data, ex aqua roſacea, ſi humor calidus eſt, qualis tertianas profert; aut ex vino generoſo, ſi frigidus, vt in quartanis & quotidianis. Eódem pertinent quæ propriè quartanas euincere, earúmque rigorem diſcutere diximus, vt theriaca antiqua, mithridatium, aurea Alexand. & omnium præſtantiſſimum ex liquore cyrenaico paratum remedium, aut pilulæ ſequentes.

Potiones ad frigus & horrorem febriũ diſcutiẽdum.

Pilulæ. ℞. Dauci, ſtyracis calamitæ, & ameos, ana ℈i. cum exigua theriaca fiant pilulæ, dentur tres ante rigorem. Vel exhibeatur ſerpilli decoctum cyathi menſurâ.

Celſ.c.12.l.3. Ergo cùm primùm aliquis inhorruit, & ex horrore incaluit, dare ei oportet potui tepidum hydrelæum cum ſyrupo acetoſ. aut oxymelite,

melite, & vomere eum cogere; nam ferè talis horror ab iis oritur, quæ biliosa in stomacho resederunt, & frigus molestum à pituita multa, quæ inter tunicas ventriculi altiùs impingitur.

CAPVT XIV.

De Sudore symptomatico.

SI corpus sudore immodico digeritur, quia vires infringit, & nulli vsui est, confestim reprimere hunc, atque prohibere oportet: reprimitur autem tum astrictâ cute, & humoribus qui foràs erumpunt intrò repulsis, tum assumptis medicamentis, quæ sudoris materiam incrassent, eiúsque acrimoniam obtundant, & retentricem partium facultatem roborent. Astringitur cutis aut aquâ gelidâ, aut rosaceâ in faciem coniectâ, atque frigidi aëris occursu, cuius æstum lenes Euripi temperent, herbæque aut fructûs refrigerantes humi strati, & turba astantium prohibita. Itaque quominùs æger insudet, leui veste debet esse contectus, loco non calido, fenestris patentibus, sic vt frigidior aspiret aura, quinetiam æger flabellis ventilari, neque sudor non abstergi, nam alius alium elicit; & somnus arceri. Insuper latera, præcordia, & corporis summa, his quæ reprimunt, & sudorem inhibent, leniter perungenda: id præstat acerbum oleum, vel rosa. vel melinum, vel myrtheum, vel lentiscinum, aut efficacissimum, quòd è salicibus comparari potest; nam magis sunt iis idoneæ vnctiones, quæ cæca cutis spiracula obstruant. Si sudor vincit, delinendus homo est, vel gypso, vel argenti spumâ, vel cimoliâ aqua dissolutâ, vel etiam horum puluere respergendus. Idem præstat puluis ex contritis vel rubi, vel aridæ myrt. foliis, vel eiusdem baccis, aut ex austero & bono vino, vel malicorium cum manna thuris, vel terra Samia cùm gummi rectè inducetur. Similiter galla in pollinem redacta, pini cortex, electrum, & polenta cum vino astringente particulis sudore diffluentibus imponitur. Pluráque similia sunt, quæ si desunt, ac casus euincit, satis vtilior est quilibet ex via puluis iniectus. Supra præcordia verò succus salicis, aut sempervivi, aut arnoglossæ, aut coriand. aut portul. aut alius qui reprimat, vel aqua rosacea, cui caphuræ magna vis insit, epithematis modo illita. Per hæc si nondum consequi potuimus, vt sudoris impetus minuatur, ad composita progrediendum.

Sudores immodici, diuersimodè, imo pro causarum, diuersitate, reprimendi.

πυκνωσις, hoc est, cutis astrictio vt procuranda extrà admotis.

Paul. lib. 2. c. 47.

Topica simplicia sudorẽ reprimentia.

Vnctiones emplastica.

Auic. 1. 4. tr. 2. c. 13.

Epispasmata.

Epithemata reprimentia.

Vnguentum.

℞. Mucag. seminis psyllij integri, ℔ ij. mucilag. seminis citoniorum ℔ ß. gũmi arab. diss. in aqua ros. quart. 1. incorporentur simul adiecto ceræ tantillo,

Topica composita sudores inhibentia.

tantillo, fiat vnguentum : cui si libet, superaddes tria albumina ouorum; dorso & thoraci, atque extremis partibus imponatur.

Aliud ad idem.

℞. Olei è nymph. & è salice, aut myrtei, ana ℥ i ß. succi citoniorum ℥ij. ceræ parum, fiat vnguentum.

Oleum sudores reprimens.

℞. Rof. rub. ℥ ij. santali rub. balaustiorum, gallarum, summitatum myrti, & oliuæ, granorum rhois, ana ℥ i. coquantur in ℔ ij. aquæ ad tertias : addatur ol. rof. omphacini ℔ i. rursus tantisper incoquantur, dum aqua exhausta sit, eo corpus leuiter perungendum.

His quidem modis humores intrò repelluntur, & densatur cutis, nec sudorum eruptioni patet; quâ ratione extremis corporis partibus in frigidam demersis compescitur sudoris copia, in ídque si fieri potest, frigidiore ædificio, gestatione corpus agitandum, vt nouus aër incandescenti succedens, partes summas refrigeret.

Intus assumenda, ad sudorum repressionem, incrassantia, ac epicerastica esse debet. Huius fortis medicamentorum sylua. Conditum.

Secundum auxilium est per ea quæ assumuntur retentrici partium facultati robur addere, & sudoris materiam incrassare eiúsque acrimoniam reprimere. Videntur autem eam vim obtinere syrup. citonior. è rosis siccis, è ribes, è berberis, saccharum rof. cum puluere margaritarum, & corallij concretum, conserua rof. caro citoniorum, conseru. cichor. buglossi, acetosæ, nympheæ, puluis diamarg. triasant. diarrhod. rosata nouella, & quicquid iis simile est. Vt:

℞. Conseru. rof. ℥ i ß. conf. acetof. & nymph. ana ℥ ß pulueris diamarg. frig. ʒ i ß. pulu. rosatæ nouellæ ʒ ß. margaritarum splendid. corallij rub. vsti & aquâ rof. loti, ana ℈ i. sacchari rof. tab. quart. v. misce ad condîti formam : aut cum syrupo è rosis siccis reducantur in modum opiatæ. Plurima eandem facultatem sortita, cap. de ventriculi imbecillitate à bile, aut in cholerâ morbo, aut dysenteriâ comperies. Porrò in alimentorum genere cibus esto non detergens, aut attenuans, sed siccior, lentæ, crassæ, compactæque substantiæ, cuius non sit facilis excretio; id genus habeatur non ptisanæ cremor, non mulsa, sed siligo, simila, amylum, animantium extrema, omnísque caro glutinosa, & fructûs austeri, qui non facilè corrumpantur.

Alimenta in sudorib. immodicis, qualia sint eligenda.

CAPVT

CAPVT XV.

Remedia in febribus ad ariditatem & ſcabritiem linguæ, aliáque eius vitia.

SI verò lingua ſicca eſt & ſcabra, ſi nigra & rimulis diffiſſa, detergenda primùm penicillo eſt ex aquâ,cui mel roſ.inſit,aut ex decocto hordei, & vuis, & glycyrrhizâ, adiecto quoque melle roſ.Os etiam elui poteſt,vbi & ſiccum eſt,& ipſi fœtet,quamuis id tempus potioni aptum non eſt,ídque aut aquâ frigidâ, aut in quâ ſyrupi acetoſi paulum inſit, aut oxycrato dilutiſſimo: deinde ſordes linguæ adhæreſcentes,aut panno lineo,aut cochleari perexiguo, aut huic rei apto circulo argenteo ligneóve detergendæ,& leniter abradendæ ſunt.Aliquando etiam os & fauces humorem requirunt, vt gargariſmis ſit opus. At ſæpe ſcabrities à fuliginosâ exuſtione profundior eſt,aut lentor faucibus hæret, ita vt Chirurgo ſit opus, qui depreſsâ linguâ ſordes profundas inſtrumento accommodato leniter abradat extrahátque, ac tum gargariſmis ac collutionibus vtendum, lenientibus quidem & humectantibus, ſi ſolùm exaruit; detergentibus verò, ſi lentore,aut veluti nigra fuligine obducta eſt. Ergo ſi arida lingua eſt, humectantibus; ſi aſpera & ſcabra, lenientibus ſeu læuigantibus indiget, quæ aſperas & ſummâ facie inæquales partes æquabiliter impleant, ac planas læuéſque reddant. Quæcunque id efficiunt, exquiſitè humida ſunt,id eſt,humore multo aqueo, atque etiam aëreo abundant, qui in mediocri ac minimè diffluente materia reſidens, omnis acrimoniæ & vehementioris qualitatis ſit expers. Quamobrem hæc omnia, quibus ad ſcabritiem & ariditatem linguæ vtimur, aut inſipida ſunt, aut dulci ſapore, non autem acria, nec ſalſa, nec amara; exaſperant enim magis quæcunque vehementiùs detergunt, vt non ſolùm ſordida & aliena eluant, ſed & linguæ ſubſtantiam abradant. Ideò cùm detergendæ ſordes erunt, moderatione opus eſt, etiamſi reſten ſuperuacanea. Hanc humectandi,leniendi,& læuigandi vim habent, ſemina altheæ, maluæ, cydoniorum, pſyllij, lini, item altheæ radix,portulaca,myxaria,pruna dulc. amygdala recentia, & quæcunque alia humectant, & ſuauiter emolliunt, quibus adiicimus nonnulla leuiter detergentia,vt ſaccharum candum,mel roſatum, penidias, quæ hoc modo inter ſe componuntur,& in vſum referuntur.

Celſ. cap. 10. lib. 3.

Celſ. cap. 4. lib. cit.

Siccitas linguæ humectantibus, ſcabrities læuigantib. indiget.

Sylua medicamentorum ſiccitatem ac ſcabritiem linguæ emendantium.

Gargariſmus.

℞. Mucilag. ſeminis citonior & pſyllij integri ex aqua roſ. deſumptæ, ℥iii.ſacchari candi ℥i. aut ſi plus detergendum, ac dulcor palato arridet,℥iß. miſce, & eius portiuncula ore contineatur. Vel ſi ardor ineſt:

Alius.

℞. Mucilag. quat. ſemin. frig. mai. & ſeminis papaueris albi, ex-

tractæ cum aqua rosf. ℥iiii. sacchari rosati aut viol. quart. ß. aut saltem ℥i. misce: cui etiam adiicitur vtilissimè lac amygdal. contineat in ore paruum cochlear.

Formulæ.

℞. Seminis psyllij & citoniorum, ana ʒiii. sacchari candi ℥i. misce, fiant formulæ latæ cum serico rub. quarum vna semihoræ spatio in aqua rosarum macerata, aut in aqua plantag. & nymph. contineatur in ore.

Collutiones oris & linguæ.

Lingua scabra & arida hydrelæo repente sæpius fouenda, aut oleo amygd. dulcium recenter sine caloris vi expresso; Cui vtiliter saccharum candum adiicitur: aut abluenda lacte amygd. aut aqua rosf. & saccharo simul mixtis: aut oblinenda & emollienda butyro recenti aqua rosf. eloto, cui deinde saccharum elotum plenè sit admixtum.

CAPVT XVI.

De Siti.

Sitis febrium symptoma familiare.

IN causarum sitiferarum censu non vltimum locum sibi vendicant febres, cùm per ipsas dyscrasia calida sicca vigeat, sitis immodicæ parens, siue ea dyscrasia materiæ expers, siue eiusdem particeps fuerit. Solet autem sitis maior minórve concitari, pro causæ varietate, hinc triplicem ipsius gradum assignare possumus, vt quædam indigitetur superficialis, seu exigua, alia ἀξιόλογος, alia denique implacabilis. Harũ quælibet vel est idiopathica, vel sympathica: prior focum habet in solo ventriculi orificio superiore, propria sitis naturalis sede; posterior alibi focum suum sortitur, modò in peculiari quadam parte, modò in corpore vniuerso. Porrò inter partes corporis maximè sitim accendere consueuerunt pulmones, qui tamen sui caloris pleonexian vnicè cordi acceptam ferunt. Causæ externæ sitis sunt calefacientia ac siccantia omnia, siue per se, siue per accidens, quæ ipsa febris quoque fundamina iaciunt. Internæ materiales sunt succi degeneres, ventriculi tunicis impacti, aut in ipsius fundo innatantes, sua qualitate sitim irritantes, qualis est inprimis humor xanthocholicus, & pituita salsa. Interdum vsuuenit vt sitis, suæ causæ non sit analoga, vel vt immeritò sedetur, quod in acutis ferè calamitosum prædicat diuinus senex, quòd inde arguatur stupor, aut ἀναισθησία facultatis appetentis ventriculi, aut ipsius mentis læsio: quan

Sitis differentiæ.

Partes affectæ in Siti.

Caussa sitifera in febrib.

Sitis vacuitas in febribus, vnde.

Prorrh. l 1. sect.2.t.22. & l.1. Coac. aphor 62.

quandoque tamen huiuſmodi ſitis vacuitas in febribus accidere videtur, ob frigidulam quandam deſtillationem orificium ſuperius ventriculi irrigantem, quo quidem caſu nihil ſiniſtri minatur. *4.aphor.54.*

Sitis autem aliter extingui non poteſt quàm cauſa ipſius ablata, quod cùm non ſemper ſit adeò expeditum, fallenda interim venit præſidiis quæ Græci ἄδιψα vocant, quorum præcipua complectitur Hippoc. dum ait: ſitim ſedant os continere, tacere, frigidam auram ducere, & frigidam aquam bibere: vnde patet neque ſolam, neque quamlibet potionem ſiti febricitantium explendæ conuenire, cùm aliquando oris clauſio, & ſilentium, imò & ſomnus huic obtundendæ ſufficiant: aliquando liber ac liberalis frigidi aëris inſpiratus, præſertim ſi pulmonis incendium fuerit ſuſpectum. Vtplurimùm tamen tam alimenta quàm medicamenta poteſtate frigida & humida, ſiti grauiùs crucianti deberi certiſſimum eſt, eáque liquida potiùs quàm ſolida. Ex alimentorum numero ſunt aqua potabilis ἄποτος, ptiſana vulgaris, potus diuinus, oxycratum dilutiſſimum, iuſcula idoneis heluellis, fructibus ſeminibúſque medicata, vtpote cichorio, lactuc. portulac. oxalid. hordeo, cucurb. anguria. Huc pertinent hordeata, contuſa ex coxis ranarum aut ex carnibus cancrorum fluuialium, poma ſubacida cocta, pruna paſſa etiam ſubacida, caules lactucæ conditi, immites vuæ itidem ſac charo conditæ, ceraſa acidula paſſa, aut etiam condita, hoc tantùm obſeruato, vt ſaccharum vſus tempore à condituris ablutione dematur, ne aſſumptum faceſſat in bilem, adeóque ſitim augeat. Inter medicamenta locum habent, præter ſemina frigida maiora ac minora, ſemen pſyllij & cydonior. rad. acetoſæ, fragar. liquirit. huiúſque poſtremæ ſuccus inſpiſſatus, Regno inprimis Valentiæ aduectus, Electuar. Sorbet Muhammedanorum multa aqua diſſolutum, Syrupus de ſucco cucurbit. domeſticæ, capill. Vener. violatus, de pomis redolent. trochiſci de ſucco ribeſ. aut berber. Cryſtallum ſub lingua detentum. His omnibus magiſtralia quædam addi poſſunt, inter quæ ſummè celebrant catapotia ἄδιψα Dioſcoridæ, quorum deſcriptionem proponunt Oribaſ. Aëtius, Paulus, Trallianus, & Theod. Priſcianus, nec non catapotia ἄδιψα Aſclepiadis à prædictis parum admodum diuerſa, quæ deſcripſit Gal. ac poſt ipſum Actuarius. Pro potu familiari commendatur hîc aqua fontana leuiter præbullita cuius ℥x. miſceantur cum Iulep. Alex. ℥ii. additis ſpiritus chalcanthini probè rectificati guttis aliquot, ad gratam & temperatam aciditatem. Aqua etiam ſimplex, in qua diſſolutum ſit ſalis prunellæ pauca quantitas: itémq; aqua hordei cum tantillo nitri vitriolati efficaciſſimè ſitim lenire obſeruantur. Potûs autem menſura qualis eſſe debeat, & quando is, quotiéſve propinandus veniat, abundè alibi docuimus. Præter hactenùs dicta, probant plurimi ad demulcendam ſitis moleſtiam, gargariſmos & collutiones oris frequentes, ex aquis aut ſuccis defæcatiſſimis lactuc. portulac. vmbilici vener. aizoi, quemadmodum

Curatio ſitis.

Epid.6.ſ.3.t 33.

Alimenta ſitim lenientia.

Medicamen. ἄδιψα.

Gargariſmi.

etiam litûs colli anterioris atque gutturis, ex iisdem, addito oleo violat: mucagine sem. psyllij, & pauco aceto. Intereà legitima victûs ratio coli debet refrigerans & humectans, qualem febricitantibus consulit Hipp. ídque plus aut minùs, pro naturâ, habitu, ætate laborantis personæ, nec non pro morbi magnitudine, more, specie, tempore, aliísque circunstantiis diligenter ab industrio Medico perpendendis.

CAPVT XVII.

De Syncope.

Syncope periculosus affectus.

QVoniam syncope mortis est imago, quæ astantes perterret, & ægrum in maximum vitæ periculum adducit: cùm primùm lipothymia obrepsit, & vires manifestè vacillant, ac quasi initium patiuntur defectionis, tunc in viribus roborandis confirmandísque omne studium collocari debet, antequàm in illam syncopen veram præcipitetur æger, à qua vix instauratio fit. In id enim quod grauissimum, summâ curâ primùm incumbendum, morbo tantisper omisso, omníque ratione recreandus laborans, & vires fulciendæ ac reficiendæ sunt. Recreandi multæ sunt rationes, decumbente ægro in maximâ corporis tranquillitate, & æquabili partium omnium statu, os atque faciem frigidâ conspergere, aut etiam rosaceâ perfundere, cui vini tantillum insit, aut santalorum, aut caphuræ portio accesserit. Acetum, vinum, rosam, moschum, ambram, caphuram, galliam moschatam, aliptam mosch. ídque genus aromatica naribus admouere, & fructûs odoris suauitate fragrantes circumponere: Panem assum vino optimo imbutum temporibus & carpis, quâ parte micant arteriæ, linteolo circumligare: extrema validè fricare, fouere, ac vinculis constringere. Si ne sic quidem releuetur æger, pili auellantur, aures vellicentur, nares comprimantur, vomitus excitetur, insertis & immissis in os vel digitis, vel plumis, aut immissoriis, quandoquidem is impetus stomachi cordísque tædia discutit, suscitátque robur. Denique sternutamento nonnunquam inducto, ac glande inditâ sopitus calor erigatur: & si quæ in extremis partibus nimiùm frigent, asperiore linteo perfricentur, aut folio ficulneo, aut pumice, aut osse sepiæ, aut aliis quæ asperitate ruborem trahunt. Si necdum calor infertur, illi vsque ad inguina & alas sinapi, vel pyrethrum, vel piper, vel zinziber, interdum etiam thapsiæ, aut euphorbij momentum, aut mel scilliticum, aut anacardinum imponendum, vel qui ex his fiunt sinapismi vel phœnigmi, dum partes recalescant; alioqui desperatio est. Ab iis præstantissimum sit, loco non calido ea insternere, quæ iucundum odorem expirant; cúmque dissipatur calor ac exhalat, frigida, vt rosas, violas, nymphæam, mala odoratiora, cucumeres, santala, caphuram, capreolos vitis

Varia auxilia in ipso syncopes paroxysmo administranda.

Aër qualis arte comparandus in syncope.

vitis, rosaceum acetum, idque genus alia inspergere: Aut si frigore obsessum cor est, calidis circumfusum aërem immutare, vt vino, moscho, caryophyllis, croco, citriis, styrace, benjoino, melissophyllo, rosmarino, pulegio, ocymo, ac similibus. Externus huiusmodi apparatus vt plurimùm sæpiúsque præmitti solet, quem tamen distinctis causis certiùs institues. Ortâ enim ex vteri strangulatu animi defectione, fœtida naribus, odoratiora muliebribus locis imponenda sunt, & crura vincienda, inguinibúsque potissimùm cucurbitulæ affigendæ. At mensibus immoderatè prorumpentibus, aut fluente aluo præter modum, artus plurimùm fricandi sunt, calfaciendi ac ligandi. Vbi autem corpus sudoribus hac & illac diffluit, nihil eorum quæ foràs euocant, iuuare potest, quemadmodum oppressis viribus, quicquam eorum quæ intrò compellant, vsui esse; sed natiuum calorem sopitum & torpescentem excitare & diffundere confert; nec si frigoris immoderatâ vi lipothymia acciderit, faciem frigidâ irrigare; nec solutâ aluo, cutis spiracula constringere, sed laxare, & in hanc ex intimis allicere. Sic etiam vbi ventriculi offensio, imbecillitas, sensúsque eximius in syncopen præcipitat, os ventriculi muniendum corroborantibus, calidis, frigidísve pro causæ natura. In summâ nunc exiguus vitæ calor foràs erumpens ac propè dispersus moderato & æquabili frigore colligendus continendúsque est: nunc vaporum malignitate, aut humorum concursu compressum cor, liberandum, obrutúsque calor suscitandus & diffundendus est. Neque verò vt reuocatur æger, illi continuò indormiendum, ne aut languidior calor extinguatur, aut obruantur imminuti spiritûs: idcircò vigilans conquiescat, taceat, omnísque absit tum animi, tum corporis contentio. Sic ergo quamprimùm recreabitur æger; mox vires instaurentur partim cardiacis, partim boni succi alimentis, modicè & sæpius offerendis, vt nutriant, non onerent. In alimentorum genere vinum primas tenet, hoc enim quàm celerrimè benigni succi copiam exaggerat, & quoquouersum spirante vapore spiritûs facultatésque erigit: proinde non modò dissolutis, sed etiam oppressis viribus conuenientissimum est, nisi visceris cuiusdam inflammatio, aut maximus capitis dolor, aut ardentissima febris cum morbo crudo, id vetent, succúmque mali punici conuenientiùs admittant; vinum enim incommodi plurimum iis adfert. Nihilominus si quando illorum vehementiâ & immanitate vires iam sint exolutæ & prostratæ, vino penitus abstinendum non est, sed tenui, & oligophoro, ac bene diluto progressæ imbecillitati occurrendum. Alioquin generosum & meracum detur cùm febris non reclamat, & aromatites, & id cui moschi grana duo triáue sint iniecta, aut id in quo vel auri, vel argenti candens lamina sæpius extincta sit, quod diffluentem substantiam cohibet. Itaque panis optimi momentum vino intinctum in os conferetur, superasperso interdum Ducis puluere. Quin etiam si languidæ vires, non oppressæ fuerint, iure carnium reficiantur. Atque etiam ex-

Syncope ab hysterico strangulatu orta quomodo curanda.

Quomodo ab aliis causis inuecta syncope medendum.

Syncope discussâ, quid agendum.

Vinum.

Panis vino imbutus.

Alimenta boni succi in syncope offerenda. presso succo, recentissimorum ouorum luteis sorbilibus, testiculis gallinaceorum nondum coëuntium, distillatis, & instaurantibus, qualia deinceps proponemus: nunc medicamentornm cardiacorum vim exequamur.

Cardiaca medicamenta quæ sint. Cardiaca sunt quæcunque vitalem cordis vim roborant, omnémque illius offensioné depellunt, temperi e natiui caloris insitique spiritûs vel seruatâ, vel restitutâ: horum enim alia, quidquid vel qualitatum exuperantiâ vel latente, ac venenatâ pernicie cordi est infestum, immutant, obterunt & exterminant: alia spiritûs vel nimiopere diffluentes conseruant & à dissipatione tutantur, vel oppressos torpescentésq; excitant & erigunt; quæ omnia cordi robur conferre diximus: & in vno quoque genere, alia calida, alia frigida sunt. In frigidis notantur violæ, rosæ, oxalidis tum folia, tum semen, buglossum vtrumque, temperatis proximum, mali citri succus, atque punici, limonij, aurantij, & pomorum redolentium, quibus omnibus feruentior spiritus mitescit, & pestilentis febris pernicies arcetur; vnde caloris intemperie repressâ, vires erigi contingit. Quinetiam è frigidorum ordine alia sunt, quæ euidentiûs cordi robur addunt, & spiritûs intrò colligunt, calorísque substantiam siccitate coërcent, vt cornu vnicornis, vel monocerotis, os è corde ceruui, cornu ceruinum, ebur, spodium, corallium rubrum potissimùm, electrum siue charabe, siue succinum, margaritæ, quæ spiritûs collustrant, purioréśque reddunt, sapphirus, item smaragdus, hyacinthus, carbunculus, quem vulgares rubinum appellare consueuerunt, terra lemnia, bolus armena, quæ omnia non solùm exsiccando, ac refrigerando spiritûs cohibent, sed etiam leni astrictione cor firmant, & totius substantiæ proprietate venenorum vires extingunt. Huc quoque accedit caphura, celerrimum eorum vehiculum, & santala tum hepaticis, tum cardiacis aptissima, atque auri & argenti folia, quodam amico splendore naturæ iucundissima.

Cardiaca frigida simplicia.

Cardiaca calida simplicia. Calida autem cardiaca sunt coccos baphica, (id est, granum Alkermes) Melissophyllum, doronicum, dictammi radix, vetonica, quæ tunicis herba dicitur, tormentilla, temperato calore prædita, imperatoria, gentiana, angelica, sed quæ ex Germaniâ aduehitur, quæ multò gratior & suauior, zedoaria, carduus benedictus, scabiosa, pimpinella, ocymi odoratioris semen, quod triplex est, sed minore accommodatiùs vtendum, spica nardi, cyperus, quæ tum maximè consentanea sunt, cùm crudorum humorum vi caloris & spiritûs substantia refrigescit & infringitur; quæ eadem veneni labem discutiunt. Sed manifestissimè roborant, atque simul aromaticâ vi oppressum calorem excitant, & spiritûs halitu fouent, quæ nunc sequuntur: cortex citrij, cinamomum, nux moschata, macis, amomum, caryophylli, crocus, sericum crudum, atque id quod cocco legitimè sit infectum. Agallochum, siquidem verum habeatur, eius loco santalum citrinum vsurpamus, moschus, ambra, & quæcunque odoris suauitate spiritûs reficiunt. In purgan

purgantibus autem rhabarbarum, sed exiguâ quantitate, agaricum, lapis cyaneus vel lazuli, armenus, fumaria, lupulus, & quidquid sanguinem melancholicâ fæce repurgat, atrúmque vaporem à spiritu dirimit. Hæc simplicia cardiacas affectiones, ac syncopas excutiunt, cor exhilarant & firmant, illustrántque spiritûs alienâ vaporum permixtione inquinatos. Ex his autem paratæ compositiones asseruantur frigidæ, vt syrupus violarum, nympheæ, oxalidis, limonum, acetositatis citrij, è pomis redolentibus, & buglosso, qui temperatissimus est. Conserua violarum, nympheæ, acetos. rosarum, radic. bugloss. florum borraginis, diamarg. frigidum, trochisci de caphurâ.

Purgantia cardiaca.

Cardiaca frig. compositiones Officin.

Calidæ: syrupus capill. ven. syrupus scolopendriæ, syrupus conseruationis myrobalanorum, & conseruationis corticis citrij, & quæ ex his fiunt conseruæ, maximè florum citranguli, cortex citrij saccharo condîtus, myrobal. chebuli, & emblici saccharo condîti, & nux myristica saccharo condîta, nobilissima confectio Alkerm. quâ parciùs vtendum, vbi cita est aluus, diacameron, electarium lætificans descript. Rhas. vel Mesuæi, puluis lætitiæ, pulu. è gemmis, confectio ex hyacintho Auicen. 4. can. diamosch. dulc. quæ cerebrum luculenter roborant: sed & diarrhodon, & arom. ros. quæ veriùs stomachicam syncopen tollunt. Atque si aliqua pestilentis malignitatis suspicio inest, pul. elect. de bolo, bezoardicus, denique vniuersalia illa antidota, theriaca, & mithridatium. Porrò ex his illísque non erit difficile, in rem præsentem quamplurimas remediorum formas cardiacis salutares expromere, vt potiones, electaria, pulueres, condîta, opiatas; & in admotis sacculos, atque epithemata, omnia (inquam) efficientibus lipothymiæ causis propriè accommodata. Ita autem in compositionem debent conferri, vt frigidis cordis affectibus, vnde animi defectio obrepit, calida cardiaca præscribantur, quibus interim refrigerantium nonnihil sit annexum, ne tum cordis, tum medicamentorum vis calore fusa præproperè dissipetur & exolescat: sic vt eius permixtione in partem longinquam deduci, conuenientiúsque calidorum perexiguâ adiectione ingens cordis vigor communiri possit. In vniuersum tutior est calidorum, quàm frigidorum vsus; sed in omnibus modus quidam esto.

Cardiaca calidæ composit. officin.

Cardiacæ composit. magistrales quomodo præscribi oporteat.

Interim ergo dum externo apparatu suscitatur æger, cardiaca nunc frigida, nunc calida pro rei necessitate imperentur. Horum alia assumuntur, alia admouentur, atque ex assumptis potionis forma expeditissima est.

Potio cardiaca refrigerans.

Formulæ Cardiacarum composit. refriger.

℞. Pul. diamarg. frig. ℨj. pul. diarrhod. abbatis ℨß. Syrupi de pomis

redolentibus, vel violati ℥j. aquarum buglossi & acetosæ, ana ℥iß. misce, aut:

℞. confect. alkermes ℈j. pul. diamarg. frig. ℈ij. pul triasantali ʒß. Syrupi de limonibus, vel de acetositate citrij ℥j. aquæ borrag. & endiuiæ, vel viol. vel rosarum, ana q. s.

Quantitas puluerum & confectionum in potionibus vix excedit ʒiß. syrupi verò rarò ℥iß. sæpius ad ℥i. syrupus præscribitur, aqua cardiacæ ad ℥iii. In vniuersum omnia medicamenta cardiaca sunt adstringentia: itaque in affectibus thoracis minore quantitate pulueres & confectiones cardiacæ præscribendæ, mixtis perpetuò lenientib. vt puluere diatragacanthi, decoct. pectoral syrup. leniente. In cardiacis exhibendis, habenda semper ratio affectuum syncopæ complicatorum.

Potio cardiaca calfaciens.

℞. Pulueris Electarij diambræ & diacameron, ana ʒß. pul. elect. de gemmis, & pul. lætificantis vel exhilarantis, ana ℈j. syrupi de buglosso ℥j. aquarum scabios. & borrag. ana ℥iß. misce. aut:

℞. Confectionis alkermes, vel si lienteria vires eneruat, confectionis de hyacintho ℈ij. pul. diamoschi dulcis, ℈j. pul. electar. de gemmis, aut si stomachica sit syncope, aromatici rosati ℈ß. syrupi conseruationis corticum citrij, aut capil. ven. ℥j. aquæ buglossi q. suff. misce, fiat potio. In iis igitur componendis, affectuum quibus syncope implicatur, ratio habenda: num immodica euacuatio, an pectoris oppressio insit. Illic namque parciùs confectione alkermes vti oportet; in cuius vicem confectio ex hyacintho, aut diacameron opportunè substituetur. Hîc verò contrà, vbi non ita tutò astringentes pulueres & exsiccantes præscribas, nisi diatragacanthi, aut alterius permixtione leniantur. Eadem obseruatio arctè accuratéque in syrupis & aquis tenenda: fluxui enim quæ leniunt, pectori quæ adstringunt, & acida minùs idonea sunt: eáque ratione cardiacis potionibus nunc hæc, nunc illa inserenda sunt. Quemadmodum si malignâ pestis qualitate cor obteritur, admiscenda quædam erunt, quæ pestilentium morborum virus foràs euocent, & extrudere possint. Per hæc si consequi potuerimus, vt vires aliquantulum reuocentur & reuiuiscant, eas pleniùs firmare oportebit pulueribus, electuariis, conditis, opiatis, quæ nunc percurrenda sunt.

Puluis refrigerans.

℞. Margaritarum electarum, rasuræ eboris, cornu ceruini, ana ʒß. corallij rubri, seminis acetosæ, & seminis citrij minutissimè concisi, ana ℈j. cinnamomi ℈ß. fiat puluis, detur ʒß. aut ℈ij. ex aqua buglossi, vel acetosæ: vel totus saccharo aquis dissoluto exceptus, in electuarium conformetur: cuius vice diamargariton esse potest, aut quod sequitur efficacissimum.

Soliditas, & pondus, & color ex albo flauescens certissima cornu Monocerotis indicia.

Electuarium cardiacum temperatum, melancholicis aptum.

℞. Pulueris diamarg. frig. & de gemmis, ana ℈ij. pulu. coral. rub. ʒß. ossis

ʒß. ossis de corde cerui, vel cornu ceruini minutatim incisi, ℈j. rasuræ eboris, & pulueris vnicornis, si haberi possit, ana ℈ß. conseruæ rad. buglossi, & confect. Alkermer. ana ʒiß. sacchari albiss. succo pomorum redolentium soluti, quod suff. fiat elect. in tabellis ʒiij. quæ maior est quantitas. Mediocris verò ʒiiß. detur vna tabella per se.

Conditum refrigerans.

℞. Conseru. radic. bugloss. & viol. ana ℥j. conseruæ florum borrag. & acetos. vel nymphææ, ana ℥ß. santalorum omnium, seminis acetos. corallij rub. & ramentorum lapidum pretiosorum, ana ℈j. (eiusmodi lapides sunt smaragdus, rubinus, sapphirus) pulueris diamarg. frigidi ʒß. folia auri exiliter conscissa, numero vj. sacchari solidi quod suff. fiat condîtum auro coopertum, aut cum syrupo violato, vel pomorum, reducantur in formam opiatæ. Detur instar castaneæ, superbibendo parum aquarum buglossi & acetosæ. vel:

In conditis quantitas conseruarum ad ℥iij. puluerum ad ʒj. vel ʒiß. sæpius ad ʒiiß.

Opiata.

℞. Succi pomorum redolentium, succi buglossi, ana ℥j. aquæ rosarum ℥ij. Pulueris granorum Kermes, ʒj. sacchari albissimi, quart. j. Tantisper concoquantur, dum consistentiam mellis contrahant; deinde sequentem puluerem inspergito, qui accipit santalorum omnium ʒj. fragmentorum lapidum pretiosorum, & margaritarum splendidarum, ana ʒß. os è corde cerui, num. j. seminis citrij mundati, seminis portulac. acetos. & rasuræ eboris, ana ℈i. serici crudi minutatim incisi ℈ß. croci gr. iij. ambræ gr. ii. foliorum auri minutatim concisorum, numero vj. misceantur in modum opiatæ. Hæc in refrigerantibus: nunc calida perstringamus.

Formulæ cardiacarum composit. calefacient. Calidis semper refrigerãtia miscentur, quod citò calidã euaporẽtur, quæ alioquin frigidis commixta fœliciùs operantur, nec tam facilè dissipationis periculum adferũt.

Puluis cor roborans, & calorem sopitum, excitans.

℞. Caryophyll. cinnamomi interioris, macis, corticum citrij sicci, ana ʒß. cubebarum, cardamoni, doronici, grani tinctorij, zedoariæ, & foliorum melissæ siccorum, ana ℈i. ligni aloës, si non desit, margaritarum splendidarum, rasuræ eboris, ana ℈ß. croci g̃. iiij. ambræ g̃. iij. fiat puluis: Detur semidragmæ pondere, cum vino aromatico: qui si minùs gratus sit, sacchari ℥ii. condîri potest.

Opiata calefaciens.

℞. Confectionis alkermes, ʒij. conseru. rad. buglos. & conseru. rosanana ℥iß. corticis citrij saccharo conditi, & carnium myrobalanorum emblicarum saccharo conditarum, ana ʒiij. pulueris elect. de gemmis, & lætificantis descript. Mesuei, ana ℈ij. pulueris diarhod. & diamoschi dulcis, ana ʒß. cinnamomi ℈j. cum syrupo conseruationis corticum citrij, reducantur in opiatæ formam.

Electuarium.

℞. Pulueris diumoschi dulc. vel diambræ, ʒj. margarit. electarum, cinnamomi interioris, & macis, ana ʒß. santali muscatellini, seminis ocymi, foliorum melissophylli, ana ℈i. florum buglossi, & ligni aloës, si verum habeatur, ana ʒß. corticis citrij saccharo conditi, & conseruæ florum borrag. ana ʒiß. sacchari albi aquâ melissæ vel scabiosæ dissoluti, q. suff. fiat electuarium in tessellas quadrangulas, ponderis ʒiij.

Conditum eâdem arte parari potest, sumptâ conseruâ florum rorismarini, rad. buglossi, capil. veneris, ad singulorum ℥j. & pulueribus minùs ingratis sesquidrachmæ pond. adiectâ sacchari quantitate idoneâ.

Aliud electuarium.

℞. puluer. lætific. & de gemmis, ana ℈ij. croci martis ʒj. sem. pœoniæ & citrij ana ℈j. cinnamomi interioris ℈ß. conseruæ florum buglossi, & confectionis alkermes, ana ʒiß. sacchari albissimi succo pomorum redolentium soluti, q.s. fiant tabellæ pond. ʒij.

Destillatio instaurans in affectu calido.

℞. Conser. rosarum, rad. bugl. & violarum, ana ℥j. conser. nymph. ℥ß. pulueris diamarg. frigidi ʒiß. pulueris triasant. ʒj. seminis acetos. portul. & endiuiæ, ana ʒß. pulpam capi pelle & adipe detractis, minutatim dissectam: Omnia misceantur, adiectáque succi pomorum redolentium, & aquæ ros. ana ℔iß. in duplici vase destillentur, vt artis est: huiúsque liquoris duo cochlearia propinentur.

Destil

Destillatio cardiaca frigido affectui destinata.

℞. pulp. caponis, vel perdicis, (exemptâ pelle & adipe) quæ exiliter incidatur, & vino albo, aut etiam, si frigidior est affectus, maluatico abluatur: Deinde adde conseru. florum rorismarini, borrag. & capil. ven. ana ℥j. corticis citrij saccharo condîti & minutim incisi, ʒvj. puluer. diambr. & diamoschi dulc. ana ʒj. confect. alkermes, aut si adsit fluxus, de hyacintho, vel diacameron ℈ii. cinnamomi ʒj. foliorum auri numero x. misceantur omnia diligenter, affusâ aquæ borrag. & meliss. ana ℔j. & in duplici vase inclusa destillentur. Neque alienum est, si vires aliquantulum releuentur, in aluum iniicere capi ius, aut ptissanæ cremorem, cui tum mellis, tum sacchari vis insit, atque vitelli recentium ouorum accesserint, si quidem id quoque vires tuetur.

Clysteres nutrientes ac reborantes.

Admota.

Vltimum iam restat auxilium, in his quæ exteriùs admouentur; qualia sunt epithemata & sacculi: Illa ex aquis stillatitiis & pulueribus comparantur, eâ mensurâ vt libræ vni liquorum permisceantur ʒiij. puluerum: quibus vt altiùs penetrent, acetum, aut potiùs vinum album adiicitur ad ℥ij. Nunc exempla subnectamus.

Epithema cardiacum, Cordis æstum restinguens.

℞. Rosarum rub. florum trium communium, & florum œnanthes, ana part. i. pulueris diamarg. frig. ℈iiij. santalorum omnium, seminis acetosæ & portul. ana ʒj. gran. tinctorum, & foliorum meliss. siccorum, ana ʒß. trochiscorum de caphurâ, ℈i. aquarum oxalidis, rof. & nymph. vel vt parciùs refrigeres, buglossi, ana ℥v. aceti vini albi ℥iß. misceantur simul & panni cocco baphico tincti, liquore illo imbuti expresśique, cordis regioni tepidè admoueantur. Nonnunquam sacculis pulueres concluduntur, qui tepentibus aquis inspersi superimponuntur.

Epithema calfaciens.

℞. Aquarum melissoph. bugloss. & scabiosæ, ana ℥iij. aquæ card. bened. ℥ij. vini albi generosi, vel maluatici ℥iij. caryophyl. corticis citrij sicci, zedoariæ, seminis ocymi odoratioris, ana ʒi. foliorum meliss. & granorum tinctorum, ana ℈ij. croci ℈j. pulueris elect. de gemmis, & lætificantis, ana ʒß. ambræ gr. iiij. misce, & fiat epithema cordi imponendum.

Sacculus cor roborans & calfaciens.

℞. Pul. diamarg. calid. vel lætific. Gal. ℈iiij rad. dictamni, cortic. citri ſicci, foliorum meliſſæ ſiccorum, & ſeminis ocymi odorati, ana ʒj. gran. tinctorij, garyoph. macis, & cinnamomi, ana ℈ij. pulueris electuarij de gemmis, ʒß. croci, galliæ moſchatæ, ana ℈j. roſarum rub. & florum bugloſſi, ana p. ß. florum roriſmarini, p. j. pulueriſentur, & ſerico rubro, interiecto bombace, excipiantur; fiat ſacculus interbaſtatus, figurâ rotundâ, qui vapore vini aromatici perfuſus, admoueatur è regione cordis.

Et hæc quidem ſunt præcipua auxiliorum genera, quibus lipothymia confeſtim excutiatur, & ſyncope inſiliens arceatur, ne imbecillitas progreſſa vel mortem inferat, vel iacturam quæ nullo modo reſarciri poſſit. Quòd ſi vires recreari ac refici contingat, tum idonea afferetur cuiuſque antecedentis affectûs curatio, ne ad eandem imbecillitatem citò recidat, etiamſi nunc in tuto eſſe videatur æger. Cùm igitur totum corpus ſudore digeritur, curatio prima eſt, ſudorem cohibere: id præſtat acerbum oleum, vel roſaceum, vel melinum, aut myrteum, quorum aliquo corpus leniter perungendum. Si ſudor vincit, ad ea recurrendum, quæ ſudorem reprimere diximus. Quòd ſi immoderatus alui fluxus, aut vomitus ſyncopen minatur, ſummâ curâ profluuium, coërcebitur remediis ſuo loco expoſitis, nempe cap. de vomitu & de cholerâ morbo. Si concretus ſanguinis grumus, hic diſſoluendus eâ potione, quam in hæmoptoicis diximus, quæ ex coagulo leporis & oxymelite paratur. At in veſicâ retentus, comminui debet iniectione attenuante ex decoct. rad. aperit. In vrinæ ſuppreſſione deſcriptâ. Si à concreto putreſcentéque lacte, quæ id diſſoluant, imperanda. In vniuerſum omnium eadem ratio eſto.

Curatio ſyncopes extra paroxyſmum.
Sudores immodici vt reprimantur.
Alui fluxus, & vomitus vt cohibeantur.
Sanguinis extra vaſa effuſi grumus vt diſſoluendus.
Ad lactis concretionem ex ſuccis maioris chelidonij, & menthæ, aut foliis vtriuſque contuſis, adiectis farinis fabarum, aut orbi præſtàtiſſima cataplaſmata componuntur.

CAPVT XVIII.

De Capitis Dolore.

CApitis dolores qui aut acriores ſunt, aut diutius perſeuerant, protinus ſedari debent, ne aut acrimoniâ vigilias, deliria, phrenitidas, aut diuturnitate ſoporem, ac mentis ignauiam adferant. Quocirca ne doloris magnitudo vel mentis, vel corporis vires infirmet, occurrendum inprimis ſymptomati vrgentiori, vel etiam interdum perſiſtente cauſſâ. Cùm autem capitis dolor, præſertim qui conſuetus eſt, vt & plerique alij affectûs, quibuſdam temporum interuallis exacuatur, remittatúrque: alia quidem excandeſcenti, alia remiſſo recurſuróque dolori adhibenda medendi ratio. Cùm enim ſæuiſſimus dolor

quos morbos capitis dolor minetur.
Curatio cephalalgiæ vigentis, alia eſt à curatione imminentis.

dolor viget, anodynis, & propriè dictis paregoricis leniendus eſt: cùm verò intermittit, aut remittit, ac nihilominùs ex corporis diſpoſitione recurſurus metuitur, iis quæ doloris cauſam exſcindunt remediis finiendus. Quoniam ergo quæ cauſam vel ſubmouendo, vel compeſcendo, ac contrariâ qualitate temperando, mitigant dolorem, id curandi lege efficiunt, ac verè dolorem vincunt, de his præcipuè nobis eſt agendum: eâ tamen obſeruatione, vt inter hæc anodyna ſubinde imperentur, tum præſertim cùm dolor excruciat. Cauſam quidem ſubmouent, quæ contra copiam & vitium materiæ adhibentur, vt phlebotomia, cathartica, clyſteres, errhina, ſternutatoria, maſticatoria, aliáque vacuandi præſidia.

Cauſam doloris ſubmouentia.

At contrarietate, & repreſsâ qualitatum exuperantiâ dolorem ſedant, oleum laurinum in refrigeratis; violaceum calefactis; hydrelæum ſiccatis; ſinapiſmus, vbi pars humore nimio elangueſcit. Anodyna verò propriè dicuntur, quæ tum ſubſtantiæ, tum qualitatum mediocritate, vel temperato & familiari calore naturæ partium conſentiunt, vt oleum chamæmel. aneth. lac, aliáque his ſimilia. Notant & aliud falſum genus eorum, quæ ſtupefacto ſenſu dolorem obtegunt, quòd torpore inducto vrgentior illius cauſa percipi nequeat, narcotica & carotica appellantur: quæ omnia vt particulatim ad leuandos dolores referantur, exponamus.

Reprimentia qualitatum exuperātiam.

Anodyna proprie.

Narcotica.

Cephalæa & Cephalalgia à ſanguine: à bile: à feruido ſpiritu: ab ardore.

Doloris cauſæ multiplices ſunt; pro quarum varietate diuerſa inſtituenda eſt curandi ratio, ac cuique humorum vitio propria deſignanda. Si in ſanguine, aut bile vitium eſt. (1.) Primùm illius exuperantia, venæ ſectione, huius, purgatione exhaurienda. (2.) mox vtriuſque feruor ſedandus, & acrimonia frigidis retundenda. (3.) Vtriuſque impetus auxiliis tum repellentibus, tum reuellentibus eſt coërcendus, quæ ſurſum irrumpentem humorem retrahant & retrudant, quamdiu dolor aut increſcit, aut viget: qui enim acerbior eſt, quàm vt ferri poſſit, anodynis eſt ſubinde demulcendus, atque interdum narcoticis. (4.) Deinde euacuatione, reuulſionéque præmiſsâ, cùm iam dolor conſiſtit, nec ampliùs increſcere videtur, quod capiti eſt impactum, per ductûs peculiares deriuandum diſcutiendúmque eſt. Poſtremò quæ cerebrum roborent, & ſingulari dote iuuent, adhibenda. His vniuerſim curationis ſumma comprehenſa eſt, vt euacues & temperes: reuellas & repellas: deriues, atque reſoluas, iis quæ ſimul roborant. Nunc pleniùs ſingula explicemus. Quandoquidem vniuerſales curationis ſcopos, ratio: materiæ verò facultates experientia commonſtrat. Primùm igitur antecedenti materiæ proſpiciendum

Curationis ordo in ſanguineâ aut biliosâ cephalalgiâ.

Vniuerſa curationis ſumma breuibus lineis comprehenſa.

Ratio & experientia duas curationis partes abſoluunt.

Antecedenti materiæ vt occurrendum.

 clyſtere,

clystere, venæsectione, purgatione, & alterantibus, tum syrupis, tum conditis, tum vnguentis iecinori admouendis, eâ formâ quam in acutarum febrium curatione expressimus. Purgato autem corpore, atque etiam interdum dolore cogente, ante perfectam purgationem, infixæ coxis, aut humeris, aut ceruici cucurbitulæ conuenienter reuellunt, quemadmodum & scarificatûs, & hirudines, vbi aut parciùs sanguis fluxit, aut incalescentis sanguinis magis expressa restant adhuc vestigia: quin etiam asperis extremorum frictionibus, arctissimísque vinculis, & tepentis aquæ fotu, vt & clystere frequenti noxius homor retrahitur, hincque dolor mitescit.

Reuellentia.

Fotus extremorum.

℞. Foliorum maluæ, M. ii. foliorum salicis, vitis albæ viniferæ, & arundinis, ana M iß. florum Nymphææ, viol. & chamæmeli, ana p. ii. florum stœchados p. i. coquantur: ex decocto calidissimo foueantur abluantúrque extrema.

Topica propria.

Cæterùm hoc ipso temporis spatio, atque etiam plerumque mox à venæsectione, si dolor excandescit, capiti maximéque syncipiti & temporibus adhibeantur, quæ refrigerant, ac repellunt remedia: Hæc autem modò ex stillatitiis aquis, modò ex virentium herbarum decoctis, modò ex succis comparantur, sæpe etiam ex oleis simili facultate præditis, vt rosato, violato, nymphеæ, papaueris, quæ necessariò aceti quadrante perfundenda sunt; hoc enim quanquam per se alienum est, doloremque exacuit, & somnum arcet, quo dolor sedaretur, necessariò tamen illis permiscendum est, tum ne promptè inflammentur, omne enim oleum mox vt incaluit, quasi accensum partis calorem auget: tum vt altè illorum vis subeat, alioquin inutilis, tum ne lentore obstructis cutis spiraculis acriores vapores intercludantur, & ægriùs exhalent: quâ ratione nec oui candido, nec frigidis mucilaginibus, nisi fortè ex aceto depromptis, nec aliis emplasticis, nec vehementer adstringentibus hîc vtendi locus est, etiamsi calidis aliarum partium fluxionibus idonea sint.

Repellentia.

Acetum cum oleis miscendum.

Oleum facilè ardorem concipit.

Oui candidum, & frigidæ mucilagines ex aceto depromi debent.

Horum si quid interdum imperatur, id & exiguum sit, & aliorum refrigerantium humore temperatum, vt si lactucæ & cucurbitæ succis, solani paulùlum admisceas. Optima verò sunt iudicanda, quæ in tenui & penetrabili materiâ refrigerandi vim habent. Hæc siquidem foris inducta, altiùs quàm adstringentia frigoris vim deducunt, & capitis ardores doloresque inhibent, seu ex sanguine, seu ex bile prodierint: ple-

Frigida capitis doloribus accommodata.

rum

rumque tamen in iis quos bilis excitârit, paulò vehementior refrigerandi vis requiritur; ad quam interdum, re cogente, narcoticorum medicamentorum paululum accedat. Quanquam autem frigida capitis ardores temperent, conuenientiùs tamen dolores ex sanguine ortos reprimunt, quæ cum frigoris vi siccant, & mediocriter astringunt, vt oleum rof. omphac. Portulaca, aqua rof. & solani, atque succus pampinorum vitis. Eos verò quos biliosorum humorum acrimonia infert, aptiùs sedant simpliciter frigida & humida, vt oleum viol. præsertim, aqua lactucæ, & succus cucurbitæ: proindéque & in permixtione primas obtinent. Principio itaque refrigerantibus & repellentibus vtendum, qualia erysipelatis auxiliantur: deinde his anodyna & digerentia miscere oportet, quæ demum augenda erunt sensim detractis repellentibus. Sed & in his administrandis corporum ratio habenda; mitiora quippe & minùs refrigerantia, pueris, fœminis, imbecillioribus, mollioribus, & natura candidis idonea; quemadmodum & iis quibus capitis ossa non ita solida sunt: tum enim pro rosaceo chamæmel. vsurpandum, aut pares vtriusque portiones cum aceto perexiguo imperandæ. At caluis, & quibus bregmatis ossa firmioribus commissuris, arctioríque compage nexa cohærent, valentiora conueniunt, quæ aceti quadrante sint perfusa. Itaque raso priùs, vel detonso capite, remedia adhibenda sunt. vt & celeriùs penetrent, & declinetur tædium, quod inquinatis capillis relinquitur.

Doloribus à sanguine ortis præsidia accommodata.

Biliosis humoribus quæ maximè conueniant.

Remediorum progressus.

Corporum ratio habenda.

Neque verò temporum obseruatio prætermittenda. Hyeme enim, atque in mitiori dolore tepida subinde admota iuuant: in vehementiori autem cruciatu, & æstiuis ardoribus, frigidissima expetuntur; refrigerandîque vis intenditur arte, & efficacior conquiritur, aut niue ablutis, aut gelidâ aquâ circumfusis remediis, aut in profundo puteo suspensis. Hæc dum admouentur, identidem, ac subinde admouenda sunt, priusquàm incalescant & calorem conduplicent.

Temporis ratio habenda.

His obseruationibus imponenda capiti extrinsecùs repellentia; sed interim cautio adhibenda, ne catarrhi vlla sit suspicio (frigida enim destillationem concitant, & augent:) Néve his dolor instante febrium iudicatione suscitetur, tunc enim repressus grauiore periculo recurrit, quemadmodum, & quivis alius ex febre profectus dolor; qui tametsi frigidis nonnihil leuetur, mox tamen coërcito & intus incluso æstuante multo vapore, pari ferocitate repetit, atque etiam interdum maiore.

Cautio in repellentibus capiti admouendis.

Nihilominùs plerumque doloris vis atque magnitudo hunc primùm lenire hortatur, etiamsi malum prorogetur: túmque priùs ad refrigerantia cordis & iecinoris epithemata confugiendum, ad cucurbitulas, frictiones, odoramenta; & nimiùm, vrgente dolore, qui potiùs ex acrimoniâ quàm copiâ fit, ad oxyrhodinũ, aliáque similia veniendum, nisi

Doloris capitis à febre curatio vt instituenda.

somnus

ſomnus obrepat. Quin & eadem quoque tum neceſſaria, vel præſente catarrho leni, quum acerbus dolor eſt, qui inflammationem minatur. Nec etiam arcenda ipſa ſunt. Cùm ſicca tuſſis ex febrili ardore orta laborantem exercet. At ſi neque febris, neque catarrhus eſt, tantò tutior repellentium vſus eſt.

Præſente plenitudine ſuſpectus repel. vſus.

Qui plenitudine præſente hæc vult remedia adhibere, peruerſo medendi ordine dolorem exaſperat. Quemadmodum nonniſi medentium culpâ, tum venæſectio, aut purgatio, aut cucurbitula illis præmittitur, quum puro corpore capitis dolor irrepſerit, vel ab æſtu, vel ab iracundiâ, vel aliarum externarum cauſarum occurſatione: nam tum reprimentia protinus impoſita iuuant.

Qui dolores nullâ præmiſsâ vniuerſali curatione curandi.

Aptiſſimum in id eſt oxyrhodinum tum ſimplex, tum compoſitum, frigida epithemata, embrochæ, illitûs & frontalia, quæ tum quia ægriùs vim ſuam conferunt, tum quia partis ardore promptiùs incaleſcunt, ideò minùs cæteris proſunt, tametſi vulgo laudabiliora ſint, nec ita calumniis obiecta.

Topica externa.
Frontalium vſus minùs vtilis, ſed minùs calumniis obiectus.

Oxyrhodinum ſimplex.

Frontale.

℞. Ol. roſ. quod præſertim omphacinum recénſque ſit, ℥iiij. (hoc repellit, concoquit, mitigat, & paulum diſcutit) aceti ℥i. (hoc repellit, ſimúlque penetrat & attenuat) Agitentur ſimul, & panni linei imbuti, ac expreſſi frigidè admoueantur fronti & temporibus, & ſubinde commutentur, dum ardor ſimúlque dolor paulum conquieſcat.

Oxyrhodinum compoſitum.

Aliud frontale.

℞. Olei roſ. violar. & nymph. & lactis mulieris, ana ℥i. ſucci lactucæ, aut oxalidis, aut aquæ roſ. ℥iß. aceti ℥i. aut in pueris & mollioribus ℥ß. iſta agitentur. Quòd ſi vehementiùs ſit repellendum, veluti cùm ſanguinis potiùs irruptio, quàm bilis ardor eſt, exempto viol. duplum roſacei pondus inſcribito, aut eius defectu paulum melini, aut myrthini admiſceto, vt accedat aſtrictio. Licet quoque in lactis vicem, mucilaginis altheæ aut pſyllij ex aceto depromptæ parem modum apponere. Hæc eadem externos capitis dolores, & feruidas collectiones inhibent, ſed nullâ aceti permixtione, quòd pars ſit obuia.

Cùm dolor capitis externus eſt acetũ à frontalibus exulare debet.

Aliud, cum vigiliæ infeſtant.

Aliud frontale.

℞. Olei nymph. & papaueris, ana ℥ i ß. lactis muliebris recentiſſimi, cochlear. iij. aceti cochlear. ij. Agitentur ſimul. Probatur quoque in acutis doloribus præſtantiſſimum oleum ex ſalicibus, quod in ſudoribus diaphoreticis conuenientiſſimum.

Oleum de ſalicibus.

Epi

Epithema.

℞. Aquarum ſtillatitiarum ſolani, roſarum, lactucæ, & nymphææ, ana ℥iij. aceti ℥ii. caphuræ, (repellit enim, & facilè penetrat) ʒß. miſce, admoueantur, vt dixi, interdum mixturâ quadam iunguntur olea & aquæ ſtillatitiæ, aut ſucci, addito aceti quadrante, vel ſaltem ſextante, quemadmodum & ſucci aquis diluuntur, eadem aceti perfuſione. Valentiora comparantur ex recentium herbarum, præſertímque lactucæ, ſolani, pampinorum vitis, ſemperviui, aut pſyllij, cucurbitæ, (quæ præſtantiſſima eſt) portulacæ, & polygoni expreſſis ſuccis, adiecto pari aceti modo, qui linteolis, ſint excepti. Quinetiam has ipſas herbas tuſas veteres imponebant cataplaſmatis ſpecie, aut intrita ex aceto & roſaceo hederæ ſalicíſque folia, aut ex refrigerantium ſuccis, & hordei expurgati farinâ, ſine igne permixtis & agitatis ad pulticulæ craſſitiem. Sed hæc vt nimiùm craſſa & corpulenta, minùs probauerim.

Valentiora epithemata pro capite.

Cataplaſmata antiquis vſurpata pro capite.

Improbatur vſus cataplaſmatum.

Irrigatio, quæ etiam vigilias & deliria ſedat.

℞. Hordei mundi p.i. foliorum lact. ſolani, ſalicis, pampinorum vitis, ana m.j. ſeminis lactucæ, melonum, cucurbitæ, papauer. albi, & corticis eiuſdem, ana ʒß. florum violarum, roſ. nymphææ, ana p.ii. fiat decoct. ad ℔iß. cui ſub finem adde aceti ℥iii. frigidè, aut (ſi acetum, ob vigilias dempſeris) tepidè foueatur ſynciput per ſpongiam, raſis priùs aut ſolùm præciſis capillis; vel ab alto ſtillante liquore irrigetur. Ita quippe faciliùs medicamentorum vis intrò ſubit, atque illac cerebrum per commiſſuras, remediorum commoda celeriùs experitur.

Frontale quod ſomnum accerſit.

℞. Florum violarum, nymph. & roſ. ana p.i. coriand. præparati ʒiii. ſeminis lactuc. ſeminis papaueris albi, & corticis eiuſdem, ana ʒii. ſantal. omnium, ana ʒi. gran. tinctorum, ʒß. pulueriſentur, & cum ſerico rubro raro concinnetur frontale interpunctum: quod excepto priùs vapore aquæ roſ. cui aceti tantillum inſit, admoueatur fronti & temporibus. Huic melonum ſemen tuſum, aut pſyllii integrum (nam parte externâ refrigerat, interiore calefacit, authore Meſuæo, & totâ Arabum familiâ) vtiliter adiicitur: Aut hyoſcyami albi, cùm cætera parum iuuant; difficilis enim eſt per ſolida oſſa in partem profundam tranſitus, quo medicamentorum vis non parum infringitur. Hic puluis etiam commodè oui candido, vel potiùs pſyllij mucilagine, ex aquâ roſarum & aceto depromptâ,

Aliud frõtale.

lib. 2. cap. 20

vel frigidis herbarum ſuccis exceptus, fronti & temporibus imponitur. vt

Puluis pro frontali ſoluendus cum oui albumine, ſuccis aut ſtillatitiis herbarum liquoribus.

℞. Seminis papau. albi, ſeminis lact. cucurbitæ, & pſyllij, aut portulacæ, ana ℨiii. contundantur omnia, & cum aquâ roſ. & nymphææ, aut violarum, aut ſucco lactucæ, referantur in formam pultis, quæ inducta linteolo applicetur fronti & temporibus. Si ne tum etiam dolor miteſcit; validiore præſidio eſt opus, præſertim in ardore ſummo, & intolerabili cruciatu, cum exquiſito partis ſenſu, quem tum narcoticis, tum incraſſantibus aſſumptis obtundere oportet.

Illitus.

℞. Vnguenti roſati, & populei recentis diligentiſſimè aceto lotorum, ana ℥iß. olei viol. aut nymphææ, aut ſalicis, ℥i. miſce, illinantur tempora & frons ſuperappoſitis cucurbitæ aut nymphææ, aut ſalicis, aut vitis, aut lactucæ foliis. Hæc eadem vigiliis, delirio, & phrenitid. accommodantur, quibus interdum, vbi ad extrema ventum eſt, opij g̃. ii. croci g̃. i. aut potiùs nucis moſchatæ g̃. ii. (quia ille dolorem auget) correcta, neceſſariò admiſcere cogimur; ſed iis vti, niſi nimia neceſſitas cogit, non expedit. At tutior eorum vſus, quæ verè anodyna & paregorica ſunt, quæ tum demum opportunè adhibentur, cùm priùs repellentia aliquoties admoueris; etenim natiuum calorem fouent, acres & mordaces humores temperant, laxant, digerunt, mitigant, & leniunt. Itaque vel lac proprio calore tepens, quod etiam ſomnum conciliat; vel mucago ſeminis althææ cum aceto extracta, vel ſi caput ardore flagrat, mucilago ſeminis pſyllij integri ex tepente aceto deprompta, aut cum oxyrhodino temporibus frontíque impoſita, dolorem mitigabit. Verùm iis ſimilia, phrenitidis curatio ſuggeret, quemadmodum & potiones ſomniferas, & odoramenta, quæ ſimili facultate polleant. Interim tamen optimum in vehementiore capitis ardore, qualem bilis profert, caphuram aquâ roſ. ſolutam, aut ſi illius ſiccitatem, quâ ſomnum arcet, veremur, lacte maceratam olfactandam exhibere, vel etiam naribus indere: vel interiora narium oleo papaueris, & violato vnà commixtis, actúque frigidiſſimis illinere, aut oleo ex ſemine cucurbitæ & nymphææ. Si adhuc etiam inuictus dolor acerrimè torquet, neceſſe erit opij & caphuræ, ſingulorum gr. j. olei violati ℥i. ſolutum, in nares parcè, non autem in aures demittere; hoc enim periculoſiſſimum eſt. Sed nec in nares tutum, ſatiúſque fuerit, ſupraſcripti ad irrigationem decocti vaporem per nares inſpirare, aut roſaceum aquæ roſ. ſine aceto immixtum prono capite haurire, aut aliquod eorum quæ iampridem recenſuimus, aut nodulum & roſis in aceto & roſaceâ madefactis ſæpe naribus adhibere: aut ſpongiam in decocto rerum quæ conueniunt immergere, exprimere, admouere; hæc enim omnia adeò tuta ſunt, vt etiam dolorem rheu

Quò diutiùs vigiliæ perſeuerauerint, eò mitiora hypnotica, aut narcotica imperanda, quæ medendi lex ſæpe medicos incautos neglecta fefellit.

Odoramenta.

Narium interiorũ litus

Errhinum refriger.

Spongia decocto imbuta olfacienda.

rheumatiſmo implicitum innoxiè ſedent. Cæterùm tamdiu vſurpanda ſunt refrigerantia & reprimentia, quamdiu dolor increſcit: poſtea verò illis ſenſim calidorum & diſcutientium nonnihil admiſceri par eſt: hinc ſenſim ad ea tranſire, quibus miſtæ inſunt vires, dum tandem potentior digerentium facultas eluceſcat & dominetur. Quocirca oxyrhodino myrtini olei, vel chamæmel, vel anethini, vel nardini, vel amygdalarum amararum, vel ſambucini ſextans, quadrans, triénſve, tandémque dimidium permiſcendum. Neque tum quidem oleo irino, aut è ſpicâ vti licet; odoratiora enim ſunt, nec niſi ſtatûs vehementiâ miteſcente tuta eſſe poſſunt. Itidem in decoctis, & pulueribus factitandam: in quibus betonicæ, meliſſophylli, aut ſaluiæ, aut ſerpilli, aut ſampſuchi, & florum chamæmeli, aut meliloti, aut ſtœchados, aut roriſmarini, aliorúmve tantillum, quæ frigidis capitis doloribus propria ſunt, aliis addendum, ſenſim aucto modo, dum & humorum reliquiæ prorſus diſcutiantur, & cerebrum vi dolorum infirmatum corroboretur, quod in conſuetis & inueteratis capitis doloribus inprimis eſt neceſſarium. Cùm enim à vaporibus humoribúſque in caput ſublatis, vel etiam illic genitis, reliquiæ quædam ſuperſunt, quæ cutis ſpiraculis impactæ hærent, ac capitis dolorem fouent, aut renouant, non roſaceo, ſed tum primùm chamæmelino eſt vtendum moderatè calido; deinde irino, neque tum metus eſt nouæ fluxionis proritandæ. Ita quidem rectè Archigenis præſcripto, irrigationes ex rutâ virente, oleo & aceto intritâ, capitis dolores quacunque ex cauſâ ortos diſcutiunt: ſic ſerpillum, etſi acre, calidum & ſiccum, cum oxyrhodino tamen impoſitum; dolores etiam à cauſâ calidâ illatos ſedat; quod & ocymum præſtare tradunt, & cardamomum (cubebæ ſumendæ ſunt) torridum læuigatúmque aceto & roſaceo: vel fermentum cum aceto: vel iridem aridam cum roſaceo, vel ſampſuchum ex vino & roſaceo. Prodeſt quoque fronti & temporibus inductus panis cum perſici foliis ex Paulo. Loco foliorum ſumi poſſunt nuclei, vel cum amygdalis amaris, vel mentha, cui pulegium ſit adiectum. Sic pulſatiles dolores mentha rutáque cum pane difflat, roſaceo ſuperaddito. Hæc veterum experimenta ſunt, quorum obſeruatione non erit difficile, digerentia in quamlibet formam concinnare; ſed ea in omni vetuſto capitis dolore magis ſunt neceſſaria, quàm in eo qui ex ſubitâ cauſâ contrahitur.

Facultates topicorum in capitis dolore, vt variandæ, pro morbi ipſius tempore.

Oleum anethinum inter calida ſolum ſomnum conciliat.

Calidorum vſus in topicis quandonam tutus.

Galen. lib. 2. κτ̀ τόπȣς, c. 1. n. 10.

Ocymi ſuccus, vrticæ, & porri, præſtantiſſima ſunt ad ſiſtendam hæmorrhagiam

Paul. lib. 3. c. 4.

Paul. lib. 2. c. 44.

Digerentia, quæ inueteratos capitis dolores, & conſuetos finiunt.

℞. Olei roſ. & chamæmelini, ana ℥ i ß. ſucci cucum. agreſt. ℥ i. aceti ℥ ß. agitentur ſimul. Vel: *Epithema diſcutiens.*

℞. Olei roſ. irini, & rutacei, aut liliorum, aut ſicyonij, (quod fit ex *Aliud.*

rad. cucum. agrestis, & præstantissimum est in cholicis doloribus) ana ℥iß. aceti, aut vini albi ℥ß. misce. Aut:

Vnguentum discutiens.

℞. Olei aneth. aut chamæm. ana ℥ ii ß. florum chamæmeli, meliloti, stœchados, rorismarini, & sambuci, ana ʒ i. nucis mosch. & macis, ana ℈i. ceræ perexiguum, ad vnguenti formam, addito pauco aceto, aut in extremâ declinatione, vino albo. Si magis contumax & diuturnus dolor est, proderit, agrestis cucumeris rad. concisas, adiectâ absynthij comâ hydrelæo incoquere, eo caput fouere, superimpositâ materiâ, (magma vocant.) Aut:

Fotus discutiens pro capite.

Alius.

℞. Ros. rub. violarum, florum chamæmeli, stœchados, rorism. & comarum anethi, (hoc enim discutit, dolorem sedat, & somnum conciliat, licèt calidum, quòd vapore caput oppleat) ana p. i. betonicæ, melissæ, sampsuchi, ana m. i. serpilli & pulegij, ana m. ß. vel rutæ tantundem, (quæ tum maximè prodest, cùm flatulentus spiritus aut pulsantem, aut distendentem dolorem infert) cyperi, calami odorati, vel rad. peucedani, & seminis lini, ana ℥ ß. hord. p. i. fiat decoct.

Puluis pro cucupha.

Digerentia cerebrum corroborant.

Ex iisdem puluis comparabitur, loco hordei & lini, supposito coriandro ad cucupham, aut frontale; sed tum arefactis herbis vti oportet: aut aloë rosaceo & aceto liquata fronti & temporibus adhibetur, adiectâ si vis fabarum farinâ. Hæc eadem cerebrum corroborant, quapropter iis vsque ad perfectam curationem vtendum est.

Præstat puluerum cephalicorum vsus cucuphis, quòd pauco tempore sordium maximam copiam cucupha contrahat, quæ medicamenti vires eneruat, & caput lædit: puluis autem inspersus, post vsum detersus, tandem repetitus commodiùs operatur.

Puluis cephalicus, & cucupha.

℞. Coriandri præparati ʒ iij. betonicæ, melissæ, sampsuchi, ana ʒij. ros. rub. florum chamæmel. meliloti, & stœchados, ana ʒ i ß. macis, grani infect. & granorum myrthi, ana ʒ i. caryophyllorum, mastichis, ligni aloës, si haberi possit, ana ℈ ij. fiat puluis, qui parti capitis anteriori inspergatur: aut cum serico rubro coaptetur in cucupham intersutam.

In vniuersum quæcunque mitiora dolores pituitosos sedant, eadem rectè in horum declinationibus possunt accommodari. Hoc ipso tempore etiam capitis frictiones iuuant, quæ tum panno aspero, tum pectine, tum spongiâ nouâ fiunt.

Multos venarum & arteriarum temporalium sectione curauimus, qui laborabant vertigine.

Ita quidem per capitis commissuras humorum reliquiæ deriuantur: per nares verò, si à sanguine dolor est, vel sponte, vel porcinis setis, folióve borraginis, aut ficulneo, aut millefolio, aut alio quovis irritatis naribus profusus sanguis dolorem soluit; perinde ac in contumaci dolore extremo naso affixa hirudo, aut ponè aures, aliísque venis quæ quauis capitis parte prominent. Sed interim animaduertendum, quâ parte dolor magis vrgeat, maior sit rubor, tumor, distentio, pulsatio, vt è regione capitis vena aperiatur. At si à bile processerit, mitioribus errhinis tollitur, & apophlegmatismis expurgatur cerebrum, quibus non antè vtendum, quàm vniuerso corpori prospexeris.

Errhinis, ante vniuersalia remedia, abstinendum.

Errhi

Errhinum.

℞. Succi anagallidis purpureæ, ſucci ſampſuchi, aut betæ, ana ℥i. mulſæ ℥iij. miſce, hauriantur prono capite. Aut:

℞. Succi roſ. ℥ij. hydromelitis ℥iiij. vel ſyrupi roſ. laxatiui ℥ij. decocti hord. ℥iiij. miſce pro errhino. Potentiùs id efficit, admixta diagridij ʒ ß. cuius acrimoniâ ſi dolor excitetur, tepente lacte quàm mox ſedabitur, ardórque roſ. aut plantag. aquâ reſtinguetur. Aut: *Aliud.*

℞. Succi rad. liliorum, & ciclæ, ana ℥iß. aquæ ſampſuchi, & hydromelitis, ana ℥iiij. florum ſtæchados, & mannæ recentis, ana ʒij. leniter efferueſcant, & percolentur ad errhinum. *Aliud.*

Idem præſtat odor aceti, cui caſtorei tantillum inſit: hoc ſternutamentum mouet.

℞. Cinnamomi, zinziberis, piperis, ſingulorum parem modum: Conterantur & inſpirentur. *Puluis ptarmicus.*

℞. Nigellæ ʒ i. florum roriſmar. ℈ i. pulueris ellebori albi ℈ ß. fiat puluis tenuis. *Alius.*

Huic rei vtile eſt maſtiches grana quædam mandere, aut oliuæ nucleum, aut crudi linteoli fragmentum, potiſſimum in materiâ calidâ, ore voluere, ſic vt ſaliua reiiciatur: aut ſi craſſior bilis eſt, carpeſium, & piper, aut aliud ex mitioribus, quæ deinceps ad pituitoſas cæphalalgias proferemus. Hæc in cephalalgiâ quidem nonnunquam (ſæpe enim celeriùs euincitur,) in cephalæâ verò ſemper ſunt neceſſaria, quibus vel iteratis plerumque etiam non cedit. Ergo tum ad extrema veniendum: ſed ante hæc apertæ hæmorrhoides ſæpius profuerunt, atque ex interuallis repetita purgatio, quæ bilem craſſiorem maiore doloris tranquillitate detrahat. In extremis autem habetur, cauſtico medicamento, aut candente ferro capitis verticem leniter inurere, quâ parte ſuturæ inuicem in angulum coëunt; ſed id raró & cum præmeditatione faciendum: quemadmodum & ſectio arteriarum ponè aures deliteſcentium, aut in temporibus micantium, quæ inueteratos capitis dolores calidos pulſantes ſpiritúque plenos, perinde, ac deſperatas vertigines, non raró perſanauit. *Apophlegmatiſmi.* *Cephalææ variis perdomanda præſidiorum generibus.* *Extrema cephalææ remedia.*

FRANCISCI FEYNEI,
PRACTICÆ MEDICINÆ LIBER SECVNDVS,
De Morbis capitis.

SECTIO PRIMA,
De Morbis cerebri.

CAPVT PRIMVM
De Cephalalgia, Cephalæa & Hermicrania.

Aphor. 5. s. 6.
Causa dolorum capitis in genere.

DOLORES capitis, laterum & aliarum partium quantum præualeant, differántve considerandum. Dolorum differentiæ ex varietate causarum, & affectæ partis natura depromuntur. Causæ in vniuersum intemperies, & continui solutio. Intemperies quidem calida vel frigida, eáque modò solitaria, modò humoris particeps. Ab illis enim vel simplicissimis qualitatibus summi dolores commouentur; quòd potentissimæ sint, & imprimis efficaces, maximè verò calor. At siccitas, & humida qualitas infirmiorem vim habent, quàm vt solæ ac per se dolorem inferant. Causa interior quæ intemperie afficit, vaporum aut humorum qualitas est ipsam fouens. Vix enim sola intemperies doloris effectrix ex interiore causa proficiscitur, citra humoris vitium. Externæ verò sæpiùs solas qualitates impertiunt, earúmque vi dolorem excitant, breuem quidem. Sed interdum vehementem, qui vel frigore, vel igne, vel Sole, vel fumo, vel graui odore, aut violento motu contrahitur, denique vel vino, vel cruditate, quæ iam dolori materiam suggerunt, ac in euidentibus causis primas tenent. Porrò continui solutionem facit humorum, vaporúmve aut copia, aut acrimonia: horum quippe vitium meningum distensione vel exesu doloré excitat. Quemadmodum extrinsecùs quidquid secat, contundit, diuellit, perforat, & vrit, id corpus dissoluit. Doloris autem species, seu proprietas, effectricem

Cels. c. 2. l. 4.

Species dolorum, & quæ cuiusque causa.

cem ſui cauſam coarguit. Dolor inflammans, intemperiem calidam: ſtupefaciens,ſeu obtuſus frigidam. Ab illa,atque omninò à calidis cauſis cruciatus repentè inuadunt, & acerrimi ſunt, ſed breuiores; ab hac lenti & diuturniores. Dolor mordax, erodens, & quaſi aculeis compungens,aut humorum,aut vaporum acrimoniam. Grauis,humorum plenitudinem, & quidem ſæpius frigidorum pituitoſorúmque copiam: hic noctu ferè ingraueſcit. Pulſans,cùm ſanguis tenuis & calidus,aut ſpiritus feruentiſſimus cerebri arteriis coërcitus, fit doloris cauſa (qualem ſæpe febris circa tempora adfert. Quandoquidem arteriæ, ſanguinis vaporúmque feruidiorum copiâ diſtentæ, vehementiùs pulſant, membranáſque concutiũt, & multum calidi ſpiritus in cerebrum effundnnt. Dolor diſtendens à flatuum,vel mitiorum humorum exuperantia, qui membranas aut interiores,aut externas diſtrahunt,& à cranio diuellunt. Sed flatúſne ſit, an humor, ex aliis diſcernendum. Diſtenſio pulſationi connexa,multum ſpirituoſum ſanguinem deſignat,qui inflammationem accendit, vel minatur: grauitati autem implicita mitiorum humorum copiam, qui inter membranas ſe inferunt. Vix enim acrium diſtendentem copiam natura perfert ſine pulſu, & ſine grauitate flatuum exuperantiam. Itaque dolor pulſans à feruido ſpiritu,acerrimus à bile, mitior à ſanguine,hebes à pituita, à melancholia,à flatu,niſi cùm copiâ diſtendunt: ſed hic citra grauitatem. Si verò etiam humor quiſpiam putreſcit, iam cum dolore febris, & inflammatio, & mentis alienatio eſt. Quinimò dolores omnes modò cum febre, modò ſine hac ſunt. Quoniam autem illa nondum ſatis conſpicuè doloris cauſam proponunt, exuperantis in capite humoris ſigna ſunt adiungenda. Si caput ſanguinis copiâ premitur, id præter conſuetudinem incaleſcit, faciei, oculiſque rubor adeſt,& in iis venæ eminent,atque diſtenduntur, temporum arteriæ validè pulſant, ſomnus in promptu eſt, niſi ſanguis acrior ſit, nec tamen adeò profundus nec inquietus, nec inſomniis alienis agitatus, animi mores placidi. Bile exuperante, caput quoque & acriùs calet, ſed faciei color pallidus aut flauus, niſi febris adſit, vigiliæ vrgent, in iracundiam, in audaciam, in vindictam propenſio, celeres, & expediti animorum corporiſque motûs, ſensûs acuti, ingenium eximium. Si pituita congeſta eſt,facies ſubtumida,& decolorata eſt, nec caloris ſenſus ineſt, niſi putredo acceſſit, animi mores, omnéſque corporis motus tardi, ſenſus hebetes, fluxa memoria, ſomnus profundus, atque grauis.

Gal.lib.1.ad Glauc.c.14. §.1.

Fernel.c.10. lib.2.pathol.

Celſ.ibid.

Signa exuperantium in capite.

1.Sanguinis.

2.Bilis.

3. Pituita.

Si præterea flatus plurimus continetur, tenſiui dolores in varias capitis partes euagantur,frequens aurium tinnitus, & partium faciei palpitatio. Melancholia cerebrum occupans, metum, triſtitiam ſomnum turbulentum, inſomnia, terroréſque incutiet, facieíque color fuſcus, obſcurus, & nigricans aderit. Huc accedit corporum habitus, & pulſuum,vrinarum,excrementorúmque cerebri obſeruatio,& prægreſſarum cauſarum quæ cuiuſque humorum exuperantiam efficiunt. Etenim ex inſi

4.flatuum.

5. Melancholia.

insito totius corporis, maximéque capitis temperamento, suppressis euacuationibus, anteactâ victus ratione, regione, anni tempore, cœlique statu, causa certiùs agnoscitur.

Alia diuisio dolorum capitis, ratione subiecti.

Cæterùm dolor varias capitis partes obsidet, modò caput totum, modò dextram, sinistrámve partem occupat. Nonnumquam aut tempora, aut frontem, aut omninò priorem capitis regionem, cuiusmodi ferè est quicunque ex febre suscitatur. Aliàs aut in occipitio, aut in vertice, aut circum aures figitur, peculiarem causam habens in capite; interdum etiam angustiore loco terminatur, & claui infixi modo excruciat, qualem aut maligna humorum congestio, aut ossis caries, aut subiectum pus excitare potest. Quin & dolor omnis, aut internus est, aut externus: huius causa extra caluam est, eáque sæpiùs frigida & pituitosa, vel sub pericranio, vel inter id, extimámque cutem densissimam collecta. Dolor hic contactu, inuersisque capillis intenditur. Internus verò mitescit ac profundior est, sæpiúsque ad oculorum radices pertingit; quò etiam qui sub pericranio causam habet, porrigitur; sed obtusiùs, quòd meningum, quàm pericranij acutior sensus sit.

Signa doloris externi capitis.

Signa doloris interni.

De Cephalæa & Hemicrania.

Quid Cephalalgia.

Quid cephalæa.

Quid Hemicrania.

Iam verò capitis dolor aut recens est & dissipabilis, aut inueteratus & peruicax. Illum, omnémque capitis dolorem, generis appellatione, cephalalgiam: hunc si caput totum comprehendit, cephalæam; si alteram partem, Hemicraniam vocant. Vterque hic affectus constans, diuturnus & consuetus dolor capitis, qui occasione, vt strepitu, clamoribus, lucis splendore, vini potu, odore caput implente, motu, vehementer, ac frequenter exardescit. Causa altis radicibus defixa pertinacissimè hæret, nec facilè euelli potest. Atque hæc ferè crassa est lentáque pituita membranis impacta, & crassior flatus arctè conclusus, qui illas miserè distendit, tum maximè cùm exagitatur. Interdum quoque tenuior sanguis, feruidúsque spiritus in meningum arteriis conceptus hunc dolorem ciet, specie quadam ferientis mallei. Hic quemadmodum in cephalalgia caput omni affectioni obnoxium est: sed in cephalæa, longa capitis imbecillitas per hominis ætatem est. Quibus cerebri substantia, vel membranæ, naturâ morbôve imbecilliores sunt, aut exquisitiori sensu præditæ, ij quauis ex causa dolore rursus tentantur: quamobrem pertinaces ij capitis dolores plerumque succedunt diuturnis febribus, & aliis grauioribus morbis, quorum vi cerebrum eiúsque meninges imbecilliores euaserunt. Imbecillitas siue ex intemperie, seu ex dissoluta cerebri substantia prouenerit, tum gignendis excrementis comparata est, (quæ aucta dolorem remouent) tum omni affectioni promptissimè patet. Eximius verò & acutior sensus nullam exuperantiam citra offensionem sustinet, hincque acerrimè lacessitur.

Caussa cephalææ, ac Hemicraniæ.

1. Idiopathicæ.

Cels. c. 2. l. 4.

ceſſitur. Sic quibus meninges raræ ac laxæ ſunt, exquiſitè adeò ſentiunt, vix vt odores perferant; hos ſæpe acerbiſſimi dolores torquent. Atque ea quidem cephalææ ſcaturigo, & occaſio eſt. Quod ſi prætereà totius corporis aut viſcerum conſtitutio accedat, ex qua cerebrum facilè aut humorum copiâ impleatur, aut vaporatione tentetur, ſæpius dolores fatigabunt. Iis autem facilè impletur, qui ſtomachici ſunt, ac frequenti cruditate laborant: Quibus iecur exæſtuat, & plurimam bilem in ventriculum refundit: quibus venæ & arteriæ plurimo calido ſanguine, ſpiritúque turgent. Maximè verò cùm capitis conſtitutio calidior eſt, & ſuſcipiendis vaporibus obuia. Ex iis igitur perſpicuum euadit, capitis dolores aut proprio ipſius affectu, aut ſubiectarum partium conſenſu fieri. Cephalæas tamen fixam & propriam in capite cauſam habere. Iam verò caput primariò affici tunc intelligitur, quòd dolor ſine præcordiorum affectione fatiget, quódque conſtans ſit & continens, neque alterius partis affectu increſcente augeatur, neque remiſſione leuetur: ſed quouis alio ſublato perſiſtat. Contraria συμπάθειαν teſtantur, túmque ſigna quædam eluceſcunt affectæ eius partis, è qua doloris eſt origo.

2. Sympathica.

Signa idiopathiam arguentia.

Signa ſympathici doloris.

Curatio.

Capitis dolores, qui aut acriores ſunt, aut diutiùs perſeuerant, vel potinùs ſedari debent: ne aut acrimoniâ vigilias, deliria, phrenitidas; aut diuturnitate ſoporem, ac mentis ignauiam adferant. Quocirca ne doloris magnitudo, vel mentis vel corporis vires infirmet, occurrendum imprimis ſymptomati vrgentiori, vel etiam interdum perſiſtente cauſa. Cùm autem capitis dolor, præſertim qui conſuetus eſt, vt & plerique alij affectus, quibuſdam temporum interuallis exacuatur, remittatúrque, alia quidem excandeſcenti, alia remiſſo recurſuróque dolori adhibenda medendi ratio. Quum enim ſæuiſſimus dolor viget anodynis, & propriè paregoricis leniendus eſt; quum verò intermittit, aut remittit, ac nihilominus ex corporis diſpoſitione recurſurus metuitur, iis quæ doloris cauſam excindunt, remediis finiendus. Quoniam ergo quæ cauſam vel ſummouendo, vel compeſcendo, & qualitate contraria temperando mitigant dolorem, id curandi lege efficiunt, ac verè dolorem vincunt, de iis notis eſt agendum. Ea tamen obſeruatione, vt inter hæc anodyna ſubinde imperentur, tum præſertim cùm dolor excruciat, & vbi adhuc crudeliùs ſæuit, narcotica. Cauſam quidem ſummouent, quæ contra copiam & vitium materiæ adhibentur, vt phlebotomia, cathartica, clyſteres, errhina, ſternutatoria, maſticatoria, aliáque vacuandi præſidia. At contrarietate, repreſſa qualitatum exuperantia, dolorem ſedant oleum laurinum, in refrigeratis; violaceum, calefactis; hydrelæum, ſiccatis; ſinapiſmus, vbi pars humore nimio elangueſcit. Anodyna verò propriè dicuntur, quæ tum

Vrgentioris cuiuſque primùm habenda eſt ratio.

Curatio alia in paroxyſmo, alia extra illum.

Cauſam doloris oppugnantia.

Anodyna propriè dicta, ſeu paregorica.

ſubſtantiæ, tum qualitatum mediocritate, vel temperato & familiari calore naturæ partium conſentiunt, vt oleum chamæmel. anethinum, lac, aliaque iis ſimilia. Notant & aliud falſum genus eorum quæ ſtupefacto ſenſu dolorem obtegunt, quòd torpore inducto, vrgentior illius cauſa percipi nequeat, Narcotica, & Carotica appellantur. Quæ omnia vt particulatim ad leuandos dolores referantur, exponamus.

Narcotica ſunt pſeudoanodyna.

Cephalæa, & Cephalalgia, à ſanguine, à bile, à feruido ſpiritu, & ab ardore.

Doloris cauſæ multiplices ſunt, pro quarum diuerſitate diuerſa inſtituenda eſt curandi ratio, ac cuiq; humorum vitio propria deſignanda. Si in ſanguine aut bile vitium eſt; Primum illius exuperantia, venæ ſectione; huius, purgatione exhaurienda: vtriuſq; feruor ſedandus, & acrimonia frigidis retundenda: vtriuſque impetus auxiliis tum reuellentibus, tum repellentibus coërcendus, quæ ſurſum irrumpentem humorem retrahant & retrudant, quandiu dolor aut increſcit, aut viget. Qui cùm acerbior eſt, quàm vt ferri poſſit, anodynis ſubinde eſt demulcendus, atque interdum narcoticis. Deinde euacuatione, reuulſionéque præmiſsâ, cùm iam dolor conſiſtit, nec ampliùs increſcere videtur, quod capiti eſt impactum, per ductûs peculiares deriuandum, diſcutiendumque eſt. Poſtremò quæ cerebrum roborent, & ſingulari dote iuuent, adhibenda. His vniuerſim curationis ſumma comprehenſa eſt, vt euacues, & temperes, reuellas, & repellas, deriues, atque reſoluas, iis quæ ſimul roborent. Nunc pleniùs ſingula explicemus, quandoquidem vniuerſales curationis ſcopos, ratio; materiæ verò facultates experientia commonſtrat.

Curatio doloris capitis à ſanguine aut bile.

Scopi medela huius.

Primùm igitur venter molliendus clyſtere leni, atque etiam acriore, ſi biliosa cauſa eſt. Etenim ſuperiora conſecutione exonerat, & reuulſionis vi non parum confert.

℞. Maluar. alth. viol. acanthi, helxinæ, mercur. fol. lactucæ, & cucurb. ſi tum virent, an. M. j. (aut foliorum defectu, raſuræ cucurb. ℥ij.) prunorum dulcium, par. xx. quatuor ſen. frig. maior. contuſorum, an. ʒiij. aniſi. ʒ. j. florum viol. & nymph. an. p. ij. fiat clyſt. ad lib. iß. in grandioribus: alioqui ad lib. j. & in colato iure diſſ. caſſiæ fiſt. recenter extractæ, aut diaprun. ſimpl. ℥j. aut ℥iß. (aut ſi bilis exuperat) ſolutiui ʒvj. mellis viol. & ſacch. rub. an. quart. ß. ol. viol. ℥iij. fiat clyſt. cui ſi deterſione eſt opus, hordei vel furf. p. vnus conuenienter accedet. Hic & quamprimùm, & deinceps ſæpiùs iniiciatur, quoties aluus ſuppreſſa dolorem commouet & ingeminat.

Clyſter emolliens.

Iniecto ac reiecto clyſtere, ſanguis detrahatur, ſed id niſi intolerabilis eſt dolor, ſuperuacuum eſt. Cùm verò acutus eſt, aut ſupra conſuetudinem intenditur, aut alioqui plethora, febris, vulnus, aut inflammatio eſt, ſecanda humeraria cubiti dextri vena, ſi nihil obſtet, (quemadmodum vbi ex ſuppreſſis eſt menſibus, aut hæmorroidibus, ſaphæna)

Phlebotomia. Celſi verba, cap. 2. l. 4.

ſaphæna) & ſanguis pro copiæ & vitium ratione mittendus. Abundantiùs quidem ſi exquiſita eſt ſanguinis plenitudo; reſtrictiùs verò, ſi bilis ſanguini permiſta, aut potiùs bilioſus ſanguis capitis ardorem facit. At ſyncera bilis vel flaua, ſeu vitellina, ſeu æruginoſa illa ſit, ſeorſum quauis ſede ſit derelicta, exhauſto ſanguine, tanquam fræno ſoluto, ferociùs ſæuit. Tum ergo præſtantior, accommodatiórque purgatio; præſertim ſi oris amaror, ventriculi eroſio, & faciei pallor adeſt, nec venæ ſanguine turgeſcunt. Si poſtero die dolor remanet, non alienum blando medicamento aluum ducere, citra inſignem vllam humorum exagitationem. Nam & permittitur in plethora iam imminuta lenis purgatio, quæ bilis portionem detrahat, in quam ſanguis efferueſcens facilè degenerat.

Purgatio.

℞. Trium flor. communium, an. p.1. prunorum num.10. quatuor ſem.frig. an.ʒj. tamar. electorum ℥.ß. coquantur ad ℥iiij. In colatura diſſ.caſſiæ recenter extractæ,℥j.ſyrupi viol.℥ß. aut in caſſiæ vicem, manneæ recentis,℥iß. ocyùs tamen inflammatur. Caſſia etſi multum vaporem, mitiſſimum tamen in caput emittit. Hanc ſi quis veretur, ſyr.roſ.laxantis ſeſcuntiam ſubſtituat; ſin minùs hoc modo concinnetur in bolum.

Potio purgans blanda.

℞. Caſſiæ fiſt ʒ.x.cum ſaccharo fiat bolus, in recenti dolore & mollioribus accommodatus.

Bolus purgãs

Iam quæ feruidiorem ſanguinem frænant, æſtuantémque bilem compeſcunt, proponamus; cuiuſmodi plurima in febrium curatione explicantur. Hæc tamen è compoſitis præcipua ſunt: Syrupus violatus, roſ. ſimpl.ſyr.oxalidis, oxyſacch.ſimpl. ſyrupus è granatis, Nymphææ. Atque vigiliis infeſtantibus, ſyrupus è papau. & cùm extenuatione & penetratione eſt opus, vt in bile vitellina, quæ etſi acris, craſſa tamen eſt, ac tenax; ſyrupus acetoſus ſimpl ex, ſyrupus è limonibus, è ſucco citrij, ſyrupus endiuiæ ſimpl. & compoſitus, ſyrupus è cichorio, & ſimilis qui ſtillatitiarum aquarum, aut refrigerantis decocti duplo ſunt diluendi, hac formulâ.

Bilem præparantia.

℞. Oxyſacch. ſimpl. ſyrupi viol. & è Nympheâ, an.℥ij aquarum cichorij, acetoſæ, & roſarum, an. ℥iiij. pul. triaſant.ʒj. miſce, fiat iulepus clarificatus ad tres doſes, vt cuiuſque ſint ℥vj. (non enim hîc minorem alterantium quantitatem probauerim) Aut dempto puluere, quotidie tabula vna triaſantali, hauſto iulepo ſuperdetur, vel etiam antè. Sic quoque ex decoctarum herbarum iure, quod præſtantius eſt, cùm tempus illas virentes non denegat.

Iulepus refrigerans, ex aquis ſtillatitiis.

℞. Totius intubi, oxalid.lactuc.portul.endiuiæ, ſcariolæ, & hepaticæ, an.M.j. prunorum, myxar. & tamar.an. ℥j. quatuor ſem.frig.mai.contuſ. an.ʒiij, ſeminis acetoſæ & portulacæ, an.ʒiß. aniſi ʒiij. granor. berber. num.xx. flor.viol.& Nymphææ, aut roſarum, ſi tum vigent, an. p.ij. fiat decoctum, & in colaturæ quartas quinque diſſ. ſucci punici mali ℥iiij. ſacch. albiſſimi q.ſ. fiat apoz. clarif. & aromat. cum ℈ij. pulu. triaſant. aut ſant.albi, & citrini, an.℈ij. Diſtribuatur in quatuor dies.

Iulep. refrigerans, ex decocto ſtirpiũ.

Si Vigiliæ vrgent, sem. papau. alb. semuncia vtiliter incoquitur. Si crassior bilis est, vt vitellina, & ea quæ pituitæ permistionem habet, dempto granatorum succo, aceti vnciæ duæ opportunè supponentur, & decocto radices graminis, aspar. rusci adiicientur, substituentúrque agrimon.& adiantum loco portul.& lactucæ.His ita represso humoris æstu, si pura simpléxque plethora fuerit, pleniori purgatione non est opus: si verò biliosa, perfectior etiamnum est necessaria purgatio; quæ bilem vtcunque domitam propriè detrahat. Licet tamen, si tenuis ea sit,nec obstructæ viæ,statim initio, antequàm ægrum tam immaniter iactet,nullis incrassantibus præmissis pleniùs expurgare: Deinde syrupos incrassantes & roborantes exhibere: futuram enim purgationem retardat frigida vis: quâ tamen interdum bilis acrimoniam obtundere, & si feruentior est, ante purgationem frænare cogimur. Quapropter accommodatum purgationis tempus, acri synceróque mentis iudicio, decernendum & eligendum est.

Potio cholagoga paulò vegetior.

℞. Decocti præscripti ℥iiii. addendo corticum myrobal. citr. oleo amygd.dulc.confricatarum ʒiii.in colatura dissolue elect.de succo rosar. aut diaprun laxantis,aut oxilaxat.Nicol. si paretur ʒii.syrupi rof.lax.℥iß. vel elect.rof. ʒiii. syrupi viol. ℥i. misce. detur in aurora.

Alia potio purgans.

℞. Rhab. elect. in aqua endiu. infusi & expressi ʒiß. cinnamomi interioris g̃.viii. elect. è succo rosar. ʒii. syrupi rof. laxat. ℥iß. misce, fiat potio. Loco elect. rosati, cathol. aut cassiæ semuncia imponi potest,sed minorum gratiâ. Rhab. hîc non ita libenter vtuntur, non tam calorem veriti (vt quidam iudicârunt) quàm quia vapore multo caput impetit: Id vitij tamen infusione minuitur.

Aliud catharticum boli formâ.

Bolus purgãs.

℞. Cassiæ fist.ʒvi.Rhab. pul.ʒi.elect.è succo rof. aut diaprun. solut. ʒiß.cum sacch. fiat bolus detur quinque horis ante cibum. Ita quidem Rhab. substantia, quia sicca & astringens, leniente aliquo temperanda. Vel:

Puluis purgans.

℞. Diacridii ℈ß. pulu. stæch. ℈.j. sacch.albissimi ℥ß. misce,fiat puluis qui per se in vsum ducatur, vel ex aqua endiuiæ, vel prunis, passulísue includatur. Insequentibus autem diebus vtilissima est conserua rosarum semunciæ pondo, aut proxima opiata.

Opiata roborans

℞. Conser.rof.& florum cichorij, an.℥i. conser.viol.& oxalid.an.ʒii. conser. nymph. ℥ß. pul.triasant. ʒiß. pul. diamarg. sine mosch.ʒß.sem. melonum,& cucurb. minutatim concisi, an. ℈ii.sem. acetosæ & endiu. an.ʒß. cum syrupo viol. aut succo granatorum, reducantur in formam opiatæ, ex qua detur quotidie instar nucis iuglandis, superbibendo parum aquæ rosarum & endiuiæ. Hanc si respuat æger, poterit electarium triasant. exhiberi.Quinetiam in omnibus capitis affectibus non absurdè puluis ventriculo aptus præscribi potest, qui à cibo vapores arceat; sed hic

Puluis pepticus.

hic ex ventriculi ardoribus petendus, vt pleraque alia ex calidâ iecoris intemperie, quam his assumptis & admotis temperare oportet. Purgato autem corpore, atque etiam interdum dolore cogente, ante perfectam purgationem infixæ coxis, & humeris, aut ceruici cucurbitulæ conuenienter reuellunt; quemadmodum & scarificatus, & hirudines, tum maximè cùm aut parcus sanguis fluxit, aut incalescentis sanguinis magis impressa adhuc restant vestigia. Quinetiam asperis extremorum frictionibus, arctissimisque vinculis, & tepentis aquæ fotu, vt & clystere frequenti noxius humor retrahitur, hincque dolor mitescit.

Varia reuellētia præsidia.

Fotus extremorum.

℞. Fol. mal.m.ii.fol.salicis, vitis albæ viniferæ, & arundinis, an.m.i.ß. flor.nymph. viol. chamæm. an. p. ii. flor. stœch. p. i. coquantur, & decocto calidissimo foueantur, abluantúrque extrema.

Topica.

Cæterùm hoc ipso temporis spatio, atque etiam plerumque mox à venæ sectione, si dolor excandescit, capiti, maximéque syncipiti & temporibus adhibeantur, quæ refrigerant, ac repellunt remedia. Hæc autem modò ex stillatitiis aquis, modò ex virentium herbarum decoctis, modò ex succis comparantur. Sæpe etiam ex oleis simili facultate præditis, vt rosaceo, viol. nymphææ, papauer. quæ necessariò aceti quadrante perfundenda sunt. Hoc enim quanquam per se alienum est, dolorémque exacuit, & somnum arcet, quo dolor sedaretur: necessariò tamen illis permiscendum est, tum ne promptè inflammentur, (omne enim oleum mox vt incaluit, quasi accensum partis calorem auget) tum vt altè illorum vis subeat, alioqui inutilis, tum ne lentore obstructis cutis spiraculis, acriores vapores intercludantur, & ægriùs exhalent. Quâ ratione nec oui candido, nec frigidis mucilaginibus, nisi fortè ex aceto depromptis, nec aliis emplastris, nec vehementer adstringentibus hîc vtendi locus est; etiamsi calidis aliarum partium fluxionibus idonea sint. Horum si quid interdum imperatur; id perexiguum sit, & aliorum refrigerantium humore temperatum, vt si lactucæ & cucurb. succis solani paululum admisceas. Optima verò sunt iudicanda, quæ in tenui & penetrabili materiâ penetrandi vim habent. Hæc enim foris inducta, altiùs quàm adstringentia frigoris vim deducunt, & capitis ardores, doloresque inhibent, siue ex sanguine, seu ex bile prodierint. Plerumque tamen in iis quos bilis excitârit, paulò vehementior refrigerandi vis requiritur; ad quam interdum, re cogente, narcoticorum medicamentorum paulùm accedat. Quanquam autem frigida capitis ardores temperant, conuenientiùs tamen dolores ex sanguine ortos reprimunt, quæ cum frigoris vi siccant, & mediocriter

Embrocha ex quibus comparentur.

Acetum cur embrechis addendum.

Cautio in vsu exemplastícorum, & adstringentium.

Delectus materiæ refrigerantis in doloribus à bile, & à sanguine.

adſtringunt, vt oleum roſat. omphacinum, portulaca, aqua roſarum & ſolani, atque ſuccus pampinorum vitis. Eos verò quos bilioſorum humorum acrimonia infert, aptiùs ſedant ſimpliciter frigida & humida, vt oleum viol. pſyllium, aqua lactucæ, ſuccus cucurbitæ, proindéque hæc in permiſtione primas obtineant.

Variæ obſertiones circa topicorum adminiſtrationem.

Principio itaque refrigerantibus & repellentibus vtendum, qualia eryſipelatis auxiliantur: iiſdem anodyna & digerentia permiſcere oportet, quæ demùm augenda erunt, ſenſim detractis repellentibus. Sed & in iis adminiſtrandis corporum ratio habenda. Mitiora quippe & minùs refrigerantia pueris, fœminis, imbecillioribus, mollioribus, & naturâ candidis idonea; quemadmodum & iis quibus capitis oſſa non ita ſolida ſunt. Tum enim pro roſaceo, chamæmelinum vſurpandum, aut pares vtriuſque portiones cum aceto perexiguo imperando. At caluis, & quibus bregmatis oſſa firmioribus commiſſuris, arctiorique compage nexa cohærent, valentiora conueniunt, quæ aceti non modò quadrante, ſed triente etiam ſint perfuſa. Itaque raſo priùs vel detonſo capite remedia adhibenda ſunt, vt & celeriùs penetrent, & declinetur tædium, quod inquinatis capillis relinquitur. Neque verò temporum obſeruatio prætermittenda. Hyeme enim, atque in mitiore dolore, tepida ſubinde admota iuuant. In vehementiore autem cruciatu; & æſtiuis ardoribus frigidiſſima expetuntur, refrigerandíque vis arte intenditur, & efficacior conquiritur, aut niue obrutis, aut gelidâ aquâ circumfuſis remediis, aut in profundiore puteo ſuſpenſis. Hæc dum admouentur, identidem ac ſubinde renouanda ſunt, priuſquàm concaleſcant, & calorem conduplicent. His obſeruationibus imponenda capiti extrinſecùs repellentia, ſed interim cautio adhibenda, ne catarrhi vlla ſit ſuſpicio, (frigida enim diſtillationem concitant & augent) néve hic dolor inſtante febrium iudicatione ſuſcitetur. Tum enim repreſſus grauiore periculo recurrit; quemadmodum & quiuis alius ex febre profectus dolor: qui tametſi frigidis nonnihil leuetur; mox tamen coërcito & intus concluſo æſtuante multo vapore, pari ferocitate repetit, atque etiam interdum maiore. Nihilominus plerumque doloris vis atque magnitudo hunc primùm lenire hortatur, etiamſi malum prorogetur; túmque priùs ad refrigerantia cordis & iecinoris epithemata confugiendum, ad cucurbitulas, frictiones, odoramenta. Et nimiùm vrgente dolore, qui potiùs ex acrimonia quàm copiâ ſit, ad oxyrhodinum, aliáque ſimilia veniendum, niſi ſomnus obrepat. Quin & eadem quoque tum neceſſaria, vel præſente catarrho leui, cùm acerbus dolor eſt, qui inflammationem minatur; nec etiam arcenda illa ſunt, cùm ſicca tuſſis ex febrili ardore orta, laborantem exercet. At ſi febris neque catarrhus eſt, tantò tutior repellentium vſus eſt. Qui plenitudine præſente hæc vult remedia adhibere, peruerſo medendi ordine malum exaſperabit: quemadmodum nonniſi medentium culpâ tum venæ ſectio, aut purgatio, aut cucurbitula illis præmittitur, quum puro corpore capitis dolor irrepſerit, vel ab æſtu,

vel

vel iracundia, vel aliarum externarum causarum occursatione: nam tunc reprimentia potiùs imposita iuuant: hæc autem in varias formas aptari solent. Aptissimum in id est oxyrhodinum tum simplex, tum compositum, frigida epithemata, embrochæ, illitûs, & frontalia. Quæ tamen quia ægriùs vim suam conferunt, tum quia partis ardore promptiùs incalescũt, hîc minùs cæteris prosunt, tametsi vulgò laudabiliora sint, nec ita calumniis obiecta,

Embrochæ, & illitûs dolori capitis accommodatiores, quàm frontalia.

Oxyrhodinum simplex.

℞. Olei rosac. (quod præsertim omphacinum, recénsque sit,) ℥ iiij. (hoc repellit, concoquit, mitigat, & paululùm discutit) aceti ℥ i. (hoc repellit, simúlque penetrat & attenuat) agitentur simul, & panni linei imbuti, ac expressi, frigidè admoueantur fronti & temporibus, & subinde commutentur, dum ardor, simúlque dolor conquiescat paulùm.

Oxyrhodinum compositum.

℞. Olei ros. viol. & Nymph. & lactis muliebris, ana ℥i. succi lactucæ, aut oxalid. aut aquæ rosarum ℥iß. aceti ℥i. aut in pueris, & mollioribus, semunciam: mista agitentur. Quod si vehementiùs repellendum, veluti cùm sanguinis potiùs irruptio, quàm bilis ardor est, exempto violar. duplum rosacei pondus inscribito, aut eius defectu paulum melini, vel myrtini admisceto, vt accedat adstrictio. Licet quoque in lactis vicem, mucilaginis altheæ, aut psyll. ex aceto depromptæ parem modum apponere: hæc eadem externos capitis dolores, & feruidas collectiones inhibent; sed nullâ aceti permistione, quòd pars sit obuia.

Aliud cum vigiliæ infestant.

℞. Ol. nymph. & papau. ana ℥iß. lactis muliebris cochlearia iij. aceti cochlear. ij. agitentur simul. Probatur quoque præstantissimum in acutis doloribus oleum è salicibus, aut præstantius è mali floribus.

Epithema.

℞. Aquarum stillatit. solan. rosar. lactucæ, & nymph. ana ℥ iij. aceti ℥ij. Caphuræ (repellit & facilè penetrat,) ʒ ß. misce, admoueantur vt dixi.

Interdum mixturâ quadam iunguntur olea & aquæ stillatitiæ, aut succi, addito aceti quadrante, vel saltem sextante: quemadmodum & succi aquis diluũtur, eâdẽ aceti perfusione. Valentiora comparantur ex recentiũ herbarũ, præsertim lactucæ, solani, pãpinorũ vitis, sẽperuiui, aut psyllij, cucurbitæ, (quæ præstãtissima est) portul. & polygoni expressis succis adiecto

Mos antiquorum circa topicoru admotionem improbatur.

adiecto pari aceti modo, qui linteolis sint excepti. Quin etiam ipsas herbas tunsas veteres imponebant, cataplasmatis specie; aut ex refrigerantium succis, & hordei expurgati farinâ, sine igne permistis & agitatis, ad pulticulæ crassitiem. Sed hæc vt nimiùm crassa & corpulenta minùs probauerim.

Irrigatio, quæ etiam vigilias & deliria sedat.

℞. Hordei mundi p.j. fol. lactuc. solani, salicis pampinorum vitis, an. M.j. seminis lact. melonum, papau. albi, & corticis eiusdem, an.℥ß. florum viol. rос. Nymph. an. p. ij. fiat decoctio ad ℔iß. cui sub finem adde, aceti ℥iij. frigidè aut (si acetum ob vigilias dempseris) tepidè foueatur syncipur per spongiam, rasis priùs, aut solùm præcisis capillis; vel ab alto stillante liquore irrigetur. Ita quippe faciliùs medicamentorum vis intrò subit, atque illac cerebrum per commissuras remediorum commoda celeriùs experitur. Hæc eadem pelui excepta, postero die, atque etiam sequente rursus in caput data, non mediocriter adiuuat. Sed ne parte aliquâ in oculos, faciémque defluat, falciis cingenda tempora.

Laus stillicidiorum in caput.

Frontale, quod prætereà somnum accersit.

℞. Florum viol. Nymph. & rosarum rub. an. p.j. Coriand. præpar. ℨiij. seminis lact. seminis papau. alb. & corticis eiusdem, an. ℨ.ij. santalorum omnium, an. ℨj. granorum tinctorum ℨß. puluerizentur, & cum serico rubro raro concinnetur frontale interpunctum, quod excepto priùs vapore aquæ rosaceæ, cui aceti tantillum insit, admoueatur fronti & temporibus. Huic & melonum, & cucurbitæ semen tusum, aut psyllij integrum vtiliter adiicitur, aut hyosciami albi, cùm cætera parum iuuant. Difficilis enim est per solida ossa in partem profundam transitus, quo medicamentorum vis non parum infringitur. Hic puluis etiam commodè oui candido, vel potiùs psyllij mucag. ex aqua rosarum & aceto depromptâ, vel frigidis herbarum succis exceptus fronti & temporibus imponitur. Vt

Illitus frontis ac temporum.

℞. Seminis papau. albi, seminis lact. cucurb. & psyllij, (quamuis parte internâ calet) aut portul. an. ℨiij. contundantur omnia, & cum aquâ rosar. & nymph. aut viol. aut succo lactucæ referantur in formam pultis, quæ inducta linteolo applicetur fronti & temporibus.

Si ne tum etiam dolor mitescit, validiore præsidio est opus, præsertim in ardore summo, & intolerabili cruciatu, cum exquisito partis sensu, quem tum Narcoticis, tum incrassantibus assumptis obtundere oportet.

Illitus.

℞. Vnguenti rosati, & populei recentis, diligentissimè aceto lotorum,

corum, an. ℥ß. olei viol. & Nymphæ,aut ſalicis,an. ℥i. miſce. Illinantur tempora & frons, ſuperappoſitis cucurbitæ, aut nymphææ, aut ſalicis, aut vitis, aut lactucæ foliis. Hæc eadem vigiliis,delirio, & phrenitidi accommodantur.Quibus interdum vbi ad extremum ventum eſt, opij g̃.ij.croci g̃. i. aut potiùs nucis moſch. g̃. ii. (quia hic dolorem auget) correcta,neceſſariò admiſcere cogimur : ſed iis vti niſi nimia neceſſitas cogit, non expedit. At tutior eorum vſus, quæ verè anodyna, & paregorica ſunt; quæ tum demum opportunè adhibentur, cùm priùs aliquoties repellentia admoueris.Etenim natiuum calorem fouent,acres & mordaces humores temperant, laxant, digerunt, mitigant,& deliniunt. Itaque vel lac proprio calore tepens, quod etiam ſomnum conciliat.vel mucilago ſeminis althææ cum aceto extracta; vel,ſi caput ardore flagrat,mucilago ſeminis pſyllij integri, ex tepente aceto deprompta, & cum oxyrhodino temporibus, frontíque impoſita dolorem mitigat. verùm ſimilia iis phrenitidis curatio ſuggeret; quemadmodum & potiones ſomniferas,& odoramenta quæ ſimili facultate polleant. Interim tamen optimum in vehementiore capitis ardore, qualem bilis profert, caphuram aquâ roſaceâ ſolutam,aut ſi illius ſiccitatem,quâ ſomnum arcet, veremur, lacte maceratam olfactandam exhibere, vel etiam naribus indere; vel interiora narium oleo papau.& violato vnà commixtis, actúque frigidiſſimis illinere; aut oleo è ſemine cucurbitæ, & Nymphææ. Si adhuc etiam inuictus dolor acerrimè torquet, neceſſe erit opij & caphuræ, ſingulorum gr.i. olei violati vnciâ ſolutum,in nares parcè, non item in aures demittere,hoc enim periculoſiſſimum eſt,ſed nec in nares tutum; ſatiúſque fuerit ſupraſcripti ad irrigationem decocti vaporem per nares inſpirare, aut roſaceum, aquæ roſarum ſine aceto immixtum prono capite haurire; aut aliquod eorum quæ iampridem recenſuimus; aut nodulum è roſis in aceto & roſacea madefactis ſæpe naribus adhibere; aut ſpongiam in decocto rerum quæ conueniunt, immergere,exprimere, admouere. Hæc enim adeò tuta ſunt, vt etiam dolorem rheumatiſmo implicatum innoxiè ſedent. Cæterùm tamdiu vſurpanda ſunt refrigerantia,quamdiu dolor increſcit.Poſtea verò illis ſenſim calidorum & diſcutientium nonnihil admiſceri par eſt: hinc ſenſim tranſire ad ea, quibus miſtæ inſunt vires, dum tandem potentior digerentium facultas eluceſcat & dominetur. Quocirca oxyrhodino myrtini olei,vel anethini,vel chamæm. vel nardini, vel amygd.amar. vel ſambucini,ſextans, quadrans, triénſve, tandémque dimidium permiſcendum. Neque tum quidem irino,aut è ſpica vti licet; odoratiora enim ſunt,nec niſi ſtatûs vehementiâ miteſcente, tuta eſſe poſſunt. Itidem in decoctis & pulueribus factitandum, in quibus betonicæ, melliſſ.aut ſaluiæ,aut ſerpilli, aut ſampſuch. & florum chamæm. aut meliloti, aut ſtœchados, aut roriſmar.aliorúmve tantillum,quæ frigidis capitis doloribus propria ſunt, aliis addendum, ſenſim aucto modo,dum & humorum reliquiæ prorſus diſcutiantur, & cerebrum vi dolorum infirmatum corroboretur. Quod

Odoramenta, & errhina refrigerantia.

Digerentium vſus quando neceſſarius, & eorum exempla varia.

in consuetis & inueteratis capitis doloribus inprimis est necessarium. Cùm enim à vaporibus, humoribúsque in caput sublatis, vel etiam illic genitis, reliquiæ quædam supersint, quæ cutis spiraculis impactæ hærent, ac capitis dolorem fouent, aut reuocant; non rosaceo, sed tum primùm chamæmelino est vtendum moderatè calido: deinde irino. Neque tum metus est nouæ fluxionis proritandæ. Ita quidem rectè, Archigenis præscripto, irrigationes ex ruta virente, oleo, & aceto intritâ, capitis dolores quacunque ex causa ortos discutiunt. Sic serpillum etsi acre, calidum, & siccum, cum oxyrhodino tamen impositum, dolores etiam à causa calida illatos sedat. Quod & ocymum præstare tradunt, & cardamomum torridum, læuigatúmque aceto, vel rosaceo; vel fermentum cum aceto; vel iridem aridam cum rosaceo. Prodest quoque fronti & temporibus inductus panis cum persici foliis, vel cum amygdalis amaris, vel mentha cui pulegium sit adiectum. Sic pulsatiles dolores, ruta mentháque cum pane difflat, rosaceo superaddito. Hæc veterum experimenta sunt, Quorum obseruatione non erit difficile digerentia in quamlibet formam concinnare; sed ea in omni vetusto capitis dolore magis sunt necessaria, quàm in eo qui ex subita causa contrahitur.

Gal. lib. 2. κατὰ τόπ. cap. 1. §. 10.

Paul. l. 3. c. 4.

Paul. lib. 2. cap. 44.

Digerentia, quæ inueteratos, consuetósque capitis dolores finiunt.

Litus digerẽs. ℞. Olei rosat. irini, & rutacei, aut liliorum, aut cycionij, an. ℥iß. aceti, aut vini albi, ℥ß. misce. Aut:

Vnguentum. ℞. Olei anethini & chamæmel. an. ℥iiß. florum chamæmel. meliloti, stæchados, rorismarin. & sambuci, an. ʒj. nucis mosch. & macis, an. ℈j. ceræ perexiguum. Reducantur ad vnguenti formam, addito pauco aceto, aut in extremâ declinatione, vino albo. Si magis contumax & diuturnus dolor est, proderit agrestis cucumeris radices concisas, adiectâ absinthij coma, hydrelæo incoquere ac eo caput fouere, superimpositâ materiâ.

Aut:

Fotus capitis discutiens. ℞. Rosarum rubr. violarum, florum chamæmel. stœchad. rorisin. & comarum anethi, (hoc enim discutit, dolorem sedat, & somnum conciliat, licèt calidum) an. p. i. Betonicæ, meliss. sampsuchi, an. m. i. serpilli, aut pulegij, m. ß. vel rutæ tantundem, (quæ tum maximè prodest, cùm flatulentus spiritus, aut pulsantem, aut distendentem dolorem infert) cyperi, calami odorat. vel radicis peucedani, & seminis lini, an. ℥ß. hordei p. i. fiat decoctio.

Ex iisdem puluis comparabitur, loco hordei & lini, supposito coriandro, ad cucupham aut frontale, sed tum arefactis herbis vti oportet:

oportet : aut aloë, rosaceo & aceto liquata, fronti & temporibus adhibetur, adiectâ si vis fabarum farinâ. Hæc eadem cerebrum corroborant; quapropter iis vsque ad perfectam curationem vtendum est.

Puluis cephalicus, & cucupha.

℞. Coriandri præparati ʒiij. Betonicæ, melissæ, sampsuchi, an. ʒij. rosarum rubr. florum chamæmel. meliloti, & stæchados, ana ʒiß. macis, grani infectorij, & granorum myrthi, ana ʒi. caryophyllorum, mastiches, ligni aloës, si haberi possit, ana ℈ii. fiat puluis, qui inspergatur parti anteriori capitis, aut cum serico rubro coaptetur in cucupham intersutam.

In vniuersum quæcunque mitiora dolores pituitosos sedant, eadem rectè horum declinationibus possunt accommodari. Hoc ipso tempore etiam capitis frictiones iuuant, quæ tum panno aspero, tum pectine, tum spongiâ nouâ fiunt.

Quæ per nares humorum reliquias deriuent.

Ita quidem per capitis commissuras humórum reliquiæ deriuantur. Per nares verò, si à sanguine dolor est, vel sponte, vel porcinis setis, folióve borraginis, ficulneo, aut millefolio, aut alio quouis, irritatis naribus profusus sanguis dolorem soluit ; perinde ac in contumaci dolore, extremo naso affixa hirudo, aut ponè aures, aliísque venis, quæ quauis capitis parte prominent. Sed interim animaduertendum, qua parte dolor magis vigeat, maior sit rubor, tumor, distensio, pulsatio, vt è regione capitis vena aperiatur. At si à bile processerit, mitioribus errhinis tollitur, & apophlegmatismis expurgatur cerebrum ; quibus non antè vtendum, quàm vniuerso corpori prospexeris.

Errhinum.

℞. Succi anagallidis purpureæ, succi sampsuchi, aut betæ, an. ℥i. mulsæ ℥iii. Misce. Hauriantur prono capite.

Aut :

Aliud.

℞. Succi rof. ℥ii. hydromel. ℥iiij. Vel syrupi rof. laxatiui ℥ii. decocti hordei; ℥iiij. Misce pro Errhino.

Potentiùs id efficit admixta diacrydij ʒi. cuius acrimoniâ si dolor excitetur, repente lacte quàm mox sedabitur, ardórque rosaceâ, aut plataginis aquâ restinguetur.

Aut :

Aliud.

℞. Succi radicis liliorum, & siclæ, an. ℥iß. aquæ sampsuchi, & hydromelitis, ana ℥iiii. florum stæchados, & mannæ recentis

an. ℥ij. leniter efferueſcant, & percolentur ad Errhinum. idem præſtat odor aceti, cui caſtorei tantillum inſit.

Hoc ſternutamentum mouet.

Puluis Ptarmicus.

℞. Cinnamomi, zingiberis, piperis, ſingulorum parem modum: conterantur & inſpirentur.

℞. Nigellæ ʒi. florum roriſ. ℈i. pul. ellebori albi ℈ß. fiat puluis tenuis.

Apophlegmatiſmus.

Huic rei vtile eſt maſtiches grana quædam mandere, aut oliuæ nucleum, aut crudi linteoli fragmentum ore voluere, ſic vt ſaliua reiiciatur; aut ſi craſſior bilis eſt, carpeſium, & piper, & aliud ex mitioribus, quæ deinceps ad pituitoſas cephalal. proferemus. Hæc in cephalalga quidem nonnunquam, (ſæpe enim celeriùs euincitur) in cephalæa verò ſemper ſunt neceſſariâ, quibus vel iteratis plerumque etiam non cedit; ergo tum ad extrema veniendum. Sed ante hoc apertæ hæmorrhoides ſæpius profuerunt; atque ex interuallis repetita purgatio, quæ bilem craſſiorem maiore doloris tranquillitate detrahat.

Pilulæ in cephalæa bilem purgantes.

℞. Maſſæ pilularum aurearum, & aggregat. maiorum, an. ʒß. cum aquâ endiuiæ formentur pilulæ vii. Deuorentur horâ primâ poſt mediam noctem.

Aut in plures doſes, hoc modo.

℞. Aloës elotæ ſucco endiuiæ ℥ß. rhab. electi ʒii. diacrydij ℈ß. violar. ſpicæ nard. maſtiches, roſarum, ſem. endiuiæ, an. gr. v. ſalis Indi, gr. vj. cum ſucco, vel ſyrup. cogantur in maſſam, ex cuius drachma fient pilulæ vii. quæ bis in menſe acceptæ, futuri doloris cauſam ſubmouent.

Extrema remedia, Pyroticum vertici admotum, & Arteriotome.

In extremis autem habetur, cauſtico medicamento, aut candente ferro capitis verticem inurere, quâ parte ſuturæ inuicem in angulum coëunt: Sed id raro & cum præmeditatione faciendum. Quemadmodum & ſectio arteriarum ponè aures deliteſcentium, aut in temporibus micantium, quæ inueteratos capitis dolores calidos, pulſantes, ſpiritúque plenos, perinde ac deſperatas vertigines, non raro perſanant.

Cephalalgia, cephalæa, & Hemicrania, ex pituita, ex frigido vapore, ſeu craſſiore flatu, & dolor à frigore.

Grauis capitis dolor, quem frigidorum, pituitoſorúmque humorum

morum copia parit, contumax ferè est, ac diuturnos morbos prænunciat. Hinc frigida capitis plenitudo maturè soluenda, antequàm grauiore periculo inualescat. Quoniam autem sæpiùs ab vniuerso corpore vitium parti affectæ impertitur. Primùm totius corporis ratio habenda; idque ante omnia expurgandum; deinde reuellentibus vtendum; post hæc anodynis, & his quæ impactum humorem concoquunt, attenuant, tandémque discutiunt, & deriuant, partim errhinis, partim apophlegmatismis, partim per commissuras. Postremò quæ cerebrum corroborent, & pristinæ restituant valetudini, adhibenda, vt deinceps irruentibus iniuriis magis obsistat. Hæc quidem generatim, & vniuersè rem contrahunt: nunc ad vsum & exercitationem singula luculentiùs proferamus.

Indicationes curatiua, in causa frigida.

Primùm clystere est opus, à quo sit omnis medicationis exordium.

Clyster.

℞. Betæ, mercur. maluar. brassicæ, ana m. i. sampsuchi, origani, calamenthi, ana m. ß. ficuum pinguium, & passularum mundatar. ana par. x. seminis lini, & fœnigræci, ana ℥ß. anisi, fœniculi, & seseleos, ana ʒ ij. florum stæchados, chamæmel. anethi, meliloti, ana p. i. furfuris tantundem, fiat decoctio, & in colatura dissolue, catholici ℥i. diaphœnici ℥ ß. aut huius & hieræ tantundem, olei chamæmel. & liliorum, ana ℥iß. mellis anthosat. ℥ij. & salis ʒi. (cùm pigriorem expultricem stimulare oportet) fiat clyster, qui acrior temporis progressu imperabitur, ad reuellendum, additâ rutâ, serpillo, agarico, carthamo, indo maiore, hiera Logadij, aut diacolocynthidos, oleo irino, aut rutaceo.

Clystere iniecto noxij humoris portio detrahenda est præsertim si multus ille est: periculosiùs enim attenuantibus colliquescit, & latiùs diffusus dolorem auget, nisi iam minutâ ipsius copiâ. Quinetiam præter coniunctam doloris causam, alia quædam vitiosa in ventriculo & præcordiis ferè subest, primo quovis tempore expurganda, ne aperientibus, quæ perfectæ purgationi præmittuntur, aut rapiatur, aut impellatur, impingatúrque vehementiùs. Quamobrem à clystere mox lenioris purgationis vtilitas, necessitásque ingruit.

Pilulæ.

℞. Massæ pilularum assaiaret ℈ii. agarici recenter trochiscati ℈j cum succo betonicæ, formentur pilulæ vii. auro illustratæ. Pro quibus pilulæ mastichinæ præscribentur. At si ægriùs pilulæ deuorentur:

Potio minoratiua.

℞. Agarici recèns trochiscati, infusi in melle rosato ʒi. zinziberis gran. iiij. diaphœnici, ʒii. catholici, ℥ß. syrupi capill. veneris ℥i. aquæ betonicæ ℥iij. misce.

Præparatio humorum frigidorum ante purgationem necessaria.

Iam verò præparatio conueniens purgationi præmittenda; non enim humor crassus & lentus, & in longinquas partes disiectus facilè medicamento cedit, nisi & apprimè extenuatus detersúsque sit, & purgationis viæ patentes ac liberæ. Neque tamen quæ eam facultatem obtinent, protinùs omnia sunt accommodata; sed in iis præscribendis à

mitioribus auſpicandum eſt, dum ſenſim ad valentiora fiat progreſſus, ne caloris vi fuſus, liquatúſque humor, craſſorum vaporum congerie caput impleat. Nonnunquam enim validè extenuantia intempeſtiuè præſcripta, dolorem, aut deſtillationem, aut apoplexiam, aut febrem inuexerunt. Sed & mitioribus vtendum, ſi non ita craſſa; vehementioribus, ſi admodum lenta, tenáxque pituita eſt.

Præparãtium pituitam medicamentorũ varij ordines

Quocirca eorum quæ pituitam præparant, ordines quidam ſtatuendi. In mitioribus quidem habentur mel roſat. oxymel ſimplex, oxymel compoſit. In vehementioribus oxymel ſcilliticum. Syrup. de hyſſop. de calamentho, è duabus & quinque radicibus, de praſſio, de acoro, & ſyrupus de ſtœchade. Ex aquis, fœniculi, apij, abſinthij, ſaluiæ, betonicæ, iuæ arthericæ, mellis, aut ſimilium, hunc in modum.

Iulepus pituitam præparãs.

℞. Mellis roſat. ſyrup. capilli veneris, & oxymel. ſimpl. ana ℥ ii. aquarum betonicæ, fœniculi & ſampſuchi, ana ℥ iiii. (harum enim dupla ad ſyrupos quantitas ſemper eſſe debet) pulueris macis, ʒ i. fiat iulepus ad tres doſes; à quibus duæ inſtituuntur vehementioris iulepi: vix enim trium dierum hauſtu craſſa lentáque pituita ſatis ad purgationem præparatur.

Iulepus validior.

℞. Oxymel. compoſ. vel ſcillini, & ſyrupi de ſtœchade, & de calam. ℥ ii. aquarum betonicæ, & capill. veneris, aut iuæ art. an. ℥ iiii. pulueris nucis moſch. aut pliris archonticon ℈ ii. fiat iulepus in duas doſes.

Ad eundem vſum, id eſt, ad humorum attenuationem & deterſionem, atque præparationem corporis, apozema comparetur ex decoctarum ſtirpium iure.

Sylua ſimplicium cephalicorum calidorum.

In id autem ſeliguntur quæ ſubſtantiæ familiaritate, aut qualitatum ſymmetriâ cerebrum, neruóſque iuuant, corroborant, & frigidis illorum affectibus medentur. Huiuſmodi ſunt acorus vulgar. cyperus, calamus odorat. galanga, iris, pœonia, ariſtolochia, cortex citri, betonica, meliſſophyllum, chamædris, chamæpitys, ſampſuchum, roſmarinus, ſaluia, ſtœchas, lauendula, hyſſopus, ſerpillum, ſatureïa, thymus, ſpica, polium. His accedunt, origanum, calamintha, pulegium, laurus. Hæc materia eſt non modò apozematum, ſed etiam aliorum remediorum tam internorum quàm externorum, quæ ad quoſuis frigidos capitis affectûs comparantur.

Apozema præparans humores frigidos.

℞. Acori vulgaris, cyperi, & calami odorati, an. ℥ i. corticis citri ſicci ℥ ß. betonicæ, meliſſæ, ſampſuchi, chamædryos, chamæpit. herbarum capill. an. m. i. paſſularum mundatarum, par. xv. caricarum pinguium, par. v. aniſi, fœniculi, ameos, an. ʒ ii florum vtriuſque ſtœchados, & roriſmar. an. p. i. fiat decoctio, & in colaturæ ℔. ii. diſſolue mellis roſat. colati, quod ſufficit, pulueris macis, ʒ i ß. fiat apozema clarificatum ad quinque doſes. Aut fiat decoctio in hydromelite. Validius autem id reddetur adiectâ pœoniâ, pulegio, calamenth. origano, atque radicibus aperientibus, modò nulla futuræ deſtillationis ſuſpicio adſit. Quòd ſi tenuis

nuis & aquosa sit pituita, quoniam satis fluida est, tum neque extenuanda amplius, neque Arabum dogmate, incrassanda illa est, aut quouis modo præparanda, sed statim initio expurganda pilulis assaieret (quæ myrobal. capiunt) rhabarbaro & agarico non trochiscato, vt in catarrho explicabitur. At si crassa & lenta est, educatur his quæ subiiciam.

Tenuis pituita, citra præparationem expurganda.

℞. Massæ pilularum cocciarum descript. Mesuei, & pilularum de agarico, ana ʒ ß. malaxentur cum aquâ betonicæ, aut sampsuchi, aut cum succo efficacissimo allij, vel succo brassicæ, (etenim cum syrupis crassiores euadunt) fingantur pilulæ v. vi. vel vii. sed quò grandiores sunt, eò tardiùs dissoluuntur, & longiore, in ventriculo morâ potentiùs trahunt. Aut:

Pilulæ phlegmagogæ.

℞. Massæ pilularum aggregat. maiorum, aut cocciarum, aut harum, & fœtidarum, vel de sarcocolla, si parentur, ana. ʒ ß. Pari ratione fiant pilulæ, quæ vehementiores euadent adiectis trochiscorum alhandal, gran. ii.

Alia pilula.

Cùm autem illæ deuorari nequeunt, potionis forma imperetur.

Potio purgãs.

℞. Electuarij è citro solut. aut indi maioris, aut diacarthami, ʒiij. agarici recenter trochiscati, & in oxymel. simpl. infusi, ʒ i. zinziberis & salis gemmei, ana gran. iij. aquæ betonicæ, aut decocti ameos, anisi & fœniculi, quantum satis, misce fiat potio, detur ex artis præscripto.

Aut forma boli.

℞. Diaphœnici ℥ ß. cum sacch. fiat bolus. Aut: Electuarij diacartami par modus exhibeatur.

Vbi contumacius est malum, nec vni purgationi cessurum; ex interuallis repetenda purgatio; in idque præscripto apozemati adiicito seminis carthami, folliculorum sennæ orientalis, & polypodij querni, ana. ℥ ij. agar. trochiscati ℥i. turbith. gummosi ℥ß. fiat syrupus perfectè coctus; detur sesquuncia duplo hydromelite diluta, ter in mense, vel præscribantur asseruandæ pilulæ.

Syrupus magistralis.

A purgatione, imperantur quæ ventriculum, & cerebrum recreant. Vt:

℞. Theriacæ antiq. aut mithridatij ʒi. conseruæ florum rorismar. aut rosarum ℈ ii. cum saccharo fiat bolus, detur quinque horis ante prandium; vel confectionis diamoschi dulcis, & conseruæ acori, ana ʒi. formetur bolus. Vel:

Bolus roborans.

Opiata.

℞. Conseruæ florum stœchados & rorismar. ana ℥ i. conseruæ acori, ʒ vi. corticis citri sacch. conditi, vel zinziberis conditi, ℥ ß. pulueris

plires

plires archont. aut diamoschi dulcis, aut diambræ, ana ʒ i. (quamuis enim odorata capitis grauitatem pariant, eadem tamen purgato corpore humorum reliquias discutiunt, ac cerebrum roborant, & delectant) cum syrupo conseruat.cortic.citri,aut acori,aut cum melle anthosato, reducantur in formam opiatæ; detur quotidie instar iuglandis, haustâ insuper aquâ saluiæ, aut betonicæ.

At si mollior medicamenti forma insuauis est; tabula vna diamoschi exhibenda. Vel:

Tabellæ roborantes.

℞. Pulueris diambræ, ʒ j. pulu plires archont. & aromat. rosat. ana ʒ ß. corticis citri sacch. conditi, ʒ ij. sacch. aquâ melissæ dissoluti, q. s. fiat electuarium, detur quotidie tabula vna, superbibendo cochlearia duo aquæ melissæ, & betonicæ. Aliud:

Electuarium, & pilulæ ad cerebrum sensúsque roborandos.

℞. Pulueris diamoschi, ʒiß. florum rorismar. siccorum ʒ i. glycyrrhizæ, santali moschati, ana ʒ ß. ligni aloës (si haberi potest) caryophyllorum, macis, an. ℈i. sacch. albiss. aquâ sampsuchi dissoluti, q. s. fiat electuarium in tabellis ponderis ʒiij. vel cum syrupo absynthij fiant pilulæ,quarum duæ dentur dormituro vtilissimè.

Puluis pepticus.

Meminisse hîc etiam oportet, ad hos capitis dolores, puluerem à cibo qui vaporem prohibeat, esse idoneum, qualem ventriculi cruditas suppeditabit.

Reuulsio.

Alterum auxilium, est in reuulsione, quam perficiunt affixæ cruribus & humeris cucurbitulæ, frictiones extremorum, vincula, & calentes fotûs, ex huiusmodi decocto.

Fotus extremorum.

℞. Foliorum lauri, calaminthæ, prassij, pulegij regalis, aut saluiæ, hederæ, hyssopi, sampsuchi, rorismar. vtriusque stœchados, chamæmel. ana m. i. coquantur in æquis partibus aquæ & vini, ad extremorum fotum.

Deriuatio.

At verò hîc, repellentibus non est locus, quòd crassior sit humor, atque adeò impactus, vt refluere non possit. Sed purgato iam corpore ea imperanda, quæ vitiosi humoris reliquias è cerebro deriuant, per nares, per palatum, atque per commissuras: semper enim vniuersalis purgatio particulari præmittenda, ne hæc noxios humores in affectam partem trahat. Sed neque errhinis, aut sternutatoriis vti licet, si oculi aut nares; neque apophlegmatismis, si os, fauces, aut pulmones malè habent, aut fluidus humor destillationem minatur; prouidendúmque ne horum longâ consuetudine, per somnum, humores in pectus aut ventriculum vsitatâ viâ decurrant, tum præsertim cùm partes hæ fluxioni sunt opportunæ. Horum si nihil cephalalgiæ complicatur, vtroque præsidio; si quid in metu est, altero minùs suspecto, recre

Cautio circa vsum errhinorum & apophlegmatismorum.

recrementa cerebri vtiliſſimè expurgantur. Per nares quidem cerebri mucum atque pituitam eliciunt, ſampſucum, ſaluia, betonica, anagallis, beta, parietaria, mercurialis, anemone, thymus, hyſſopus, braſſica, ſatureia, ruta, enula, iridis radix; quorum aut ſuccos aut ſtillatitias aquas, aut decocta hoc modo vſurpamus.

Errhinorum materia.

Errhinum.

℞. Succi anagallidis flore purpureo micantis, & ſucci rad. betæ, aquæ ſampſuchi, fœniculi, & vini albi, an. ℥iii. pulu. macis. ʒi. miſce. traiiciantur per nares manè, ore aquâ aut lacte pleno: vehementius euadet, auctâ ſuccorum quantitate. Vel:

Aliud.

℞. Succi ſampſuchi, & radicis iridis, aut helenij, aut braſſicæ, aut mercurialis, an. ℥ii. hydromel. ℥iiij. aut aquæ betonicæ ℥iii. mellis, quart. ß. puluer. nucis moſch. ʒi. miſce, hauriantur prono capite. Si acrius exoptas, ſuccum cucumeris agreſtis, aut cyclaminis, aut centaurij appones, aut braſſicæ marinæ, vt perſeuerante malo ab imbecillioribus ad validiora fiat progreſſus. Si inde nares incaluerunt, lacte vel aquâ tepente inductâ, aut oleo violato medendum, aut etiam illitâ mucilagine althææ, lini, vel pſyllij.

Aliud.

℞. Foliorum ſampſuchi, betæ, calaminthæ, & betonicæ, an. m. i. florum ſtæchados, roriſmar. an. p. i radicis iridis ℥i. pyrethri ʒii. decoquantur ad quart. v. & in colato iure diſſolue, mellis roſat. aut mellis anthoſati; aut ſi validius exoptes, ſcillitici, ℥iii. vini albi parem modum, pro Errhino: Quod & vtilius futurum eſt, & apophlegmatiſmi vicem obtinebit, ſi prono capite relabatur in fauces. Id autem ſi vehementius requiritur, adiicito agarici trochiſcati, aut turbith. ʒii. aut in colatura diſſolue hieræ picræ ℥ß. vel benedictæ, vel aureæ Alexandrinæ, vel indi maioris tantundem. Sed horum permiſtione nimis craſſeſcit errhinum, tædióque eſt, non autem ita graue ſimplici cathartico incocto, vt agarico, aut cnico, aut turbith. Vel:

Aliud. *Vehemens Errhinum.*

Aliud.

℞. Succi ſampſuchi, & betæ, an. ℥iiii. Pyrethri ʒii. macis & nucis moſch an. ʒß. ellebori nigri ℈ß. coquantur, & percolatis ſuccis adde moſchi & ambaris, an. gr. ii. Huiuſmodi errhina liquida ſunt: parantur & alia ſicca, alia mediâ, & conſiſtente formâ, vt quæ digito, vel pennâ illinantur, ſed ea minùs probauerim.

Errhinum ad veteres cephalæas, & morbos comitiales.

Sternutatoriũ, ex Paulo l. 3. cap. 5. qui deſumpſit ex Gal. 2. κατὰ τόπ. c. 2. §. 10.

℞. Nigellæ ℥ß. ſalis ammoniaci, elaterij, ana ʒii. tunſa oleo ſicyonio vel irino excipiuntur in cerati ſpiſſitudine, quod naribus

inditur: mouere enim ſternutamenta conuenit, medicamentis in id efficacibus, vel ſtruthij aut caſtorei, aut piperis, zinziberis, & ellebori albi puluere, in nares efflato vel inſpirato. Sed ne quid offendant, ſatius trita in hydromelite infunduntur; quo intincta linamenta immittuntur in nares. Nonnunquam linteolo raro inuolutus puluis, in formam noduli, & aceto, aut aquâ maioranæ, aut hyſſopi, aut aquâ vitæ madens adhibetur naribus; aut pulueres oleo irino vel coſtino, ſimilive immixti illiniuntur, ac pro errhino ſunt. Adiecto interdum moſchi, aut ambræ, aut galliæ moſchatæ tantillo.

Aliud. ℞. Piperis, caſtorei, ana ℈i. ellebori, galliæ moſchatæ. ana ℈ß. Vel.

Aliud. ℞. Pyrethri & piperis, an. ʒß. ellebori ℈ß. fiat puluis, inſuffletur in nares. Aliquando ſolus vapor ſatis eſt, qui nares feriat. Hæc maximè conueniunt, vbi caput vaporum copiâ repletum eſt. Vtraque errhina dico, & quæ ſternutamenta cient, præferenda ſunt, vbi anterior capitis pars expurganda eſt; quemadmodum ſi poſterior, maſticatoria.

Per palatum verò pituitam trahit apophlegmatiſmus, vel manſus, vel gargarizatus, errhino tum vehementior, tum efficacior. Maſticatorium quidem ex maſtiche, ſinapi, pipere, zingibere, carpeſio, pyrethro, radice capparis, & ſtaphide agriâ, adiectâ nuce moſchatâ, maci, aut calamo aromatico, aut cinnamomo. Vt.

Trochiſci ſublinguales. ℞. piperis longi, pyrethri, ſtaphidis agriæ, an. ʒi. cubebarum, macis, nucis moſchatæ, ſinapis, aut zingiberis, aut zedoariæ, aut origani ſicci, aut glycyrrhizæ, aut corticis radicis capparum, an. ℈ii. maſtiches ʒiii. vel ceræ albæ tantundem; omnia terantur, & cum maſtiche cogantur piſtillo calido, & fiant trochiſci inſtar lupinorum: vel relictâ cerâ, & adiectâ ſacchari candi ſemunciâ, cum ſerico raro, fiant noduli mandendi ieiuno ventriculo. Iniucundiùs hæc paſſularum aut caricarum pulpâ excipiuntur. Gargariſmi verò ſpecie fit apophlegmatiſmus, ex glycyrrhizæ, betonicæ, hyſſopi, ſampſuchi, ſaluiæ, origani, calaminthæ, pulegij, thymi, florum ſtæchados, roriſmarin. ac ſimilium decocto, in cuius lib. i. infunde pyrethri, piperis, & macis, ſingulorum ʒi. aut ʒiß. expreſſo vtere; aut in percolato iure diſſolue, ſyrupi de hyſſopo, vel de ſtæchade, vel mellis ſcillitici, vel oxymel. ℥iii.

Gargariſmus.

Aut.

Alius. ℞. Oxymel. ſcillit. aquæ ſampſuchi, & betonicæ, an. ℥ii. miſce, & calido os colluat Alioqui errhinorum materia vino incocta in gargariſmos aptatur. Nihil tamen gargariſmis, aut maſticatoriis admiſcendum, quod ingrato ſit ſapore; vt neque errhinis, quod horrendum odorem expirat. Hæc omnia expurgandi cerebri vires habent non obſcuras. At quæ extrinſecùs capiti maximéque ſyncipiti, & coronali

Topica, è quibus alia mitia, alia vehementia.

nali commissuræ imponuntur, non modò frigidorum affectuum materiam siccant, & discutiunt, sed etiam cerebrum corroborant; atque ex simplici frigidâ intemperie, seu perfrictione ortos dolores, per se soláque, citra euacuationem finiunt. Cùm enim frigida intemperies recens est, solum rutaceum oleum, si calidum affundatur syncipiti, perfectè hominem liberat. Vbi verò illa aut incremento, aut diuturnitate vires accepit, prægressâ euacuatione, vehementiori calore est opus; túmque & piper, & castoreum, atque etiam euphorbium subdecuplum oleo inditur. Itaque mitissimum est chamæmelinum, Keirinum, anethinum, liliorum, è lini semine, (quæ tensa, constricta, & refrigerata iuuant) iasminum, quod sambacinum vocant, oleum è floribus hyperici.

Vehementiora, oleum nardinum, amygdalarum amararum, oleum de spica, irinum, laurinum, costinum, & quod sampsuchinum, & serpillinum fit; rutaceum oleum, nucum, è terebinthina, sicyonium, id est, è radice cucumeris agrestis. Vehementissima, oleum è castorio, è piperibus, oleum ex euphorbio, & petroleum, quæ calfaciunt, penetrant, siccant, digerunt, & materiam frigidam absumunt. Hæc autem vt calida imponantur, non igne, sed feruente aquâ, aut eius vapore in duplici vase concalescant, ne vis ita dispereat. Sed in his præscribendis à mitioribus auspicandum tum oleis, tum decoctis, ad capitis lotionem vel irrigationem comparatis. Sic verò re exigente in vsum referuntur.

Litus pro capite.

℞. Olei chamæmel. & rutacei, aut (si mitius optatur) olei liliorum, an. ℥iii. castorei ʒi. aut olei è castoreo ℥i. aceti ad penetrationem ℥ß. aut aquæ vitæ præstantissimæ ℥i. Agitentur simul, & admoueantur. Sic & amygdala amara, cum aceto & rosaceo fronti & temporibus illita, aut persicorum nuclei dolorem elidunt. Neque alienum erit, (præsertim maiori perfrictione) theriacâ antiquâ, aut mithridatio, aquâ vitæ, & succo rutæ, vel maioranæ liquato, aut oleis conuenientibus immixto caput illinere. Multò plura eiusdem facultatis vnguenta, lethargo & sopori discutiendo aptabimus. Id tamen discriminis est, quod sopitis sensibus, nec fœtida, nec maximè odorata reiici debent; hîc verò ferri citra molestiam non possunt, tametsi malo alioqui aptissima. In id quoque irrigationes, ac capitis lotiones fiunt, ex eorum decocto quæ suprà recensuimus, hac formulâ.

Irrigatio, seu lotio capitis.

℞. Acori vulgaris, galangæ, iridis Florentiæ, & corticis citri sicci, calami odorati, cyperi, an. ℥i. saluiæ, spicæ, lauendulæ, betonicæ, melissæ chamædryos, chamæpityos, polij montani, sampsuchi, rutæ, serpilli, summitatum lauri, vel thymi, vel centaurij, vel origani, vel calaminthæ, pulegij, (quæ aut virentes aut

ſiccæ vſurpari poſſunt) ana M. i. ſummitatum hederæ & myrti, ana Mß. Baccarum Iuniperi & lauri, ana ℥ß. ſeminis fœniculi, aniſi, & ameos, vel ſeſeleos, vel viticis an. ʒii. florum ſtæchados, roriſmarini, chamæmel. meliloti, ſummitatum anethi, & roſar. ana p.i. fiat decoctio in lixiuio ſarmentorum, minùs acri, aut aqua, cui ſub finem vini albi libra affundatur. Calfacit, exſiccat, diſcutit, & roborat; ſed validiùs contumaces & inueteratos capitis dolores tollit, ſi aſarum, aut pæoniam, aut ariſtolochiam, aut cyclaminum, aut radicem cucumeris agreſtis, aut enulæ, aut ebulorum cymas incoxeris.) Licet quoque præſtantiori effectu oleum componere, omnibus his arefactis, contuſis, & libra vini, aut aquæ vitæ irroratis; deinde in libris duabus olei, fictili nouo vitreato, benéque obturato concoctis, ad vini, aut aquæ vitæ conſumptionem: adiectis etiam, ſi libet, caryophyllis, nuce moſchata, cinnomomo, maſtiche, galanga, zedoaria, ſchœnantho, atque etiam terebinthina. Sic Galenus ſpondylium aut ſerpillum, aut pulegij comam, aut calaminthen, aut ſampſuchum, aut verbenacam rectam, aut rutam, aut aſellos ſub hydriis naſcentes oleo incoquens, craſſorum frigidorúmque humorum reliquias diſcutiebat, ſeruato partis robore.

l. 2. κτ τόπ. c. 2. §. 1.

Paul. l. 3. c. 5.

Singulari quoque experimento veterum: ad Hemicranias, agreſtis cucumeris conciſæ radices, cõiuncta abſinthij coma, oleo chamæmel. vel irino, vel liliorum, vel anethino, vel ſimplici concoquantur, expreſſoque fouetur caput, materia in cataplaſma ſubigitur. Vbi ergo dolor in vetuſtatem inciderit, hæc probari ſolent.

Vnguentum ad Cephalæam.

Hæc formula efficta eſt ad imitationem cuiuſdam alterius, apud Paul. loco cit. aut potiùs eius quæ extat apud Gal. l. 2. κτ τόπ. c. 2. §. 9.

℞. Iridis, peucedani, caſtorei, ana ʒi. baccarum lauri, ſeminis agni, roſar. ſiccar, ana ʒii. ſummitatum rutæ ʒiii. excipiantur cerato roſaceo, vel oleo irino, & addita pauca cera in vnguentum reducantur, quod raſo capiti toto inponitur. Accommodatiſſimum his quibus humores craſſi, vel ſpiritus flatulentus dolorem facit; ſed magis inueterato dolori, adiecta veratri ʒß. aptiùs iuuat quoque aloë, vel ſcammonea temporibus & fronti, ex roſaceo & aceto illita.

Siccæ remediorum ſpecies.

Sacculi.

Quanquàm autem hæc efficaciſſima ſunt, & altè ſubeunt, minus tamen mulierculis atque vulgaribus probari ſolent, quibus ſicca remediorum ſpecies ſemper magis placuit, quaſi rheumatiſmis minùs obnoxia. Itaque nonnunquam ſacculis è milio, ſale, furfure, anethi, coma, baccis lauri, melanthio, ſemine viticis præſtantiſſimo, ſemine aniſi, fœniculi, carui, omnibus vel quibuſdam torrefactis, ad refrigeratum caput; flatúſque diſcutientes, & dolores ſedandos vtimur, præſertim adiecta ruta, pulegio, & chamæmelo. At frequentiſſimè pulueribus & cucuphis, quæ non adeò caput grauant.

Puluis

Puluis Cephalicus.

℞. Caryophyllorum, betonicæ ſiccæ, ſaluiæ, ſampſuchi, melliſſæ aut balſamitæ, aut abſinthij, aut folliculorum ſennæ, an. ʒij. macis, nucis moſchatæ, corticis citri ſicci, calami odorati, grani infectorij, an. ʒiß. cardamomi, piperis, aut cubebarum, aut folij indi, ſi ſuppetat, aut Iridis, aut ariſtol. (vel ſi flatuum ſit ſuſpicio) cumini, fœniculi, baccarum lauri, aut ſeminis viticis, aut dauci, aut granorum pœoniæ, ʒj. florum ſtœchados, roriſmar. & chamæmeli, an. p.j. roſarum p.ß. fiat puluis ſyncipiti inſpergendus præciſis capillis. Idem quoque ſerico raro, bombace, aut raſurâ panni coccinei interiectâ concluſus, adiectâ coriandri, aut vermicis ſemunciâ, & ſi licet ambaris drachmâ, in cucupham refertur capiti conuenientem. Puluis tamen capiti inſperſus commodior eſt, excutitur enim, & nouus quotidie manè reponitur: cucupha ſemper eadem adhibita, & ſudore imbuta, pinguíque ſorde inquinata ſæpiùs nocet. Eſt tamen pileoli loco, cui vis ineſt ad frigidam illius intemperiem, indéque ortos dolores, & cerebrum corroborandum.

Cucupha.

Pulueres cucuphis præſtantiores.

Cerebrum prætereà roboratur, ſiccatúrque, tum iis quæ induntur in aures, vt inſtillatis aliquot guttis olei è ſpica, & rutacei, quibus tandem caſtorei & moſchi tantillum ſit admixtum, (acrius enim putem, tametſi veteribus ſummè probatum ad hemicranias, quod euphorbium vnà cum caſtoreo receperit) tum his quæ vel ſubſtantiâ, vel ſuffitu per nares intrò ſubeunt.

Cephalica per aures, & nares ſuſcepta.

Sic enim moſchus immittitur in nares, atque in pertinaci dolore, caſtorei & euphorbij, ſingulorum gran. ſex. oleo Iaſmino, aut Keirino, aut Irino ſoluta naribus infunduntur. At quæ vaporis ſpecie hauſta iuuant, tutiora ſunt: In id autem è ſuperiore decocto exhalans fumus vtiliter naribus inſpiratur; ſed multò vtiliùs etiam ſuffitûs parantur.

Suffitus, & pomum odoratum.

℞. Ladani puri, ſtyracis calamitæ, nigellæ Romanæ torrefactæ, an. ʒiij. Cyperi, calami aromatici, corticis citri ſicci, Iridis Forentiæ, caryophyllorum, an. ʒij. macis, nucis moſchatæ, florum ſtæchados, roriſmar. & ſaluiæ ſiccæ, & ſampſuchi, & radicis angelicæ, an. ʒiß. florum lauendulæ, & roſarum rubrarum, an. ʒj. ligni aloës, ſi adſit, ℈iiij. puluerizentur terenda, & ladano excepta concinnentur in trochiſcos, lupinorum formâ, pro ſuffitu, adiectâ, ſi opus ſit, paucâ terebinthinâ, aut addito moſchi & ambaris, ſingulorum ſcrupulo ſemis, vel trochiſcorum Galliæ moſchatæ, vel aliptæ moſchatæ ʒiß. cum aqua florum citranguli, factâ infuſione gummi tragacanthæ, fiat pomum odoratum. Vel

Detracto ladano, reliqua in puluerem redacta, linteolo raro conclu-

dantur, adiecto etiam chamæmeli flore, qui olfactu dolorem diſcutit) & ſæpe naribus admoueantur. Cùm laborans deſtillationibus eſt opportunus, ad ſuffitum illis quædam, quæ fluxiones ſiſtant, vt maſtichen, thus, vernicem apponere conueniet, detractâ extenuantium portione, & eâ formâ quam in catarrho deſcribemus. Probatur quoque à multis thermarum naturalium vſus, & quidem rectè in humidioribus, aut balnei calefacientis: hoc ſi tandem adhibendum eſt, nonniſi ex præſcriptæ irrigationis decocto parandum; menſurâ autem quadruplo auctâ.

Therma. Balneum.

Extrema remedia ſinapiſmi, ac phœnigmi, denique cauſtica.
Gal. lib. 2. κατὰ τόπ. verſus finem lib.

Quòd ſi diuturnus & contumax dolor his minimè diſcutitur, iam repetitis purgationibus, ad dropaces, ſinapiſmos, phœnigmos erit deſcendendum, quibus pertinaciter, impactus humor foràs euocetur, & craſſior ſpiritus ex alto in ſumma transferatur. Sic enim Galenus cerato ex euphorbio, ad cephalæas & hemicranias vtebatur, quod conſtat olei libra, ceræque quadrante, euphorbij vnciâ. Idem medicamenta ex fimo columbino, aut ex thapſia, & ſinapi adhibebat.

Tutior verò & mitior eſt ſinapiſmus ex pulpa caricarum coctarum in aceto & aqua, & è ſinapi in aceto triti æquo pondere. Sic Razes inueteratos ex pituita dolores hoc domat auxilio.

Phœnigmus, ſeu veſicatoriũ, ex Rhaſ. 9 ad Almãſ. cap. 1.

℞. Caſtorei, euphorbij, piperis, ſinapi, ſtyracis, rutæ, marrubij, ſingulorum paria pondera, arefacta terantur, & cum vino generoſo cogantur in trochiſcos; cúmque vſus expoſcet, ſoluto vno vini aut olei coſtini, aut chamæmel. permixtione, illinatur anterior capitis pars. Hoc quoque phœnigmo capitis pertinax dolor eximitur.

Aliud veſicatorium.

℞. Pulpæ caricarum, aut fermenti acris, ℥ß. ſeminis ſinapis ʒii. cantharidarum exactè tritarum ℈ij. cogantur inſtar cataplaſmatis, quod imponatur vertici raſis priùs capillis, veſperi illitum per noctem adhæreſcat.

Ruptâ puſtulâ humor ſenſim emanat: & inducto pingui aut leniente vnguento, non antè ſinatur exulceratio ſiccari, quàm vniuerſa doloris cauſa ſit exhauſta. Si ne tum etiam tollitur, vix aliud reſtat, quàm aut cauſtico Vigonij paſtillo, aut candente ferro cruſtam ſyncipiti, vel ſpinæ origini inducere. Quæ cùm deciderit, vlcus diu manans & ſordidum prorogetur, aut globulo ceræ viridis incluſo, aut aſphodelorum radice.

Cauſtica.

Cæterùm, quoniam plerumque hiſce præſidiis tota vix humoris colluuies exhauriri poteſt; quicquid huius reliquum fuerit, aut continenter gignitur, repetitâ purgatione eximi debet. Capitis ab æſtu, aut perfrictione dolores iiſdem alterantur remediis, quibus ſuperiores finiuntur. Non enim euacuantia præſidia deſiderant.

Dolor

Dolor, ventriculi consensu.

Porrò capitis dolor ventriculi consensu exortus, iis finitur, quæ stomachi vitia curant, id est, quæ aut redundantem bilem, aut adhærentem pituitam è primis sedibus per vomitum, vel per aluum detrahunt, & à purgatione ventriculum aut æstuantem, aut refrigeratum, exuperantiâ qualitatum repressâ, corroborant, vapores arcent, qualia suo loco explicantur, præcipuéque diacydonium, & mastiche. Sed interim capiti imponendum oxyrhodinum, aut aliud quod subiectarum partium expirationes inhibeat, & cerebrum firmet. Hoc vnum adiicio, quod ad stomachicas hemicranias quidam singulare putant, vbi frigida causa est.

Pilulæ.

℞. Caryophyllorum, ocymi, rosarum rubrarum, croci, xyloaloës, cinnamomi, stæchados, spicæ nardi, Asari, schœnanthi, seminis Pæoniæ, ana ʒß. tragacanthæ, aut mastiches ℈ii. macis ʒi. Radicis bryoniæ, & aloës hepaticæ, ana ℥ß. cum syrupo de stæchade, cogantur in massam pilularum, ex cuius drachmâ fiant pilulæ sex. Deuorentur per tres horas ante cœnam, bis, térue in hebdomada; Si verò bilis stomachum obsidet, vsurpentur hæ pilulæ, quas superiori capite descripsimus.

Sic quoque ex ebrietate natus dolor reprimendus vomitione, alui ductione, somno, inediâ, quiete, aliísque remediis, quæ cruditates emendant.

Dolor capitis ab ebrietate ortus.

Quamdiu enim ventriculus crapulâ grauatur, incoctúmque vinum fluctuat, tepentis aquæ potu euomendum. Deinde si dolor post concoctionem perseuerat, iis quæ vapores inhibent, tum reuellentibus, tum repellentibus vtendum. Eorum autem quæ contra ebrietatem faciunt, duo sunt genera. Alia quæ refrigerant & repellunt, quale oleum rosaceum, aut myrtinum cum aceto, vel aliud ex his quæ suprà posui. Alia naturali quadam proprietate, aut certè non prorsus manifestâ ratione, nisi fortè discutiendo exsiccandóque vapores, vt brassica, hædera, ruta, centaurium minus, viticis flos seménque, polygonum, amygdala amara, ceruinum cornu; quibus modò assumptis, modò syncipiti admotis, ebrietas finitur: Quocirca prioribus remediis quædam subinde admiscenda, quæ hanc turpitudinem arceant, discutiántve.

Medicamenta amethysta sunt duûm generum.

In id veteres aut myrto, aut brassicâ, aut hederæ foliis, & corymbis cingebant tempora, ad ebrietatem inhibendam. Sic hederæ coma, & corymbi, ex aceto elixantur, & cum rosaceo contriti

contriti vtiliter imponuntur, aut eiuſdem, vel braſſicæ ſuccus cum oxyrhodino. Quin & huius decoctæ, & lenticulæ vſus in id eſt efficax.

Puluis ad ebrietatem arcendam vtiliſſimus.

℞. ſeminis endiuiæ, coriand. præpar. ſeminis braſſicæ, & berberis mundati, Rhoïs, lentium exempto cortice, roſarum, ſpodij, ſingulorum paria pondera, quæ ſimul miſceantur, & in puluerem redigantur, adiecto caphuræ tantillo; huius drachma vna ex ſyrupo granatorum, vel ribis vulgaris, vel de acetoſitate citri offeratur. Ad hæc, mala punica, pyra, pomáque, tum aquæ potio vtiliter aſſumuntur.

Dolor capitis ex conſenſu iecoris, aut vteri.

Cùm iam vini impetus atque feruor reſedit, chamæmelino, aut oleo liliorum caput perfundendum, & temperantia deinceps ſequenda. Sæpe enim dies vnus aut alter totum dolorem hac ratione diſcutit, vtique ſi ex vino, aut cruditate origo eſt.

At ſi è iecinore, aut vtero vitium in caput irrepſit, eadem prorſus medendi ratio eſt, vt imprimis huic parti proſpiciamus, quæ mali fundamentum continet. Veluti ſi iecur ardore flagrat, per ea quæ ipſius ardorem compeſcunt; ſic vteri affectûs ſuis remediis curandi.

Dolor capitis à melancholia.

Dolor capitis à melancholia, & rarior eſt, & diuturnus: qui cùm premit, iiſdem reprimitur, quibus melancholicorum deliramenta leniri ſolent.

CAPVT II.

Melancholia.

Definitio melancholiæ.

Melancholia eſt deſipientia ſine febre, metum & mœſtitiam inferens: melancholicis enim cogitatio, iudiciúmque ſenſim peruertitur, & ſic deprauatâ mentis functione, illi multa aliena voluunt animo, quæ metuant, indéque magnum mœrorem concipiunt: Quocirca Hippocrates hæc duo perpetua melancholiæ ſigna conſtituit. Malum hoc incipiens deprehenditur ex vitæ conditione triſti; metus & mœſtitia diu ſollicitant, taciturnitas, ſolitudo, inanis rerum commentatio, cum abiecto & demiſſo animo: continuæ vigiliæ, aut breues ſomni, & iidem per inſomnia tumultuoſi, atque horrendis ſpectris agitati. Cùm inſania hæc altiùs progreſſa eſt, iam non cogitatione ſolâ, ſed verbo & opere melancholici deſipiunt, & miſanthropi violenter quædam manu faciunt. Etenim alij intra verba deſipiunt, & in taciturnitate miſerè vitam agunt; dein multa aliena, & ſine ordine loquuntur, eáque ferè triſtia. Alij ſunt qui cogitationes ſuas factis explent, qui in obuios horrendo aſpectu irruunt, & immanitate ferinâ, & inuſitatâ rabie,

Melancholiæ ſigna, ex Hip. aphor. 23. ſ. 6.

Melancholici vel ſolâ cogitatione, vel etiam verbis, & factis delirant.

rabie, vnguibus, dentibúsque in vicinos inuolant. Interdum & maiore furore perciti, ac velut efferati, in seipsos crudeliter sæuiunt, quod hoc vltimum genus insaniæ iam propriè mania, siue furor appellatur, quo animus concitatus exardescit. In altero laborantes mitiùs se gerunt, quorum tamen immensa est varietas, ex cogitationum ac morum insitorum ascitorúmque dissimilitudine. Alius enim fictile vas se putat, metuitque ne rumpatur: alius Athlantem olympo aggrauatum: alius gallum gallinaceum, hincque quasi alas expandat, brachia protendit: alius ἀκέφαλον, alius bicipitem se dicit: alius de veneno perperàm conqueritur: hi mortem expetūt; illi perhorrescunt: quidam proni ad risum, ferè omnes ad luctum & lacrymas: alij verò tanquam de cœlo missi supra modum efferuntur, & tanquam Numine afflati vaticinantur: alij se in feras conuersos credunt, quarum voces & rugitûs imitantur, & per siluas & sepulchra miserè vagantur, aut in abditas speluncas se recondunt; alij tanquam in lupos mutati, noctu vlulant, qui ideò lycanthropi nominantur, vt & affectus lycanthropia; In summa quales olim fuerint cuiusque mores, prægressúmque vitæ genus, talis euadit melancholica deliratio; etenim vt in insomniis,, sic & in deliriis concutimur naturæ consentaneis. Melancholiæ causa est crassus & fæculentus humor, aut vapor, in mentis sedem irrepens, aliàs frigidus, qui simplicem melancholiam facit; interdum verò exustus atque retorridus, qui maniam, rabiémque profert. Est enim melancholicus humor duplex, vnus qui sanguinis quasi fæx est & limus, alter cuiusque humoris torrefacti veluti cinis, qui aliàs ex flaua bile fit, aliàs ex melancholia, aliàs ex pituita salsa, aut sanguine feruente & exusto; omnium tamen perniciosissima est atra bilis, quam flaua prassina & æruginosa vniuersali incendio protulit. Ita quidem ater & crassus humor, aut eiusdem vapor caliginosus mentem occupans, cerebri substantiam & temperiem mutat, & spiritûs offendit & obscurat, & quasi tenebras quasdam animo obiicit: quamobrem melancholicis omnia tristia & horrenda visuntur. Vt enim externæ tenebræ terrent, sic melancholicus humor in cerebro exuperans pauorem & mœstitiam infert, fictásque rerum tristium imagines animo repræsentat, quibus insana mens, tanquam veris spectris, perperam assentit.

Quid mania.

Varietas deliramentorum melancholicorum.

Lycanthropia, quid.

Melancholia in genere causa.

Humor melancholicus duplicis generis.

Modus generationis melancholia.

Porrò mali fomes modò in cerebro residet; modò in hypochondrio, præsertim sinistro, delitescit, tetrum de se vaporem in cor & cerebrum expirans; nonnunquam in venis, ac vniuerso corpore continetur. Hinc melancholiæ tres differentiæ consurgunt: vna cerebro assignatur, primariáque est; altera, lienis vicinarúmque partium sympathia fit, quam vocant hypochondriacam, & flatulentam; tertia, quæ totius corporis vitio accidit, illincque cerebro impertitur; quemadmodum & ab vtero, ex retento semine, vel menstruo. Ac primaria quidem bifariam accidit, nam cerebri substantia aliàs delato, tractóve aliunde melancholico humore afficitur, quo tandem imbuta ac nutrita similem naturam

Melancholia triplex differentia, à locorum varietate.

Melancholia primaria causa.

acquirit, aliàs in ipſomet cerebro is humor generatur, nimio eius ardore (ſicut per phrenitidas) aut flauam bilem, aut craſſum ſanguinem exurente. In id quoque maximam vim habet zelotypia, immoderatus & irritus amor, maximus timor cœco & temerario impetu percellens, & curæ graues; hæc enim animum peruertunt, vehemens enim comprehenſio non ſolùm ſpiritûs & humores, ſed & corpus totum cogitantis plerumque immutat.

Melancholiæ vniuerſalis. cauſa & ſigna.

Iam verò totius corporis conſenſu melancholia orta iudicatur, cùm venarum ſanguis craſſus & terrenus eſt, cuiuſmodi ex frigido & ſicco iecoris, & cordis temperamento, aut liene obſtructo cumulatur, ex prouecta & inclinante ætate, prægreſſo victu, & alimentorum craſſorum vſu, vitæ conditione triſti & laborioſa, quin & ſuppreſſis vel menſibus, vel diuturnis hæmorrhoidibus, vel curata varice. Euidentes hæ cauſæ melancholici humoris in venis exuperantiam deſignant, atque etiam faciei color obſcurus & nigricans, corporiſque habitus gracilis, ſiccus & hirſutus, pulſus paruus & rarus, vrina tenuis, & ex albo liueſcens, cruda, interdum etiam craſſa & obſcura. Hypochondriacam teſtantur acidi ructûs, frequens expuitio, ac præcordiorum ardor ſine ſiti, grauitas, diſtenſio, atque fluctuatio, aliaque plurima fuſiùs ſuo loco expreſſa. Sed hinc præcipuè diſtinguitur, quòd melancholica ſymptomata cruditate intendantur, à coctione, excretione, flatibus emiſſis, vomitu, & ructu remittantur: Quæ autem propria dicitur, fit cerebri affectu, citra præcordiorum aliarúmve partium affectionem, perpetuò ferè laborantem & grauiùs angit. Mania verò eos perpetuò adoriri ſolet, quibus iecoris ardor, aut victus calidior plurimam bilem flauam cumulauit, quæ diu cohibita degenerat in atram. Sic etiam poſt febres ardentiſſimas, & ab æſtu, aliiſque cauſis calidioribus exuſtus ſanguis tandem in melancholiam faceſſit.

Hypochondriacæ mecholiæ ſigna.

Melancholiæ primariæ ſigna.

Maniæ cauſa.

Rabies canina.

Huic finitimum furoris genus eſt, quod ex canis rabidi morſu inducitur, aquæ metum afferens, vnde Hydrophobia appellatur: In hac æger ſitit, æſtúque flagrat.

Curatio.

Prognoſis.

Hoc inſaniæ genus quod conſiſtit in triſtitia, & ſine febre eſt, ſpatium longiſſimum recipit, cui inter initia tamen protinùs occurrere neceſſarium eſt; neque enim is morbus cùm inueterauerit, euincitur, quandoquidem & ſiccus eſt, & cerebri naturæ repugnans, imminutíque ſpiritûs, neque inſaniens medicinæ paret, iam euictâ mentis arce. Sed & melancholiâ in apoplexiam, epilepſiam, conuulſ. furorem, aut cœcitatem facilè conuertitur, niſi ſedulò proſpectum ſit.

Aphor. 56. ſect. 6.

Cura

Curationem hæc tria complent. Primum quidem ad causam summouendam diligens præparatio, eiusdémque blanda & crebra euacuatio atque reuulsio; posteà quæ siccam intemperiem altè infixam corrigunt. Postremò quæ cordi & cerebro robur conferunt; non neglectâ interim symptomatum sæuitiâ. Pigra aluus hoc clystere quamprimum ducenda.

Scopi Medici, in hoc affectu tres.

℞. Radic. althææ, & liliorum, an. ℥ii. maluar. alth. mercurial. acanth. violar. borrag. & fumar. Siquidem tum viget, an. M. i. passul. mundat. & prunor. dulc. ana par. xx. sem. lini, & fœnigr. ana ℥ß. anisi & fœniculi, quandoquidem melancholici flatulenti, ana ʒii. sem. melon. & cucurbit. contus. humectandi gratiâ, ana ʒiii. folliculorum sennæ orient. & sem. cartham ana ℥i. flor. trium communium, ana p. iß. summitatum anethi, florum camomill. melil. vel thymi, ana p. i. aut si exustus humor est, hordei p. i. coquantur, & in colatura dissolue cathol. vel cassiæ præstantissimæ, quia humectat, si flatum discusseris, ℥i. diaprun. simpl. ℥ß. ol. viol. vel camomil. vel lilior. vel amygd. dulc. ℥iii. mellis violat. ℥iß. cui nonnunquam succi mercurial. vel betæ ℥j. affundes. Huius crebrâ iniectione seruanda aluus quàm tenerrima. Cùm deinceps ad extremum ventum est, hieræ diacolocynth. quæ Elleborum recipit, & catholic. ana ℥ß. dissoluitur, aut saltem diasen. vel confect. hamech. ℥ß. adiectis etiam decoctioni epithymo, polypod. & sennâ.

Clyster.

Cels. l. 3. c. 18

In hac sæpe vtilis detractio sanguinis, interdum & inutilis: ex quo inter Græcos & Arabes de eâ non conuenit: itaque antequàm decernatur, distinguenda sunt melancholiæ genera, atque mali scaturigo internoscenda. Etenim hypochondriacam & flatulentam vena secta curare non tutum est, nisi ex suppressis mensibus, aut hæmorrhoidibus ea prodierit, quorum gratiâ poplitis, aut malleoli venam secare conuenit, & subinde cucurbitulas admouere. Quòd si melancholia ex corporis vitio est, cuius venæ melancholico sanguine confertæ impuritatem in cerebrum refundunt, aut etiam citra plenitudinem ipsi impertiunt, omninò venæ sectione medemur, nisi quid hanc prohibeat: etenim venarum cacochymiam expeditissimè imminuit. Cùm autem primaria illa est, cuius efficiens humor in solo capite consistit, siue illic genitus sit, aut aliunde confluxerit, sanguinis missione non indiget, nisi fortè alia ex causa. Nunquam enim in sanguinis penuriâ, & corporis extenuatione sanguis mittendus. In vniuersum à plenis, turgentibúsque venis, si non prosit, obesse tamen non potest moderata sanguinis missio. Plenitudo autem hæc meliùs ex media cuiuslibet cubiti, commodissimè tamen sinistri venâ detrahitur, ídque partitè, & aliquantò parciùs; non enim eò vsque calida est, vt refrigerationem desideret: & latiore fissura, ex quâ si purior sanguis & tenuior effluit, protinus est cohibendus. Sunt qui neque sanguinem mittendum censeant, nisi binâ purgatione præmissâ,

Venasectio quando conueniat, aut secùs.

vt inde humor æquabiliter ſanguini permixtus, & imminutus, promptiùs fluentis ſanguinis impetum ſequatur.

Neque verò illorum probanda ſententia, qui minores venas diſtantiore loco ſecant, quòd his humor in intimo corpore latens pigrior ſit, & non niſi è patentibus educi poſſit. Ita quidem de venæ ſectione in melancholia ſtatuendum: ſed præſtantior & accommodatior purgatio eſt. Hæc autem communiter adhiberi nequit ante præparationem idoneam. Etenim melancholicus humor frigidus, craſſus & terrenus, atque etiam ardore reſiccatus ægerrimè deducitur, ac veluti fixus ſubſiſtit in via. Quocirca lenientibus ac blandè humectantibus demulcendus eſt, atque ad purgationem iis, quæ mediocriter attenuant, præparandus. Leniunt quidem viola, borrago, bugloſſ. pomorum redolentium ſuccus, meliſſa, paſſulæ, liquiritia. Veriùs autem præparant, quæ moderatè calida incîdunt, & leuiter detergũt, modò lenientium & humectantiũ, quæ dixi, permiſtione tẽperata ſint, ne ſiccitate officiant. Eam præparandi viam habent ſcolopendr. polytrich. lupulus, fumaria, caſſutha, quibus ſi craſſior eſt humor, radices aperiẽtes adduntur: quemadmodum ſi è liene vitium proſilit, additur radix capparis & tamariſc. huiuſque & geniſtæ flos, pimpinella, chamædr. Interdum etiam quæ leniter expurgant, vt polypodium, epithymus, ſenna: plerumque aliqua cephalica, vt betonica, ſtœchas, thymus, anthos, maximè ſi frigidus eſt humor, quæ præcipuè laxantibus apozematis inſeruntur. Compoſiti verò ex iis ſyrupi extant, ſyrup. borrag. bugl. viol. lupulor. è pomis redolent. capillarium, è ſcolopend. è radicibus ſine aceto; his humor melancholicus, qui tanquam ſanguinis fæx eſt, ac limus, nullius caloris particeps, exquiſitè præparatur. Cùm autem atra bilis ex præaſſatis humoribus genita eſt, qualis quæ maniam profert, iis tum domanda, tum præparanda eſt, ſed admiſtis prætereà frigidis & attenuantibus, quæ bilis acrimoniam reprimere ſolent, vt cichorium, omniáque intybi genera, acetoſa, hepatica, agrimonia, frigidáque ſemina. Hæc iam in compoſitiouem referamus.

Purgatio in hoc morbo neceſſaria, poſt præparationem.

Præparantia varia, tam ſimplicia, quàm compoſita.

Quæ præparantia maniæ ſpeciatim adhibenda.

Apozema.

℞. Aſparag. ruſci, graminis, infuſor. in vino albo, aut ſi lienis tumor & obſtructio ſubeſt, in aceto, ana ℥i. liquirit. ʒvi. ſummit. lupul. fumar. mercur. vtriuſque, bugloſſ. cum toto, ſcab. meliſſ. herbar. capill. atque ſi exuſtus eſt humor, endiuiæ, cichor. roſtri porcini, ana Mi. ſi terrenus, vel frigidus, beton. vel Thymi, ana tertiam partem Mj. prunor. dulc. paſſul. mundat. & iuiub. vel ſebeſt. ana par. x. ſi atra bilis, tamarindor. ʒ i. ſem. aniſ. & fœnic. ana ʒ ii. quatuor ſem. frigidor. ad ſiccitatem corrigendam. ana ʒ iii. aut ſi fæculenta melancholia eſt, ſem. citri, cuſcutæ, & melonum parem modum, flor. trium communium, & tamariſci, ana p. ii. flor. pomorum recentium, & violarum, ana p. iii. aut flor. maluar. ſi temporis conſtitutio ferat, tantundem fiat

deco

decoctio, cui sub finem affundatur ſucci pomorum, redol. aut eius defectu, ſucci bugloſſ. ℔ß. ſacchar. q.ſ. fiat apozema clarif. & aromatiz. ʒii. puluer. diamarg. fr. ad v. vel vi. doſes Idipſum blandè quoque purgationem ſortietur, adiectis decoctioni follic. ſenæ orient. polypod. & ſem. cartham. ana ℥ii. epithymi ℥ß.

Syrupus ad craſſam & fæculentam Melancholiam.

℞. Syr. è bugl. capill. vener. & viol. aut è liquirit. aut è cortice, citri ana ℥ii. ag. ſtillat. meliſſæ, borrag. fœnic. beton. ana ℥ iiii. puluer. diamarg. & electar. de gemm. ana ℈ ii. fiat ſyrupus pro quatuor doſibus. Si craſſior eſt humor, iique viſcera obſtruit, attenuare licet, atque diſcutere aceto, non quidem ſolo, ſed aliis permiſto, tametſi acetum copioſius, iis aduerſiſſimum ſit, quibus vniuerſum corpus humore melancholico confertum eſt, & quibus vigiliæ moleſtæ ſunt. Proinde mirari ſubit Paulum, & Aëtium, dormituris aceti acerrimi ſorbitionem imperaſſe, niſi fortè obſtructis (vt dixi) viſceribus, id audiendum putes.

Monitum circa aceti vſum.

Paul. lib. 3. c. 14. Aët. tetrab. 2. ſerm. 2 cap. 10.

Syrupus ad atram bilem.

℞. Syrup. pomor. redol. violar. & capill. aut endiu. ſimpl. ana ℥ii. aq. bugloſſ. cichor. lupul. meliſſæ, ana ℥iiii. puluer. triaſant. aut diamarg. ana ʒiß. fiat ſyrupus.

Nonnulli ante purgationem, craſſum humorem balneo præparare iubent; hunc enim emollit, attenuat, & colliquat, vt dein facilè trahenti medicamento cedat.

Iam præparatum humorem ſequitur vt purges, quem blandis ſenſim pharmacis detrahere conuenit, non temerè vehementioribus impetere, ne tanquam ardentiſſima flamma, quidquid tenacis ineſt humoris protinus abſumant. Itaque ſi quando illis vti neceſſitas cogit, vehementior ipſorum vis, leniente & humectante quopiam vel ſyrupo, vel iure mollienda eſt, & cardiacor. permiſtione frænanda, ſæpiúſque liquidâ quàm ſolidiore formâ præſcribenda, hoc modo.

Purgatio qualis inſtituenda.

Melanagogum.

Potio purgãs.

℞. Hordei contuſ. & flor. communium, aut flor. fumar, & malu. ana p.i. liquirit. ʒiii. paſſul. mundat. & prunor. dulc. ana par. xv. ſem. malu. & bombac. mundat. ac melonum, ana ʒiß. aniſ. & fœnic. ana

ʒß. fiat decoctio, & in colati iuris ℥iiij. dissolue, cassiæ ℥ß. diasennæ solut. ʒiij. syrup. violat. ℥j. aut si pleniùs purgandum, syrup. fumar. aut de epithym. ℥iß. misce, fiat potio. Vel hoc modo.

Alia potio.

℞. Follicul. sennæ Orient. epithymi cretens. an. ʒij. efferuescant in prædicta decoctione, & in colat. quart. j. dissolue cathol. vel confect. hamech. ʒiij. sytup. capill. vener. vel de scolopendr. ℥j. fiat potio. Eadem retorridam bilem atram euacuat, sed admistis cholagogis, quòd ex citrina, vel prassina ardoris incendio fiat.

Atram bilem detrahens.

Potio purgans.

℞. Rhei electi in aquâ ediu. infusi, & expressi, ʒiß. cinnamom. interior. gr. viij. diaprun. laxantis, & confect. hamech, (vel electar. de succo rosar. & diasennæ solut.) an. ʒiß. syr. violat. ℥j. aq. bugloss. q. s. fiat potio. Quòd si violatus syr. ex nouem infusionibus extet, medicatis potionibus vtilissimè insereretur: sed ex eo demptâ vehementioris ʒj. At neque myrobal. neque syrupo ros. conuenienter purgamus, quòd astrictionis expressa vestigia relinquant, terreo humori aduersa.

Quoniam autem genus hoc insaniæ longissimum est, repetenda ex interuallis purgatio est. Huius ratione vel eadem resumuntur, vel syrupi cathartici imperantur, vel opiatæ purgantes, vel decocta.

Syrupus Catharticus.

℞. Præscripti apozematis ℔ij. adiectis, vt dixi, sennæ, cnici, & polypodij, an ℥ij. epithymi ℥j. in percolato iure dissolue succi mercurial. ℥iiij. succi pomor. ℥ij. syr. rosat. laxant. aut potiùs violat. ex nouem infus. ℔ß. sacchar. optimi q. s. fiat syrupus perfectæ decoctionis clarificatus, qui reseruetur vsui in sequentem modum.

℞. Præscripti syrup. ℥iiß. decoctionis buglossæ & fumar. tantundem, aut iuris galli. Misce, & exhibeto bis aut ter in mense. Licet & ex succis ita comparare.

Syrupus alius.

℞. Succi fumar. lupulor. borrag. & bugloss. depurator. an. ℥iiij. succi pomor. redol. ℥iij. succi mercurial. ℔ß. follicul. sennæ ℥iij. epithymi ℥j. anis. ʒij. Hæc infundantur & macerentur horis xxiiij. in succis; dein coquantur cum idoneâ sacchari quantitate ad perfectionem syrupi, qui clarificatus, & ʒj. cinnamo. aromatiz. seruetur vsui sescunciæ pondere, aut duarum vnciarum, ex æquali decocto buglos. lupul. fumar. aut lactis sero.

Eandem vim habet syr. de fumar. compositus, & de epithymo, & è pomis compositus, quibus nonnisi præmissâ præparatione vti expedit.

Opiata.

Opiata.

℞. Cathol.& caſſiæ recèns extractæ, an. ℥iß. confect. hamech. & diaſenæ ſolut. an. ʒvj. rhéi electi aquâ endiu. irrorati ℥ß. cum ſyr. violat.fiat opiata,cuius detur quantitas ʒvj.

Hoc quod ſubiiciam medicamentum, melancholiam & bilem exuſtam blandè alioqui, ſed tamen lentè purgat, nullâ qualitate infensâ.

Potio.

℞. Follicul. ſenn. aut epithymi Cretenſis, an.℥ß. aniſ. ℈ij. cinnamom. ℈ß. infundantur totâ nocte in ʒvj. ſeri caprilli, manè parum efferueſcant, dein colaturæ ℥iiij. diſſolue mannæ recentis, vel ſyrup. roſ.℥j. fiat potio, quâ poſt extractam purgationem ſeptenis circuitibus vti conueniet. Idem iure galli antiqui præſtabitur, quocum polypodium, ſenna, & epithymus coxerint, quemadmodum in tabe exponetur.

Porrò mox à purgatione, conuenienter cientur hæmorrhoides ac menſes, præſertim ſi humorum conſueta vacuatio, aut ſuppreſſa, aut imminuta fuerit, ſic enim teſtatur Hippocrates, melancholicis hæmorrhoïdes ſuperuenire,bonum.

Reuellentia varia.
Aphor. 11. & 21. ſect. 6.

Quinetiam cucurbitulas ſimplices admouere iuuat, & cruribus, & humeris, rarò autem incisâ cute. Atque in humore tetorrido, qui inſaniam efficit, hirudines capiti affigere: & cùm excandeſcit malum, frictionibus & vinculis extremarum partium, à cerebro & corde melancholicos vapores euertere. Quemadmodum & ſponte ſuperueniens ſcabies, aut vitiligo, aut alia cutis infectio iuuat, niſi vlcera quædam altè impreſſa ſint.

Vtile prætereà, maiore morbi tranquillitate, errhinis, & apophlegmatiſmis mitioribus impacti humoris portionem deriuare. Cæterùm inter hæc ſeduló humectandum corpus, diluendáque terrenæ melanlancholiæ materia, & cerebro cordíque proſpiciendum. Quæcumque id præſtant, vel aſſumuntur, vel admouentur: aſſumuntur quidem ſyrupi,decocta,iulepi,opiatæ, & electaria.

Deriuantia.
Alterantia varia interponenda purgantibus,tam aſſumenda quam admouenda.

In ſyrupis præſtantiſſimi ſunt violatus, è bugloſſo, è pomis fragnantibus, qui diſcutiunt melancholicorum imagines, & cor lætitiâ perfundunt. Humectat autem egregiè maluæ ſemen tritum, & quotidie ʒij. pondere, cum aquâ aut decocto bugloſſ. & liquirit. potum.

Opiata.

Opiata.

℞. Conseru. radic. bugl. & violar. an. ℥iß. conseru. flor. borrag. & capillor. aut de scolopendr. in bile retorridâ, an.℥j. myrobal. emblic. saccharo condit.confect. alkerm.aut diamosch. aut confect. de hyacint. an.℥iij. puluer.lætific. descript.Mesuæ, aut lætitiæ Gal. & & è gemmis, an.℈ij. pulueris diamarg. frig. aut diarrhod. aut si humor exustus est, puluer. triasant. ʒiß. syrup. è pomis redol. aut conseru. radic. bugloss. aut violar. q.s. Reduc in formam opiatæ, ex qua detur quotidie manè instar nucis iuglandis, insuper haustâ aquâ stillat.bugloss. & melissoph. aut decocto borrag. lupul.endiu.melissæ.

Eadem in conditum formabitur, loco syrupi addito saccharo viol. Eiusdem facultatis aliæ in cardiacis notantur, quemadmodum & electaria quæ mœrorem & melancholiam discuti unt, sicut etiam epithemata, atque sacculi, aliàs calida, aliàs temperatiora, cordis palpitationi accommodata, hîc locum habere possunt.

Balnei vtilitas. In extremis autem melancholicorum remediis, primas tenet frequens aquæ dulcis balneum, quo tamen minimè proritentur sudores, sed tantùm emolliatur & colliquefiat terrenus humor, & corpus strigosum madore proluatur. Itaque mox à balneo leniter corpus perungendum oleo sesamino, vel liliorum, vel amygd.dulc.

Balneum.

℞. Radic.althææ, ac lilior. an.℔iiij. folior. lactuc. cucurbit.acanthi, maluar. violar. borrag. & bugloss. cum toto, an. M.iiij. betonic. & melissoph. an. m.j. sem. lini & altheæ, aut malu. an. ℥iiij. hordei integri parum confracti, p.iij. flor. stæchados, rorism. camomil. & trium cordial. an.p.ij. aut violar. p.iiij. rosar.p.j. coquantur in iure capitis & pedum & intestinorum veruecis, affundendo sub decoctionis finem, olei dulcis ℔ij. aut violar. lilior. & amygd. dulc. an. ℔ß. pro balneo, in quo tepente residere debet æger ad volupt. dein ex oleo leniter perfricari; atque interim caput eodem balneo perfundi, nisi destillationibus obnoxium est, aut proximo decocto fouere, quod humoris reliquias pariter discutit : hîc enim humectantia blandè dirigentibus commiscere conuenit, ne iis, illísve solis, humor crassescat.

Fotus capitis.

℞. Melissæ, betonic. borrag. maluar. althææ, hyssop. vel thymi, saluiæ vel sampsuch. an. m.j. folliculor. senæ ℥ij. epithym. ℥ß. fœnigr. ℥iß. flor.camom. melil. & cymarum anethi, an. p.ij.flor.viol. vt pariter

hume

humectet, borrag. bugl. stæchad. & rosar. an piß. fiat decoctio, quâ tepefactâ, perfundere caput oportet. Quidam etiam id fouent tepido lacte, aut solo, aut cum iure intestinorum & capitis veruecis, in quo senna leuiter efferbuerit, adiecto etiam butyro quàm recentissimo. Quidam id præstant luteis ouorum impositis, ventre agni proprio calore tepente, aut pulmonibus ouillis admotis, qui subinde tepido decocto immersi reponantur, aut catulis per medium dissectis; mox olea hæc illita iuuant, quæ non solùm discutiunt, sed etiam humectant.

Fotûs alij capitis.

Illitus.

℞. Ol. camom. violat. & aneth. vel amygd. dulc. vel sesamini, vel lilior. an. ℥ii. Misce. Interdum etiam olei crocei ℥ß. vtilissimè immiscetur. Cerebrum verò recreat moschus violaceo, aut lacte solutus, & naribus inditus.

℞. Aq. rosar. & flor. citrangul. an. ℥iii. flor. nymph. violar. malu. borrag. althææ, anethi, & melissæ, an. p.i. coriandri præpar. ʒii. gran. tinctor. ʒi. paululum feruescant, indéque emergentem vaporem æger inspiret. In pulueribus autem & cucuphis, humectantis præsidij, vel nihil vel parum est.

Suffitus humidus.

Sin humor adurens est, vt in maniâ, eiúsque ferocia maior immineat, furoris impetum arcebunt, quæ capitis ardores ac phreniticides compescunt, maximè verò quæ ex iis pariter humectant, in quibus præcipua vis est curationis, vt olea violar. nymph. è sem. cucurbitæ, è semine lactucæ, mucagine psyllij, althææ, admisto aceti tantillo.

Topica in maniâ, capiti adhibenda.

Quin etiam lacte multo tepente, butyro recenti, iure capitis, & (vt dixi) pedum veruecis, perfundere caput expedit aut decoct. viol. nymph. lactuc. camom. sem. frig. hordei mundat. sem. althæ. sem. lactuc. papauer. maluar. & similium, rasuræ cucurbitæ, adiectâ stœchade, cuius etiam vapore per nares hausto, cerebrum madefit & iuuatur, perinde ac oleo è semine cucurb. maluar. nymph. lacte tepido, caphurâ lacte solutâ, & aliis in nares inditis.

Si vigiliæ vrgent, vt ferè sunt pertinaces, diacòdion, aut syrup. è papauer. dandus est, & ad ea recurrendum, quæ in phrenitide somnum conciliare dicemus.

Ad vigilias

Potio somnifera.

Quadam tamen calidorum permistione narcotica vis corrigenda est, vt chamæm. aneth. vel artemisia. Et ex assumptis, idem quoque in somniferis potionibus seruandum.

℞. Puluer. diamarg. frig. ℈ii. confect. alkerm. aut Diamosch. aut de hyacintho ℈i. syrup. è papauer. ℥iß. aq. lactuc. & nymph. aut buglosf. ana quantum satis, syrup. violat. & nymph. ana ℥i. detur horâ somni: quo tempore vtilissimè narcoticâ decoctione fouebun-

tur tempora, & partes extremæ illinentur, ſoporifica naribus obiicientur.

Globulus ſomno aptus.

℞. Opij ʒiij. ſtyracis ʒii. croci, iridis, & florum narciſſi, ana ʒi. Miſce, fiat pomum, naribus frequenter admouendum, donec ſomnus inuaſerit.

Si inſania remiſerit, impactæ humorum reliquiæ, iis quæ ſuprà poſui, diſcutiendæ erunt, atque inprimis cor roborandum epithematis & ſacculis quæ ipſius palpitationes inhibent, & cùm licet, affigendæ humeris cucurbitulæ. Remittendus ſiquis ſit iecoris ardor, atque ſi ex efferueſcente ſanguine ſit orta mania, poſt humerariam, ſecta in fronte vena iuuat: alioqui ſi ex bile proceſſit, venæ ſectione furor magis incenditur.

Reliquis non conferẽtibus, ad helleboriſmum rectè in maniâ confugitur.

Si per hæc parùm proficitur, & nihilominùs æger inſanit, is tum helleboro indiget: At quia perniciem obtinet veneno finitimam, nonniſi ætatis flore, aëris clementiâ, & conſtantibus viribus imperatur, & tum demum cùm morbi contumacia mitioribus vel iteratis non ceſſerit. Varia helleboriſmi ratio veteribus fuit, omnium tamen mitiſſima eſt, quæ per radiculam fit veratri albi ramis transfixam, & in oxymelite diem integrum maceratam, ſic vt oxymel id propinetur, vel ſic. Radicis fibræ, à ℈i. ad ℈ii. in raphani radicem infiguntur, iiſque poſtridie exemptis, raphani radix offertur. Aut hæ fibræ in iure pingui, aut in aq. hordei, alióve leniente ſyrupo, aut in decocto paſſul. prunorum, iuiubar. liquirit. violar. cum cinnam. & aniſo, coquuntur, aut macerantur nocte vna, expreſsúſque liquor addito ſaccharo exhibetur.

Helleboro albo vomitio, nigro melancholiæ per inferiora purgatio inſtituitur. Satius tamen eſſe putem, eo iam diuturnâ compoſitione, & aliorum permiſtione fracto, quàm vel ipſius diluto vel decocto vti: Ita quidem hiera diacoloc. ex ſyrupo violato, aut lactis ſero, datur vtiliter in melancholiâ, maniâ, epilepſiâ, & aliis ex atra bile affectibus, quando leniora aſpernantur pharmaca.

Celſ. loc. cit.

Sin autem delirans medicamentum in potione reſpuit, adiiciendum id eſt vel pani vel ficubus, aut palmulis, aut prunis, vel ouis molliuſculis, aut offâ ſubtiliſſimè obtegendum, quò faciliùs fallat. Si ne ſic quidem is morbus diſcutiatur, vltimum eſt ac perutile, capitis verticem adurere, aut cauſticum ceruicis initio imponere, ſic vt cruſtâ reſolutâ vlcus manans prorogetur.

Pyrotica.

Furor vterinus, nec non hypochõdriaca paſſio quid deſiderent.

Si vterinus furor & ſtrangulatus, excuſſo in cerebrum vapore, occupatáque mentis arce, hoc deſipientiæ genus inuexit, vtero inprimis eſt proſpiciendum, iis mediis quo vterinâ præfocatione oppreſſas leuant. Quod ſi hypochondriacâ eſt, ea facienda ſunt, quæ hypochondriacis & flatulentæ affectioni præſcribi ſolent.

CAPVT

CAPVT III.

Phrenitis.

PHrenitis est cerebri inflammatio mentem conturbans. Cerebrum intelligo suis meningibus conuestitum, in quas sæpe inflammationis vis maximè confertur; vnde meningum potiùs inflammationem quidam dicere maluerunt, quandoquidem ob ingentium & multiplicium venarum & arteriarum propagationem, illæ inprimis sint inflammationi obnoxiæ. Adeò tamen cerebro coniunctæ sunt, & altiùs implicatæ, vt ipsis inflammatis subiecta cerebri substantia quàm mox vim phlegmones experiatur, & hac primò inflammatione obsessâ, illæ protinus incalescant & inflammentur, comite semper cum febre insaniâ. Desipientia quæ cum febre, est aut phrenitis, aut simplex delirium, quod παραφροσύνην Græci dicunt. Distant autem, quòd simplex delirium fit cerebro duntaxat incalescente; at phrenitis, ipso verè inflammato. Itaque phrenitis semper morbus est, ac febrem infert; delirium autem non febris causa, sed eius aut grauioris morbi symptoma est: hoc enim fit, cum sursum impulsus tenuior sanguis, aut acrior bilis eò rapta, vapórve feruentissimus è subiectis partibus, & per febrium ardores, in cerebrum elatus, id supra modum calefacit & siccat, atque eius spiritûs variè dispergit & exagitat; phrenitis verò semper ex proprio fit atque primario cerebri affectu, vt ex phlegmone, vel erysipelate: quapropter illic intermittens, hîc continua dementia est.

Definitio.

Desipientia cũ febre, duplicis est generis.

Quid differãt inter se, delirium simplex, & phrenitis.

Hæc ergo fit, cùm tenuis & biliosus sanguis, vel copiâ, vel tenuitate, vel feruore & acrimoniâ, vel externarum causarum impulsu, è capitis venis apertis, ruptis, vel exesis affatim prorumpens, in cerebrum & meninges, immoderatiùs effunditur: At in delirio sanguis extra venas non effertur, sed in capitis venis conclusus, impetu quodam iactatur & efferuescit; quò autem humor is mitior, hoc leuiorem desipientiam infert, grauiorem autem, quò fuerit acrior.

Modus generationis tum Phrenitidis, tum simplicis delirij.

Ex phreniticis alij hilares, alij tristes sunt, alij consurgunt & violenter quædam manu faciunt. Ita quidem ex delirij specie, eius causa dignoscitur: & ex sanguine iucunda; ex melancholico humore, metuenda; ex bile, furiosa & effrænata delirantium animo iactantur. Protinus insania timenda est, vbi expeditior ægri sermo est, subitáque loquacitas orta est, & hæc ipsa solito audacior, & immoderatior gestus, effrænatáque impudentia: vbi rarò quis & vehementer, nullóque ordine spirat, pulsúmque

Cels. loc. cit.

Causa delirij. ex ipsius specie dignoscitur.

Signa delirij, seu imminentis, seu præsentis.

Cels. l. 2. c. 7.

concitatiſſimum habet : oculorum quoque ferocitas , & frequens inordinatúſque motus , nullo dolore premente ſomnus ereptus, continuatáque nocte & die vigilia : proſtratum contra conſuetudinem corpus in ventrem , ſic vt ipſius ventris dolor id non coëgerit ; item robuſto adhuc corpore inſolitus dentium ſtridor : contracta aluus præter conſuetudinem : vrina repentè clarior , albiórque facta, delirij ſigna ſunt.

Delirio aliàs omnes, aliàs vna aut altera ſolùm Principum functionum obladi ſolet.

In hoc autem aliis cogitatio ſola , aliis iudicium peruertitur, aliis memoria concidit : Quæcunque enim facultas , aut naturâ , aut morbo imbecillior fuerit, accedente delirij perturbatione promptiùs offenditur, quæ verò firma eſt, minus offenſionis & iacturæ ſuſcipit. Quapropter alij floccos in veſte legunt, fimbriáſque legunt; vel in adiuncto pariete, ſi qua minuta eminent, carpunt, alij peruersè iudicant , & præpoſterè ratiocinantur , alij præteritorum minimè meminerunt ; alij omninò delirant, multáque abſurda & aliena ſimul cogitant, loquuntur, atque faciunt, ſed leuato febrium impetu protinus mens redit.

Signa phrenitidis inchoatæ.

Phrenitis verò tum demum eſt, cùm perpetua dementia eſſe incipit, in hac primo aditu febris acuta, & typhodes, vehemens capitis dolor, oculi torui, horrendi, flammei, & truces lumen eiaculantur, modò etiam tanquam fixi emicant : exiles eorum venæ rubent, atque diſtenduntur, & ij quoque lucem refugiunt : pulſus durus, atque idcircò paruus, mirè celer, & frequens, interdum tremulus, vibratus, ac deficiens

Signa phrenitidis perfectæ.

Perfecta eſt, vbi maximè furor & vigiliæ vrgent, atque intentâ febre, lingua exuſta, arida & nigricans ſitim non exprimit, ac ſæpè excita circumuoluitur : oculi ſqualidi & concaui, modò ex altero eorum acris lacryma effunditur, ac dein lippitudo angulis inhæreſcit, modò ſanguis ſtillat è naribus. Nil æger quod premat, ſentit, quia mens laborat, & ſenſus aliò diſtrahitur, ideóque ſæpiùs nec vrina, nec alui fæces exeunt, quandoque imprudenter excernuntur. Reliqua inſaniæ ſigna hîc etiam apparent, ſed multò ſæuiora. Æger loco ſtare nequit, & furens huc illuc effrænatè agitur : tum quidem firmiſſimus corporis motus, & validum muſculorum robur eſſe videtur, id tamen reuera non ſic habet, nam mouentur phrenitici extremo facultatis conatu, dum furore perciti, menti conturbatæ parent, eiúſque impetu rapiuntur & violentiùs impelluntur : itaque neruorum accedit ſubſultus, quo artûs omnes quaſi ſaltu tremulo iactantur, & vis corporis minuitur, & id ſudore nimio digeritur, dum tandem occumbat.

Phrenitis diaphragmatica.

Porrò phrenitidi veræ ſimillimum id delirium eſt, quod inflammatum diaphragma ſuſcitauit, in quo neque declinante inflammatione quieſcit inſania; hîc quippe tanta mentis eſt perturbatio, vt non immeritò in eâ parte Antiqui mentem collocârint : Verùm hîc

intenta

intenta præcordia quasi sursum reuelluntur, protinus spiratio difficillimâ, id est, parua admodum, frequens, penéque suffocans, & cùm delirium superuenerit, magnâ varietate inæqualis. Illic autem magna, & ex longis interuallis est, oculi rutilant, & facies inflammata rubet. Cætera ferè æqualia.

Curatio Phrenitidis.

Prognosis. Immanis & ferox morbus est, neque qui eâ tenentur, libenter medicinæ parent, neque facilè cogi possunt. Quapropter antequàm morbi furor excandescat, conuenientibus remediis sedulò coërceri debet: alioquin exitiali vi, auctâ inflammatione, & grauiùs obsesso cerebro, frustra succurritur. *Scopi totius curationis.* Curationis vniuersæ duo sunt capita, primùm enim quod fieri potest, & futurum est, inhiberi debet & intercipi, ídque efficiente eius causâ sublatâ; deinde quod factum iam est, discuti ac verè curari: Inter hæc tamen, sæuissima symptomata, vt vigiliæ, deliria, intercedunt, quibus etiam obsistendum. Inhibebitur fluxionis impetus venæ sectione, clysmo, purgatione leni, syrupis, & potionibus refrigerantibus, cucurbitulis scarificatis, frictionibus, vinculis extremorum, fotu, denique repellentibus capiti admotis, de quibus omnibus etsi non aliter quàm in capitis dolore, sit decernendum, hîc tamen quò res illustrior euaderet, nonnulla inserere volui. *Venæsectio.* Quacunque ergo diei, noctísque horâ primùm appuleris, mox humerariam dextram, aut hac non apparente, medianam aut basilicam pertundito, si vires annuant: & sanguinem vberiùs quidem in phlegmone, parciùs autem in erysipelate detrahito; sed id angustissimâ apertione tentandum, quâ tenuior, feruidiórque sanguis potiùs effluat, & vena tutiùs coalescat, quam nihilominùs firmiter ligare, aut emplastro astringente obducere conuenit; semper enim pertimescendum ne soluto vinculo, temeritate phrenitici, vena dehiscat, & sanguinem refundat: Atque interim prudenter obseruandum, ne æger iactatione immodicâ scalpelli ictum eludat, vel effrænato impetu sibi noceat. Sed & interdum desipiens manum non porrigit, vt ministris opus sit: Quamobrem eos qui violentiùs se gerunt, vincire conuenit, & maiore furoris tranquillitate venam secare. Si metu aut imbecillitate, alíisve occasionibus administrari nequit, huius vicem hirudines, cucurbitulæ scarificatæ natibus aut humeris affixæ tempestiuè suppleant.

Clyster. Sectâ iam venâ, recreatísque aliquantum viribus, mox clystere aluum deiicito, in ídque aptabitur qui cephalalgiæ biliosæ inscriptus est, vtilis toto morbi decursu, quem remorantem acriore glande euocabius, delirantibus enim sensus aliò distrahitur. Clysmo reiecto, protinus omni reuulsionum genere, inflammationis, & furoris incrementa reprimes, & intercipies. Neque alienum est, vt dixi, si neque

sanguis missus est anteà, neque mens constat, neque somnus accedit, occipitio inciso cucurbitulam admouere, quæ, quia leuat morbum, rectè administratur. Hæc igitur auxilia cum primum æger furoris initia senserit: postero iam die pharmaco est opus; ita enim Hippocrates in acutissimis per initia medicandum præcipit, in quibus differre & cunctari, malum, præcipites enim sunt & acerrimi. Remedia autem adhibere vbi furor vrget, superuacuum est, simul enim febris quoque inualescit. Itaque tum nil nisi continendus æger: vbi verò res patitur, festinanter agendum. Quamobrem circa initia medicamentum offerendum, quod tum citra exagitationem humores effrænatos & turgentes detrahat, nullâ noxiâ qualitate in corpus inductâ.

Cucurbitula occipitio admouenda, ex Cels. cons. lib. 3, cap. 18.

Aph. 10. f 4.

Cels. loc. cit.

Potio purgãs.

℞. Myrob. citr. ʒiij. pulpæ tamarind. elect. ℥ß. semin. melon. & cucurb. (aut lactuc. & endiu.) ana ʒii. prunor. dulc. & passul. ana part. v. flor. communium, aut flor. nymphææ, violar. & fumar. ana part. i. aut violar. recent. p iii. Decoque in aquâ hordei perfectè cocti, ad ℥iiij. in colato iure infunde rhei electi ʒii. cinnamom. gran. vii. facta expressione, dissolue syrup. ros. solut. ℥iß. aut violati ex pluribus infus. tantundem. Fiat potio. Quòd si erysipelas est, electar. rosat. laxant. ʒiß. conuenienter appones, aut diaprun. solut. aut elect. de psyllio parem modum, aut tripheræ Persic. ʒiij. quandoquidem in erysipelate purgatione, in phlegmone venæ sectione potiùs instandum est; quanquam vtraque inflammatio vtrumque auxilium desideret. Nam cùm in erysipelate biliosus humor è venis affatim prosiliat, venæ sectio ipsius impetum reuellendo sistit, & feruorem aëris frigidi accessu temperat. In phlegmone autem quamuis sanguis quantitate solâ peccet, tamen cùm quidquid huius ardoris incendio flagrat, in bilem abierit, lenientibus, & astringendo purgantibus blandè educendum. At flaua bilis aut æruginosa paulò vehementiore medicamento eximenda, præsertim si robustus & purgationi assuetus æger est.

Vtriusque generis medicamenta, mitiora inquam & validiora, plurima extant, ad validos capitis dolores præscripta, necnon syrupi, & decocta, quibus efferuescentem sanguinem, & bilem acriorem retundas. Quoniam autem Phrenitici aut siti inexhaustâ premuntur, aut linguâ superaridâ & nigricante non sitiunt, cùm tamen vrantur, quædam vel non poscente ægro, offerenda, quæ sitim, æstúmque minuant, v. g. condîtum hac formâ, vel iulepus.

Remedia ad sitim phreniticorum.

Condîtum.

℞. Conseru violar, & oxalid. ana. ℥i. conseru. flor. Nymphææ, & radic. bugloss. (aut capill. vener. si vrina restitet) ana ʒvi. puluer. diamarg. frigidorum. ℈iiij. puluer. triasant. ʒiß. sacchar. rosat. tabulat. quantum satis fiat condîtum auro coopertum, quo vtatur tempore sitis. Vel ex conseruæ ros. nymphææ, borrag. ana ℥i. corall. rubr. (vapores enim cohibet) ʒi. margar. ℈ii. semin. endiu. acetos.

Aliud.

portul.

portul. ana ʒß. fol. auri, Numero vj. cum ſacchar. albiſſ. quantum ſatis, ad condîtum componendum. Ad ſitim quoque extinguendam.

℞. Syrup. violac. & oxyſacch. ſimpl. ſyrup. granat. citrij, mali, è limonibus, è ſucco acetoſæ (iucunditate ſaporum arrident palato.) Ad hæc iulep. Alex. aut hoc compoſitum. *Syrup. Officinales. ἄδιψοι.*

℞. Aquæ roſar. & ſucci punici mali acidi, ana ℔ß. ſacchar. optimi ℥iiij. Coquantur igne lento in iulepi conſiſtentiam, affuſo ſub finem granatorum ſucco: vtatur cum aqua cocta ad ſitim ſedandam. Aut mali punici grana, aut oxyacanthæ, in aquâ coquantur, quâ refrigeratâ vtendum: aut eorundem ſuccis, aut mucag. pſyllij, & cydonior. extractâ cum aqua roſarum, & admiſto ſaccharo candido. *Iulepus.*

Syrupus bilis æſtum compeſcens.

℞. Syrup. è pomis redolentibus, & violat. ana ℥ij. ſyrup. Nymphææ, roſar. ſiccar. aut granator. aut oxyacanth. aut ribes vulgaris, qui impetum bilis coërcent, ana ℥iß. aq. endiuiæ. bugloſſ. & acetoſ. ana ℥iiij. aut decocti lactuc. cichor. portul. hepatic. ſemin. papauer. albiſ. melon. & cucurbit, flor. viol. ac Nymph. ℔i. puluer. triaſant. & diamarg. fr. an. ℈ii. fiat ſyrupus clarific detur frequenter duorum cochlearium menſurâ.

Idem quoque ad quatuor doſes præſcribi poteſt, quemadmodum ex decocto lactuc. endiu. malu. & præſertim florum eiuſdem, nymphææ, violar. ſemin. cucurbit. lactuc. portul. cum ſubduplâ ſyrupor. frigidor. menſurâ; qui pariter humectent. Si eryſipelas eſt, è cucurbita paſta obducta, & in clibano cocta ſuccus exprimitur, cui præcipua refrigerandi & humectandi vis ineſt, præſertim cum ſaccharo roſato in ſyrupum redactus.

Cæterùm protinùs ac venam eliſeris, repellendus à capite humor quiſquis influit, ſic tamen vt in eryſipelate & bilioſâ eruptione frigidioribus vti oporteat. Namque primis diebus caput oxyrhodino frigidè perfundendum, quo ardentes capitis dolores reprimantur: aut proximo. *Repellentia capiti adhibenda.*

℞. Ol. roſat. ℥iiij. aceti, & aq. roſ. aut (progreſſâ inflammatione) lactis mulieris, ana ℥i. Miſce, irrigetur æſtate frigidè, hyeme tepidè pars anterior capitis, præciſis capillis: dein inſpergatur puluere ſequenti. *Irrigatio capitis.*

℞. Coriandr. præparat. ſemin. lactuc. ſemin. papauer. albiſſ. cortic. eiuſdem, ana ʒii. ſantal. omnium ʒi. roſar. ℈ij. camom. ℈i. (vt vis narcotica papau. emendetur) Miſce, fiat puluis capiti inſpergendus. Aut oxyrhodinum cum ſucco lactuc. portul. vel cucurb. imponendum, *Puluis capiti inſpergendus*

&cu

& cucurbitæ, ſalicíſve folia ſuperponenda, Aut proximum epithema, quod fluxionem ſiſtit, ac phrenitim compeſcit.

Epithema pro capite.

℞. Flor. viol. nymph. & roſ. rubr. ana part.i. ſem. lactuc. & pa-pauer. albiſſ. & cortic. eiuſdem contuſ. ana ʒij. ſantal. alb. & rubr. ana ʒi. gran. tinctor. ℈ß. ſucci ſemperuiui, ſolan. & portul. aut lactuc. ana ℥iiij. aut aq. roſar. & ſolan. ana ℔ß. aceti ℥iß. agitentur omnia ſimul, fiat epithema, ei addendo, ſi maior ſit furoris impetus, cortic. radic. mandragor. ℈i. validiora quippe inflammato, quàm dolenti capiti medicamenta ſunt, admouenda, & quidem ſyncipiti, (nam eâ parte rariſſimum & tenuiſſimum eſt cranium) aut linteola imbuta collo inſternantur, & circumponantur, vt vias contrahant, per quas humor effertur.

Aptiſſima autem eſt, quamdiu morbus increſcit, præſcripta irrigatio ex decocto roſar. violar. nymph. lactuc. ſem. papauer. alb. & cortic. eiuſdem, atque etiam hyoſcyami ſem. & camom. flores, quæ tantò præſtantior eſt, quantò profundiùs ſubit: quæ enim humida ſunt, ſi ex alto effundantur, ac veluti fontis ritu illidantur, penitùs intrò ab ictu magis impelluntur.

Valentiſſimum autem eſt, & imprimis efficax narcoticum, quod ſuprà deſcripſimus. Atque etiam magis populeon oleo violato aut de papauere ſolutum, aut oleum in quo viua torpedo extincta fuerit: aut vnguentum quod proximè ſubnectemus, ſed nonniſi in virium conſtantiâ vſurpandum, & cùm mitioribus ſomnus non accedit.

Vnguentum narcoticum.

℞. Vnguenti popul. ℥iiii. vnguenti roſat. ℥iß. ol. viol. & nymph. ana ℥ij. opij gran. iii. (hoc nonniſi in extremo furore, & in eryſipelate addendum) croci gran. ii. ſem. papauer. alb. ſem. lactuc. & hyoſcyam. albi, ana ʒiß. flor. viol. & nymph. ana ʒi. roſar. rubrar. & ſem. aneth. ana ʒß. ceræ albæ & aceti parum, fiat vnguentum, quo illinantur tempora, & volæ manuum, & carporum arteriæ, atque plantæ pedum. Hinc quippe in cerebrum per neruoſas partes continuatione quadam vis narcotica tranſmittitur, quæ ferocientes humores ſedat, & ſpiritûs ſupramodum impulſos ac prorumpentes torpore inducto compeſcit, continet, ac conſopit, ſomnúmque accerſit, qui cùm obrepere non poteſt, hac extremorum artuum ablutione, conciliabitur efficaciſſimè, ſi mox vnguento perlinantur.

Lotio pedum ac manuum.

℞. Summit. populi, & vitis viniferæ, ſalicis & folior. nymphææ, lactuc. vel cucurbit. ana m iij. cortic. papauer albiſ. & ſemin. hyoſcyami albiſſ. (nigrum enim & vehementius, & deterius eſt) ana ℥i. ſemin. lactuc. & 4. frigidorum maiorum, ana ℥iii. flor. Nymphææ, violar. borrag. & roſ. rub. ana part. iij. ſem. aneth. & flor. eiuſdem, ana part. ij. hord. mund. part. i. coquantur ad crurum & brachiorum lotionem.

Neque

Neque etiam prætermitti debent, quæ naribus obiecta, vel indita, capitis dolores ex bile leniunt, ac somnum conciliant: odorata quidem, rosa, viola, nymphæa, caphura, lacte soluta; aut antè ad irrigationem comparata decoctio, aut proximè descripta naribus obiiciatur, vel per spongiam admoueatur. Ex illâ enim sublatus vapor intrò subiens, capitis ardores mitigat, & spiritûs subsultantes compescit. Aut hæc:

℞. Olei violat. & è semine lactuc. aut cucurbit. aut de papau. ana ℥ ß. misce, illinantur narium interiora. Hæc si in promptu non sint vtere sequenti. *Litus narium interiorum.*

℞. Sem. lactuc. cucurbit. an. ℥ ß. olei violat. & nymphææ, ana ℥i. contundantur simul, ex expresso oleo nares illinantur: aut aqua rosacea cum rosaceo mista, aut excellentissimus cucurbitæ succus indatur. Facit etiam ad somnum, sæpe faciem aquâ proluere, in quâ papaueris tum albi, tum nigri capita decoxerint, & puluino eiusdem papau. capita, aut mandragoræ poma subiicere. *Alius.*

Quoniam autem eorum, quæ extrinsecùs ad somnum inducendum imponuntur, admodum lenta, & ignaua vis est, aut impendente destillatione suspecta, hypnoticæ potiones præscribendæ sunt, quæ vel solæ, vel externorum narcoticorum concursu adiutæ, somnum aut soporem inferant. Omnibus sic affectis, somnus & difficilis est, & præcipuè necessarius, sub hoc enim plerique sanescunt. Somnus illis medicamentis accersendus quæ soporifera sunt, habita scilicet eadem moderatione quæ hîc necessaria est, ne quem obdormire volumus, excitare postea non possimus. Namque somni modus identidem, ac diligenter inspectandus, ne turpiter eum dormire putemus, qui obstupefactis sensibus partes omnes ad motum torpidiores habet. Neque ignorare oportet, narcotica tantò mitiora esse decernenda, quantò vigiliæ diutiùs fatigârint: Quod de extremis audiendum volo, tum enim cerebrum, ceu impotens & incontinens, grauiore narcotico, vel etiam interdum leuiore facilè oppressum concidit, & quocunque modo vires imbecillitate languent, promptè narcoticis extinguuntur, vt idcircò acerrimo iudicio & prudentiâ opus sit. Ad somnos quidem & vigilias calor & frigus primas obtinent, secundùm has passiuis qualitatibus ritè conciliantur, ac suadent humida somnos; sicca vigilias accersunt. Imò verò humida madefacto cerebro verè hypnotica sunt; At quæ duntaxat refrigerant, ea nec dolorem sedare, ne verè somnum inducere possunt, sed pro somno soporem, pro indolentia stuporem insigni refrigerationis excessu inuehunt. his tamen vti furoris impetus cogit, & ad vigilias compescendas, & ad mentem ipsam componendam, nisi virtus imbecilla prohibeat.

Potiones hypnoticæ, efficaciores sunt externis soporiferis.

Verba Celsi, loc. cit.

Narcotica mitiora viribus imbecillioribus decernenda ex Alex. Trall. lib. 1. c. 13.

Hypnotica propriè dicta

Potio somnum accersens.

℞. Syrup. de papau. ℨiß. pulu. diamarg. frig. (ad virium conseruatio-

nem) ℈iiii.trochisc.è caphura ℈i. aq.lactuc.& nymphææ, an.q.s.misce, fiat potio,detur horis duabus à cœna,vt simul cum alimenti vapore, huius facultas in cerebrum exhalet. Vel:

Alia. ℞. Pulu.requiei sine opio, recenter præparat. ℈ß. pulueris diamarg. frigidi ℈ii. puluer. triasant. ℈ß. syrup. è papauer. ℥i. syrup. violat.vel è nymph. ℥ß.decocti,vel aquar.bugloss.lactuc.vel endiu.q.s.ad potionem, detur horâ nonâ noctis. Vel:

℞. Diacodion cum melle ℥iß. exhibeatur horâ somni sensim deglutiendo: Vel syrup.de papau.detur cochlear.ij.aut iij.mensurâ,qui etiam destillationes sistit. Vel philonij Romani ʒi.

Si nihilominùs vigilant ægri,somnum quidam moliuntur,potui dando aquam, in quâ papauer. albi semen decoctum sit. Nos eodem semine iusculis incocto somnum afferemus; est enim & tutum, & palato non ingratum.

Semen papau. albi cereale est ac vescũ.

Formulæ iusculis immergendæ.

℞. Sem.lactuc. sem.papauer. alb.an.ʒii. quatuor sem.frig.maiorum, an. ʒi.puluer.diamarg.frig. ʒiß. contundantur & concludantur linteolo raro,aut serico rubro,fiant noduli auellanæ similes, infundatur vnus iusculo calido,& vehementer exprimatur:vel componantur ex solo papau. semine, & subduplâ pulueris diamarg. frigidi portione, Aut præscribatur hoc ferculum.

Ferculum hypnoticum. ℞. Sem. melon. papau. alb. mundat. & sem. lactuc.ana ʒiii.amygd. dulc. expurgatar. par. v. (quia enim vapore multo caput implent, vix maior copia addenda) pulpæ gallinæ, aut capi excepto adipe elixi, ℥iii. micæ panis albissimi in aquâ rosac. infusæ, ℥i. pariter omnia contundantur in mortario marmoreo, affuso sensim iure non pingui,quod cùm refrixerit, colo setaceo transfundantur, & lentè coquantur in pultis formam, adiecto sub finem pauco saccharo, permistáque rosaceâ, laboranti offeratur. Sed vitandus assiduus narcoticorum vsus, ne in lethargum conuertatur æger, néve imminuti spiritûs extinguantur.

Epithemata cor ac iecur refrigerantia. Hæc sanguinis feruorem, bilísque ferocientis & concitatæ impetum sedant: sed interim benefaciunt, quæ cordis æstûs temperant, epithemata cardiaca, quemadmodum & ad iecinoris ardores scripta frigida vnguenta. Etenim partes principes tantâ inter se vinciuntur societate, vt vnâ læsâ, reliquæ pariter lædantur, & concidant: Quomodo cordi vitæ principio, & iecori sanguinem profundenti etiam prouidendum. Illud enim spiritui animali qui in cerebro fit; hoc vitali gignendo pabulum & materiam suggerit, & proinde horum calore represso, refrigerationis commoda mox cerebro impertiuntur. Sed & magnas sæpe huic curationi suppetias afferunt, quæ testibus imponuntur epithemata.

Epithema

Epithema testiculis admouendum.

℞. Aq. rosar. ℔ ß. aqua nymph. & solani, ana ℥viii. vini albi ℥ii. omnium santal. corall. rubr. puluer. conriandr. præparat. & sem. portul. ana ʒi. trochisc. è caphura ℈i. (aut caphuræ, gr. viii.) flor. violar. rosar. nymph. ana p. i. iis puluciatis, fiat epithema testiculis admouendum, aut mulierum mammis.

Hæc omnia quæ hactenus protulimus, irruentem humorem compescunt, atque à principio ad summum incrementum aptissima sunt, nisi quid legitimam curationem interpellet: Etenim humore fluente, tempestiuus est repellentium vsus, nisi fortè adeò ingens sit inflammatio, vt vel extrinsecùs tumorem ostentet, vel acerbissimum dolorem inferat, vel caloris & spirituum oppressionem minetur. Tum quippe lenientibus & anodynis repellentia temperanda sunt, quæ alioqui perspirationem prohiberent. Imò verò nonnunquam tanta humorum copia partem obsidet, vt solis peregoricis & laxantibus, eam lenire sit necesse, dum ab impendente suffocatione vindicetur, vt tepentis lactis fotu, aut impositâ spumâ quæ sero lactis efferuescenti innatat; quam mirè somnum conciliare experientiâ compertum est; aut oleo violac. muliebri lacte contemperato, aut chamæmel. aut Keirin. cum rosaceo, aut perfusione ex decocto althææ, maluæ, violac. chamæmel. melil. aneth. semin lini, quæ in aqua & oleo chamæmel. vel liliorum, aut lacte coxerint. Catulis item dissectis, ac similibus, de quibus postea dicendum. Quòd si per hæc dolores, & inflammationis acerbitatem leniri contingat, hîncque æger nonnihil leuatus videatur, tum idonea, & mitiora repellentia eò vsque præscribentur, dum ad statum propiùs accedatur. Per id tempus reuulsione præmissâ, (si quidem licet) sub lingua, aut potiùs recta frontis vena, quæ hîc ferè conspicua est, opportunè incîdetur, aut hirudo illic, vel extremo naso infigetur, vt partem oppressam liberet. Quin & tunc profusus sanguis è naribus deliria, & phrenitidas deriuabit.

Legitimam curationem quænam interpellent.

Deriuantia in phrenitide opportuna.

Iam verò morbi temporibus accommodanda, quæ capiti extrinsecùs admouentur remedia. Fluxionis initio, frigida & leniter adstringentia, quæ hanc repellant, sola sunt ex vsu. In declinatione, cùm fluxionis impetus iam resedit, nec nouæ vlla est suspicio, digerentia. Interiectis verò temporibus vtraque quodammodo permista, sunt conuenientiora. Itaque repellentibus sensim digerentium nonnihil admisceri oportet, vt si capitis perfusionibus, succi menthæ, vel sepilli, vel calaminthæ, vel rutæ paululum accedat; aut si oxyrhodino chamæmelini olei, vel aneth. vel irini quadrans triénsve misceatur, dum in statu, consistente inflammatione, par sit modus omnibus.

Topica vt pro morbi temporibus varianda.

Puluis cephalicus in summo incremento repell. modicè digerens, & somnifer.

℞. Coriandr. præparat. ℥iij. rosar. rubrar. flor. violar. & nymph. ana ℥ii. sem. papauer. alb. & cortic. eiusdem, ana ℥iß. santal. omnium an. ℈iiii. florum chamæmel. aneth. & stœchad. an. ℈ii. (plus minúsve, pro morbi progressu) gran. tinctor. ʒß. fiat puluis tenuissimus, quo viuus catulus per medium diuisus respergatur, mox calens capiti applicandus, ac cùm refrixerit, exacto semihoræ spatio, alius subinde mutetur, dum suo calore & spiritu partis ardorem temperet, ac feruidos vapores eliciat. Quinetiam horum tepore patefactis spiraculis, faciliùs narcoticorum vis subintrat, & somnum accersit, proindéque in augmento etiam ritè adhibentur. Sic & viui gallinacei, aut columbini pulli dissecti, etiamnum proprio calore tepentes, capiti circumuoluuntur: si non sunt, pulmones arietis, aut suo, aut aquæ, in quam immerseris, calore tepefactos, substitues. Sed huiusmodi præsidia in statu, cùm fluxio consistit, aut multò magis in declinatione, tuta sunt, digerente puluere conspersa.

Catulorum viuorum, pipionum, pullorum gallinaceorum, capiti admotio.

Quod porrò morbi factum iam est, id curando postremum submoueri debet, per ea quæ siccant & digerunt. Quanquam autem huiusmodi ferè calida sunt, ex accidenti tamen inflammationem restinguunt, discussâ ipsius continente causâ. Commune enim præceptum est in omnibus morbis, quos vitiosus succus creat, aut humorum, etsi acrium, defluxio parit, vt in fine calefacientibus & siccantibus vtaris, quæ quod influxit & impactum iam est, dissoluant, ac prorsus discutiant. Alioqui semper verendum, ne quæ in parte indiscussa relinquuntur, represso feruore, grauem profundúmque soporem, aut lethargum aduehant: nam à phrenitide lethargus, malum. Cùm ergo phrenitis principium, statúmque præterierit, collecta fluxio, maximè si sanguinea est, calidis & leniter discutientibus resoluatur. Id fiat conuenientissimè illitu ex oleo chamæmel. aneth. amygd. dulc. lilior. (quæ tensa relaxant, & blandè leniunt.) Ad hæc Irino, Keirino, Iasmino, admisto tandem rutac. aut serpill. quemadmodum in calido capitis dolore scripsimus. Itidem irrigatione, aut fotu ex decocto betonic. sisymbr. præstantissimi (balsamitã appellant) sampsuch. serpill. rutæ, lilior. camomil. stœchad. aneth. melil. & similium, quæ tamen althæâ, maluâ, rosis, violis, nymphæâ, & santalis temperanda sunt. Ad hæc pulueribus cephalicis ex eadem materiâ compositis, & ex granis tinctoriis, maci, nuce mosch. cypero, calamo aromat. spicâ, aliísque id genus, quæ discutiunt, ac simul cerebrum roborant. Hæc modò pulueris specie capillis insperges, modò in cucupham & frontalia coaptabis, eâ ratione quæ in frigidis capitis affectibus amplissimè comprehensa est. Sed interim hoc compositionis exemplum subiiciemus.

Phrenitidi declinanti siccantia & digerentia apprimè conferunt.

Digerentium sylua.

℞. Folior.

℞. Folior. meliſſophyl. ſampſuch. betonic. balſamit. ſiccor. ana ℥ii. coriandr. præparat. ℥iij. ſantalorum omnium, cyperi, calami aromatic. an. ℥i. flor. ſtœchad. roriſmar. & camomil. an. p. i. flor. nymph. roſar. & violar. ana p. ß. granor. tinctor. ℈ii. fiat puluis, qui adhibeatur cum pullis gallinaceis, aut columbinis, aut catulis diſſectis, vel referatur in cucupham. *Puluis diſcutiens, ac cephalicum.*

Quinetiam tunc phrenitidas, & deliria, perinde ac capitis dolores, tempeſtiuè deriuant erhina, & ſanguis (vt dixi) profuſus è naribus: ſed in eâ declinatione per interualla caput recenti lacte perfundatur, & maximè ſi delirium, vigiliæque ex ſiccâ intemperie altiùs impreſsâ perſeuerent. Atque ea quidem eſt phrenitidis curatio. *Errhina.*

Paraphrenitis.

Paraphrenitis autem ſiue delirium ſimplex, quod in febrium ardentiſſimarum vigore ſuſcitatur, plerumque breue eſſe conſueuit, remiſſóque affectu cuius ſymptoma eſt, celeriter miteſcit, & ſublato protinus diſcutitur, vt proinde tum febri, tum parti è qua æſtuans vapor in cerebrum effertur, ſuis remediis ſit occurrendum. Interdum tamen adeò vrget, vt auxiliis omnibus feruidos vapores reuellentibus, & leniter repellentibus ſit opus, (leniter dico, ne illorum exhalatio violentiùs intercludatur,) atque etiam iis quæ ſomnum conciliant, ſed paulò quàm in phrenitide, mitioribus. Neque tum venæ ſectioni locus eſt, neque tempus idoneum. Delirantibus enim perinde eſt ſanguinem mitti, ac ſi trucidentur, quòd neque ea inſania ſit, niſi febre intentâ, neque ſanguis, niſi maiore febris tranquillitate, rectè mittatur, & circa initia, cùm omnia ſunt imbecilliora, & vires adhuc firmæ. *Ita Aſclepiades, apud Celſum, loc. cit.*

Porrò aliud ſymptoma phreniticis & delirantibus, perinde ac lethargicis frequens eſt, vrinæ ſuppreſſio, quam remorantem euocabis hydrelæi fotu, preſſu, illitu, cathetere, aliiſque topicis ſuo loco ſcriptis. *Vrinæ ſuppreſſio.*

CAPVT IV.

Vertigo.

Δῖνος Græcis, Vertigo Latinis eſt, cùm caput, omniáque circumferri videntur, ipſóque impetu vix per ſe firmari æger poteſt, quin rerum circumactarum aſpectu, vel cogitatione ſolâ, facilè concidat, eorum more, qui ocyſſimè diu multúmque circumuertuntur. Σκοτόδινος, quum præterea circumfuſæ oculis tenebræ videndi aciem præſtringunt: vtroque leuius vitium eſt ſuffuſio, quâ fumi, nubes, muſcæ ante oculos obuerſari putantur, citra vllam tamen viſorum conuerſionem. Itaque σκοτό- *Quid vertigo.* *Quid σκοτόδινος.* *Quid ſuffuſio.*

Causa vertiginis proxima, vapor; isque aliàs feruidus ac tenuis; aliàs frigidus, crassus, flatulentus.

δῖνος, compositum est symptoma, in quo simul cum falsâ capitis, rerúmque obiectarum circulatione, obscura visio fit, quasi tenebris ob oculos respersis. Vertiginis causa proxima est vapor, modò quidem tenuis & feruidus, per arterias, quæ plexum retiformem conficiunt, in cerebri ventriculos prorumpens; modò crassus, flatulentus, ac verè caliginosus, per venas & medias quascunque regiones in eosdem sinûs valido impetu impulsus, qui spiritûs & humores variè exagitans, turbulentos sensûs, motúsque reddit. Perturbatio enim, quæ cerebri aut spiritibus, aut humoribus acciderit, causa est omninò, vt effigies rerum vehementiùs agitatæ appareant, nec ad veri similitudinem expressæ, quod frequentius esse solet in temulentis, & iis qui febre iactantur, instante præsertim criticâ hæmorrhagiâ. Eam autem agitationem, perturbationémque infert, modò calida tenuis, copiosáque expiratio quâ distentæ arteriæ vehementiùs pulsant, multúmque calidi spiritûs in cerebrum transfundunt, quod iis sæpe contingit, quibus arteriosum genus intemperatum est, plenum feruente & spirituoso sanguine. Eandem quoque inducit frigidus, crassus, & flatulentus vapor, qui imbecillioris caloris vi à frigido glutinosóque humore motu cietur, perinde ac ventus, qui impetu puluerem secum rapiens, sic terras turbine perflat. Ita quidem ex crassorum vaporum insultu senum diuturnæ vertigines, apud Hippocratem, ac eædem ferè tenebricosæ. Porrò vapor quisquis fuerit, aliàs in capite gignitur, illícque fomitem habet: aliàs è subiectis impurísque visceribus, in cerebrum effertur. In iis enim modò frigidus & pituitosus, modò æstuans humor delitescit, turbulentum vaporem eructans continenter qui proxima fit, continénsque vertiginis causa. Sic enim qui cruditates congerunt, sic quibus iecur ardore flagrat, & quibus è iecore in stomachum bilis regurgitat, iis sæpè vertigines obueniunt, maximè quidem si capitis imbecillitas adest, magnáque spirituum penuria, (tum quippe alienâ vi promptiùs ij concitantur, cùm deficiunt, perinde, ac liquor exiguus ampliore vase contentus). si suturarum compages strictior, interiorum exhalationi minimè patet, si meatuum densitate, vel obstructione vapores intercluduntur, qui mox ab aliis è profundo sublatis, vt in fornace propulsi resiliunt per ventriculos, aut tanquam in fornicis concauo circumaguntur.

Vaporis δινοποιῦ minera, modò cerebrum ipsum, modò aliæ partes. Quinam facilius tententur vertigine.

Quas causas externas habeat vertiginis accessio.

Effertur autem vapor ex interuallis, vt in febribus intermittentibus, & in epilepsia, dum prorsus inclinante accessione discutiatur, nouúsque deinceps recurrit, quoties euidentium causarum vi cietur. Tum quippe vertiginis accessio potiùs impetit, cùm subiecta illius materia vel augescit, vt à vino meraciore, cibíque flatulenti copiâ, & ab aluo suppressa, retentísque mensibus; vel cùm magnopere extenuatur, vt sinapis, aromatum, aliorúmque calidorum vsu, quæ vapores exsuscitant; vel cùm motu exagitatur, vt exercitatione, balneis, æstu, capitis concussione, vertiginosâ circuitione, animi excandescentiâ, purgatione vitiosâ quâ concitati humores subsistunt, & spiritûs conturbantur: hæc sæpe accessionem mouent

mouent, sed præcipuè alienorum recordatio horrifica, loci præcipitis conspectus, omniúmque terrentium, cursus fluminum, aquarum vortices, rotarum circumactûs, & aliorum quæ in gyrum vertuntur. Etenim sensibus externis accepta, & in cerebrum euecta, seruatáque huiusmodi spectra vim illam phantasticam mouent, vnde vehementi illorum comprehensione, firmáque cogitatione interiores spiritûs agitari fatendum.

Signa partis primariò affecta. Iam verò num è capite, aut ventriculo, mali origo sit, & quodnam in iis vitium hæreat, conspicuum ex iis euadet, quæ tum capitis dolores, tum epilepsiæ fomitem designant, atque ventriculi affectûs ostendunt, aut si è liene, vteróve sit, huius affecti indicia cernentur: fit prætereà vertigo, cùm fracta & depressa caluaria priores cerebri ventriculos premit, vehementissimo etiam dolore oborto.

Curatio vertiginis.

Prognosis. Vertigo quæ frequens veheménsque fuerit, iuuenibus quidem epilepsiam, senibus verò apoplexiam minatur, ac interdum maniam, si diu perseuerat, nec maturè abigitur. Ac difficilior curatio est, si propria vertigo est; expeditior verò si ex consensu: multóque difficiliùs sanescit, quæ ex frigidis quàm quæ ex calidis humoribus suscitatur. Vt autem maturè occurramus, antequàm inualescat, agnoscenda causa est, ac distinguenda vertiginis species. *Vt curatio rectè procedat, distinguenda priùs vertiginis species.* Vertigines quæ capitis vitio enatæ sunt, si quidem à tenui, biliosóque sanguine, aut spiritu redundante fiant, iisdem prorsus curentur, quibus acres & pulsantes capitis dolores sustulimus, (hîc tamen phlebotomiæ maior necessitas, vtilitásque subest) his cùm vinci nequeunt, arteriæ quæ retrò aures sunt, siquidem turgentes, aut planè secentur, aut candente ferro, caustico̊ve inurantur; minimo sterilitatis metu: Sanguis enim multus, tenuis, calidus, & spirituosus, in affectæ partis arteriis coërcitus, vertiginis causa est, quibus sectis ipsa facile discutitur. *Curatio vertiginis cerebri vitio enatæ, & quidem à feruido tenuique humore.* Illas tamen quia incidere vel tutum non est, vel consequi non facile, sunt qui iis non apparentibus, finitimas venas secant, aut etiam illic ex cantharide phœnigmum, causticúmve vtilissimè imponunt. Sed hæc tantùm idonea sunt, quum & capitis ardor, auriúmque sonitus, ex vehementiore arteriarum pulsu adest, alioqui deplorata res est. *Vertiginis cerebri vitio enatæ, sed à frigido crudóque humore curatio.* Si verò à frigido, pituitosóque humore (quod rarius est) suscitatus vapor, sensûs offundit & obscurat, auxiliis vtendum quæ graues capitis dolores finiunt. Prætereà Guaiaci decoctum, cui betonica incoxerit, mensis curriculo haustum, sæpe insperatum auxilium adfert, quemadmodum vapor ex anisi decocto sublatus in nares. *Vertiginum ex partium capite inferiorum sympathiâ natarum curatio.* At vertigines, quæ ventriculi & præcordiorum sympathiâ fiunt, siue ex crudo & pituitoso humore, seu ex ferociore & agitata bile suscitentur, eadem efflagitant, quæ morbo comitiali ex præcordiis nascenti præsidio sunt.

Inprimis

Inprimis enim succurrendum parti quæ mali seminarium continet, causarum tamen vbique seruatâ distinctione. Quoniam autem Vertigo, leuior est quædam epilepsia, quæcunque ad illam cuiusvis sit generis præscribuntur remedia, semper quadam illorum permistione iuuantur, quæ comitialibus substantiæ proprietate succurrunt, vt pœoniæ, visci quercini, hyssopi, quæ tamen parciùs compositioni attexenda sunt, si calidus humor mali fomes est. Atque hæc quidem non cùm eius est accessio, sed potiùs intermissio, peragenda sunt. Accessionis autem vim lenies obscuriore loco, decubitu, quiete, frictionibus, vinculis, cucurbitulis, oxyrhodino, nunc simplici, admixtáve psyllii mucilagine, si tenuis, calidúsque vapor est; nunc adiecto chamæmelino, aut liliaceo, si crassior: quin & saliuâ eius qui fœnugræcum præmanderit, oculis circumpositâ, & frigidæ haustu; hac enim tum epotâ, cùm laborans vertiginis impetum persentiscit, sæpe accessio inhibetur: Quemadmodum & panis momento, qui succo punici mali, vel cydonij, vel oxyacanthæ, vel vuæ acerbæ sit intinctus, præsertim cùm multâ calidâ expiratione cerebrum impetitur. Ad quam & psyllij mucilago, adiecto saccharo, vtiliter datur. In vniuersum prohibendæ omnes causæ euidentes, aduersáque biliosis inedia, omnia vaporosa, & quæcumque corporis aut spiritibus, aut humoribus perturbationem inferunt, & eadem victûs ratio seruanda quæ comitialibus.

Præsidiis vertigini destinatis, nonnulla quoque antepileptica miscenda sunt.

Accessionem quæ leniant.

Prophylaxis.

CAPVT V.

Epilepsia.

EPilepsia est omnium corporis partium conuulsio, minimè quidem perpetua, vt in tetano, sed crebrò ex interuallis reuertens, cum sensuum, mentísque interceptione. Homo subitò concidit, nerui distenduntur, amissâ quoque memoriâ, neque tum videt æger, nec audit, nec omninò sentit, oculi ferociter vertuntur, ex ore spumæ concussionis impetu profluunt: (hæc enim singularis nota est) atque si acerbius adhuc malum est, sonus quidam strepens faucibus immurmurat, & vel vrina, vel stercus, vel semen, aquosáve illuuies exit, idque aut contractis in abdomine lacertis, aut violentâ exagitatione, fractóque musculorum robore: sic accessionis vehementiâ miserè impetitur æger; deinde interposito tempore ad se redit, & per seipsum consurgit. At non omnis, sed consummata, & exquisita epilepsia tam immanibus symptomatis comitata est: quandoquidem leuior interdum cernitur; & adeò exigua, vt neque laborantem prosternat, neque spumam excutiat, neque vrinam exprimat, sed leni quadam vel oculorum, vel palpebrarum & superciliorum, vel oris distorsione, aut breui capitis concussione identidem recurrente, finitur atque detegitur: quandoque etiam nullâ

Definitio, ex Gal. lib. 3. de loc. affect. c. 5.

Signa epilepsiæ exquisitæ.

Cels. l. 3. c. 23.

Cels. ibid.

Signa epilepsiæ leuioris.

neruorum distentione insecutâ, vacillant sensûs, & repentinâ perturbatione vehementiùs quàm in vertigine iactantur, ita quidem vt titubans æger, ac velut temulentus corruat, sed ad se mox reuertitur: hanc proinde medio quasi ordine inter vertiginem & absolutam epilepsiam collocârunt, in quam vel incuriâ, vel deprauato victu aucta sæpe abit. Morbus comitialis, modò cerebri proprio affectu, modò aliarum partium fit consensu. Illius causa tum veteribus, tum recentioribus maximè dubia est, quam tamen sic explicabimus. Cùm sit Epilepsia crebra cerebri conuulsio, sæpe manifestam omnium membrorum distentionem afferens, illam vel à plenitudine obstruente, vel à re compungente totóve genere cerebro inimicâ excitari, verisimile est; non enim ex inanitione proferri vnquam potest, quòd & repentè fit, & celeriter discutitur, & circuitu redit, & plerumque persanatur: de priore causa sic statuendum.

Epilepsia omnis, vel est idiopathica, vel sympathica.

De causa Epilepsiæ disquisitio.

Duæ sunt Epilepsiæ causæ, obstructio, & aduersa qualitas.

Epilepsia non fit ab inanitione.

Constat Epilepsiam in cerebro, tanquam in diuinæ mentis arce consistere, impediente humore animalem spiritum, qui in ventriculis continetur, quominùs exire possit: hic autem humor crassus est & viscidus, aliàs pituitosus, aliàs melancholicus cerebri ventriculos replens & obstruens: neque tamen omninò, sed spiritus nonnihil etiamnum præterfluit, quod cerebri concussione adnititur offensionem excutere: Non enim hîc, vt in particulari conuulsione, solâ plenitudinis vi, sed expulsionis adnixu, & validâ contentione pars contrahitur; neque enim expulsio commodè fieri potest, nisi prægressâ contractione, quâ cerebrum validiùs à se rem molestam excutiat, proinde atque ventriculus in singultu: hanc autem affectionem, inquit Galenus, à crasso humore induci, argumento est, quòd & subitò fit, & soluitur confestim. At quî possit crassus & viscosus humor, naturâ piger, & ad motum tardissimus, partíque firmiùs inhærescens, tam celeriter obstruere, aut subitò discuti? Quare id humorum genus simplex non est, vt in sopore, sed vaporoso flatulentóque spiritu quamplurimo confertum, à quo facilè in spumam densissimam turgescit, eodémque discusso pari celeritate deprimitur. Hanc vnicam & perpetuam epilepsiæ causam credidit Aristoteles, nihil enim est quod tam celeriter accedat, vel decedat, quàm flatus; at verò simplex & solitarius ille non est, sed tenaci materiæ prorsus immersus, planéque immixtus, à qua diutiùs fouetur, ac pertinaciter continetur. Id & comprobata medendi ratio confirmat, quæ primùm incidentibus & detergentibus, atque pituitam euacuantibus, deinde etiam exsiccantibus, & flatûs discutientibus perficitur. Cùm sit igitur ea materia non parum cohærens & tenax, à coërcito flatu, quem imbecillioris caloris vi concepit, in spumæ densæ ingentem tumorem exurgit, quæ cerebri sinûs affatim implens, efficit vt æger intercepto animali spiritu concidat, neruorum principio seipsum quatiente: vnde membrorum quoque distentio accedit; illa enim motu principij moueri necesse est: atque ea manet accessio, dum flatulento spiritu

De priore Epilepsiæ causa, putà obstructione.

Gal. ibid.

Humor tenax & crassus, multo flatulento spiritu refertus, coniuncta est obstructionis causa, in Epilepsiâ.

Sect. 30. problem. 1.

discusso humor subsideat, vel huius portio, concussionis impetu per nares & palatum manifestè dissipetur, indéque patefacto exitu, spiritus animalis leuiùs in neruos expandi queat: quemadmodum enim in abditissimis finibus, terræ latebris & cuniculis, arctè conclusus flatus, pleniórque halitus, dum exitum non habet, terram concutit,& horrendum tremorem affert, donec excutiatur, & planè erumpat, similis est Epilepsiæ accessio. Hinc succedit intermissio eò vsque cessans,dum alio humoris motu noua recurrat accessio: humor enim quamdiu conquiescit,minimè corpus exagitat; cùm verò turgescens concitatur, & quasi subsultat,partem principem lacessit, accessionémque ciet, quæ tum demùm irruet,cùm vsque adeò aucta,cumulatàque fuerint recrementa, vt partem ad excretionem proritent; etenim mali circuitus repetere non desinet, quamdiu dispositio in parte generante recrementa perstiterit. Atque ea quidem est scaturigo, vnde toto vitæ curriculo humor dimanet,& in meatûs incurrat: etiamsi quis indies, ter quatérve prolabitur; non enim totus per accessionem exhauritur, vt proinde tantillâ humoris portione succrescente, & reliquiis adiectâ, aliæ deinceps incursent. Itaque ex interuallis æger recidit, modò citiùs & crebriùs,modò tardiùs & rariùs, aliàs sæuiùs, aliàs grauiùs, pro humoris copia, malignitate, atque virium statu, & victûs modo. Omnibus autem sic affectis,& caput imbecillum est, & recrementorum colluuie onustum: Proinde interlunio nati, aut fluentibus mensibus concepti,in hanc fiunt procliuiores,ac ferè lunâ ad interlunium declinante corripiuntur, vnde lunaticum morbum dixerunt.Sic quibus cerebri recrementa aut obstructione,aut naturali angustia,neque per palatum,neque per nares expurgari, possunt,ij epilepsiæ sunt opportuni;ita quippe à natura comparatum est, vt illac pituita, aliáque superuacua excernantur, ne animal frequenter epilepsiâ comprehenderetur.Neque verò illorum standum est sententiæ, qui Auerrhoëm hoc loco ancipitem secuti hanc ex repentiuâ accessione & discussione,non à crasso,sed à tenui potiùs humore fieri contendunt, quam tamen parum memores, calidis incidentibus & extenuantibus, comprobato more curant, quasi tacitâ voce humorem viscidum fateantur.Ex hac quidem pituitæ redundantia,atque ex neruosi generis imbecillitate,& meatuum angustiâ, pueris epilepsia est familiaris,sed ab ipsa ferè vindicantur,quibus manantia in capite vlcera, aut abscesſûs erumpunt, & quibus nares sæpè madent: at si horum nihil adest, síque humido siccæ sunt nares, Epilepsia tum facilè subit, maximè cùm dentire incipiunt: quamobrem in iis adolescentibus prodidit Hippocrates, mutatione calidioris & siccioris ætatis finiri;quos verò post vigesimum quintum annum occuparit,vsque ad mortis diem ferè comitatur: quem enim affectum contraria iuuentus admiserit, vix similis senecta persanabit.Epilepsiam ab apoplexia sic distinguit Galenus,quòd in hac frigidus, crassus & viscosus humor omnes principes cerebri ventriculos affatim impleat,obturétque;In epilepsia verò aut non omnes,aut non affatim,& vsque

Noui insultus epilepsiæ vnde fiant.

In epilepsia præter excrementorum colluuiem, adest capitis imbecillitas.

Refelluntur, qui tenuem humorem epilepsiæ causam statuunt, vt facit Rondelet. cap 36. meth. cur. morb.

Cur pueri epilepsiæ magis obnoxij.

Aphor. 45. sect. 2. & aph.7. sect.5.

In quo discrepent epilepsia, & apoplexia, iuxta Galenum.

vſquequaque. Id ſi illarum ſolum diſcrimen eſt, neceſſe ſit omnem apoplexiam quædam antecedat epilepſia: non enim omnes cerebri ventriculi repentè & affatim impleri poſſunt, quin priùs modicè, & leuiter quanquam celerrimè obturentur, quòd omnis motus in tempore ſit: At contrà fieri deprehēditur, apoplexiam ſcilicet primò & derepentè inuadere, quam nulla præuenerit epilepſia. Quin etiam mitior apoplexia, epilepſia erit, quòd in illa, perinde vt in hac, non omnes cerebri ventriculi prorſus infarcti ſint; at minimè conuellitur æger. Ad hæc, cùm lethalis & vehementiſſima epilepſia hominem conſumit, quis non tum parem, aut etiam fortè maiorem, quàm in leuiore apoplexiâ, meatuum interceptionem fateri cogeretur? Non igitur obſtructionis magnitudo apoplexiam ab epilepſia dirimit, ſed diuerſa obſtruentis humoris conditio, qualem iam expreſſimus, ab immiſto craſſiore & corpulento ſpiritu, quibuſdam periodis turgentem: in apoplexia nullus; in epilepſia euidens eſt laceſſitæ ac reluctantis naturæ conatus. Etenim cerebrum prænoxij humoris offenſione, interdum ab omni mentis & ſenſuum functione prorſus vacat, vbi & cor in ſyncope: interdum ſeipſum, vniuerſúmque corpus quatiens, adnititur offenſionem excutere, non aliter quàm cor palpitans: illud in apoplexia, hoc in epilepſia eſt. Hinc pueri & iuuenes epilepſiæ, ſenes verò torpentibus membris, apoplexiæ ſunt magis obnoxij: in his quippe hebetior facultas nihil planè molitur, ſed preſſa & quaſi obruta ſuccumbit; in illis multò vegetior atque robuſtior in rem moleſtam inſurgit, eámque depellere contendit, haud ſecùs atque in ſternutamento in quo affectionem quandam leuiuſculæ epilepſiæ æmulam meritò vulgus annotauit. Quandoquidem ſimilis propemodum eſt ſternutamenti ratio, in quo cerebrum compreſſis lateribus per narium anguſtias acrem vaporem ſucceſſu valido protrudit, ſed expeditiſſimè finitur, quòd cauſa & admodum exigua, & priore cerebri parte viam expeditam habeat, per quam facilè excutiatur. Cæterùm epilepſiæ primariæ cauſam eſſe non ſolùm ſpumoſam pituitam, ſed etiam humorem melancholicum, hinc colligit Hippocrates, quòd melancholici magna ex parte fiunt epileptici, & contrà: Nam ſi humor melancholicus in mentem repit, hoc eſt, in propriam cerebri ſubſtantiam, quæ mentis ſedes eſt, fiunt melancholici; ſi in corpus, epileptici, qua locutione cerebri ſinûs intellexit Hippocrates: humor enim qui in cerebro redundat, aut ipſi vt ſimilari, aut vt organicæ parti officit; vt ſimilari quidem, cùm ipſius temperiem peruertit, melancholiæ auctor; vt organicæ, cùm meatûs obſtruit: epilepſiam inferens. Hactenus de priore cauſa.

Refellitur Galeni opinio.

Vera diſtinctio inter hos affectus.

Sternutamētum æmulum epilepſiæ.

Spumoſus humor epilepſiæ author, non ſeper eſt pituitosus ſed & interdum melāchólicus. Hippocr. l. 6. epid ſect. 7. verſus fin.

Secunda eſt qualitas vellicans, aut venenata, prorſus cerebro aduerſa, non ea quidem ſolitaria, ſed aut in vapore, aut in humore, atque etiam in propriâ cerebri, vel meningum ſubſtantiâ deliteſcens; plerumque enim nec oppletis, nec obſtructis cerebri ventriculis, pernicioſus duntaxat vapor, & cerebri ſubſtantiæ inimicus epilepſiam mouet, hic autem ab humore quodam vitioſo ex interuallis ſuſcitari conſueuit.

De altera epilepſiæ cauſa, putà infensâ cerebro qualitate.

Humor vitiosus, tanquam mali fomes, modò in cerebro consistit, modò in ventriculo hæret, modò in vtero, aut aliâ quauis distantiore parte conclusus, tetrum de se vaporem in cerebrum exhalat. Itaque epilepsia, vt & melancholia triplex statuitur, vna quæ proprio cerebri affectu; altera, quæ ventriculi consensu; tertia, quæ aliarum partium expiratione suscitatur. In cerebro nonnunquam, vt dixi, ventriculi obstruuntur: nonnunquam citra obstructionem, putris & virulentus humor, circum Meninges, vel circum cerebri substantiam hæret, qui vaporem quibusdam circuitibus intromittit, continentem accessionis causam, cùm ita caput propriè afficitur, non autem in partibus aliis, dicti mali sensus est, homo ex improuiso concidit, nihilominus multo antè quàm inuadat tempore, caput graue persentitur, siquidem obstruens causa est, aut acriter dolet, si potiùs mordax qualitas est, tardior sensus, pigrior mens, obliuio insolita, tristitia, faciei pallor, lingua minùs expedita, nec ita articulatus sermo, somnus grauis, laborans per insomnia onere se premi putat, & sæpe ex alto in profundum præcipitari, adsúntque alia vel pituitæ, vel melancholiæ in cerebro redundantis indicia, tum maximè conspicua, cùm obstructio metuitur. In ventriculo autem impuri humores, impetu ferociáque concitati, morbum comitialem proferunt: sed vna bilis in ore ventriculi defixa, idque acriùs vellicans, omnium maximè hæc mala solet inuehere, iis præsertim quibus ventriculi os exquisitiori sensu præditum, vt quauis ratione imbecillum fuerit, vt quibusdam gracilibus, & iracundis per inediam, quâ ex causâ scripsit Hippocrates epilepsias iuuenibus euenire. In hac specie, priùsquam impetat, notantur quæ ventriculum à vitiosis humoribus occupari portendunt: cibi fastidium, ructus acidus; aut si bene exæstuat, nidorem referens, oris amaror, aliáve pro humoris conditione insuauitas, intolerabilis inedia, per quam bilis exacuitur & insultat: iam insiliente paroxysmo anxietas, præcordiorum distentio, nausea, stomachi erosio, cardiogmos appellata. Inclinante, vomitio aliàs biliosa, aliàs pituitosa, ex eo scilicet humore, qui in præcordiis redundauerit. Hunc quoque casum lumbrici, tum putri vapore, tum stomachi morsu excitant, quorum notæ inprimis erunt conspicuæ. Sic in vtero sæpe recrementa putrida, & veneni labe aspersa coërcentur, vt retentum menstruum, aut cohibitum putrescénsque semen, aut partus intùs emortuus, secundarúmve corruptio, atque illinc nonnunquam in cerebrum sublatus vapor, idipsum, meningésque totius substantiæ inimicitiâ acriter ferit, & epilepsiam cum vteri strangulatu, & lipothymia implicitam excitat: tum quidem malè affecti vteri signa erunt. Sic à crure, vel à pede, vel à digito manûs, vapor auræ frigidæ persimilis in cerebrum conscendere deprehenditur, qui ipsum attingens, sensûs, mentémque turbat, & epilepsiam infert. Huius impetum antè percipit æger quàm corruat, & spiritum quendam frigidiorem præsentit ex ea parte, quæ mali fomitem continet, per medias regiones

Margin notes:
Epilepsiæ triplex differentia, ex Gal. l. 3. de loc. aff. cap. 7.
Signa paroxysmi prodroma, in epilepsia primaria.
Epilepsia ex consensu ventriculi.
Aph. 29. sect. 3.
Signa prodroma epilepsiæ per consensum ventriculi.
Signum consequens inclinantem paroxismum epilepsiæ à ventriculo.
Epilepsia ab vtero.
Epilepsia ex consensu cruris, aut manûs.
Eiusdē signa prodroma.

nes ſurſum efferri, quem interiecto mediis locis vinculo arctiſſimo cohibere licet:ita facilè ab aliis hæc ſpecies decernitur. Hanc ſanè cauſam, quæ mole parua maximas ſolo contactu alterationes inducit, rectè Galenus,& Scorpionis, & Phalangij ictibus comparat, quibus exiguo veneno iniecto, breui totum corpus afficitur. Quocirca Pelopem præceptorem ſecutus, ſtatuit poſſe præter naturam in corpore eſſentiam ſponte generari, quæ mole minima ſit, facultate autem quàm maxima, & quæ cum neruoſam aliquam partem attigerit, continuatione in neruorum principium vim ſuam tranſmittat: hac autem vndecunque proſiliat maximè percelluntur, quibus neruorum genus infirmum eſt, cerebríque meninges raræ ac laxæ, & quaſi exuperanti ſenſu præditæ odores vix perferunt: etenim ab acutiore ſenſu & imbecillitate cùm aduerſa vis irruit, minùs huic obſiſtunt, promptiúſque offenduntur, & acriùs feriuntur emiſſi vaporis qualitate prauâ; quæ cauſa ingenioſos ſæpiùs, quàm alios comitiali morbo, vel leuiſſima occaſione implicat.

lib. 3. de loc. aff. cap. 7.

Quinam huic epilepſiæ ſpeciei magis obnoxij.

Curatio.

Paroxyſmi auxilia.

Hoc ſacrum mali genus notiſſimum eſt, ac ſolet quidem etiam longum eſſe, vſque ad mortis diem, & vitæ non periculoſum. Interdum tamen cùm recens eſt, hominem conſumit, aut atrociſſimè torquet: at ſæpe id, ſi remedia non ſuſtulerunt, in pueris veneris, in puellis menſtruorum initium tollit, vegetiore, inquam, aut potiùs acriore facto natiuo calore, & non modicâ humoris portione abſumpta. Sic grauidis accidens, ſæpe puerperio ſoluitur; nonnullis etiam quartana ſuperueniente deſinit. Coarguunt comitiales ſuffimenta, bitumen, lapis gagates, cornu capræ, eiuſdem vngula, coriumve, dum cremantur profuſo nidore; ad hæc vulgare apium, & iecur hircinum comeſtum, & iecoris huius cocti, & myrrhæ odor. Cæterum medendi ratio duplex eſt, vna acceſſionis ferociam lenit, altera intermiſſionis tempore cauſam ſummouet. Ergo vbi acceſſio affligit, hos ægros iiſdem quibus lethargicos excitare conamur, vt glande inditâ, clyſteribus, frictionibus, cucurbitulis, vinculis, aliiſque modis, ſed ſternutamentis etiam hîc tutiùs, quàm vel in ſopore, vel in Apoplexia: interdum quoque concitato vomitu, tum ſcilicet cum ex ventriculi ſympathia malum irrepſit, idque immiſſa tantùm in os penna oleo liliorum madente, nulla tamen inſignis euacuatio, in tanta acceſſionis agitatione, tutò obiri poſſit: cùm enim morbus per circuitûs recurrat, vacuatio non excandeſcenti, ſed pacato, aut miteſcenti afferenda. Quæcunque igitur experiri cogeris, leuia ſunto.

Prognoſtica. Celſ. l. 3. c. 23.

Ratio deprehendendi comitiales.

Curatio tempore paroxyſmi.

Glans.

♃. Pulueris hieræ picræ, ℥i. radicis pœoniæ Romanæ in puluerem redactæ, ʒß. ſalis gemmæ, ʒiß. mellis q. ſ. ad coquendum, fiant glandes, addendo olei rutacei parum.

Clyster.

℞. Radicis iridis & pœoniæ,an.℥ij,radicis liliorum,& Althææ, an. ℥j.radicis aristolochiæ rotundæ,℥ß.interiarum partium scillæ, vel Pancratij,℥j.vtriusque rutæ, absynthij, polij montani, calaminthæ, saluiæ, betonicæ,melissæ, sampsuchi, & centaurij minoris, an. M.i. maluarum, parietariæ,& mercurialis,an.M.ß. seminis pœoniæ, rutæ,& sileris montani, ana ℥ß. cumini & fœniculi, ana ʒij. seminis carthami, ℥j. florum stœchados,saluiæ,& rorismar. ana p.i fiat decoctio:& in colaturæ quantitate sufficienti dissolue hieræ picræ Galeni, ʒvj. hieræ Logadij ʒiij. olei rutacei,& liliorum, vel anethini, mellis anthosati, sacchari rubri,& succi siclæ, ana quart.ß. salis gemmei, ʒi. fiat clyster,tum demum iniiciatur,cùm vehemens longáque accessio metuitur.

Puluinar.

℞. Foliorum rutæ,folior.hyssopi,an. M.ij.radic.pœon. romanæ,lunâ decrescente collectæ,℥j. contundantur & iis omnibus linteolo inclusis, fiat sacculus puluini instar supra quem decumbet ægrotus, hunc enim sublimiori capite collocari oportet,loco lucido, & mediocriter calido. Quinetiam medicamentis quæ naribus adhibentur, sensum mouere conuenit,& laborantem excitare,vt peucedano,liquore cyrenaico,spica nardi,ruta,castoreo, aut sequenti globulo.

Olfactoriolū. ℞. Radicis pœoniæ romanæ, ʒiij.visci quercini,folior.rutæ,& hyssopi siccorum, nigellæ romanæ,ana ʒiß. nucis moschatæ,macis, cardamomi, folij, seminis rutæ, sileris montani, ana ʒj.in puluerem redacta concludantur linteolo raro, & fiant duo globuli, qui aceto scillitico madentes, vicissim admoueantur naribus. Eo quippe conuulsionis impetus mitescit, quemadmodum castoreo & succo rutæ vnà commixtis, & in nares inditis, aut efficacissimo illitu subscripto. Sunt qui thymo, vel assa fœtida naribus obiecta vtiliter excitent, hincque si expergiscitur æger, de futura salute augurentur: hæc quidem naturaliter iuuare possunt: Quæcunque verò hîc superstitiosa & anilia proferuntur, planè abroganda censeo. Veteres cùm nihil in cæteris spei superest, castoreum necessitate adacti, & liquorem cyrenaicum, cum aceto & melle ori infundunt. Nos quoque Mithridatij, aut theriacæ antiquæ tantillum indere possumus. Si accessio grauior est, acres extremorum frictiones intendantur, vel etiam imposito sinapi: & sternutamentum, vt dixi, concitetur hellebori, struthij, & pœoniæ puluere, aut pipere, castorio, & euphorbio. Si distensio nimiùm fatigat, ad tollendam lassitudinem spina oleo liliorum & irino illinetur, aut quod ad discutiendam accessionem egregium est, oleo rutacco caput, ceruix, temporáque inungentur superimpositâ lanâ

Ori infundenda

Frictio extremorum.

Ptarmica.

Litus conuulsorum membrorum.

lanâ ſuccidâ, vel recenti rutâ tunſâ & ſuperadditâ. Interim verò diſtracta membra in naturalem ſitum, quantum fieri poteſt, reducentur, in quo dein contineri oportet, ac ne tum linguam violentâ dentium colliſione commordeant, immiſſo aut ligneo ſtylo, aut eburneo præcauendum eſt. Neq; alienum eſt, in grauiore & periculoſa acceſſione cucurbitulas ſcapulis, atque etiam cruribus admouere: Quòd ſi acceſſio prorogatur, ita quidem vi diductis dentibus, lingua & palatum ſequentibus illinentur.

Cucurbitulæ.

℞. Theriacæ, vel mitrhridatij ʒj. diſſoluatur in ℥j. ſucci rutæ, & intinctâ pennâ, vel ligneo ſpecillo lanâ linteolóve obuoluto, palatum, linguáque confricentur. Sed & contritum piper nigrum oxymelite ſcillitico exceptum vtiliſſimè palato infricatur, & in nares inditur, multóque vtiliùs adiectâ caſtorei portione. Si nihilominus perſeuerat, nihílque in cæteris ſpei ſupereſt.

Litus palati.

℞. Caſtorei ℈ij. liquoris cyrenaici, vel aſſæ fœtidæ ℈i. diſſolue in oxymelitis ſcillitici, ℥iß. & infundantur ori cochlearia aliquot.

Potiuncula in os infundenda.

℞. Pulueris radicis pœoniæ, & viſci quercini, ana ℈ij. benioini ʒß. granarum pœoniæ ℈j. ſyrupi è ſtœchade ℥j. aquæ ſampſuchi, & betonicæ, vel hyſſopi, ana ℥iß. miſce, fiat potio, detur ore vi aperto. Ita quidem vbi concidit aliquis, excitandus eſt, & acceſſionis acerbitas, vel longitudo minuenda. Sed interim ſpuma ſi exiliat, vel linteolo detergenda, vel vino, in quo ſaluia & hyſſopus coxerint.

Alia.

Curatio extra Paroxyſmum.

Cæterùm maiora remedia maiori morbi tranquillitate imperanda ſunt, cùm enim morbus minùs fatigat, & collectæ vires meliùs conſtant, nulla præſidia reſpuunt: primùm igitur ſi obſtruens humor, idémque pituitoſus & ſpumans, quod frequentiſſimum eſt, morbum comitialem excitat, incidentibus & detergentibus, mox euacuantibus, dein reliquias per ductûs peculiares deriuantibus, poſtremò exſiccantibus & flatum diſcutientibus, quæ ſimul cerebrum roborent, curatio perficitur. Particulatim autem, cùm is qui cadere conſueuit, Medico traditus eſt, protinus eo clyſtere vtendum, qui ſuprà deſcriptus eſt, aut alui ductione per pilulas ex aloë, adiecto etiam agarici triente, vel ſicut priùs in pituitoſa cephalalgia præceptum eſt. Hinc ea remedia ordinatim imperentur, quæ mox ſubiiciam.

Scopi curatiui.

Primarum viarum expurgatio.

℞. Oxymelitis ſcillitrici, ſyrupi de hyſſopo, & de ſtœchade, vel mellis roſati, ana ℥iß. aquarum betonicæ, hyſſopi, (eſt enim efficax) & rutæ, vel ſaluiæ, vel ſampſuchi, ana ℥iij. pulueris macis, & nucis moſch. aut cardamomi, ana ʒß. fiat iulepus doſi trium dierum, in totidem rurſus dies comparandus. Vel mulſa imperetur, in qua hyſſopus, ſtœchas, & calamintha coxerint,

Iulepus.

Apo-

Apozema.

℞. Radices pœoniæ maſculæ, decreſcente lunâ collectæ, radicis cyperi, galangæ craſſæ, calami odorati, an. ℥j. corticis citri ſicci, & viſci quercini, an. ʒvj. radicis enulæ campanæ, vel ariſtolochiæ rotundæ, vel angelicæ, vel gentianæ, vel glycyrrhizæ, an. ℥ß. hyſſopi, betonicæ, ſaluiæ, meliſſæ, primulæ veris, ſampſuchi, chamæpityos, chamædryos, thymi, polij montani, an. Mj. ſeminis callitrichi, id eſt, ormini, & ſeminis pœoniæ Romanæ, & ſeſeleos, an. ʒiij. ſeminis rutæ, ʒiß. ficuum pinguum, par. viij. flor. ſtœchad. roriſmar. ſaluiæ, an. p. j. fiat decoctio, & in colaturæ ℔ ij. diſſolue ſyrupi de hyſſopo, mellis roſati colati, & oxymelitis ſcilliciti, aut mellis anthoſati, an. ℥iij. pulueris nucis moſch. & diamoſchi dulcis, aut diarhodonis, an. ʒ j. fiat Apozema clarificatum ad tres doſes: Id ſi purgandi vim obtinere cupis, decoctioni addito ſeminis carthami contuſi, folliculor. ſennæ orientalis mundat. & polypodij querni, an. ℥iß. agarici fœminini linteolo raro inuoluti, ℥ ß. zingiberis, & ſalis gemmei vnà cum agarico ligatorum, an. ℈ß. In iis autem componendis, illud perpetuò ſeruandum, vt quædam permiſceantur, quæ partis naturæ conueniant, in quâ mali ſeminarium reſidet, vt cerebro primùm affecto ſampſuchus, primula veris, roſmarinus: ſi à ventriculo, mentha, abſynthium, nux moſchata, coriandrum: ſi ab hepate, nardus, cichorium, calamus odoratus, ſchœnanthos: Si ab vtero, rubia maior, artemiſia, ſabina: ſi à ſplene cortex fraxini, tamariſcus, ſemen cuſcutæ: ſi à pede, iua arthritica.

Pilulæ cathartica. ℞. Maſſæ pilularum cocciarum, & de agarico, aut fœtidarum, an. ℈ ij. granorum pœoniæ, & viſci querni, an. gr. iiij. cum oxymelite ſimplici, vel ſcillitico, vel melle roſato, vel cum aqua betonicæ vel meliſſæ, vel rutæ, formentur pilulæ ſeptem, à primo ſomno deuorandæ. Aut

Alia. ℞. Maſſæ pilularum imperialium ʒ ß. pilularum ſine quibus, & aggregatiuarum, an. ℈j. cum ſyrupo conſeruationis acori, fiant pilulæ. Veteribus purgatio ex hiera picra, & hiera diacolocynthidos placuit: huius ʒ iij. dantur vtiliter. Nobis hoc magis probatur.

Potio purgans. ℞. Agarici fœminini, in melle roſato & ſcillitico, dum molleſcat, infuſi, ℈ iiij. zingiberis, & ſalis gemmei, an. gr. v. factâ expreſſione, diſſolu. indi maioris, aut electuarij de citro ſolutiui, an. ʒiij. ex aquâ betonicæ, & cichorij, vel decocto pœoniæ, & hyſſopi, fiat potio, detur in aurorâ. Huic purgationi aliena eſt caſſia, & quæ flatulenta ſunt, aut vapore caput implent.

Bolus roborans. ℞. Theriacæ veteris, ʒiß. aut eius defectu, mithridatij, aut aureæ Alexandrinæ, tantundem, conſeruæ bugloſſ. ℈ ij. cum ſaccharo, fiat bolus: detur poſtridie, quinque horis ante prandium. Ac quia morbus longus eſt, ter quatérque ſimili purgatione vtendum, aliquot tamen diebus

diebus interpositis, quibus vires recreentur, & alimentis reficiantur.

Quocircà ineunte vere, quo maximè hi morbi mouentur qui circuitu redeunt, integrè purgare oportet, in sequentibus verò temporibus subsequentes pilulæ crebro vsui esse possunt.

Pilulæ vsuales. ℞. Agarici albi, (peculiarem enim vim hîc confert) in oxymelite scillitico, dum mollescat, infusi, ʒiß. aloës elotæ, aut pilularum de hiera ʒi. castorei, ℈ii. radicis pœoniæ, & seminis rutæ, an. ℈i. semin. pœoniæ, & seseleos, an. ℈ß. pilularum aggregatiuarum maiorum, ℈iiij. cum syrupo de stœchade, fiat massa, ex cuius ℈ii. formentur pilulæ v. bis vel ter in mense assumendæ, ac semper postridie, sicut præcepimus, theriaca offerenda.

Reuellentia varia. Mediis autem diebus reuulsio per ea quæ dixi, maximéque per cucurbitulas, vel etiam interdum cute incisâ, & vehementes extremorum frictiones, instituenda est: in ídque abluenda seu fouenda illa sunt decocto saluiæ, rutæ, rorismarini, stœchados, & aliorum quæ suprà comprehensa sunt, & clystere iis interuallis sæpe aluus ducenda est, quinimò in contumaci vitio, ligni Guaiacini decoctum adiectâ pœoniâ imperandum.

Deriuantia. Vt iam noxius humor detractus est, aut maiore parte imminutus, dein quæ purgationis vniuersæ reliquias è cerebro per nares, per palatum, per commissuras deriuent, persequenda sunt.

Errhinum.

℞. Succi anagallidis, succi sampsuchi, aut succi rutæ siluestris, & hyssopi, aut iridis, an. ℥iii. vini albi odorati ℥iiii. granorum pœoniæ puluerisatorum, ʒiß. seminis nigellæ Romanæ, aut agarici fœminini puluerisati ʒi. pulueris radicis peucedani ℈ii. misceantur, fiat Errhinum, hauriatur per nares prono capite, & ieiuno ventriculo. Quod verò sequitur, non solùm prolicit mucum, sed etiam cerebrum roborat, & valde sternutamenta mouet, paroxysmo discutiendo accommodatum.

Linimentum pro naribus. ℞. Opopanacis ʒi. staphisagriæ, costi, folij, aut macis, granorum pœoniæ, an. ʒiii. radicis cyclaminis optimè contusæ, ʒiß. fellis taurini ʒß. succi maioranæ, & betonicæ, ana quart. ß. Misce, reducantur ad formam & consistentiam linimenti, vngantur partes extremæ narium. Efficax quoque ex solo rutæ & iridis succo ad epilepsiam litus comparatur, sed quòd acrior sit, aut hydromelite, aut aquâ saluiæ, vel sampsuchi temperandus est. Quin & sternutamenta vt proposui sæpe incitanda, ac radicis pœoniæ tenuissimus puluis crebrò inspirandus.

Sternutatorij formula.

Puluis ptarmicus. ℞. Radicis pulueris pœoniæ, & pyrethri, ana ℈ij. nucis mosch. ℈i. ellebori nigri puluerati ℈ß. fiat puluis, qui insuffletur in nares. Vel:

Alius. ℞. Struthij, piperis nigri, an. ʒii. ellebori albi, & pulueris radicis pœoniæ, an. ʒi. seminis rutæ, & hyssop. sicci, an. ʒß. fiat puluis, inspiretur in nares ieiuno ventriculo.

Apophlegmatismus. Apophlegmatismi autem adhibeantur, ex pyrethro, & triplâ passularum pulpâ, adiectâ pœoniâ, aut sicut in dolore capitis à pituita præscripsimus.

Gargarismus pituitam eliciens.

℞. hyssopi, betonicæ, sampsuchi, thymi, pulegij, an. M.i. florum saluiæ, stœchados, rorismar. an. p i. radicis pœoniæ, seminis callitrichi, & visci quercini, an. ʒii. carpesij ʒiß. pyrethri, & zingiberis, an. ʒi. coquantur in tribus aquæ fontanæ partibus, & vnâ aceti scillitici, & colatura accommodetur in gargarismum.

Quæ autem per suturas discutiunt, deinceps proponemus, cùm eadem pariter roborent. Sic quidem modò vniuersalium, modò particularium euacuationum alternatus sequens vsus maximè necessarius: atque interposito tempore interdum castoreum ex mulsa præbere conuenit, item vomitiones ciborum copiâ ciere, cùm opportunitas est. Porrò quæ media inter vniuersales purgationes, accessionésque porriguntur spatia, non solùm particulatim expurgando, sed etiam corroborando cerebro & epilepticæ dispositioni prorsus delendæ accommodari debent: Quæcunque id præstant, aut manifestâ qualitatum repugnantiâ, aut recondita totius substantiæ proprietate, iuuare creduntur.

Antepileptica duplicis generis.

Antepileptica manifestis qualitatib. agentia. Primæ classis hæc notantur, hyssopus, polium montanum, ruta, betonica, thymus, tormentilla, scolopendrium, Aristolochia rotunda, helenium, cardamomum, seseli, spondylij fructus, radixque, conyza, zingiber conditum, pyrethrum conditum, agaricus, scilla, quòd exsiccandi vi polleant, tenuísque sint substantiæ, ac propterea ventriculorum cerebri infarctûs expediant, & flatûs discutiant. Quinetiam euidenti qualitate agunt cornu ceruinum, rasura eboris, corallium, quòd materiam vnde flatûs suscitantur, absumant & absorbeant. At totius substantiæ

Antepilept. totâ substãtiâ agentia. dissidio & repugnantiâ, præter manifestas qualitates agunt, pœonia præsertim mascula, viscum quercinum, semen ormini, quod callitrichum appellant, vesica apri comprehensâ vrinâ arefacta, coagulum leporis, delimata cranij humani scobes, cinis cuculi, cinis hirundinum, & multa alia, sed minùs selecta, vt vngula asini, talus suillus, puluis mustelæ, aut testudinis terrestris, sanguis potus.

Exuuiæ stellionum epilepsiæ conferunt. Arist. teste l. de mirab. auscult.

Scio

Scio nonnullos, ne quid ignorare videantur, illam pœoniæ, similiúmque vim non ex insitâ proprietate, sed à manifestis qualitatibus deducere; sed cùm alia plurima extent maiori siccitate prædita, tenuiorúmque partium, cur illa vim pariter ad morbum comitialem non accepissent? cur cancrorum cinis, aut ouorum testæ, aut limatura chalybis, quæ potenter exsiccant, non easdem quas hominis calua, vires obtineant? aut cur apium vulgare, quod obstructionibus reserandis aptissimum, non eandem quam pœonia epilepticis opem ferat; quod tamen constat illis esse aduersissimum, eóque tacitam & latentem epilepsiam detegi & excitari? Quamobrem isthæc eorum vis non à manifestis qualitatibus, sed à totius substantiæ dissidio, atque repugnantiâ dimanauit, quâ non pituitæ, non humoris lentori, sed morbi comitialis essentiæ prorsus aduersatur: hæc autem vel simplicia vsurpantur vel in compositionem referuntur, atque horum alia assumuntur, alia admouentur, de quibus seorsim propositis exemplis agendum.

Refutantur, qui horum vim à manifestis qualitat. deducere conantur.

Opiata cerebrum roborans, & comitialibus vtilissima.

℞. Conseruæ acori ʒ.x. conseruæ florum rorismar. ℥i. corticis citri saccharo conditi, ℥ß. pulueris radicis pœoniæ, & visci quercini, an. ʒiß. cineris hirundinum, & cuculi, ex arte præparati, ana ʒi. coralli rubri, & margaritarum electarum, ana ℈. ii. pulueris rosatæ nouellæ, & diambræ, an. ʒiß. syrupi conseruat. myrobalan. emblic. saccharo condit. aut (quod præstantissimum est) mellis scillitici, aut oxymelitis scillitici, quantum satis, fiat confectio ad formam opiatæ: Huius detur instar castaneæ, quotidie manè, superbibendo cochlearia duo aquæ hyssopi, & cichorij, quod propriâ quadam vi comitialibus auxiliatur. Sunt qui iis theriacam adiiciunt, aut mithridatium, nisi quotidiano vsu palato nimiùm ingrata essent.

Alia.

℞. Conseruæ florum stœchados, & rorismarin. an. ℥i. conseruæ florum cichorij, ʒvi. corticis citri saccharo conditi, ℥ß. radicis pœoniæ masculæ, ʒii. visci quercini, & seminis callitrichi vel seminis pœoniæ, ana ℈iiij. rasuræ cranij hominis, si quidem vir sit, alioqui fœminæ ʒiß. rasuræ cornu cerui, ℈ii. pulueris pliris archontic. aut diarhodonis, ℈iiij. cum syrupo de hyssopo, vel de acoro; aut si intemperiei calidæ aliqua suspicio insit, cum syrupo è cichorio, reducantur in modum opiatæ: detur & manè experrecto, & serò dormituro, nucis iuglandis magnitudine.

Opiata.

Commendatur etiam maximè pyrethrum conditum, zingiber conditum, conserua eringiorum, puluis pyrethri melle præsertim rosato, vel anthosato, vel scillitico efficacissimo, aut oxymelite scillitico exceptus,

cochlearis mensurâ, nux moschata saccharo condita, electuarium è pyrethro à Mesuæo descriptum, & præstantissima Rhasis antidotus, cuius compositionem inserendam huic meo operi credidi.

Electuarium Rhasis, ad morbum comitialem efficax.

Rhas. 9. ad Almans. cap. 14.

℞. Pyrethri, seseleos, stæchados, singulorum ℥v. agarici ʒiiß. cardamomi recentis, acriorísque, assæ fœtidæ electæ, aristolochiæ rotundæ, singulorum ℈ii. & gr. v. Exprimito ex scilla succum Gal. more, ac cum æquali mellis portione commistum decoquito, eóque simplicia medicamenta excipito, atque formato electuario, huius instar auellanæ assumat æger quotidiè manè, & tribus horis post cœnam, ex aquâ betonicæ, aut hyssopi, aut saluiæ.

Paratu facile, & efficax.

Aliud electuarium.

℞. Primulæ veris contritæ, caryophyllorum, pœoniæ, pyrethri, an. partes æquales; excipiantur melle, detur cochlear vnum quotidie manè.

Puluis & electuarium siccum.

℞. Cranij hominis combusti, ʒii. radicis pœoniæ, seminis eiusdem, cineris cuculi, & hirundinis, visci quercini, seu callitrichi, an. ʒi. macis, cardamomi, tormentillæ, & seseleos, foliorum rutæ siccæ, aut seminis eiusdem, & hyssopi, an. ℈ii. coralli rubri, cornu cerui vsti, & aquâ betonicæ loti, an. ʒß. sacchari ad pondus omnium, fiat puluis: detur quotidie exigui cochlearis mensurâ, aut exceptus saccharo aquâ hyssopi soluto, concinnetur in tabellas rhomboides ʒii. triúmve pondere. Hæ pilulæ neotericorum inuento constant.

Catapotia antepilept.

℞. Radicis pœoniæ, ʒii. hyssopi, marrubij, & castorei, an. ʒi. assæ fœtidæ, ℈i. terantur omnia, & cum succo hyssopi formentur pilulæ vii. ex ʒi. detur vna pilula quotidie dormituro.

Auxiliatur etiam oxymel scilliticum quotidie potum, & mel in quo scilla intabuerit, instar cochlearij assumptum: Datur verò paruulis ʒß. aliis verò ʒii. Maximam quoque syluestris rutæ vim esse ad comitialem morbum, experimenta testantur, cuius semen in potu datur. Infantes verò morbo obnoxios mitiora sinuant quæ postea referemus. Quoniam autem hunc ferè ventriculi cruditas fouet, ac sæpe intendit, ex re etiam fuerit, vel puluerem, vel conditum à cibo præscribere, ad confirmandum stomachum inhibendósque vapores. Eorum autem quæ admota epilepsiam curant, & cerebrum recreant, quædam extrinsecùs imponuntur capiti, quædam naribus obiiciun-

Admota epilepsiam curãtia, & cerebrum confirmantia.

obiiciuntur, quædam auribus instillantur, quædam etiam collo appensa prosunt, aut alio modo circumferuntur.

Puluis.

℞. Radicis iridis, & pœoniæ Romanæ, & radicis tormentillæ, ana ʒii. visci quercini, cyperi, & schœnanthi, an. ʒiß. folior. adianti sicc. betonicæ siccæ, & seminis seseleos, an. ℈iiij. folior. sampsuchi, & folior. rutæ siluestris, & florum stœchados, aut rosarum rubrarum, ana ʒi. macis, & nucis mosch. aut granorum tinctorum, folij, (si haberi possit) & cinnamomi, an. ʒß. fiat puluis tenuissimus, quo pars anterior capitis respergatur serò & manè: hic idem in cucupham coaptari potest, auctis rosis, addito coriandro, flore rorismar. camomillæ, saluiæ, melissæ, & similibus.

Puluis capillis inspergendus, vel in cucupham aptandus.

℞. Olei rutæ, olei costini, & laurini, an. ℥iij. aquæ vitæ ℥i. agitentur simul, & præcisis capillis illinatur syncipput: Calfacit, exsiccat, discutit, & roborat. In id quoque panis coctus in mulsa, tritus autem cum amygdalis amaris, vel serpillo, vel mentha, vel calamintha, vel ruta, triduo capiti inspergendus. Ad hoc caput tondendum est, & peucedani liquore cui spondylium incoctum sit, ex aceto diluto perungendum. Auribus verò vtilissimè instillabitur oleum rutæ, & de spica. Sed quæ naribus obiicientur, inspirato, haustóque odore luculentiùs iuuant; quomodo pœoniam infantium collo subnexam, comitialem morbum persanare scripsit Galenus. Sic & castoreum, assa fœtida, ruta, mel anthosatum, ladanum, olfacta aut simul coacta pro suffitu, euidentissimè prosunt: sed nodulis paroxysmo discutiendo inscriptis nihil efficacius. Hippomanes proximè corpus attingens, si diu circumfertur. admirabilem ad epilepsiam vim habere, quemadmodum & alces vngula creditur. Smaragdus quoque collo appensus: lapilli item chelidonij colorum varietate distincti, & vituli aut cerui corio inuoluti, si è collo propendeant, reconditâ facultate malum abigere. Sed hos frustra requires, nisi ex primis hirundinum pullis aperto ventre eruantur. Quinetiam si ex morsu stomachi, casus accidit, corallus, vel iaspis virens vtiliter collo suspenduntur, ad ventriculi regionem. Si ne per hæc quidem fuerit liberatus, quod ad reliqua pertinet, vltimum est occipitio, vel scapulis, incisâ cute, cucurbitulas admouere: caustico medicamento, aut ferro candente, in occipitio quoque & infrà, quà summa vertebra cum capite committitur, adurere, & vlcus resolutâ crustâ, inditóque cicere prorogare, vt illac perniciosus humor euadat; humeris phœnigmum imponere; capiti sinapismum inducere; hirudines etiam fronti, & per ambitum capitis affigere.

Illitus syncipitis. *Auribus instillanda.* *Narib. obiicienda.* *lib. 6. simpl.* *Periapta ad epilepsiam.* *Extrema remedia, ferrũ, & ignis.* *Hirundines.*

Sinapismus.

℞. Sinapis ℥i. thapsiæ, pyrethri, staphisagriæ, ana ʒv. radicis

pœoniæ, viſci quercini, folior. rutæ ſiccorum, ana ʒii. canthari-dum ʒij. flor. ſtœchados, roriſmarin. ana ℈iiij. nucis Moſch. ℥iß. fiat puluis, qui raſo capiti inſpergatur, vel excipiatur ficubus elixis in oxymelite ſcillitico : ſed hæc nonniſi cùm in capite fomes eſt, iuuare poſſunt: quibus ſi finitum malum non fuerit, propè eſt vt id perpetuum ſit.

A Melancholia.

Ac ferè quidem tale eſt, nec niſi ægerrimè expugnari poteſt, ſi melancholia ipſum protulerit. Ad leuandam tantummodo acerbioris mali vim, vtendum erit iis, quibus triſtia melancholicorum ſpectra mitigari ſolent, adiectis quibuſdam ſubinde præterea, quæ citra inſignem caloris vim comitialibus propria diximus : ita namque ſyrupus è bugloſſ. capillar. & de hyſſopo ſimul permixti, & duplo aquarum borraginis, betonicæ, & meliſſæ diluti iuuant; aut ſi paulò calidior eſt humor, ſyrupus è cichoreo, vel eiuſdem aqua in eorum permiſtionem accedet. Sic præparato humori medicamentum diaſennæ, aut confectio hamech cum agarico deſtinabitur : aut pilulæ è lapide cyaneo & agarico, quæ ſimul cum ſyrupo, & aquâ meliſſæ coierint. Sic roborando cerebro, & epilepticæ diſpoſitioni, aptentur confectiones ex conſerua florum cichorij, capillorum Ven. roriſmarin. corticis citri conditi, cum præparato lapide lazuli, corallio, cornu ceruino, pœoniâ, caluæ humanæ raſurâ, cinere hirundinis, confectione Alkermes, ſpeciebus diamoſchi, diambræ, quæ omnia ſyrupo è cichorio, aut ſyrupo è pomis coacta, temperatáque ſint. Eadem propemodum externorum remediorum ratio in compoſitione permiſcendorum, eſſe debet. Neque verò in epilepſia ſanguis mittendus eſt, niſi alia quædam hortantur; neque enim à ſanguine hanc gigni veriſimile eſt, etiamſi toto corpore exuperet. Cùm tamen faciei, oculorúmque rubor, & venarum tumor atque diſtentio adeſt, conuenienter vtique ſanguis mitti poteſt, vere præſertim, ac æſtatis feruore; conuenienter etiam mittitur, cùm citra vllam præcordiorum affectionem, vel pulſans, vel acer & pungens capitis dolor viget, tum quippe Epilepſiam mordax & vellicans humorum qualitas potiùs, quàm ventriculorum obſtructio parit: Quocirca intermiſſo caſu, iuxta talum ex altero, vel vtroque crure, aut cubito, paulum ſanguinis mittere conuenit; cucurbitulas tum cruribus, tum humeris cum ſcarificatu affigere; hæmorrhoidas, aut menſes ciere; caput oxyrhodino, aliiſve reprimentibus primùm perfundere, deinde ſenſim, quæ præcepimus, digerentia admouere. Quæ verò aſſumentur, vt iam pridem præcepimus, temperanda erunt. Sed huiuſmodi & caſus & modus præſidiorum rarior eſt, quàm vt explicari debeat.

Præparatio humoris melancholici.

Purgatio.

Cephalica & ſpecifica.

De Vena ſectione in epilepſia, & quibus dioriſmis adhiberi queat.

Ex ſto

Ex stomachi consensu.

Frequentior illa est epilepsiæ species, quam stomachi sympathiâ excitari diximus: hæc cùm accessio proxima est, oxyrhodino inhibetur, & sublato stomachi vitio tollitur. Atqui vt diuersa vitia eius, sic etiam remedia sunt, quæ singula ex propria ventriculo curatione perquirenda sunt: nam siue is pituita grauatur, seu bile exæstuat, primùm impuritas vomitione, (vtique si facilè cietur) & alui ductione per clysterem, & medicamento è dialoë eximenda est; deinde os ventriculi muniendum iis quæ corroborant, quæ relictam intemperiem corrigunt, & incursionem arcent, quibusdam nihilominùs semper adiectis, quæ peculiari dote præsenti malo aduersentur, hunc in modum.

Vomitus. Alui ductio. Oris ventriculi corroboratio.

Opiata ventriculum roborans, vomitione prægressâ.

℞. Confectionis arom. ros. maioris ℥iij. pulueris coralli rubri vsti, & in aqua rosarum diligenter loti, ʒiij. granorum pœoniæ excorticatorum, & optimè contusorum, ℈ij. rasuræ eboris, ʒß. pulueris diacameronis, ℈i. pulueris diambræ ℈iiij. cum syrupo de cortice citri, fiat in modum opiatæ, addendo myrobalanorum emblicarum saccharo condîtarum, numer. i. sumat ad quantitatem nucis iuglandis, duabus horis ante pastum.

Puluis à cibo.

℞. Coriandri ex aceto præparati, in quo ruta, rosáque efferbuerit ℥iii. anisi & fœniculi, an. ℥i. radicis pœoniæ Romanæ, ʒiij. cineris cuculi, cranij hominis, & cineris hirundinum, an. ʒiß. pulueris diacydoniten, aut diarrhodon, aut aromatici rosati, ʒii. coralli rubri, rasuræ eboris, & margaritarum splendidarum an. ʒi. macis, nucis mosch. & cinnamomi, an. ℈iiij. sacchar. rosati tabulati ad duplum ponderis omnium, fiat puluis, sumat postremâ mensâ cochlear vnum.

Conditum.

℞. Carnis cydoniorum saccharo conditorum, ℥ii. conseruæ rosarum antiquæ, ℥iß. conseruæ rorismar. & corticis citri sacch. conditi, an. ℥ß. pulueris coralli rubri vsti, & aqua absinthij loti, ʒiij. pulueris rosatæ nouellæ, diamoschi dulcis, (vt ipsorum vis recreando cerebro accommodata vnà cum alimenti vapore euehatur) an. ʒiß. sacch. violati tabulati ad pondus omnium, fiat mixtura, ex quâ post cibum detur

cochlea

cochlearis mensura. Vt iam ventriculo prospectum est, capiti per eadem topica, quæ suprà diximus, auxiliandum. At si bile stomachus compungitur, tum à calidioribus temperandum est, sicut in stomachi ardore præcepimus; vel miscenda iis frigida, vt conserua rosarum, florum cichorij, santala, rosæ, coriandrúmque, & syrupi frigidi.

Si bilioso humore stomachi orificium vellicetur, quid agendũ.

Atque vbi stomacho prospexeris, caput oxyrhodino instante accessionis tempore perfundendum: deinde eadem quæ in cæteris facienda sunt, atque inprimis vitanda & cruditas, & inedia. Idem delitescente in vtero fomite præceptum sit, quo affecto sanguis è poplite, vel malleolo emitti, cucurbitulæ cruribus, & circa partem cum scarificatu admoueri debent: reliqua ex vteri strangulatu, & mensium suppressione repetenda.

Partium extremarum Sympathiâ.

Quòd si è crure, aut digito manûs, furtim malum irrepit, instante accessionis impetu, cùm æger frigidiorem veluti auram persentit in caput efferri, mox hæc coërceri debet, simúlque valente auxilio reuelli, ac primo quôque tempore caput oxyrhodino communiri. Itaque paulò supra partem primum infectam, vincula (si fieri commodè potest) arctissima iniiciantur, frictiones vehementiores imperentur; deinde pernicies protinus eliciatur, haud aliter quàm in bestiarum venenatorum demorsu: Id cucurbitula loco admota optimè facit, & scarificatus, & proximæ venæ sectio, & emplastra epispastica, & theriaca loco admota, & medicamentum causticum, & ferrum candens, & vlcus diu prorogatum, sicut in conuulsione fusiùs explicabitur. Sed ne illa quidem hîc negligenda, quæ tum assumpta, tũ admota comitialibus prodesse dixi, quemadmodum neque per pilulas coccias, aut alias, prætermittenda curatio: Ex sympathiâ enim breui tempore idiopathia contrahitur; nonnunquam enim id genus mali ex capite est, ipsomet corrupti vaporis fomitem continente; in quo minimè differendum est, sed protinùs iisdem remediis occurrendum, maximéque sinapismo & phœnigmo scapulis imposito, & si parum valent, caustico vel ferro adurendum, non in syncipite tantùm, vel occipitio, sed inprimis (quò perniciosus humor, aut vapor amputetur) etiam longiùs, vel in vtroque crure, vel in brachio; nihil enim melius, etsi graue est, quàm protinus adurere.

Vincula intercipientia. Frictiones.

Cucurbitulæ, & cætera tũ reuellentia, tũ discutientia.

Si fomes corrupti vaporis in aliquâ ipsius capitis parte contineatur, quid agendum.

Infantium Epilepsia.

Pueros autem clementiùs habere oportet: natura enim vel per se, vel probâ viuendi ratione adiuta, hanc sæpè labem detrahit. Quocirca si lactens adhuc infans est, nutrici victu calidiore & sicciore, atque etiam medicamentis prospicito; atque interdicto vino, mulsam maci, aut cinnamomo condîtam, aut Guaiaci decoctum imperato. Infantis corpus molliter fricato, spinam & capitis posteriora oleo irino, rutaceo, anethino,

Lactentum curatio.

anethino, chamæmelino, lilior. aut ſimili blandè perungito: aut ſynciput, quod magis probo, deſcripto puluere cephalico inſpergito; adiectis etiam cypero, adianto, & ſemine rutæ. Pigriorem aluum glande moueto: podicem melle & rutæ ſucco commixtis illinito: ſtomachum nardino, & maſtichino confirmato: Nuper editis ad præcautionem, ſaccharum oleo amygd. dulcium, aut ſeſaminum mellis lentore exceptum, aut mel roſatum ore immittito, aut diamoſchum dulce cum lacte; aut iis ſyrupum è cichorio, aut præſtantiſſimum Galeni mel ſcilliticum: aliquantò prouectioribus exigui cochlearis menſurâ, quotidie per aliquot dies exhibeto. Sed adultos priùs agarico purgato, theriacæ paululum in os indito: quæ appenſa collo recondità facultate iuuant ne contemnito, præcipuéque nodulos, quos & alia, quæ ſuprà poſui, ſæpe naribus admoueto. Si ex lumbricis malum eſt, remedia quæ hos enecent, excludántque, adhibeto. Si verò iam firmior puer eſt, ac iam trimus vel quadrimus, ſumere debet agarici ʒi. aut ʒiß. zinzibere adiecto, in oxymelite infuſam, expreſſioni affusâ hyſſopi, aut rutæ aquâ, ídque primò adhibitâ præparatione. Ad hanc rem quoque faciunt glandes ex muſcerdâ, agarico, ſale gemmeo, & hierâ, omnibus inquam melle exceptis, & clyſteres ex pulli iure, in quo mellis roſati ℥ii. hieræ picræ ʒiii. ſint, vel agarici ʒi. At ſi nec iis finitur morbus, grandioribus cauſticum, vel cauterium leniter occipitio, aut primæ vertebræ apponito, & vrgente acceſſione oxymel ſcilliticum, admixto pœoniæ, aut benjoino puluere, exhibeto.

Adultiorum curatio.

Epilepſia ex lumbricis curatio.

Victûs ratio.

Inprimis fugere oportet ſolem, nucis & ficûs vmbram, balneum, ignem, omniaque extrinſecùs calefacientia, item frigus, vehementem flatum, venerem liberaliorem, loci præcipitis conſpectum, rotarum circumactûs, aquarum vortices, coruſcationes, tonitrua, omniúmque terrentium impetûs. Ad hæc vigilias, laſſitudinem, ſollicitudines, omniáque negotia, & animi pathemata, atque id genus alia quæ vehementer commouent, & corporis vel humores, vel ſpiritûs perturbant. In aëre ſereno, tenui, puro, benéque temperato, neque vllâ caligine, aut alienâ expiratione inquinato diutiùs verſandum, & regione temperatâ, ſeu mediocriter calidâ & ſiccâ, locóque edito & lucido, atque in Orientem Solem conuerſo: mutandum ſubinde peregrinationibus cœlum: Inſternere quoque domicilio conuenit rutam: hyſſopum, ſampſuchum, citri corticem, aliáque malo accommodata: ſed & caſtorei, aſſæ fœtidæ, at neque galbani, neque opopanacis nidore inſpirandum aërem affici, niſi iam prægreſsâ purgatione. Vitare prætereà oportet ſomnum prolixiorem, præſertim meridianum, & mox à cibo, & ſupinum decubitum, & decliui capite. Vbi manè experrectus eſt, corpus eius, excepto ventre cum capite, per

Vitanda.
Celſ. loco cit.

Aër, qualis eſſe debeat.

Somnus.

Exercitium.

perfricetur; ambulatione quàm maximè longâ & rectâ vtatur, aut alio quouis motu citra defatigationem, & exercitationem moderatâ, dum leuior erumpat sudor. Post ambulationem loco tepido vehementer & diu, ac non minùs ducenties, nisi infirmus erit, perfricetur; deinde etiam caput linteolo aliquandiu fricandum, sæpiúsque pectine vtendum. His peractis, iámque sedatâ exagitatione, cibum assumat, conquiescat, rursus ante noctem exercitatione & extremorum frictione, non capitis, vtatur, quippe in his totius curationis maxima vis inest. Post hæc cœnet, & quidem parciùs, ne per somnum plenioris cibi vapore caput grauetur, quòd commune in omnibus capitis affectibus præceptum est; interpositísque quatuor diebus, vno aut altero acria assumat.

Cibi salubres, aut secùs. Cels. loco cit.

Neque sorbitiones autem iis, aliíque humentes cibi, neque frigidi conueniunt; sed neque sinapi, petroselinum, eruca, pastinaca, allium, porrum, cæpa: hæc enim etsi calida sunt & acria, vitiosum tamen succum progignunt, aut multo vapore caput implent, & membranas feriunt: In vniuersum quæcunque glutinosa sunt, & crassi succi, quæque inflant & recrementa gignunt, necnon quæ ægrè concoquuntur, vitare oportet. At illorum copiosus vsus salutaris est, quæ citra hæc vitia, incidente detergentéque vi prædita sunt, excrementíque minimum proferunt, nec euaporant, quo in genere habentur auiculæ montanæ, exceptis fortasse

Perdices, meleagrides, oues, capræ, epilepsiæ sunt obnoxia.

perdicibus, & gallinis quas meleagrides appellant, quas constat perturbatione epilepsiæ finitimâ corruere, non minùs quàm oues, aut capras: hinc Galenus etiam ab his abstinendum censuit. Probantur quoque gallinæ, & gallinacei pulli. Hœdos tamen & iuniores lepores quandoque gustare, & veruecinas carnes assas, sed quàm rarissimè licebit: atque ex piscibus saxatiles soli in vsum venient. Capparis frequens vsus prodest: hyssopo etiam maximè vti licet, saluiâ, fœniculo, rorismarino, anetho: at omnia frigida & humida olera, omnia legumina prorsus arcenda, sed maximè faba, lenticula & brassica; interdum autem nonnihil olerum ventrem mollientium permittitur, aut fructuum meliorum; modò ne astrictione aluum tardent, parcè tamen & rarò; sed præcipuè vua passa, ficûs siccæ, nuclei pinei, & pistachia probantur, relictis omnibus nucibus & palmulis: item nonnihil salsamentorum, &

Cels. loco cit. Potus.

oliuarum, appetentiæ incitandæ gratiâ; nam & viribus opus est, & cruditates cauendæ sunt. Aquâ decoctâ, potionis causâ vtatur, sed præcipuè mulsâ, maximéque si hyssopi comæ, aut myristicæ nucis fragmentum, aut macis incoxerit, hoc modò.

Hydromelitis formula.

℞. Aquæ fontis, ℔. xii. mellis Narbonensis ℔. i. coquatur lento, & luculento igne, dum spumauerit, deinde condiatur ʒii. nucis moschatæ, & percoletur. Aromatica mitiora condimentis inserantur, reiecto zinzibere, croco, atque etiam cinnamomo; vapore enim

De vino, quo casu concedi possit.

acriore cerebrum impetunt, haud secùs, ac vinum, quo vel prorsus abstinendum, vel vt reficiantur vires, oligophoro & temperatissimo parcè vtendum: adeò tamen nihil perpetuum est; quum enim stomachi

vitio

vitio epilepsia est, ad vitandam cruditatem, atque etiam bilis insultum, panis accuratè elaboratus, ex vino temperato quod leniter adstringat, albúmque sit, rectè assumitur. Sæpe autem in eo magis necessaria cibi festinatio est, qui minùs inediam tolerat.

CAPVT VI.

Paralysis.

Paralysis est resolutio sensûs, & motus partium, non totius corporis: hæc si absoluta est, omninò motum sensúmque vni, pluribúsve membris adimit; si leuior & imperfecta, motum duntaxat, manente sensu, aut hunc persistente motu. Neruorum tamen resolutionem propriè appellari video, cùm motus planè deficit; at sublato tantùm sensu, stuporem potiùs; quinetiam cùm sensus, motúsque inest, sed admodum infirmus, torpens, & imminutus, verè stupor quoque est: hic à paralysi, solâ duntaxat magnitudine differt, ad quam efficientium causarum continuatione perueniret. Vtraque affectio modò per se oritur, modò aliis affectibus succedit: Ita quidem Apoplexia, epilepsia, colicus dolor, vteri strangulatus, febres denique interdum acutæ, at sæpiùs diuturnæ in paralysim commutatione quadam abire consueuerunt. Quæ ex apoplexia relinquitur ferè aut omnes sub capite partes, aut alterum corporis latus occupat, quam ἡμιπληγίαν nominârunt, ac interdum in apoplexiam illa reuertitur. Quæ verò aliunde emergit, mitior est, & ex stupore sensim augescens, sæpius vni membro, vt brachio vel cruri insidet, eiusdémque resolutio nominatur. Pars resoluta facilè hinc agnoscitur, quòd insitâ grauitate concidit, neque validâ contentione erigi potest, & promptè frigescit, & tempore contabescit, sine sensu, sine motu, flaccida atque dissoluta est. Resolutionis proxima causa est neruorum vel obstructio, vel compressio, spiritûs, facultatísque distributionem arcens: etenim spiritus animalis facultatis vector, è cerebro & spinæ medulla, per neruos in artûs omnes, sensûs motúsque gratiâ diffunditur. Neque enim neruorum substantia adeò solida est, præsertim viuente animali, quin spiritum admittat naturâ æthereum, substantiâ tenuissimum, & pernicitate velocem, quod primum est animæ instrumentum, ad omnes cùm sensûs, tùm voluntarios motûs. Quæcunque enim facilè distendi & contrahi possunt, quæcunque fibris inuicem nexis productâ cohærent, ea necesse est, quos vocant πόρους, & cæcæ foramina continere. Itaque neruis obstructione præpeditis, aut quauis ex causa interceptis, sentiendi, mouendíque vis prohibetur in subiectas partes diffluere. Obstructio fit plerumque à lenta pituita, modò quidē crassa illic sensim congesta, modò tenui aliunde

Paralysis quid.

Duplex paralysis, perfecta, & imperfecta

Quid differāt inter se paralysis propriè dicta, & stupor.

Stupor & paralysis aut per se oriuntur, aut aliis affectibus succedunt.

Hemiplegia quid.

Signa partis resolutæ.

Causæ paralysis sunt neruorum obstructio, vel compressio, refrigeratio; occulta qualitas, solutio continui.

Obstructionis causæ, pituita, bilis.

aliunde in neruorum propagines subitò illapsâ; interdum à crassiori & multâ bile, vel ab alio humore neruis impacto, qualis nonnunquam diuturnarum & biliosarum febrium solutione in neruos excutitur: Natura enim noxij humoris excretionem per sudores aggressa, expeditam viam non habens, illum quandoque è venis, & visceribus in neruos auertit. Adstrictio autem fit ab arctiore vinculo, tumore præter naturam neruum premente, à callo, à contusione, ab ossis fragmento, ab eâ vertebrarum eluxatione, quâ in alterutrum latus spina inflectitur: hæc quippe neruorum origines arctiùs coangustat & comprimit, tum maximè cùm vertebræ prorsus loco exciderint. Huc accedit immoderata refrigeratio, siue aëris sæuitiâ, & gelidæ contactu, seu excedente narcoticorum vi inducta sit, quandoquidem frigidum neruis inimicum spiritûs infringit atque debilitat. Quinetiam Torpedo piscis, hominem qui se virgâ aut fune attigerit, efflato per rectitudinem tetro vapore, in stuporem inducit. Præciso autem neruo, partis sensus motúsque perit: at quadantenus secto vel torpescit, vel multò grauiùs offenditur. Huiusmodi causæ euidentiores sunt quàm vt signis egeant. Cùm verò citra has, Paralysis incidit, crassior pituita neruum obstruit. Quamobrem resolutio eos potissimum adoriri solet, qui vino, crapulæ, & desidiæ se dediderunt, & qui viscidis, crassísque vtuntur, & quibus insignes vacuationes suppressæ sunt: denique quibus imbecillitas capitis, & frigida, humidáque intemperies multam pituitam cumulauit, quæ neruis, præsertim infirmioribus & laxis, facilè impingitur, maximè verò hyeme, frigidis regionibus, & pluuioso cœlo, sed & in eosdem nonnunquam repentè confluit, vel calore fusa, vel aliarum causarum vi iactata, quæ extrinsecùs destillationes mouent. Ergo paralysim futuram prænunciat vehemens & repentinus capitis dolor, vertigo, & oculorum caligo, artuum languor & grauitas, pigriórque motus, tremor, sensuum stupor, & mentis ignauia: In pueris etiam præter hæc subuiridis vrina, quæ vel neruorum distensionem, vel resolutionem minatur. Iam verò quâ in parte primùm hæreat affectus, ex neruorum propagine intelligitur. Cùm igitur nerui in faciei partes dispersi, à cerebro nascantur, si earum aliqua simul cum toto corpore resoluta sit, mali causa in cerebrum referenda est. Spinæ principio impedito omnes capiti subiectæ partes resoluuntur. Si media duntaxat spinæ pars afficitur, alterum è directo corporis latus resolutio comprehendet, altero incolumi. Linguâ resolutâ, primæ vertebræ malum insidet; at labris tantùm, maxillísque, & lato musculo motu destitutis, secundæ & tertiæ remedia impónito; illis verò cum linguæ sensu affectis, noxa è tertiâ cerebri coniugatione est. In ἀφωνίᾳ vocales nerui læduntur, per quartam vertebram exorti, quemadmodum in ἀπνοίᾳ, qui respirationi inseruiunt. Spinâ supra septum transuersum affectâ, brachia, & latera resoluuntur, maximéque quintâ, sextâ, septimâ, & octauâ vertebrâ oblæsâ, sed à prioribus

Compressionis causa.

Refrigeratio.

Torpedinis qualitas stupefaciens.

Solutio continui.

Quinam paralysi magis obnoxij.

Signa prodroma paralysis.

Loci primò affecti signa. V. de Gal. li. 4. de loc. aff. c. 4.

bus illis in brachia, à posterioribus in thoracem grauior offensio. Si minimus digitus, & annularis tantùm resoluitur, in cubiti cauo causa est, cæteris verò tantùm affectis, in quintâ spinæ vertebrâ consistit. Sub diaphragmate verò spinâ obstructâ, aut inflammatâ, crurum resolutio incidit. Sua etiam est ano, vesicæ, & pudendo resolutio, affectis iis neruis, qui ab osse sacro in earum partium musculos inseruntur. At illæsâ spinâ, si vnus tantùm nerui processus afficitur, eam partem solam resolutio infestat, in quam neruus spargitur: itaque prima mali sedes ex neruorum propagatione, & ex affectarum partium numero internosci potest: Pars enim quælibet resoluitur, aut proprio ipsius neruo affecto, aut eâ spinæ, cerebríve parte, vnde is deriuatur. Siqua pars sola vitio tenetur, in ipsius neruo affectus consistit; si offensio non solùm ad hanc, verùm etiam ad alias partes pertinet, neruum communem primariò affectum esse scies. Si adhuc in multò plures, causam in spina, vel cerebro residere iudicabis. Cæterùm qui nerui dum rectè valent, sentiendi facultatem suggerunt, iidem eam intercipient, cùm fuerint affecti. Tangendi quidem neruos, sexta cerebri coniugatio ad interiora viscera, foràsque ad cutim emittit, nullius motûs auctores. At nerui ex spinæ medullâ in omnes artûs deriuati, sensum motúmque conferunt. Cùm autem partes quæ pro voluntatis imperio mouentur, protinus per eundem neruum sentiendi quoque vim accipiunt, ipso vehementer oblæso, vtramque functionem perire necesse est. Interdum tamen quarundam partium motus exoluitur incolumi sensu, quemadmodum sensus perit constante motu. Horum nihil mirum videbitur in lingua & oculis, atque in cæteris partibus, quæ per differentes neruos, iis viribus ornantur: Ita quoque affectis, musculorum neruis, digitorum motus perit; iis verò qui in extimam cutem sunt sparsi, tactus vtique extinguitur. Quum autem vis sensus motúsque effectrix in partem aliquam per eundem neruum deuehitur, graui eius offensione vtraque facultas intercidit; at leniore, sensus etiamnum reseruatur, adempto motu: Omnis quippe sensus perpessione quadam & affectione acceptâ oboriri solet; motus verò nonnisi obnixu, & roboris contentione. Quocirca sensus minorem & partium apparatum, & vim, atque spirituum vbertatem desiderat, quæ ad motionum impetûs perferendos sit suppar & infirmior.

Cur modò sensus, modò motus offendatur. Vide Gal. lib. 1. de caus. sympt. c. 3.

Curatio.

Prognosis.

Paralysis nunquam acuta, sæpe longa & contumax, ferè sanabilis affectio est, si modò neque in sene est, neque consummata, neque inueterata est, neque partem tabe consumit, cui tremor superueniens, bonum. Hanc si pituita tenaciter neruo impacta facit, præmissa præparatione, humorem educere, cerebrum expurgare, & robo-

Indicationes curatiuæ, vbi paralysis causa pituita fuerit neruo impacta.

rare, quod neruis impactum est, discutere conuenit. Quoniam autem crassus & viscosus humor, nonnisi vi & perturbatione, vel è patente corpore educi potest, adhibenda est primùm diligens præparatio; deinde sensim antecedentis materiæ portio euacuanda, atque in multos interpolatos dies medicatio diuidenda; cùm enim vacuandus humor corporis parte densâ, adstrictâ, vel obstructâ coërcetur, aut cùm crudus, lentúsque est, & in longinquas partes disiectus, satius fuerit primùm leuare ægrum, deinde perpurgare, quàm simul omni vi spirituum effusâ laborantem fortasse præcipitare, aut tenuiore humoris portione purgationis impetu affatim raptâ, inexpugnabile malum reddere. Primùm igitur aluus clystere ducenda, vomitio quoque si facilis est, ducenda, noxius humor præparandus; præparant autem cephalica illa mediocriter attenuantia & detergentia, quæ suprà recensui, tum simplicia, tum composita, in quibus id quoque seruandum est, vt à leuioribus ad validiora fiat aditus. Quidam vtique sanguinem mittendum crediderunt; quod ego vitandum esse dico, præsertim in hac causa, eo quòd tum corpus maximè calore egeat.

Verba Celsi, c.10.lib.2.

Clyster frequens.

℞. Althææ totius, mercurialis, parietariæ, betonicæ, saluiæ, anthos, origani, calamenti, & sampsuchi, ana M.i. passularum mundatarum, ficuum pinguium, ana par.xii. seminis fœnugræci, ℥i. seminis fœniculi, anisi, & cumini, ana ʒiij. florum chamæmeli, stœchados, rorisinar. anethi, & sampsuchi, ana p.i. Decoquantur, & in colati iuris ℔. i. ß. dissolue mellis rosati colati, & olei antiquissimi, aut chamæmelini, ana ℥iii. diaphœnici ℥i. aut indi maioris, aut benedictæ, aut hieræ picræ parem modum, vel aliquanto minùs, ex ætatis & virium ratione. Aut decoctioni additâ seminis carthami ℥i. agarici, ʒiii. fiat clyster, quo primùm intestina & ventriculus exonerentur. Aut mitioribus pilulis vtendum, quales ex hiera cum agarico, vel imperiales sunt; vel leni aliquo pharmaco, vt duntaxat è primis sedibus citra exagitationem educat. Quinetiam vomere expedit, quibus facilis est vomitio, hausto melle rosaceo, cum decoctione raphani, aut asari, & seminis atriplicis, modò lingua resoluta non sit.

Vomitio.

Syrupus præparans mitior.

℞. Mellis colati rosati, syrupi de acoro vulgari, & de glycyrrhiza, ana ℥ii. aquarum primulæ veris, betonicæ, & capillorum ven. ana ℥iiii. misce ad tres doses: sumendo mox tabulam vnam electuarij rosatæ nouellæ, aut diamoschi, aut diambræ. Hic syrupus tutissimus est, etsi pituita aquosa est, in quâ syrupus è stœchade, aliíque validè attenuantes inter

Cautio habēda in vsu attenuantium, per mali initia.

inter initia periculo non vacant, maximè enim verendum eſt, ne per initia calore nimio eorum ſyruporum patefactis arctioribus viis, colliquatáque & fuſa materia nerui pleniùs irrigentur, quod & in purgandis, & diſcutiendis humoribus per admota quoque, ſeruandum eſt.

Syrupus validior.

℞. Syrupi de ſtœchade, oxymelitis ſcillitici, vis enim (alioqui neruis noxia) aceti, ſcillâ & melle emendatur, aliorúmque permiſtione obtunditur, & mellis colati roſati, ana ℥ii. aquarum ſaluiæ, betonicæ, & ſampſuchi, aut hyſſopi, ana ℥iiii. pulueris pliris archontic. ʒi. fiat ſyrupus clarificatus in trium dierum doſim; vel ex plantarum cephalicarum decocto: in id autem præſtantiſſima ſunt ſaluia, ſampſuchus, primula veris, quam paralyſim herbam appellant, chamæpitys, quæ iua arthritica, roſmarinus, betonica, hyſſopus, thymus, dictamnus, polium, calamintha, ſerpillum, chamædrys, ſtœchas, & quæ eodem ſpectant.

Apozema.

℞. Radicis acori vulgaris, cyperi, calami odorati, galangæ maioris, phu, aut helenij, aut eryngij, aut pœoniæ, ana ℥i. corticis citri ſicci, ℥ß. aut zedoariæ, & ſchœnanthi, ana ʒii. ſaluiæ, betonicæ, chamæpityos, chamædryos, primulæ veris, pulegij, hyſſopi ſampſuchi, thymi, aut ſatureiæ, polij montani, calaminthæ, origani, & meliſſæ, ana M.i. caricarum pinguium, p. viii. ſeminis ameos, carui, ſeſeleos, & aniſi, vel ſeminis vrticæ, ana ʒiii. florum ſtœchados, ſaluiæ, & roriſmarini, aut thymi, ana p i. coquantur in hydromelite, (retunditur enim calidarum herbarum vis, aquæ permiſtione) & in colati iuris ℔. ii. diſſolue mellis roſati colati, q. ſ. fiat apozema clarificatum & aromatizatum, cum ʒii. pulueris macis, aut huius & nucis moſch. ſingulorum ʒi. ad quinque doſes. Id hyeme, perinde ac æſtate, comparari poteſt ex iiſdem ſtirpibus conuenienter arefactis, calidarum enim vis tempore inualeſcit, & humore diſſipato intenditur: validius autem id reddetur, & in diſtantiſſimas partes penetrabit, ſi guaiaci decocto omnia incoquantur, quandoquidem incidit, terget, calefacit, ſudorem mouet; ideóque aptiùs eo modo præſcribitur, vbi iam ſemel purgatum corpus eſt.

Decoctum Guaiaci.

℞. Ramentorum ligni indici, ℔. ß. corticis eiuſdem ℥ii. infundantur horis duodecim, aut ſexdecim, in ℔. viii. aquæ pluuiæ, hæc enim conuenientior eſt, & factâ decoctione ad medias, dein addantur præſcripta.

Purgatio poſt debitam præparationem.

Quinetiam nonnullis placuit purgantia apozemata facere, quod minùs ego probauerim, niſi concocto ac præparato iam humore, & noxij humoris maiore parte detractâ.

Medi

Medicamentum catharticum.

Potio.

℞. Agarici recenter trochiſcati in melle roſato colato infuſi ʒ i. zingiberis gran. iiij. diaphœnici & electuarij indi maioris, ana ʒ i ß. aut ſi robuſtior ſit, ʒij. ex aquâ betonicæ, vel ſaluiæ, fiat potio. Aut:

℞. Electuarij diacarthami, vel è citro ſolutiui ℥ ß. detur per ſe, vel ex aquâ iuæ arthriticæ, vel pilularum formâ, quæ diutiùs in ventre perſiſtens tantò vtilior eſt, quantò è diſtantioribus trahit.

Pilulæ.

℞. Maſſæ pilurarum fœtidarum ℈ii. pilularum de agarico, vel cocciarum ʒ ß. cum aqua iuæ arthriticæ, formentur pilulæ vii. auro coopertæ, deuorentur ad mediam noctem: quibus ſi pigrior eſt aluus, adde trochiſcorum alhandal, vel diagridij gr. iij.

Vel in duas doſes.

℞. Maſſæ pilularum de quinque generibus mirobolanorum ʒi. maſſæ pilularum arthriticarum, & de hermodactylis, ana ℈ i. rhabarbari optimi aquâ endiuiæ irrorati, ʒß. ſpicæ nardi, & trochiſcorum alhandal. ana gran. iii. malaxentur cum aqua iuæ arthriticæ, & formentur ex dimidio pilulæ vii. aut viii. quas ſumat aſſumpto apozemate poſt primum ſomnum, interpoſitiſque diebus quindecim, totidem pari ratione accepturus.

Bolus roborans.

℞. Mithridatij, aut theriacæ antiquæ, ʒ i. conſeruæ ſtœchados ℈ii. formetur bolus poſtridie dandus, quinque horis ante prandium.

Cæterùm quia peruicacius hoc malum non vni vel alteri purgationi. ceſſurum eſt, catapotia quædam in promptu habere conuenit, rei accommodata & propria. Vtilis etiam in ieiunio vomitus ex oxymelite, in quo raphanus veratro transfixus præmaduerit.

Pilulæ in frequentem vſum.

℞. Sarcocollæ optimæ, myrrhæ electæ, ana ℈iiii. caſtorei electi, ʒiß. agarici albiſſimi ʒii. zingiberis, & ſalis gemmei, ana ℈ß. piperis, nucis moſch. ana ℈i. diacridij ℈ß. aloës ſuccotrinæ, ad pondus omnium. Malaxentur cum ſyrupo è ſtœchade, vel oxymelite ſcillitico, vel melle roſato colato, cogantur in maſſam ex ʒi. fingantur pilulæ vii, ſumat quinque bis in menſe, paulò poſt mediam noctem.

Aut hoc modo.

℞. Pulueris hieræ ʒ ß. agarici ʒiii. turbith gummoſi ʒii. maſtiches, zingi

zing iberis,nucis mosch. galangæ,ana ʒß. cum oxymelite aut aquâ iuæ arthriticæ, fiat massa.

Sunt etiam resolutioni aptæ pilulæ è sagapeno,pilulæ ex opopanace, aut hieræ ʒj.cum ʒß.piperis,septenis circuitibus datæ. Quibus verò pilularum forma grauis est,iis syrupus catharticus aptabitur, ex eo apozemate quod suprà posui,adiectis præterea purgantibus.

Syrupus purgans.

℞. Præscripti apozematis, ℔ ij. incoque seminis cnici, & polypodij quercini, ana ℥ij. folliculorum sennæ, ℥iß. agarici recenter trochiscati panno lineo inuoluti, ʒv. zingiberis & salis gemmei, ana ℈j. hermodactylorum ℥ß. (si hermodactylus est suspectus, turpethi albi & gummosi tantundem supponito,cùm crassam & lentam pituitam,non minùs quàm ille,à cerebro, à neruis,& ab articulis euellat)in colatura dissolue mellis rosati colati,q.s.fiat syrupus perfectæ coctionis,clarificatus,& aromatizatus cum ℥ß. rhabarbari, reseruetur vsui in sequentem modum.

℞. Præscripti syrupi ℥ij. aquæ mercurialis, parem modum, misce,& exhibeatur bis mensis curriculo.Id idem decocto pulli cum mercuriali, & cnici tusi ℥j.sub finem iniectâ,nuperrimè præscripsimus, in nobilissimo viro Domino de Mirapoix, qui senio cōfectus,ac paralysi & apoplexiâ comprehensus, nulla ratione ex tanta causa purgari poterat : eo iure feliciùs, quàm quouis alio cathartico hausto,tardissima aluus respondebat, idque semel octo dierum circuitu. *Iusculum medicatū.*

Porrò vniuersali curatione sic institutâ, reliquiæ humorum è cerebro deriuentur, aut potiùs è spina, in quam profluunt, reuellantur, gargarismis, apophlegmatismis, errhinis, & iis quæ sternutamenta cient, & clystere frequenti. Hîc verò non oportet ceruici cucurbitulas affigere, non medicamentis vrinam mouere, vt quidam præcipiunt, tametsi natura eò interdum dirigat. Diuretica enim assumpta, in neruos & articulos quemuis obuium humorem præcipitant; quæ igitur propriè vrinas mouent, aut prorsus inhibenda sunt, aut nonnisi perpurgato puróque corpori exhibenda. Sic quoque ab exquisita purgatione, vinum antiquissimum paucum discutiendo plerùmque iuuat, & paralysin, perinde ac dolores oculorum soluit,licèt alioqui neruis inimicissimum. *Deriuantia varia. Cucurbitularum ceruici admotio improbatur,necnon diureticorum vsus. Vinum per accidens paralyticos iuuat.*

Corroborant autem cerebrum & neruos, natiúumque calorem suscitant conditum acori,conserua rorismar.florum stœchades,florum saluiæ, iuæ,si extet,florum citrij mali,enulę,ireos,eringij,satyrij,zingiberis conditi,cortex citri, conditum, pistacia, nuclei pinei, nux mosch. condita, myrobalan.condit. diamoschum,diambra,pliris,archontic.rosata nouella,stomacho apta & aromatizata,rosatum,diagalanga, quæ tum seorsum mirificè auxiliantur, tum inter se commixta in eas compositiones referuntur,quas mox subiiciam. *Medicamenta officinalia, cerebrum ac neruos roborantia.*

Confectio, seu opiata roborans.

℞. Conseruæ florum stœchados, & rorismar. an. ℥iß. conseruæ acori, & saluiæ, an. ℥j. corticis citri conditi, aut conseruæ florum citranguli, aut zingiberis viridis saccharo conditi, ʒ.vj. pulueris diambræ, & pliris archontic. sine, aut cum moscho, an. ʒiß. pulueris diamoschi dulcis, ʒj. cum syrupo conseruationis acori, aut corticis citri, reducantur in formam opiatæ, ex quâ quotidie manè sumat instar castaneæ, hausto insuper aquæ saluiæ, aut iuæ arthriticæ momento, aut decocti rorismarini, stœchados, & iuæ arthriticæ parum.

Electuarium.

℞. Pulueris rosatæ nouellæ, & diambræ, an. ʒj. macis, nucis mosch. & galangæ, an. ʒß. conseruæ acori, & anthos, an. ʒij. sacchari albissimi aquâ primulæ veris, aut betonicæ dissoluti, q.s. fiat electuarium in tabellas quadrangulas concinnatum, ponderis ʒiiß. quotidie detur vna.

Pauperibus.

Aliud Electuarium roborans.

℞. Nucis mosch. & galangæ crassæ, zingiberis, an. ʒiß. saluiæ siccæ, & iuæ arthriticæ, an. ʒj. trita excipiantur melle despumato, aut anthosato, in electuarium molle. Iisdem Iuniperi grana trita, & melle excepta, quotidie dentur. Auxiliatur & antidotum ex triplici pipere, & diagalanga, & siqua alia sunt eiusmodi: sed præcipuè theriaca per se, vel ex decocto cumini, antidotus Mithridatica, aurea Alexandrina, quæ nonnisi à purgatione conueniunt; hæc enim calefaciunt, exsiccant, discutiunt, & sudores mouent. Sunt quoque qui confectione anacardinâ febrem accersunt: hæc si lenior est, aut ita moderata & æqualis, vt humori attenuando discutiendóque sit satis, qualem natura interdum mouet, iuuare quidem potest; si vehementior, ægrum fortasse præcipitare. Cùm igitur modum tenere sit difficillimum, cúmque confectio anacardina summo calore spiritûs & humores statim inflammet, parúmque tuta sit, hac prætermissâ, mithridatio aut theriacâ satiùs vtendum putem; quod etiam in conuulsione eôdem modo audiendum. Veteribus castorei circiter drachma data maximè placuit, aut liquoris cyrenaici, instar erui cocto melle circumlitum.

Febris nonnisi periculosè excitari potest.

Confectio anacardina parum tuta.

Topica capiti roborando imponenda.

Neque verò alienum est, capiti quædam imponere, quæ id roborent, & per commissuras humores discutiant: In ídque perfundendum caput tonsorum lixiuio, in quo sampsuchus, saluia, betonica, stœchas, rosmarinus, laurus, origanum, chamæmelum coxerint, & vngendum oleo laurino, aliísque eiusdem facultatis, vel puluere cephalico vtendum, & aliis, quæ in pituitoso dolore capitis explicui.

Postrema

Postrema eadémque præcipua nunc restat curationis pars : hæc in his est, quæ neruis impactam resolutionis materiam admota digerunt, seruato nihilominus ipsorum robore : quæ id præstant,calida esse conuenit, & tenuium partium, vt & altè subeant, & crassos lentósque humores incidendo dissipent; sic tamen,ne initio nimius is calor sit, sed leniter rarefaciens & attenuans. Huiusmodi sunt oleum chamæmelinum, anethinum,lumbricorum,oleum serpentum,si paretur,vulpinum, è narcisso,& liliorum, acrioribus temperandis aptum, (alioquin per se inimicum,& emolliens,sicut & quæcunque relaxant,aliena sunt) Irinum, keyrinum,ex hyperico,ricininum, laurinum,è terebinthina,costinum,è croco,è thymo, è spica,è nuce Indica,rutaceum, sicyonium, è castoreo,è semine carthami, è piperibus, è lateribus, sulphureum,petroleum, è pyrethro,ex euphorbio,quæ vel sola, vel inuicem commista vnctioni aptissima sunt. Iis accedit aqua vitæ tum simplex, tum composita, cuius tenuitate illa adiuta altiùs penetrant. Quinetiam vnguentum Aregon, martiatum,& antiquissima theriaca,extrinsecùs etiam imposita;denique quamplurima alia, quæ extempore multò præstantiora comparari possunt,ex prædictis oleis, & ex opopanace,vel bdellio, vel styrace, vel sagapeno,vel galbano, quæ vbi vetustiora sunt, potentiùs discutiunt ; at omnibus præcellit castoreum. In vnguentis præterea inseruntur adipes, qui substantiæ tenuitatem,calorem,& acrimoniam insignem habent, ac præcipuè vrsi, taxonis, cati, & lupi, vulpis, castoris, lutræ,& miserabili, sed efficaci remedio, axungia humana : admiscentur denique pulueres nonnulli, qualis lumbricorum, hermodactylorum, iridis, chamæmeli, anethi, saluiæ,iuæ arthriticæ, schœnanthi, agarici, peucedani, aristolochiæ,& similium : sed hæc singula exemplis reddemus illustriora, à mitioribus auspicati, neque enim protinus in valentissima prorumpendum. Itaque primum chamæmelino & vulpino,vel lumbricorum oleo, partem perunges; deinde sequentibus.

Digerentia materiam neruis impactam,eosdémque roborantia.

♃. Olei vulpini, (leniter digerit) olei costini, descriptione Rasis, (sed quia vero costo caremus, paretur id cum angelica, vel helenio) an.℥iij. axungiæ vrsi, & cati, an.℥ij. folior. iuæ arthriticæ, primulæ veris, & saluiæ siccorum, an.℥ iij. aquæ vitæ ℥iß. ceræ parum : Misce, fiat linimentum,quo tum resoluta pars,tum præcipuè nerui origo illinenda est. Itaque si spina fuerit affecta, aut aliquod neruorum principium, conuertenda illuc aut tota, aut præcipua medendi ratio est; alioqui resoluto membro frustrà succurritur. Vtile etiam est vetus oleum, in quo scilla quadraginta diebus sub sole incubuerit ; si huic comparando tempus non datur, duas scillæ vncias oleo incoquito, illinitóque, admixtâ ceræ vnciâ, ne diffluat. Quòd si Galbani, castorei, euphorbij, adarces,nitri ; singulorum semunciam acceperit, efficacius reddetur, atque efficacissima acopa veteribus prodita, & laudatissimum vnguentum è bdellio à Mesuë notatum, resoluit enim, simúlque roborat.

Linimentum.

Vnguentum.

℞. Olei vulpini, & lumbricorum, an.℥ iij. olei nucis indicæ, & liliorum, an.℥iß. exungiæ anatis, vrſi, & taxi, an.℥j. vnguenti marciati, ℔.ß. miſceantur omnia in vnguenti craſſitiem, addendo tempore vnctionis aquæ vitæ parum, vngantur vertebræ illæ à quibus in partem nerui excurrunt, eáque ipſa pars, & pervngenda eſt, & deinde inuoluenda: ſed præſtiterit anteà, decoctarum ſtirpium calido vapore, (non balneo) aut vniuerſum corpus, (ſi longè latéque paralyſis diffuſa eſt) aut partem reſolutione comprehenſam fouere: quò fuſi, colliquatíque humores reſoluantur; vapor enim extrinſecùs corpori occurſans facilè penetrat, & oborto ſudore humorem diſcutit.

Suffitus, ſeu vocata Stupha.

℞. Radicis Iridis, enulæ, & ebuli, an.℔.j. galangæ craſſæ, cyperi, calami odorati, an.℥ iiij. Saluiæ, roriſmar. betonicæ, ſampſuchi, iuæ arthriticæ, an.M.iiij. primulæ veris, origani, calamenti, artemiſiæ, pulegij, ſummitatum lauri, chamædryos, polij vtriuſque, thymi, lauendulæ, aut pſeudonardi, an.M.iij. baccarum lauri & Iuniperi, an.℥ iij. ſeminis dauci, ſeſeleos, carui, & fœniculi, an.℥ ij. florum chamæmeli, ſtœchados, roriſmar. ſaluiæ, anethi, ſampſuchi, meliloti, an.p.iij. roſarum rubrarum, vt pars firmetur, p. iß. decoquantur in æquis partibus aquæ & vini generoſi: inde expirans calidus vapor loco arctiore concluditur, qui quoquoverſum corpori occurſans, ſudorem elicit, cum eo tamen vt æger in ſolio ſeu calidario deſidens, reſpiratione frigidum aërem trahat, curioséque veſtimentis inuoluatur. Vapor autem è decocto profunditur, ſi in lebetem, aut ſolium, ſeu vocatam ſtupham candentes ſilices demittantur; at ſi maiore vi opus eſt, illa omnia vino largiſſimè imbuta, vaporario æneo concluduntur, indéque ſubſtrati ignis calore emergens vapor, longiore tubo è ſummo vaporarij faſtigio naſcente, in ſolium deducitur; aut ſi pars vna tantùm fouenda eſt, in dolium pro partis huius conditione præparatum. Ne tamen coërciti atque concluſi halitûs copiâ, & calore æger offendatur, illius parte alterâ foramen adeſſe conuenit, quo halitûs portio expiret, poſsíſque pro nutu calorem moderari: quinetiam interdum concaui lateres calore ferè rubentes, iiſdem ſtirpibus implentur, aſpersóque vini rore, membrum ſuperimponitur, ibíque inſudet panniculis aptè inuolutum, ne ad ipſum frigus aſpiret; à fotu mox abſterſo ſudore, id perungitur frictione longâ, nam membrum reſolutum frictione confirmatur, eáque vnguentum altiùs adigitur.

Ratio ſuffitum adhibendi.

Vnguen

Vnguentum præstantissimum.

℞. Olei vulpini, de spica, chamomillæ, & de nuce indica efficacissimi, ana ℥iij. succi saluiæ, succi sampsuchi, & ireos, ana ℥ij. aquæ vitæ optimæ, ℥iij. lento igne efferuescant in diplomate, ad succorum consumptionem, deinde adde opapanacis, sagapeni, bdellij, aut eius vice styracis calamitæ, ana ℥iß. castorei ℥ß. pulueris lumbricorum terrestrium ex arte comparati ʒvj. pulueris iridis florentiæ ℥i. pulueris hermodactylorum ℥ß. agarici, ʒiiiß. foliorum iuæ arthriticæ, & primulæ veris siccorum, & florum chamomillæ, an. ʒiij. adipis vrsi, taxi, vel cati, an. ℥ij. ceræ citrinæ parum: Misce, fiat vnguentum, adiecto, si ditior est, moschi orientalis ℈j. vngantur resoluta membra luculento igni exposita, qualis è sarmentis vitium, & apud nos è roremarino, thymo, spicâ, iunipero aliísque odoratis succenditur: sed mox acuratè pellibus inuoluantur agnorum, hœdorum, lupi, vulpeculæ, aut arietis.

Liquor pretiosissimus.

℞. Cyperi, calami aromatici, radicis helenij, iridis Florentiæ, galangæ, peucedani, aristolochiæ, & angelicæ, vel phu, ana ℥ii. vtriusque saluiæ, sampsuchi, betonicæ, iuæ arthriticæ, ana M. ii. melissæ, rorismar. lauendulæ, primulæ veris, thymi, calamenthi, pulegij, origani, (has non necesse est recentes esse) chamædryos, ana M. i. baccarum lauri & iuniperi, ana ℥iß. florum vtriusque stœchados, rorismar. hyperici, ana p. ii. chamæmeli, rosarum, ana p. i. bdellij, sagapeni, opopanacis, aquâ vitæ dissolutorum, ana ℥ii. styracis calamitæ, myrrhæ, & benioini, ana ℥i. castorei ℥ß. (aut fœtore neglecto ʒvi.) medullæ nucis indicæ ℥ii. nucis mosch. garyophyllorum, macis, cinnamomi, schœnanthi, ana ℥i. spicæ nardi, zingiberis, & pyrethri, ana ℥ß. terebinthinæ ℔.i. aquæ vitæ, ℔. ii. herbæ atque radices minutim concisæ, vini generosi ℔. i. irrigantur, & vase fictili nouo reconduntur, bene obturato, sinunturque loco tepido, vno aut altero die ita macerari: postea verò tum hæc, tum reliqua omnia promiscuè in vaporarium vitreum coniiciuntur, superaffusâ aquâ vitæ, eóque bene obserato liquor destillatione elicitur in balneo Mariæ, vt artis est, tota verò materia in plures vices partienda est, síque receptaculo paululùm moschi incluseris, reddetur iucundior. Quæ vaporario æneo fornaci imposito elicitur aqua, diutius quidem asseruatur, & paulò acrior est, minùs tamen insitæ facultatis retinet. Hæc paralysi, stupori, tremori, conuulsioni, omnibúsque neruorum vitiis ex plenitudine ortis conuenientissima est, spinæ, partíque resolutæ vi frictionis indita, super quam vnguentum nihilominus imponetur. Licet quoque ex iisdem oleum & aquam elicere, si tritis omnibus affundatur aqua vitæ, deinde sic

madefactis,maceratísque adiiciatur terebinthinæ, simúlque olei, singu lorum sesquilibra, nam vaporario conclusa primùm aquam, deinde oleum reddent seorsum recondenda. Si frigus vitari non potest, dum spina perungitur,emplastrum vertebris admotum proderit.

Emplastrum.

℞. Ladani depurati ℥ j. ammoniaci, bdellij aquâ vitæ soluti,anß.℥. styracis liquidæ,castorei,an. ʒii. zingiberis, nucis mosch. macis,caryophyllorum, an. ʒiß. pyrethri, sinapis, an. ʒi. fiat emplastrum manibus perunctis oleo sambucino malaxatum, adiuncta pauca cera, applicetur ceruici : hoc impactam materiam antequàm obdurescat,digerit. Iisdem neruorum affectibus singulari remedio est oleum è saluia, chymicorum arte factum,& oleum è floribus rorismar.quod sic quidam eliciunt: flores rorismar. amphorâ vitreâ includuntur, quæ incerato duplici linteo obstipanda est, extrahitur oleum calidâ arenâ.

Singulariter excitat torpentes neruos, atque paralyticos, hoc paratu facile.

Oleum compositum,pro litu partium paralyticarũ.

℞. Radicis enulæ, acori, aristolochiæ, & cucumeris agrestis, ana ℥i. saluiæ,chamæpityos,sampsuchi,summitatum ebuli, surculorum, aut baccarum lauri, aut iuniperi, pulegij sicci, an. ℥ii. fœnugræci, & rutæ virentis, ana ℥iß. florum stœchados, rorismar. saluiæ, chamomillæ, meliloti, ana ℥i. olei antiqui ℔. iii. Omnia illa vino respergantur, macerentur nocte, postridie oleum superfunditur, coquuntur in diplomate, atque vbi vinum exhalauerit, oleum vehementer exprimitur: cui percolato cera, terebinthina,bdellium, anmoniacum,aut opopanax, aut styrax sescunciæ pondo, aut benioini & castorei singulorum semuncia permisceri possunt. Vt efficacius reddas, immergere licebit caryophyllorum, galangæ, cinnamomi, zedoariæ, iridis Florentiæ, nucis mosch.cubebarum,an.℥i.castorei,styracis,& benioini,an.℥ß. Hæc vel ad focum cineribus calidis, vel caniculæ ardoribus exposita,bene obturato vase supposito,diutius continentur, dum vim materiæ oleum abundè exceperit, quod expressum, illitúmque paralyticos sanat, & neruorum doloribus medetur. Probatur quoq; hoc modo paratum, ad cuius exemplum pleraque alia componi queant,ex conuenientis olei ℔.i.succi,aut aquæ vitæ quadrante,& aliorum medicamentorum vncia aut sescuncia.

Aliud oleum efficax.

℞. Olei irini,& costini, vel keirini, & lumbricorum, an. ℔.ß.succi saluiæ,& iuæ arthriticæ,an.℥iß.vini,in quo illæ coxerint,parem modum, castorei,opopanacis,an.℥ß.piperis,pyrethri,& benioini,an.℥ii. coquantur in duplici vase, dum succus aut vinum propè totum expirauerit. Mirabilem quoque vim tribuunt balsamo,aut quia rarissimum,eius vice balsaminis oleis arte comparatis,qualem præscriptus liquor obtinet.

Empla-

Emplastrum.

℞. Baccarum lauri, acori, cupressi, styracis calamitæ, ana ℥iß. rosarum, aloës, mastiches, myrrhæ, bdellij, ammoniaci, alum. ana ʒvj. cardamomi, anethi, balaustiorum, & spicæ, ana ʒiij. castorei & croci, ana ʒij. terantur terenda, & cerâ nardinóque oleo excepta, formentur in emplastrum, admouendum collisis partibus, vnde resolutionis est origo.

Si ne per hæc quidem redit & motus & sensus, proderit torpentis membri, ac languente partis calore summam cutem exasperare, vel dropace, vel sinapismo, sic vt vbi rubere cœperit membrum, hæc remoueantur; calorem enim & spiritum attrahere, non dissipare poscimus.

Sinapismus.

℞. Pulpæ caricarum pinguium ex aqua vitæ coctarum, ℔.ß. radicis pyrethri, hermodactylorum, seminis sinapi ex aqua vitæ triti, & vrticæ, an. ℥j. rutæ siluestris, ℥ß. mista omnia coguntur in cataplasma. In id quoque anacardina confectio resolutis partibus rectè imponitur; aut illa melle anacardino excepta; aut hoc cum pipere & castoreo, adiecto etiam euphorbij momento: sed diligenter præcauendum, ne suscitatus calor humórque morâ resoluatur. Neque alienum est, resolutæ parti, aut neruorum radicibus, aliquando sine ferro pluribus etiam locis cucurbitulas admouere, (sed breui mora) quò in hanc sanguis & spiritus transferatur, nec item discutiatur. Reuocato calore, tumoréque inducto, mollia cerata aut vnguenta adhibentur. Quinetiam laconico promotus sudor, iis frigidis neruorum vitiis magnopere opitulatur; quemadmodum in humidioribus & obesis, instituta ex ligno sancto victûs ratio. At siquo loco naturalium thermarum sudationes, seu natationes sunt, quæ nitri, sulphuris, aluminis, bituminísque vires referant, iis potissimùm vtendum, præcipuéque in iis agitanda membra, quæ maximè deficiunt, & quàm diutissimè perfricanda. Si id non est, suffitus tamen præscriptus prodest. Si per hæc finitus morbus non fuerit, ad eadem præsidia reuertendum, recollectis viribus.

Cucurbitulæ incruentæ, resolutæ parti admotæ calorem reuocant.

Laconicum.

Diæta sudorifica.

Thermæ naturales.

At verò si bilis crisi quadam in neruos excussa paralysin inuexerit, bile expurgata, & tum clystere, tum crebro medicamento in aluum deductâ, sicut in cephalalgia exposui, ad eadem quæ suprà posui veniendum, vt quidquid humoris infixum neruis est, discutiatur, paulò tamen mitiora illa esse conuenit. Itaque oleo liliorum, vulpino, lumbricorum, chamæmelino, keyrino acriora temperentur, & siquid assumitur calidius, id conseruâ cichorei, eiusdem syrupo, conseruâ rosarum, & puluere triasantali retundatur, & glycyrrhizæ succus, aut syrupus endiuiæ adiiciatur. Si frigus nocuit, relicta purgatione, eadem quoque adhibitâ longa frictione remedio sunt. Si sanguinis copia viam

Curatio Paralysis, vbi causa ipsius fuerit bilis in neruos translata.

Curatio paralysis, à frigore orta.

Curatio illius, quam inuexit plethora.

Calli, aut scirrhi neruorũ, aut partium vicinarum, curatio.

viam spiritûs intercipit, & humore nimio neruos dissoluit, præter hæc inprimis secanda vena est, præcipuéque in virginibus, in quibus matura ætate suppressi menses paralysin inuexerint. Cæterùm si nerui callus, aut scirrhus ipsius, partísve contiguæ, resolutionis causa est, emollientibus & digerentibus curatio tentanda, vt fotu ex radice Althææ, liliorum, semine lini, fœnugræci: Ad hæc malagmatis ex ammoniaco, sagapeno, opopanace, bdellio, & castorei portione, admisto adipe anserino, gallinaceo, aut alio accommodato: illitu prætereà ex oleo liliorum, vulpino, lumbricorum, & chamæmelino; iis si euinci non possit, nihil præterea moliendum. Si vertebræ suis sedibus exciderint, hincque orta resolutio est, articulo reposito motus quoque restituitur: quidquid autem loco motum est, ante inflammationem reponendum est; si occupauit, oportet ipsam inhibere & discutere, dum omnino finiatur. Eadem ratio si ex casu ictúve citra luxationem contusa spina est, protinus venâ sectâ, cucurbitulis, modísque aliis, phlegmone intercipienda est, ac reprimentia, qualia myrthino oleo constant, aut rosaceo, & rosarum, baccarumque myrthi puluere, cum oui candido, vicinis partibus, atque etiam loco contuso imponenda, nisi fortè grauiter obtritis neruis, quibus anodyna potiùs sunt vsui, alioqui mediocriter reprimentibus fluxio intercipienda, quæ ne frigore officiant neruis, oleo è spica & mastichino temperanda sunt. Itaque dum contuso neruo, fluxio calida est, bolo armenâ, vnguento è mumiâ, sarcocolla cum oleo myrthino, aut mastichino vicinis partibus addito; si frigida, adstringentibus calidis intercipiendum, quod influit, vt mastiche, thure, nuce cupressi, croco, schœnantho, absynthio. Leuatâ inflammatione, quod impactum est, antequàm obdurescat, dissoluatur hoc Rhasis emplastro.

Paralysis ex luxatione curatio.

Paralysis ex contusione spinæ, curatio.

Emplastrum Rhasis, ex 9. ad Almans. cap. 9.

℞. Farinæ fœnugræci, bdellij, ammoniaci, an. ℥j. piperis albi, glandis vnguentariæ, an. ℥ ij. nucleorum cerasorum, seminis ricini fruticis, an. ℥j. axungiæ anatis, & olei liliorum, an. ℥ß. Hæc omnia in emplastrum coëant. Si nihil ista iuuant, nulla medicina periculo subtrahit.

Emplastrum.

℞. Baccarum lauri, acori, cupressi, styracis calamitæ, an. ℥iß. rosarum, aloës, mastiches, myrrhæ, bdellij, ammoniaci, aluminis, an. ʒvj. cardamomi, anethi, balaustij, & spicæ, an. ʒ iij. castorei, & croci, an. ʒij. terantur terenda, & cerâ, nardinóque oleo excepta, formentur in emplastrum, admouendum collisis partibus, vnde resolutionis est origo. Quæ autem præciso neruo fit paralysis, curationem etiam non admittit: at quadantenùs secto, ea primùm adhibenda, quæ neruorum vulneribus sunt idonea. Neque etiam hîc silentio præteriri debet singularis ille liquor à Mesuë inuentus, ad omnes neruorum affectûs, vitalísque roboris defectiones, vbi eo spina tanquam basis corporis, & neruorum principium illi-

Præcisi nerui, & quadantenus solùm secti curatio.

illinitur, fracta, collisa, moribundáque membra recreantur, ac penè reuiuiscunt.

℞. Myrrhæ electæ, aloës hepaticæ, sanguinis draconis, thuris, mumiæ, opopanacis, bdellij, spicæ nardi, carpobalsami, croci, & masticbes, gummi Arabum, styracis liquidi, styracis rubri, singulorum ℥ii.ß. moschi ʒß. terebinthinæ, ad pondus omnium: Contrita illa, simúlque omnia mista, vaporario vitreo concluduntur, indéque liquor destillatione elicitur balsamo proximus, in quo parando herba paralysis efficacissimè additur.

Liquor stillatitius Mesuai. Vide Guid. Cauliac. tr. 3. doct. 1. c. 1 §. de Paralysi.

CAPVT VII.

Tremor.

TRemor est affectus partem contrariis motibus præter voluntatem exagitans. Fit cùm mouendi facultas insitæ membrorum grauitati suppar, atque infirmior, quasi in motu vacillat: ita tremor duobus perficitur motibus inter se repugnantibus, sursū quidem ferente facultate, impellente verò deorsum insitâ grauitate. Robusta quidem facultas nihil planè vincitur à grauitate, quin potiùs validior cùm sit, motionum impetûs firmissimè sustinere valet: in tremore autem, inuitâ facultate membrum suo pondere deorsum fertur, non tamen omninò, sicut in paralysi, prolabitur, sed protinus inclinat, & mox in sublime refertur. Itaque vicissim facultas nunc vincit, nunc vincitur, & grauitati præ imbecillitate succumbit. At ea contrariarum quidem motionum vicissitudo, breuissimo fit quietis interuallo, vt proinde hunc deprauatum tremoris motum formicanti arteriarum pulsui iudicemus quàm simillimum, dum enim membrum nunc præcipitat, nunc facultatis conatu erigitur, & vbi quadam pugnâ qui deorsum tendit motus, continuò sursum vergentem excipit, duplex sanè & compositus totus fit motus, particulâ semper locum præter voluntatem mutante. Ex quo intelligitur, tremorem earum duntaxat partium, quæ voluntatis imperio mouentur, & iam motu cientur, affectum esse, nullámque partem tremore concuti, quæ verè conquiescat, nam caput alioqui tremulum, dum puluillo innititur, tremere cessat: Quare ei qui motum non aggreditur, tremor non accidet, vt qui impotentis & infirmi motus sit species. Vnica igitur tremoris causa est facultatis atque neruorum imbecillitas, si quidem omnes, qui ab imbecillioribus supra vires instituuntur motûs, tremuli existunt. Quemadmodum enim grauissimum pondus validam facultatem vincit, sic imbecillam non solùm hoc, sed & leue quodpiam grauat. Quod si ad insignem imbecillitatem peruenerit, sub proprio corpore, tanquam sub onere grauabitur. Imbecillitas autem plerumque ex spirituum dissipatione, neruorúmque dissolutione prouenit, qualem senectus affert, aut grauis morbus,

Definitio.

Facultas motrix, & insita membri grauitas, ἀνταγωνίζονται in tremore.

Vide Gal. l. de tremore, palpit. rig. c. 2.

Tremor, partium voluntariè, actúque motarum affectus est.

Vnica tremoris causa est facultatis imbecillitas.

Causa imbecillitatis facultatis animalis motricis.

immoderata venus, argenti viui illitus, eiuſdémque vapor immodicus, intempeſtiua frigidæ potio æſtuante corpore, ſed præcipuè vini meracioris liberalior vſus, & extrinſecùs ſæpe occurſans frigus, aut calor nimius: hic corpus effœminat, neruos emollit; illud neruis inimicum ſpiritûs extinguit: vires etiam timor ſubtrahit, aliáque animi pathemata: nonnunquam porrò immoderata humorum copia vires opprimens, & ponderis modo corpus degrauans, tremoris cauſa fit. Infirmitas quoque ex ſpirituum interceptione, neruorúmque obſtructione accidit, ſed quæ leuior ſit, quàm in ſtupore aut paralyſi. Cùm enim nonnihil ſpiritûs in neruos influit, quidquid id eſt, membrum erigere conatur; at ſi prorſus intercluſa illi via eſt, pars vel adhibitâ animi contentione omninò immota manet, quòd facultas antea eſſet cauſa motûs. Quapropter à paralyſi & ſtupore tremor, bonum; contrà verò, malum.

Curatio.

Tremoris varia, pro varietate cauſa, curatio.

Tremorem curabis, cognitâ iam cauſâ, ex antecedentium obſeruatione & percontatione. Si cauſa vires reſoluens, & eneruans, tremorem inuexit, hanc primùm declinatâ improbâ victûs ratione declinare oportet: deinde nullâ vacuatione præmiſſâ, neruis robur addere, per ea quæ antè in paralyſi ſatis videntur explicata. Si immoderata humorum copia vires opprimens, corpúſque grauans, huic euacuationes inprimis remedio ſunt. Sic (auctore Hippocrate) Stymargi ancilla venæſectione perſanata eſt: huic, cùm peperiſſet, minimè ſanguis profluxerat, os vuluæ auerſum erat, dolor in coxam pertingebat: Sanguis autem ex talo miſſus, profluit, etſi tremores vniuerſum corpus occuparent; ſed ad cauſam (inquit) veniendum, & cauſæ occaſionem. Quòd ſi leuior neruorum obſtructio tremoris cauſa eſt, iam eadem quæ paralyſis, curatio eſt, ſeruatâ nihilominùs obſtruentis humoris diſtinctione.

Quomodo curandus, ortus à cauſa vires eneruante.

Quomodo curandus, natus ab oppreſſione.

Sect. 4. lib. 2. Epid.

Quomodo curandus tremor, ortus à nerui obſtructione.

CAPVT VIII.

Conuulſio.

Conuulſio quid.

Conuulſio, Græcis σπασμὸς, eſt inuoluntaria neruorum & muſculorum ad ſuam originem contractio. Hanc cùm affectus aliquis præter naturam ſuſcitauit, motus quidem eſt ſimilis naturali, verùm præter voluntatem: quòd enim muſculus diſtenditur, & in ſeipſum contrahitur, quódque eam partem adducit cui inſeritur, commune hoc eſt & ſanis, & conuulſis; at verò quòd præter voluntatem contractio fiat, iam hoc conuulſionis eſt proprium, quâ membrum dolore vehementiſſimo diſtendi, peruerti, & deformari ſolet. In conuulſione igitur motus

Quomodo differat à motu naturali.

Conuulſio vel cum vibratione, vel cum motu tonico.

motus est quidem deprauatus, ísque modò vibratione euidens, modò tonicus, quo pars arctè contracta & rigida iam est: Conuulsio autem aliàs in toto est, aliàs in partibus: quæ totius est corporis, ab epilepsia differt, quòd & continua sit, & illæsâ mente, integrísque sensibus torqueat. Ea verò triplex est, modò enim corpus in posteriora, modò in priora curuatur, modò æquali nixu & musculorum omnium contentione rigidum permanet, rectáque intenditur: priorem Græci ὀπισθότονον, insequentem ἐμπροσθότονον, vltimam τέτανον appellant: Quæ nomina etiam solius ceruicis conuulsionibus aptantur. Rarò in alterum humerum caput inflectitur, ex quo nec ea conuulsio nomine expressa est. Neque alius importunior, acutiórque morbus est, quàm is qui quodam rigore neruorum, modò caput scapulis, modò mentum pectori annectit, modò rectam, & immobilem ceruicem intendit: quorum omnium causa in primis spinæ vertebris consistit; conuulsio autem quæ oculum, vel palpebram, vel maxillam, vel labrum, vel brachium, vel manum, vel digitum, aliámve partem occupat, fit duntaxat affecto proprio cuiusque partis & neruo, & musculo. Cæterùm neruosa corpora tenduntur contrahuntúrque, siue oppleta, siue nimiùm exhausta sint, dum enim opplentur nerui, necessariò dilatantur, crassiórésque facti breuiores euadunt, haud secùs ac citharæ chordæ; nam sicut eorum quæ in longitudinem protrahuntur, necessariò fit latitudo contractior, sic quæcunque in latitudinis dimensiones contendunt, longitudine fiunt breuiora: Itaque nerui impleti, breuioresque facti, conuelluntur; inaniti autem proprio humore dissoluto siccescunt, & in se contrahuntur, haud aliter quàm lora quæ ad ignem siccescentia corrugantur. In febre hecticâ sæpe laborans nihil istiusmodi patitur, quia siccitas æquabilis est, atque licèt membra sensim exarescant, antequàm tamen ad tantam partium neruosarum exsiccationem peruentum sit, quâ insitum ipsis humidum pleniùs exhauriatur, necesse fuerit cor priùs deficere. Quamobrem rectè Hippocrates varias & multiplices conuulsionis causas in summa duo capita reuocauit, in plenitudinem, & inanitionem; quemadmodum morbos omnes adiectione vel detractione fieri prodidit: Nam quæcunque vel ab ardente febre longiùs progressâ, vel ab immoderatâ euacuatione sanguinis, aliorúmve humorum, vel à labore nimio, vel à diuturnis vigiliis, & aliis causis virium substantiam dissipantibus nascitur, ad inanitionem referenda: Quæ verò ex neruosarum partium inflammatione, crapulâ, ebrietate, intempestiuo balneo, aut ex suppressâ aliquâ euacuatione proficiscitur, ex repletione est: Quemadmodum & quæ ex nerui puncturâ, aut ex venenatorum animalium demorsu, ictúve concitatur; neruo enim compuncto genita sanies, (conniuentibus, inquam, vulneris labris) angustè cohibita, nec liberè perflabilis, perniciē acquirit veneno finitimā, semperq; deteriorē malignitatis gradū assequitur. H c quā chirurgi æruginosam, virulentámque materiā nominānt, mole quidem parua est, viribus autem quàm maxima, atque sæuissima: Quapropter acrimoniâ neruosas partes,

Conuulsio vel est vniuersalis, vel particularis.

Vniuersalis conuulsio triplex: ὀπισθότονος, ἐμπροσθότονος, & τέτανος.

Celsus cap. 3. lib. 4.

Vbinam consistat conuulsionis causa.

Modus generationis conuulsionis.

Conuulsio modò fit ab repletione, modò ab inanitione.

Aphor. 39. sect. 6.

Lib. de flatib.

Nullum Conuulsionis tertium genus datur. prater repletione, aut inanitione suscitatum.

Conuulsio à punctura nerui, & à venenatorum ictu morsúve, referenda ad conuulsionem ex repletione.

cerebrúmque feriens, conuulſionem excitat, non minùs quàm feræ morſu iniectum virus. Atqui vtrumque euocandum, extrahendúmque eſt, itaque ad plenitudinem potiùs referendum, quemadmodum ſingultus ex vorato pipere, aut vellicante bile; nec minùs quàm id genus conuulſionis, quod lumbricorum pernicie, & ſtomachi morſu, ac ſympathiâ vel eius, vel vteri, aliarúmque partium periculosè incitatur. Quanquam autem in eo certat facultas, quæ vel refugiens, aut vires colligens, neruos contrahit in rem excutiendam, nullâ tamen neceſſitate tertium genus erit introducendum; ſed hoc præcipuè declarat epilepſia, quæ tametſi à vapore venenato incitatur, nulla tamen ab inanitione fieri dicitur, ſed omnis ex materiâ, ſubitò enim fit, & ſoluitur confeſtim. Eſt porrò quædam alia membrorum diſtentio repentina, quam flatulentus ſpiritus, ſeu craſſus vapor in neruorum propagines inſiliens ſæpe ſolet inuehere, quæ eódem reduci poteſt. Verùm vt nihil eſt, quod tam celeriter accedat vel decedat, quàm ſpiritus flatulentus; ita hæc flatulenta conuulſio vel ſponte, vel leui frictione mox diſſipatur & euaneſcit. Cæterùm conuulſionis ſpecies ex cauſa & antecedentibus facilè diſtinguitur, atque ex eo quod à plenitudine ſubitò, ab inanitione ſenſim gigni ſolet, lentéque inuadere; ſic enim per febrium initia veniens, minùs periculoſa eſt. Ad hæc verò peculiarem etiam cauſam ſtudiosè explorare conuenit: Ita quippe ſi à plenitudine eſt, diſquirendum ſanguíſne ſit, an vellicans bilis, (quod rarius) an pituita, quæ quidem ſæpius neruos implere atque diſtendere conſueuit: Sed hoc quoque ex anteactâ vitâ, & corporis ſtatu diſcernitur. Verùm quanam ſorte pituita neruos peruadens, conuulſionem potiùs, quàm paralyſim infert? Aut cur membrum potiùs relaxat & emollit, quàm contrahat? Rationes ergò breuiter perquirendæ. An quia reſolutionis materia vt humidior, liquidiórque, ſic & magis fluida, quæ omnem nerui ſubſtantiam irrigat & relaxat? cùm enim aquoſior ſit & tenuior, facilè diſpergitur, ac per anguſtiſſima quæque nerui ſpiracula, per quæ tranſitus eſt ſpiritibus, diffunditur, penitúſque ea ſubiens obſtruit, ac tum per ſe neruum emollit; tum priuatione ſpiritûs, qui anteà partis illius robur & firmitatem continebat, neruúmque intendebat, vnde partis ſubſtantia quaſi diſſoluta apparet, haud ſecùs atque in Apoplexiâ cerebrum. Conuulſionis autem materia craſſior eſt, ac magis corpulenta, quæ idcircò in maioribus poris ſubſiſtit, ac hæret, neque in exilia & minutiora foramina tranſgreditur, itaque tum ſenſus etiam cum interrupto motu ſeruatur. An quia pituita conuulſionem excitans, (vt Auerrhoidi placuit) flatulenta eſt, itaque turgens & diffuſa in vaporem, latiùs neruos amplificat atque diſtendit, perinde ac muſtum vtre concluſum? An quia ſpaſmo craſſus lentúſque humor, qualis neruos nutricatur, tranſuerſo aditu intrò ſubit; in paralyſi contrà recto nerui progreſſu influit, quemadmodum & ſpiritus, cuius idcircò præpeditur diſtributio? An quia in conuulſione irritatur neruorum facultas, & inſurgit in ea quæ noxia ſunt, perinde ac cerebrum in epilepſia ſeipſum, quatit

Ad idem genus conuulſionis pertinẽt etiam nonnulla alia, vtpote ſingultus ex voratis acribus, &c.

Conuulſio flatulenta.

Signa, quibus ſpecies cõuulſionis deprehenditur.

Signa cauſæ conuulſionis.

Cur pituita neruos peruadens, conuulſionem aliquando inferat, non paralyſin, & contrà.

Ratio 1. huius probl.

Ratio 2.

Ratio 3.

Ratio 4.

quatit,& offenſionem excutere contendit; in paralyſi verò facultas ſtupeſcit potiùs & torpet,dum in partem influere prohibetur.Ergo quemadmodum effectu, & partis figurâ conuulſio & paralyſis differunt, ſic in materiæ conditione, & ſitu, & ſpiraculorum varietate diſcrimen eſt. Nulla cauſa vni ſemper eſt addicta morbo, ſed eadem varios plerumque gignit: Ita quippe frigidum (auctore Hippocrate) conuulſiones & tetanos, contractis, congelatis, & inflatis neruis inducit, ac modò humores retinens, modò exprimens & exſiccans,inanitionem & plenitudinem affert; aliàs verò reſolutiones, oppreſſo & euicto neruoſarum partium calore: Sic frigoris immoderata vis aliis aluum laxat, aliis cohibet.

Aph.20.ſ.5.

Cæterùm conuulſio timēda eſt,ſi præſentibus cauſis illis,capitis,colliq́ue dolor adeſt; aut ſi tremor artûs occupat,pulsúſque paruus, durus, & inæqualis eſt, qui vibratus euadit atque conuulſiuus, reſpiratio anguſta, & quaſi interciſa ſeu luctuoſa ſuſpiria, ſingultus, nonnunquam facies ridenti ſimilis: hinc vultus peruertitur, dentes ſtrident, oculi contorquentur, ſed ante hæc adſtricta aluus, vrinæ vel ſuppreſſio, vel mordax emictio: ſi in continuâ febre puero venter nihil reddit, mutatúrque ei color,nec ſomnus accedit, plorátque is aſſiduè,metuenda neruorum diſtentio eſt,in quam ex neruorum imbecillitate, immoderatóque lactis vſu,aut voracitate maximè propenſi ſunt.

Signa prognoſtica.

Lib.3.progn. text.36.

Curatio ex plenitudine.

Ac nec conuulſio ex plenitudine alio victûs modo,vel aliis medicamentis,quàm paralyſis curāda eſt,hîc tamen ordo felicis curationis perpetuò ſeruari non poteſt.Cûm enim conuulſio totum corpus aut nobiliorem partem occupat,ſæpè hominem intra quartum diem tollit, niſi artis præſidium acceſſerit, vt idcircò medicamento ſit opus, ſtatim per initia;immanis enim importunúſque morbus, nullâ præparatione,nulláque cunctatione feſtinare cogit. Si verò membrum aliquod illa obſidet,ac morbi clementia ſinit, præparatio purgationi præmittēda,ſicut in paralyſi præceptum eſt.Id prætereà in externis remediis ſemper & vbique ſeruandum, vt digerentibus chalaſtica & emollientia quædam vel præmittantur,vel permiſceantur,quæ tenſioni per ſe repugnent:hîc quippe craſſior & viſcoſior pituita neruos implet,quæ vehementioribus diaphoreticis præproperè reſiccatur, & tenuiori portione diſſipatâ obdureſcit. Quamobrem plerique fotu calido & emolliente priùs partem perfundunt, aut ſi corpus tetano comprehenſum eſt, ex oleo hydrelæóve balneum totum imperant, à quo mox digerentibus vnguentis impactam materiam diſſipant. Quæ duntaxat emolliunt neruos,in præſentiâ quidem leuare videntur,ſed opportuniores neruos malo reddunt, proprio robore diſſoluto;horum enim ſubſtantia ſicca & ſolida ſimilibus conſeruatur, humidíſque reſoluitur.

Præparatio humorum ante purgationem quando locum habeat in conuulſione, quando non.

In topicis præter digerentia,chalaſtica & emollientia adhibēda.

Emollientiū, ſi ſolitaria in vſum veniāt, incommoda.

Quin etiam fuſa colliquatáque materia , maiore contenſione neruos implet,quod vtique vitandum eſt.Vtilius igitur,tutiúſque eſt digerentibus emollientium portionem admiſceri , quàm præmitti : ſeruatâ hîc quoque eâ lege,quæ à mitioribus auſpicandum iubet, quod quomodo fiat,propoſitis quibuſdam exemplis oſtendamus.

Præſtat digerentibus admiſceri,quàm præmitti emollientia.

Balneum emolliens & digerens , Tetano aptiſſimum.

℞. Radicis althææ,liliorum,bryoniæ,& cucumeris agreſtis , ana ℔. ß.acori vulgaris,& helenij, vel iridis,ana ℥iii. ebuli cum radicibus, artemiſiæ,calaminthæ, pulegij,chamædryos, chamæpityos, ſaluiæ,thymi, betonicæ,ana M.iij.ſeminis fœnigræci & lini, ana ℥iij. ſileris montani, cumini , & ameos,ana ℥iß. florum hyperici, leucoij lutei , chamæmeli, meliloti , anthos , ſambuci , anethi, ſtœchados, roriſmar. & lauendulæ, ana p.iij. fiat decoctio,ſub finem affundendo vini quartam partem.

Vnguentum.

℞. Olei vulpini, & de ſpicâ, olei liliorum,& rutacei,vel camomillæ,& anethini, vel lumbricorum , & de nuce indica , vel amygdalarum dulcium,& è terebinthina,ana ℥iiij. mucilaginis ſeminis lini,& fœnugræci,vel althææ,ana ℥iij. aquæ vitæ tantundem,ſucci ſaluiæ,ſucci ſampſuchi,& iuæ arthriticæ, aut primulæ veris,ana ℥ij. decoquantur lento igne ad ſuccorum & aquæ vitæ conſumptionem : deinde miſce axungiæ gallinæ,vulpis,& medullæ cruris vituli, aut cerui,ana ℥iij. ammoniaci,& opopanacis, aut galbani,& bdellij,vel ſagapeni,& ſtyracis, ana ℥ij.pulu iridis florentiæ,℥j.lumbricor.terreſtr.ʒvj.florum ſtœchados & & roriſmarini,ana ℥ß.caſtorei,& nucis moſch. ana ʒij.ceræ citrinæ q.ſ. miſce,fiat vnguentum,quo vngatur tepidè pars conuulſa , & nerui origo. In id quoque nonnulli pinguiſſimum renem hirci per medium diſſectum,& carbonibus coctum calidè identidem conuulſæ parti ſuperim. ponunt.Primùm itaque partes quæ contrahuntur,valenter continendæ ſunt,& inordinatis obſiſtendum motibus;hinc perfricare oportet ſicyonio,aut caſtoreo, aut oleo coſtino, aut quodam ex eodem genere : quin etiam remedium eius fortuitum , eſt vnius diei febris , quæ humorem noxium abſumat.At frigidæ perfuſio,tametſi apud Hippocr. aliquando locum habere potuit,periculoſior eſt, quàm vt nunc in vſum referatur. In vniuerſum quæcunque reſolutioni , eadem repentinæ conuulſioni conferunt remedia, adiectis tamen quibuſdam emollientibus, & axungiâ gallinæ, aut taxi, mucilagine lini,& fœnugræci,oleo amygdalarum dulcium,aut liliorum,aut vulpino,aliíſve ad emolliendos ſcirrhos aptis. Antiqui primùm perungebant,deinde caloris ſeruandi gratiâ admouebant veſicas bubulas,& vtriculos oleo calido repletos , aut ſemiplenos, vel

Ren hirquinus.

Inunctiones ex oleis.

Febris, remedij inſtar habens,in ſpaſmo.

Aphor.21. ſect 5.

Celſ ibid.

Fotûs ex veſicis,& ſacculis.

vel ſacculos è lini ſemine, furfure, milio,ſale, ſtœchade, chamæmelo, meliloti, anetho, roremarino, omnibus calefactis,& in linteolum coniectis, atque vino generoſo irroratis: Quæ fomenta aptiùs flatulentas conuulſiones diſcutiunt, Quemadmodum & oleum anethinum,rutaceum, aliáque eiuſdem generis, & vnguenta aræotica, atque diaphoretica, ſed inprimis cruditates vitandæ.

Conuulſionũ flatulentarum remedia.

Ex ſanguinis copia.

Si ſanguinis copia neruos diſtendit,ac tetanum infert, protinus ſanguinem mittere, longiſſimè à conuulſa parte reuellere, deinde ſcapulis atque ceruicibus cucurbitulas admouere oportet, ſic vt cutis incidatur: Itaque ſi crura contrahantur, coxis & ſpinæ termino affigere; ſi manûs conuellantur, etiam dorſo, & primæ eius vertebræ; ſi totum corpus, quàmplurimis ipſius locis, ſed die noctéque: interpoſitis tamen quibuſdam temporibus chamæmelino, anethino, irino, vel Keyrino, & liliaceo, & vulpino, & lumbricorum, aut alio ex mitioribus pars illinenda eſt.

Cucurbitula cum ſcarificatu.

Litûs ex oleis.

Ex bile & lumbricis.

Quæ eadem olea, ſi bilioſus humor, aut vapor acer neruoſas partes vellicat, præſidio ſunt. Si lumbrici infeſtant,hos expellito; & omnibus vertebris, ſed præcipuè iis quæ in collo ſunt, eadem quoque adhibeto; pueros enim mitiùs habere conuenit. Quod ſi ex vehementi partis alicuius phlegmone orta conuulſio eſt, finietur, ſi humores elicias, & inflammationis materiâ propriis ipſi remediis diſcuſſâ.

Conuulſio ex partis phlegmone, quomodo curetur.

Ex inanitione.

Cæterùm conuulſio, quæ non repentè occupauit, ſed lentè, aridam æſtuantémque febrim, aut immoderata quæuis profluuia, ex inani corpore conſequitur, tanquam mortis internuncia, vix quidquam ſpei in medicinâ relinquit; dubia tamen ſpes certâ deſperatione potior eſt: Itaque ſuccurrendum nihilominus alimentis, quæ benigni ſucci copiam exaggerant ad partium nutritionem, & quibus inſit qualitas cauſæ aduerſa, vt hordei decocto,iure pingui & emolliente,in quo malua præſtantiſſima, & vtrumque bugloſſum coxerint, vitulorum, hædorum, agnorúmque expreſſo humore, cui vini parum inſit adiectum, frumentaceis ſorbitionibus, ptiſanæ cremore, nucleis pineis, amygdalatis, amylo cui inſperſum ſaccharum ſit; itémque ouis ſorbilibus, gelatinis, inſtaurantibus, expreſſis ſucculentarum carnium ſuccis,vino qnoque tenui & aquoſo,niſi quid obſtet,quemadmodum etiam tepente lacte niſi febris repugnet, & emulſione quatuor ſeminum frigidorum maiorũ,adiectis amygdalis,ſaccharo,& roſaceâ,pane pineolato,& amygda

Conuulſio ab exhauſto, vt plurimùm conclamata.

Alimenta πολύτροφα, & medicamentoſa.

amygdalis saccharo incrustatis: denique aliis quibus hecticæ febres, tabes, & atrophiæ leuari solent : sed quidquid accedit instauratione, plurimùm deficit ab integritate eius quod euanuit, quódque olim fuerat à semine contractum. Quinetiam medicamentis alterantibus, & humectantibus vt saccharo violato, diatragacantho, electario resumptiuo, conseruâ violarum, cichorei, buglossi, admistis etiam cardiacis, sicut in tabe & syncope explicabitur. His porrò quæ extrinsecùs occursant, exigua, lentáque admodum humectandi vis inest; aquosus enim humor est qui accedit, & plenitudinem infert, at primigenius neruosarum partium, qui defecit, ideóque resarciri nusquam potest. Cùm igitur partes verè solidæ rursus humectari non possint, satis est si eas exsiccari prohibeas; hoc verò sublatis causis resoluentibus, & crebro dulcis aquæ balneo, quod tepens sit, præstatur, si modò nihil prohibeat, cui emollientium, & olei præcipuè violati, liliorum, amygdalini magna vis insit, vt in melancholiâ præscripsimus; sed in eo minimè insudandum, miniméque immorandum est, ne vires resoluantur. Quin potiùs mox rosaceo, vel myrthino, vel violaceo, & è nymphæa, aut è cucurbitæ semine, spina tota, & partes conuulsæ illinendæ sunt. Sin balneo vti non licet, simili fomento est opus, & cum oleo frictione lenissimâ. Sed & cùm neque febris adest, neque facultates desunt, suauius meliúsque nihil est quàm in lacte desidere, & id recens mulctum crebrò naribus attrahere, & idem adiecto saccharo & melle, sæpe in aluum infundere. Quinetiam ceruicem & spinam his leniter perfricare iuuat.

Medicaměta humectantia interna.

Humectantia externa.

Balneū aquæ dulcis tepidæ.

Fotus humectans.

Litus pro ceruice & spina.

℞. Olei liliorum, & violarum, aut amygdalini, an. ℥iij. olei vulpini, & lumbricorum, an. ℥iß. mucilaginis lini, & althææ, cum decocto hordei extract. an. ℥ij. axungiæ gallinæ, & anseris, & medullæ cruris vituli, an. ℥iß. Misce in linimentum.

Ex dolore.

Cataplasma de micapanis.

Si partis cuiuspiam dolor vehementiùs vrget, hincque conuulsio metuitur, protinus anodynis leniendus ille est, vt eo quod habet candidi panis interiorem partem ex lacte subactam, cum oui luteo, & rosaceo, cui croci paululum adiectum sit : aut oleo chamæmel. & anethino fouenda pars est: atque si hæc parum iuuent, narcoticis est opus; interim tamen neruorum affectione haudquaquam neglectâ, cui per eadem quæ proximè dixi, prospicietur.

Ex confracta Calua.

Trepanum.

Sinapismus.

Confractâ aut contusâ caluâ, si pus saniésve acrior meninges ferit, & conuulsionem affert, cranium trepano confestim aperiendum, vt illac perniciosus humor transpiret; aut sinapismi & phœnigmi admouendi, qui foràs euocent, nisi plenitudo subsit.

Ex nerui

Ex nerui punctura.

Iam verò id genus,quod anceps quidam faciunt,& aliter etiam curandum,quale eſt quod ex neruo aut tendone puncto fit.Punctum neruum aut tendonem indicant locus, doloris magnitudo & inſequens conuulſio, atque tumor qui repentè delituit : nam (authore Hippocrate)quibus tumores in vlceribus apparent, hi raró conuelluntur, neque inſaniunt ; ſi verò repentè euaneſcunt, iis & conuulſiones, & deliria etiam in ſanguinis penuriâ, accidunt. Compuncto igitur neruo, aut tendone, quamprimùm futura inflammatio prohibeatur clyſteribus, venæſectione, purgatione, cucurbitulis, frictionibus, vinculis, & aliis per quæ concurrens eò materia auertitur.

Signa puncti nerui

Aph.65.ſ.5.

Reuellentia.

Neque minus in abſtinentia & quiete auxilij eſt.Præcipuum verò eſt, vt vulnus minimè coaleſcat, ſed potiùs ſi non ſatis hiat, latè ferro amplificetur & dehiſcat,adhibeantúrque aperientia, attrahentia, & qualia neruis compunctis conueniunt, vt terebinthina, præcipuéque ipſius oleum,adiecto interdum torrefacti ſulphuris puluere,aut euphorbij momento,aut eius oleo cũ galbano,ſic tamen ne vllus ſit nudatus neruus, nam is acrimoniam huiuſmodi ſine incommodo ſuſtinere non poteſt.

Diæta.

Vulnus punctim neruo inflictum, vt tractandum.

Vnguentum.

℞. Reſinæ pini, terebinthinæ, picis naualis, ana ℥ß. ceræ citrinæ ℥ß. colliqueſcant omnia, & ab igne depoſitis adde euphorbij exactiſſimè triti ʒß. olei terebinthinæ ℥i. miſce, fiat vnguentum, quo linamenta illinantur admouenda parti compunctæ. Mollioribus atque humidioribus corporibus euphorbium nimiùm acre eſt, itaque tum eius vice, ſulphuris par modus admiſceatur. Pueris verò aut mulieribus oleum irinum, aut ſicyonium, cum reſinâ & terebinthina accommodatur, aut oleum è terebinthina calidum per ſe adhibetur, quod etiam nudato neruo aptum eſt : quemadmodum reſina,terebinthináque cum melle, aut in robuſtioribus euphorbij ʒi. olei ℥ii. incoquitur, colato locus illinitur, vbi cute contectus eſt. Vel :

℞. Terebinthinæ, & olei antiqui, ſingulorum ℥iii. aquæ vitæ ℥ß. myrrhæ, & ſalis, ana ʒiß. ſulphuris, & euphorbij, ana ʒi. lento igni concoquantur, vaſe benè obtecto, ſeſqui horæ ſpatio, vel paulò plus.

Vnguentum aliud.

Hæc ſunt quæ conceptum virus eliciunt, & diſſoluunt ; ſed interim ſpinam fouere oportet oleo liliaceo, vulpino, & eo quod ex lumbricis paratur. Vlcus autem diu prorogari debet, dum æger à conuulſione prorſus vindicetur ; ſi nihilominùs hæc torquet, mortifera eſt, niſi extremo præſidio fuerit æger adiutus. Præſtat igitur, cùm neceſſitas poſtulat, totum neruum tranſuerſim præſcindere ; nam illius

Extremum præſidium eſt nerui totius præciſio.

illius extremis vtrinque retractis, motus omnis cessat, ægérque ab impendente periculo liberatur, tametsi hinc debilitas, & resolutio eius partis sequitur. Eadem quoque neruo quadantenùs secto seruanda sunt; præciso enim conuulsio minimè insequitur. Denudato autem neruo non acria, sed therebintinam elotam, aut vnguentum è calce, aut diapompholygos, aut emplastrum diachalciteos imponere decet.

Vulnus neruo casim inflictum, vt tractandum.
Neruo denudato quæ topica conuenientiora.

Ex venenati animalis morsu, ictúve.

Si venenosa fera morsum impressit, indéque conuulsio aut metuitur, aut affligit, omni ratione virus coërcendum & extrahendum est. Igitur inprimis super vulnus id membrum deligandum est, dein venenum extrahendum, ídque eâ parte quâ primùm intrauerit. Elicitur autem primùm suctione, factâ ab eo qui ieiunus non sit, & qui os vino colluerit, vel olei exiguum ore contineat. Si nemo est qui vulnus exsugat, gallinacei viui per medium diuiduntur, & protinus calidi super vulnus imponuntur; aut gallinæ viuæ podex loco adhibetur, dum intereat, alia subinde mutatur, dum suo calore & spiritu partis venenum exugat: facit etiam id catulus, hœdus, agnúsve discissus, & calida eorum caro statim super vulnus imposita. Locus etiam spongiâ nouâ fouendus, quæ in lixiuio sarmentorum, & ficûs, vel in acri salsamento, vel muria præmaduerit, vel in decocto tormentillæ, gentianæ, aristolochiæ, bryoniæ, narcissi, scabiosæ, pulegij, calamenti, scordij, dictamni, polij, chamædryos, seminis vrticæ, sinapis, aliorúmve attrahentium: sed & tormentillæ radix præmansa, & ita vulneratæ parti confricata, virus extinguit. Scarificatûs altiores imprimendi, vt cum sanguine virulenta materia profundatur. Affigendæ cucurbitulæ, quæ foràs euocent. Quinetiam proxima vena nonnunquam aperienda. Emplastra ex porro, cæpa, allio, sinapi, adiecto sale. Interdum ex scillæ crudæ vnciâ vna, seminis rutæ siluestris, sinapis, & vrticæ, singulorum ʒii. interdum aut ex thapsia, aut ex cantharidibus imponuntur, quæ venenum elicere & discutere queant, in ídque acceptâ cantharidum sesquidrachma, & fermenti acerrimi drachmis duabus, ex anacardino melle & aceto scillitico; aut ex piperis, sinapis, & euphorbij, singulorum ʒi. melle anacardino, vel theriacâ exceptis, comparatur emplastrum, quod parti & vicinis insideat, dum vesicas excitârit, quibus ruptis humor sensim diúque emanet; vel caustici Vigonis pastilli, dum crustam induxerint. Loci in carne facta circumscriptio, & quasi circinatio, virus intrò subire non sinit, ídque cum sanguine profundit. Vstio candente ferro virus omne domat & absumit, nec in membra insinuari patitur. Sed siue ex medicamentis, siue ex ferro crustæ occalluerint, his decidentibus, vlcus postea diu manans prorogetur, nec coalescat. Sectio, & partis

Venenum ex demorsa parte extrahendi ratio.
Suctio,
Animalium viuorum admotio.
Fomenta.
Scarificatio.
Empl. metasyncritica.
Causticum actuale.
Amputatio.

tis

tis affectæ (si extrema ea fuerit) amputatio in extremis habetur: sed in his ne quid vel timidè, vel blandè, vel crudeliter fiat, prospiciendum.

Itaque hac in re quanta veneni pernicies sit, & quâ parte, & quampridem inuaserit, tenendum, vt grauiori malo acerbius, sed necessarium tamen aptetur remedium, quò princeps corporis pars tuta sit: Sed inter hæc theriacâ, vel mithridatio, vel alio pro veneni conditione antipharmaco ipsius pernicies extinguenda est: Cardiacis, quæ in syncope proponam, cor muniendum; ac neruosæ partes inungendæ iis, quæ iam satis antè videntur explicata.

Alexipharmaca interna.

Vnguentum

Neruis venenatorum ictu compunctis aptissimum.

℞. Sagapeni, galbani, terebinthinæ, ana ʒi. theriacæ ʒii. pulueris radicis arundinis, ʒi. olei rosati, ℥i. misce, fiat vnguentum: admoueatur compuncto neruo.

CAPVT IX.

Lethargus.

PHrenitidi præcipuè contrarius lethargus, quemadmodum & delirio vigiliísque immoderatis profundus sopor, Carus appellatus, in quo & corpus & mens stupet. Somnus quidem naturalis, (qui nihil aliud est, quàm sensuum omniúmque animalium functionum quies & cessatio) causas habet geminas, alteram quidem ex vitæ necessitate, & incolumitate pendentem, ita quidem membrorum defatigatio, & spirituum dissipatio, somni & quietis causa quædam est, incitans nimirum & impellens; hinc à vigiliis & longis excubiis arctior somnus obrepit, qui spiritûs restituat; alteram cerebri halituosam perfusionem, quomodo nexum quendam sensuum ex alimenti vapore, siue exhalatione profectum, somnum dixerunt, eáque de causa mox à cibo maximè somni fiunt.

Gal, lib. 13. m.m. c. 21.

Somnus naturalis quid sit, & quas causas habeat.

At somnus præter naturam quem veternum appellant, fit à largâ frigidi veréque pituitosi humoris copiâ in cerebro congestâ, vel à crasso lentóque vapore, qui simili qualitate polleat, qualis vel à toto corpore, vel à pulmonibus, ventriculo, intestinis, & vtero in cerebrum effertur. Si quidem animæ vis caliginoso densóque vapore offusa, aut humoris redundantiâ, velut in ebrietate sopita, non potest quæ sui sunt muneris proferre, at multò ignauiùs si pariter frigidus ille est.

Causa somni præter naturam.

Cataphoræ causa. Cataphoram sanguinis plenitudo, eiúsque vapor multus humens & minimè acris afferre solet, sed longè grauiorem frigida intemperies nimio humori coniuncta, necessariò inuehit. Itaque grauis sopor modò ex frigidâ cerebri repletione, modò ex subiectarum partium turbulentâ & turbidâ exhalatione accidit; quemadmodum diuturnæ vigiliæ, ac deliria, ex calido & acri humore, vel vapore suscitantur. At lethargus, simul & phrenitis, semper fit proprio cerebri vitio: hæc enim ex phlegmone vel erysipelate; lethargus autem ex pituitosa collectione œdemati finitimâ, quæ vi putredinis febrem accendit: fit enim cùm pituita superuacanea, aut pituitosus humor in cerebro supra modum collectus putrescit, ac obortâ putredine lentam febrem excitat, cuius interuentu à sopore distinguitur: hic vel sine febre est, vel pituitosarum febrium, vel etiam grauiorum morborum, vt peripneumoniæ, & lumbricorum symptoma est. At lethargus non symptoma, sed lentæ febris, sicut phrenitis ardentissimæ, causa est. In vtroque affectu mens laborat, etsi reliqua ferè contraria. In phrenitide difficilis somnus, prompta ad omnem audaciam mens est: At in hoc, & in veterno sensûs hebetes, mens tarda, inexpugnabilis penè dormiendi necessitas, torpor & ignauia, obliuio, Græcis λήθη, vnde lethargus: quandoquidem humoris frigidi copia discernendi memorandíque vires proterit, ac præstringit, motum consopit, & omnem vim animæ sentientem stupidam reddit. Hinc vix etiam compulsus æger loquitur, ac tardè respondet, neque explanatam vocem edit: vrina subsistit, & si quando exit, turbida est, & crassa qualis iumentorum. Alui recrementa vel supprimuntur, vel liquida præ pituitæ redundantiâ, sæpius in perniciem deiiciuntur. Febris (vt dixi) non impensè acris & commouens: pulsus magnus, rarus, languidus, mollis, & inæqualis, ac sæpe vndosus. Respiratio tarda, rara, imbecillis, & parua, libera tamen, ac minimè intercepta, & sine stertore, quâ notâ sopor, (qui grauior est) ab apoplexia distinguitur maximè. Os saliuis madens, lingua albicans, & lentore obducta, crebræ oscitationes; hinc obliuiosus æger aliquandiu hiante ore persistit. Corpus laxum & eneruatum, nonnullis tremebundum, ac plerumque sudoribus diffluens vberiùs ex capite prorumpentibus. Hæc lethargi signa sunt, ad quem nonnunquam phrenitici transeunt, non bile in pituitam mutatâ, sed quemadmodum sæpe repressо delirio cùm humor deferbuerit, grauis profundúsque sopor occupat, perinde ac cerebro impensiùs refrigerato, narcoticorum vi, aut per immodicas euacuationes, ac lethales febres; ita dissipato calore, exhaustísque spiritibus. Cæterùm fit præterea sopor contusis temporum musculis, aut confractâ caluariâ, oblæsis meningibus, & vehementer percusso capite, concidente scilicet ac prostrato robore animali, & perturbatis spiritibus; sic enim capitis ictu quorundam sensûs obtunduntur, appellatíque ignorant, interdum quasi attoniti concidunt, & repentè obmutescunt.

Lethargus, & phrenitis, semper fiunt proprio cerebri vitio.

Lethargi causa.

Quomodo lethargus differat à sopore, & phrenitide.

Signa lethargi.

Phrenitidis in lethargum mutatio.

Cari, siue soporis causa externa.

ſcunt. Poſteriores hæ cauſæ facilè à prioribus diſtinguuntur, & antecedentium obſeruatione euidentiores fiunt, quàm vt ſignis indigeant. Itaque ſopor fit aut reſolutis ſpiritibus, aut refrigerato cerebro, aut oppreſſo, maximéque pituitoſorum humorum copiâ, quos putredo inuadens lethargum profert.

Curatio lethargi.

Lethargus æquè citò ac phrenitis iugulat, ac tardiùs ſolui poteſt, & cùm altè oppreſſit, ægrè admodum diſcutitur. Vtrumque genus acutum eſt, eadémque in vniuerſum vtriuſque curandi ratio; particulatum autem vt efficiens humor, híncque nata ſymptomata, ſic propria remedia planè contraria. Commune quidem eſt, primùm fluxionem intercipere vacuantibus, reuellentibus, & repellentibus; dein quæ impacta ſunt, & parti inhærent, deriuare, atque diſcutere. Proprium autem eſt, pituitoſum & craſſum humorem acrioribus extenuare, & vehementer excalfacere, & hos ægros ſubinde excitare. Si ergo ætas viréſque ferant, protinùs imperanda venæſectio, etſi frigidus humor eſt: huius enim portionem venæſectio promptiùs quàm purgatio detrahit, à qua & morbi grauitas ſæpè miteſcit, & natura oneris portione leuata, quod reliquum eſt faciliùs coquit. Ita quidem quæ in hoc fit venæſectio, oppreſſæ parti leuamento eſt, dum inſito calore liberiùs ventilato, & reſeratis arctioribus viis, humorum putredinem, & natiui caloris extinctionem prohibet. Adde quòd febrem continuam, etſi lentam, minuat, cuius materia quamuis impura ſit, in vaſis tamen condita eſt, vel ab iis emanat. Quocirca iis ex cauſis vel neceſſaria, vel vtilis eſt venæ ſectio. Sed harum, atque etiam virium ratione habitâ, ſanguis parciùs & reſtrictiùs eſt mittendus.

Prognoſis.

Indicationes curatiuæ.

Venæſectionis in lethargo vtilitas. Galen. lib. 11. meth. med. c. 15.

Sectâ iam venâ, omni reuulſionum genere protinùs inſtandum, vt clyſteribus, balanis irritantibus, cucurbitulis cum larga flamma, primùm quidem ceruicis initio; dein ſcapulis, & metaphreno; demum lumbis, natibus, & cruribus affixis, adiuncto etiam ſcarificatu, præſertim ſi vires ſectioni venæ deficiunt, atque etiam hirudine adhibitâ, & prouocatis aut menſibus, aut hæmorrhoidibus, ſiquidem præter conſuetudinem ſunt ſuppreſſæ: Item frictionibus aſperis ex aceto & ſale; vinculis arctiſſimis tum crurum, tum brachiorum; & extremorum calente fotu, quæ non modò tum, ſed & deinceps aſſiduè imperanda ſunt.

Clyſmi, balani, cucurbitulæ.

Hirudinum admotio.

Frictiones, vincula, fotus extremorum.

Clyſmi ergò frequenter iniiciendi, qui ob ſenſum hebetiorem acerrimi ſint, & pituitam è ſuperioribus ſedibus euocent, qualis eſt in cephalalgia pituitoſa præſcriptus, aut qui ſequitur multò acrior: nullum enim præſtantius, & tutius euacuationis genus in hoc morbo imperari poteſt.

Clyster paulò acrior.

℞. Sabinæ, betonic. calament. origan. abrotan. rutæ, centaur. min. & summit. sampsuchi, & lauri, aut hyssopi, ana M. i. caric. ping. n. xii. sem. anis. fœnic. carui, seseleos, & dauci, vel ameos, vel cumini, vel baccar. lauri, ana ʒiii. sem. cartham. contus. ℥i. hord. integr. p. ii. pulpæ colocynt. & agaric. trochisc. linteolo raro inuolutor. ana ʒii. flor. stœchad. rorismarin. & salu. ana p. ii. decoquantur, & in colati iuris, quart. v. vel ℔iß. dissolue hieræ simpl. ℥i. vel hieræ diacolocynt. vel logadij, vel indi maioris, ʒvi. ol. rutac. vel laurin. vel costini, vel amygdal. amar. ℥iii. mellis anthos. ℥ii. salis gemmei ʒi. vel alterius ʒii. fiat clyster in frequentes vsûs.

Possunt quoque hieræ loco dissolui non absurdè pilulæ cocciæ, aut aliæ acriores, ad ʒii. Hic clyster diu intestinis adhærens, viscera, reliquúmque corpus vi suâ conturbare, & expurgare potest: & consecutione è cerebro reuellere: Quamobrem si suppressa iamdiu aluus fuerat, huic mitior ille communiter præmittitur, qui obduratas alui fæces emolliat, & deducat. Sæpe clyster licèt acrior, diutiùs subsistit, quem glande acerrimâ & terete reuocabis, nonnunquam repetitâ. Huiusmodi paratur ex mellis ℥i. pulueris hieræ diacolocynt. ʒi. salis gemm. ℈i. Aut hoc modo hæc permisceantur.

Clyster nimium subsistens, suppositorio euocandus.

Suppositoriũ. Aliud.

℞. Pulueris hieræ diacolocynt. ʒiß. castor. sem. carui, & rutæ, ana ʒß. salis gemm. ℈i. mellis quantum satis ad glandem longiusculam & teretem. Vel ex sapone intincto felli taurino, cui sal inspersus sit; aut melle despumato, & felle, cui salis vis insit: sed filo alligari conuenit, & interdum circumduci. His clysmis & balanis subinde repetitis, atque identidem admotis cucurbitulis, frictionibúsque adhibitis, mali grauitas frangenda, ne primo insultu spiritûs crassorum humorum copiâ opprimantur, quod in pituitosis morbis vehementioribus frequens est.

Vomitûs commoda & incommoda.

Quidam vomitum vtilissimè exigunt: is enim hærentem in ventriculo illuuiem excutit, suscitátque robur, etsi caput impleat, sensúsque degrauet. Hîc tamen videndum, an facilis, aut difficilis futura sit vomitio: Refert enim quale corpus sit, quæ ventriculi impuritas, quod morbi tempus, miniméque in rebus multùm inter se differentibus perpetuum esse præceptum temporis potest: Nam potest secundo die geri, potest tertio, potest nonnisi quarto, aut quinto, prout iam corpus leuari, & sentiendi, mouendíque facultas cœpit excitari, quæ naturæ excretionibus, maximéque purgationi, & vomitioni, opem affert euidentissimam,

Parodia verborum C. Cel-si, c. 4. lib. 3. de re medica.

Vomitorium.

℞. Sem. atripl. raphan. (anethum hîc non probo, quòd somnum augeat) sem. vrtic. ana ʒi. decoq. ad ℥v. in quibus dissolue oxymel. simpl. aut scillit. ℥ii. detur tepens compressis naribus; aut ore vi aperto, bombylio instilletur, si aliter exhibere non licet. Aut:

℞. Oxymel. ℥iii. sem. sinap. triti, ℥i. commisceantur, & illitâ anseris pennâ vomitus incitetur, palati fauciúmque titillatu. At verò, si vt clystere aluum ducere, ita pharmacum exhibere facilè tum liceret, satius foret iam sectâ venâ, clysmóque reiecto, crudorum humorum portionem validiore medicamento eripere, præsertim cùm materiæ copia vires opprimens, languidiùs clysmo repetito eximi potest: cùm enim is morbus sit anceps & periculosus, sempérque metus impendeat, ne aut deterior euadat, aut laborantem ante statum iugulet, per initia non vtiliter tantùm, sed & necessariò vtendum cathartico, siquidem ægro id deglutire licet; alioqui exacto triduo, vel quatriduo, aut etiam deinceps, si vires erigi contingat, quod in iis morbis nonnunquam vsu venit, tum idonea afferetur curatio. Idonea autem fiet, per ea quæ in cephalalgia pituitam validè trahunt, maximè per pilulas, aut integras, si deuorare potest, aut oxymelite, aut aquâ beton. solutas; vel præscriptâ potione ex diaphœnico, & elect. Indo, aut diacarth. & de citro solut. singulorum ʒiiß. syrup. de stœchad. ℥i. cum aqua melissæ. Laudatum maximè à veteribus est remedium ex castoreo, & scammonio, sed effrænatâ & controuersâ dosi. Hanc tamen communiter castorei ʒi. & scammon. gr. ix. aut x. præfinies: hoc enim quamuis bilem propriè trahat, tamen castoreo & aliis incidentibus admistum, etiam pituitam castorei calore fusam & liquatam euellit, secúmque rapit. Hanc eius vim indomitam & furentem si quis veretur, catapotia sequentia imperet.

Aliud.

Pharmaci exhibendi occasio maturè arripienda.

Potio purgãt.

Castorei cum scammonio mixti vsus, in lethargo optimus.

℞. Massæ pilul. cocciarum ℈ii. castor. ʒß. trochisc. alhand gr. iii. malax. cum aqua beton. & formentur pilulæ vii. auro coopertæ, dentur horâ prima post mediam noctem; aut si non admittit, dissoluantur cum aqua sampsuch. & siphone infundatur in gulam. Neque verò ad pituitam deturbandam satis efficax est hiera, nisi colocynthim ceperit. Neque lethargo vtilia medicamenta ex aloë, quippe quæ soporem inducere credatur. Quòd si lethargus, & sopor, sit vsque adeò grauis & profundus, vt nec æger excitari, nec ad medicamenta sumenda cogi possit, hoc vnum reliquum est, vt vnguento de arthanita, aut è lathyride, vmbilicus, imus venter, & inguina oblinantur, ad aluum subducendam. At longè meliùs res cedet, hausto, si tum liceat, pharmaco. Postridie autem antiquæ theriac. aut mithrid. ʒi. aut ʒiß. ex aqua vitæ, aut calendul. aut sampsuchi accepta, non mediocriter adiuuat, & ægrum excitat: similiter diatrium piper. aut diagalang. Porrò si venter adstrictus non est, relictis catharticis, castoreum per seipsum, ʒi. pondo, cum aqua rutæ aut betonicæ dandum est, adiecto nucis mosch. & sem. rutæ ℈ß. aut cum ℥i. oxymelitis. Probatur etiam à multis stillatitia nucis mosch. aqua, ori, naribus, & auribus indita; sublimatio autem aquæ vitæ irrigatione vtilius fit. Quin & subsequentibus diebus alia dentur, quæ roborando cerebro, & viribus recreandis, & veterno discutiendo idonea sunt. Vt:

Pilulæ.

Epomphalia medicamenta.

Boli roborantes.

Aluo liberâ existente in lethargo, vt procedendum.

℞. Confect.

Potio cephalica, & roborãs. ℞. Confect. Alkerm. (excitat mirificè) ʒi. puluer. diacameron. ʒß syr. de stœchad. vel conseruationis acori vulgaris, vel cortic. citri, ℥ i aq. hyssop. beton. aut sampsuch. & saluiæ, ana ℥iß. misce, fiat potio, infundatur in gulam. Quòd si magis sopor interdiu, noctúque continuat, anacardina confectio detur fabæ magnitudine, aut in eius vicem (vt dixi.) theriaca, aut dictamnus ex succo betonicæ, vel origani. Si deinc eps expergiscitur æger, syrupis calfacientibus & attenuantibus in cephala lgia descriptis, & iteratâ purgatione vti conueniet.

Iam autem vt ad diem quartum, aut quintum, aut etiam in sequentes peruentum est, cùm scilicet materiæ copia & spatio ipso, & prægressis euacuationibus imminuta iam est, omnia deriuationis genera accuratè exploranda sunt, quæ quod parti firmiùs inhærescit, per nares & palatum exhauriant, simúlque sensûs excitent. Neque tum metus vlli sit, nouæ fluxionis proritandæ, quòd materia crassa sit, & maiori parte detracta: alioquin hæc primò decernere tutum non est, ne maiore copiâ fusis & colliquatis humoribus, qui quasi sopiti tenebantur, obstructio grauissima in cerebri ventriculis oboriatur, quæ apoplexiam inferat. Cùm ergo in summo incremento morbus est, incoquentes in aceto thymum, hyssopum, betonicam, pulegium, origan. satur. serpill. sisymbr. rutam, calamintham, aut alia pari facultate prædita, lethargicorum naribus admouebimus, quò vapor in cerebrum sublatus crassos humores extenuet, atque dissoluat, & cerebrum recreet, sensúsque excitet.

Deriuatio quando sit tempestiua.

Suffitus naribus admouẽdus, ex decocto idoneo.

Odoramenta. In id quoque iuuat globulus ex cephalicorum puluere comparatus. Conuenit etiam naribus & rutam ex aceto contritam, & rutaceum in aures instillare, vel admisto castorei momento. Mox etiam palatum valentibus, & acribus medicamentis perfricabimus, quibus elici pituita possit è cerebri ventriculis. In id autem accommodabitur, quod ex sinapi & aceto ad vomitionem proritandam antè descriptum, aut etiam detritum sinapi cum mellis momento, vel oxymelite, aut benedicta, aut hiera picra, aut theriaca antiqua, aut mithridat. aut aurea Alexand. aut confect. anacard. vehementissima, aut quæ sequuntur mitiora.

Palato illinenda.

Ori indendum. ℞. Olei ricini ℥ß. sem. sinap. pip. long. an ʒß succi salu. & sampſ. an. ℥ß. misce, indatur exigua quantitas ori. Vel:

Aliud. ℞. Nucis mosch. pyreth. & caryoph. ana ʒi. cubeb. & staph. agriæ, ana ℈iiij. sinapi ℈ij. puluerentur subtilissimè, & oxymelite scillit. excipiantur in mellis crassitiem, quò inde palatum confricetur. Conaríque oportet pituitam ibidem affixam digitis quoque extrahere. Ab iis verò errhina quædam in nares, (quoniam illa haurire non licet,) immittemus, quæ pituitam in cerebro fluctuantem proliciant: omnibus enim medentur soporosis affectibus, obtusósque sensûs expediunt, cuiusmodi sunt, quæ ad graues, & inueteratos capitis dolores suprà descripsimus. Sed & apophlegmatismus, quem proximè posui, naribus inditus, errhini vices explet. Post hæc, sternutamenta

Errhina.

Sternutatorium, pulueris formâ.

menta quoque concitabimus, castorei, & piperis, & rutæ siccæ, vel etiam re cogente, struthij, vel hellebori puluere in nares coniecto; vel inditâ pennâ, quæ hierâ delinita sit, vel castoreo quod in aceto acerrimo, aut scillitico præmaduerit, hoc enim quàm mox veternum discutit, & copiosum illum mucum extrahit. A suffitu proximè illitum plerique sic diluunt.

Aliud, linimenti formâ.

℞. Aceti scillit. & olei irin. ana ℥i. castor. ʒij. misceantur, & nares vngantur, sed nonnisi prægressâ, vt dixi, purgatione: his vti expedit, ne liquatis humoribus maior oppressio interueniat. Quamobrem ante hæc festucâ, vel pennâ succo betæ, aut sampsuchi imbutâ, nares vellicâsse satis est, donec statum morbus attigerit, nisi fortè grauissimus sopor obrepat, qui festinanter in vehementissima remedia nos præcipitet. Ac tum æger identidem excitandus repetitis frictionibus, & mox à cibo, cùm ex alimenti vapore maximè somni fiunt. Ad hæc cucurbitulâ sine scarificatu scapulis, & occipitio affixâ, vinculis, altis clamoribus, magnitudine sonitûs, vulsis pilis, compunctione variâ, naso distracto, atque auriculis, quas interdum scarificatu exasperare iuuat, denique horrendo quodam nidore naribus obiecto, qualis est castorei aceto soluti, & incalescentis, quod ad alia quoque efficax est; vel alterius, si id non adest, aut capillorum aceto madentium cùm cremantur, aut ceruini, caprillive cornu, vel picis crudæ, galbani, assæ fœtidæ, aut aliorum quæ vteri strangulatûs excitare dicemus: Aut hoc suffitu composito.

Aliud, quo nares inungenda.

Frictiones.

Varia sopiti sensûs irritamenta.

℞. Castor. lapidis gag. cornu cer. spondylij, abrotan. ana ʒiß, capillorum hominis vstorum, ʒii. excipiantur pice liquidâ, vel opopanace, & ita incendantur, vt inde fumus ad nares euehatur: acrius reddetur admisto helleb. ℈i. Si ne iis etiam excitari, aut in vigiliis contineri possit, frictiones acerbiores intendantur ex aceto & sale; aut oleo rutaceo & pipere; aut aceto scill. cum sinapi, pipere, & nitro; aut oleo sicyonio, cum euphorb. vel castorei tantillo; aut oleo veteri cum pyrethro, vel pipere, vel cocco cnidio, vel semine vrticæ, aut pyrethro: Atque emplastra ex porro, cæpa, & allio, adiecto sale. Interdum ex scillæ crudæ ℥i. semin. sinapis, & vrticæ, ana ʒiii. coxis imponantur, quæ validè reuellere, & à veterno extricare queant: sed vbi pars rubere cœperit, hæc remoueantur.

Suffitus fœtidus.

Frictiones acerbiores.

Emplastra rubificantia coxis imponenda.

Sunt qui singulari experimento ægrum excitari credunt, & memoriam restitui, perunctis naribus, cerebro pauonis cum felle misto. Nonnulli in id fel gruis vase plumbeo calfactum capiti admouent. Alij oculos & cor philomelæ puluino subiiciunt: Alij caput vespertilionis, aut cor brachio alligant. Sed hæc ferè anilia videntur; illa potiora sunt, ac ratione comprobata: Quibus si vixdum expergiscitur æger, inducto tandem per acriora sternutamento de vita cognoscemus; Nam si per ea expergiscitur æger, adhibere ei vt sopito superuacuum, neque enim vigilando fit melior, sed per se, si melior est,

Remedia quædam empirica.

Verba C. Cels. l. 3. de re medica, cap. 20.

vigilat. Cùm autem continens ei somnus est, vtique excitandus est, vt & excernat aliquid, & sumat. Quod generaliter ad somnum pertinet, potiora quæ suprà comprehensa sunt,& quæ mox proferentur : medendi autem causâ, commodissima hæc ratio est.

Topica.

Hæc omnia cùm in summo incremento morbus est, vtique non ante diem quartum, aut quintum peraguntur ritè ; At remediis quæ extrinsecùs admouentur, etiam inter initia vti necesse est. De iis ergò vt dicamus, ad prima morbi tempora reuertendum. Initio quidem ne maior humoris copia in affectam partem deferatur, cautè prohibere oportet, ídque modicè repellentibus, quòd crassior sit humor, qui facilè impingitur, & infarctus remeare non potest. In id Galenus sectâ venâ, oxyrhodino caput perfundere iubet ; at certè aliâ, quàm in phrenitide, aceti cum oleo temperatione id faciendum,vt par sit vtriusque modus, atque ita acetum in compositione, si non quantitate, viribus tamen antecellat.

Repellentia mitiora.

Oxyrhodinum pro lethargitis, quale esse debeat.

Etenim oleum in permistione vincens, obstruit, & crassis vaporibus retentis somnum aggrauat ; acetum autem non modò repellit frigoris vi,sed etiam incidit,attenuat,& exsiccante facultate resoluit, ac somnum arcet. Verùm, ne eâ quidem proportione tutum, nisi primo ipso morbi insultu, cùm & paucus humor est, & nondum ita obhæret. At verò quoniam vix eâ primâ morbi occasione Medicus in ægrum incidit, quin & multus crassus, frigidus, ac verè pituitosus humor, in parte frigidâ & imbecillâ congestus, infarctúsque sit,oxyrhodino castorij tantillum admisceri conuenit, quò & rosacei, & aceti frigida vis morbi aduersa retundatur, & permistione temperetur. Castorium ex morbe progressu & temporum mutatione sensim augendum, atque imminuto rosaceo copiâ maiore continenter adiiciendum. Id enim siccat, valdéque tenuium est partium, calfacit, coquit, & quod impactum est, discutit. Permistio ergò talis sit.

Formula oxyrhodini compositi, pro litu syncipitis.

℞. Ol.rosat.& aceti acerrimi, an.℥ij. castor.ʒß. plus aut minùs, vt tardiùs aut maturiùs accesseris, aut castor. vice,sisymbrij sicci ʒiß. substituito, illinatur calidè sinciput, (illac quippe aditus est in partem affectam)non illito occipite. At mitius efficies,& primis diebus accommodatius, ex chamæmelino & aceto pari mensurâ commistis. Itaque primâ die rosacei &aceti,secundâ chamæmelini & aceti æquali modo, tertiâ admisto iam castoreo caput inungere conueniet. Summo autem incremento :

Litus alius,in lethargi incremento, capiti adhibendus.

℞. Aceti acerrimi,℥iij. olei ros. ℥j. castor.ʒij. misce, & caput rasis capillis illinito. Si acetum scilliticum sit,multò etiam validius euadet, scilla enim summè incidit & resoluit. In statu autem quæ validè digerunt,

runt, & concretos humores pertinaciter impactos eliquant, liquatósque trahunt, sola sunt ex vsu, quæ eadem ad soporem, catalepsim, & apoplexiam imperata sunt.

Litus statui morbi accommodatus.

℞. Castorei in aceto simplici, vel scillit. aut aq. vitæ soluti ʒß. ol. rutac. ℥v. misce. Irrigabitur etiam caput ante hunc illitum, lixiuio sarmentorum, in quo betonica, satur. meliss. sampsuch. ruta, saluia, serpil. laur. stœch. chamæmel. artem. origan. calament. puleg. hyssop. prassium, aliáque id genus decocta sint, vt in pituitosa cephalalgia dixi: Quæ eadem in oxyrhodino aptè coquuntur increscente malo.

Quinetiam ex vsu erunt puluéres cephalici, & cucuphæ illic descriptæ, addito castoreo, & discutientes sacculi identidem adhibiti: sed quæ mox subiiciam, efficaciora sunt.

Litus efficax.

℞. Capillorum hominis combustorum ʒiß. castorei, peuced. vel spondyl. an. ʒß. succi rutæ ʒß. aceti scillit. ℥ ij. Misce, infricetur totùm caput; quod æstate radendum priùs est, aut hyeme detondendum.

Embroche.

℞. Olei rosat. costini, & de castor. an. ℥iij. aq. vitæ fideliter sublimatæ ℥ij. agitentur diutissimè, dum exquisita fit permixtio, ad capitis irrigationem: aut permisto ceræ triente olea incrassentur in ceratum liquidum, vt minùs diffluant in parte globosa. Hîc autem magni refert, quâ medicamenti formâ quis vtatur: quibus enim corpus obesum, molle, laxum, & quasi dissolutum, atque humidissima cerebri constitutio est, iis sicca medicamentorum forma, qualis est pulueris, cerati, & emplastri, conuenientior est quàm oleorum, quæ etsi facultate efficacissima sint, humidiore tamen substantiâ, & diffluente materia, quodammodo relaxant, & emolliunt. Hæc quidem altiùs penetrant, at emplastri substantia minimè intrò se infert, sed foris insidens quæ subiecta sunt potiùs in se rapit, & euocat: vnguenti, & cerati forma inter hæc mediam conditionem obtinent.

Pro subiecti varietate, hac aut illa topicorum forma vsurpanda.

Vnguentum validissimum.

℞. Olei de spica, irini, & rutac. an. ℥iij. nucis mosch. caryoph. macis, piperis, pirethri, castorei, an. ʒiß. ceræ citrinæ, q. s. fiat vnguentum, cui addes aq. vitæ parum. In hæc oleum de gagate fœtidissimum, oleum de scilla, de piperibus, de castor. de euphorb. conferri possunt.

Aliud non minus efficax.

℞. Fol.beton.serpill.balsam. vel dictam. siccor. flor. stœch.& rorismar. an.ʒiß. nucis mosch. caryoph. macis, schœn. an.ʒ j. pyreth. sem. staphys agriæ,an.ʒij. ol. de castor.rutac. & costini, vel de piperibus, an. ℥ iiij. aq.vitæ ℥j. ceræ citrinæ,parum,fiat litus, cui ad apoplexiam, euphorbij, ʒ j. vtiliter accedet. Præcipere autem proficit, & ad excitandum humorem, & ad morbum depellendum,quod sequitur.

Emplastrum. ℞. Sinapi, pyreth. rutæ siccæ, sampsuch. calamint. puleg. serpil. castor. euphorb. an.ʒiß. aut si maiore vi est opus, ʒ.ij. cum melle anthos. vel syrupo de stœchade, (hoc enim licet) cogantur in crassitiem emplastri, vel cum oleo rutac. & cera fiat litus. Si diutius vitium perseuerat,vehementiùs est oppugnandum, quale est hoc emplastrum metasyncrit.

Aliud empl. metasyncriticum. ℞. Sagap.galban.opopan. vetustissimorum, an.℥iß. castor.sinapi, & fimi columb.an.ʒ ij. euphorb.pyrethr. trium piperis generum, & sulph. viui, an.ʒiß. terebinth.& ceræ citrin. an. q. s. Omnia in emplastri massam redigantur, liquatis primùm aquâ vitæ gummi, quibus dein admistis pulueribus, tandem adiectâ cerâ, & terebinth. malaxetur manibus oleo rutaceo inunctis.

Scilla cum nitro, pipere, sinapi, ad eadem efficax est, efficacioráque adhuc præscripta olea sulphure admixto subsextuplo, admixto etiam vitriolo, cuius oleum arte chymicâ extractum,ad lethargicos & apopl. excitandos primas obtinet. At quia vix suppetit, comparetur hoc quod illi respondeat, ex scillæ in tabellas dissectæ ℥.ij. castor. ℥ß. vitriol. & sulph. an.ʒij. sem. vrtic. nitri, sinapi, & piperis, an.ʒj. ol. chamæm. de spica,rutac.& vini,an.℥ iiij. Decoque ad vini consumpt.illinatur caput.

Litus metasyncriticus.

Sinapismi ac phœnigmi capiti adhibiti. In vniuersum sinapismis, & phœnigmis liquatus humor trahendus est, qui tamdiu inhæreant,dum pars rubescat, aut pustulæ excitentur, quas compungere oportet. Illis autem causticum succedit multò valentius.

Pyroticū sincipiti admotum,potentiale, vel etiam actuale. ℞. Calcis viuæ ʒiij. saponis albi ℥ß. sublimat. ʒß. concorporentur omnia cum aceto acerrimo,& hominis ieiuni saliuâ,fiat emplastrum rotundum,quod admoueatur sincipiti ad suturarum concursum. Aut trochisch.vigonis pari quantitate apponatur, & illatâ crustâ, pars inducatur rosacco, & vitellis ouorum, vnà commistis in vnguenti crassitiem, vt ab inflammatione vindicetur. Vstio candente ferro,in extremis, & præsentissimis est. Cùm autem crustæ deciderint, non antè sinatur vlcus siccari, quàm omnis humor ex affectâ parte sit exhaustus. Sunt qui bal-

An balneum conueniat lethargicis. neum ex cephalicarum stirpium decocto maximè probent,in quod vniuersum corpus excepto capite demergatur: sed id non nisi in virium constantiâ, & prægressâ euacuatione, morbíque impetu remisso tentandum. Atque cùm expedit,comparetur cum origan. calament. puleg. salu.

ſalu. betonic. praſſ. ſerpill. rutâ, ſampſuch. ſtœch. roriſmar. & ſimilibus, accepto ſingulorum faſciculo, cui ſi braſſicæ marinæ, M. j. addideris, meliùs reſpondebit.

Cæterùm toto morbo ad naturæ exercitationes æger frequenter ſollicitandus eſt: atque ſi malum longiùs protrahitur, & lethargicus ad ſe redit, & remedia admittit, ſyr. incidentibus, & pharmacis in cephalalgiâ pituitosâ deſcriptis, impactus humor erit præparandus, & quauis particulari purgatione radicitus extirpandus.

CAPVT X.

Sopor.

Curatio cari, à pituitâ craſsâ geniti.

PОrrò caros, ſiue ſimplex ſopor, quem pituita craſſa in cerebro ſupra modum congeſta inuexit, quòd neque ex putredine ſit, neque febrem habeat comitem, non venæ ſectione quæ magis cruditatem ingeminat, ſed aliis omnibus lethargicorum auxiliis ritè curatur. Si quid intereſt diſcriminis in eo eſt, vt mitiori malo, mitiora accommodentur remedia, quibus nî cedat, etiam ad vehementiora decurrendum. Cùm autem à craſſo & corpulento vapore, è ſubiectis partibus in cerebrum ſublato, grauis ſopor occupat, illum clyſmo, frictionibus, vinculis, cucurbit. reuellere, cerebrum roſac. & aceti pari quantitate irrigare, os & faciem calente aceto perfundere, ſpongiam aceto acerrimo imbutam ad nares admouere oportet, ſic enim ſopor diſcutitur: qui ne recurrat, conſiderandum vnde vapor ille mali author ſuſcitetur: Nam ſi à toto corpore, & in febrium quotidianarum acceſſionibus emittitur, remiſsâ febre, detrahenda pituitæ exuperantia, verùm non ante præparationem ſed acceſſionis ad initium eſt, leuaríque ſolet cùm ea deceſſit. Quòd ſi poſt longas febres huiuſmodi torpor corpori acceſſit, cætera eadem ſeruanda ſunt. At promprior is ſomnus, quem multus, huménſque ſanguinis vapor in ſynocho induxit, venæ ſectione, ſcarificatu humerorum, & infixis cucurbitulis, & aliis ſupradictis quàmmox diſcutitur.

Curatio cari, à vaporibus craſſis ſurſum elatis, profecti.

Vapores carum inducentes, vel à toto corpore, vel à parte certâ ſuſcitant.

Cari per febres exorti curatio.

Cari à vaporib. ex certâ parte elatis, generati, curatio.

Si à pulmonibus, multi corporei vaporis exhalatio fertur, vt in peripneumoniâ, hæc ſuis remediis curanda. Si à ventriculo, huius cruditas concoquenda, impuritas vomitu & alui deiectione expurganda, roborandus ſtomachus: atque ſi ebrietas nocuit, adhibenda quæ illam arceant. Si à putreſcentibus lumbricis, hos excludere conuenit. Si à conſenſu vteri, remedia petenda ab his, quæ in vuluæ ſtrangulatu laudantur. In ſummâ proſpiciẽdum parti, quæ pituitæ copiam ſeu fomitem continet. Si frigoris immoderata vis torporẽ attulit, theriaca, aut mithridatium, aut diamoſchum, aut diãbra, aut pliris archont. exhibẽdum, quò

Curatio cari à frigore inducti.

cerebrum recalescat,& calor natiuus penè sopitus excitetur. Vtilissimum quoque diatrium piper.ex aqua rutæ,aut aqua vitæ,quod etiam ex larga pituitæ copia ortos sopores discutit.Sed & capiti extrinsecùs imponenda calida quæ suprà diximus ; & moschum, aliaque aromatica sæpe naribus admouenda.Quòd si assumpti narcotici suspicio est, sine mora foràs exhauriatur, priusquàm lethalem perniciem afferat ; vomitio protinus excitetur,veneni reliquiæ clystere acri extrahantur ; illius impressa vis antipharmaco deleatur:Id autem alia cõmuni,alia peculiari dote præstant ; communi quidem piper longum, cassia lignea, castoreum,crocum,theriaca,mithrid.aliaque non pauca : quæ verò peculiari dote vigent,alia opij,alia hyoscyam.alia papau.alia cicutæ, alia mandragoræ perniciem vincunt & exterminant. Sed de iis pleni sunt omnes veterum libri.

Cari à narcotico inducti curatio.

Quòd si ex vehementi capitis contusione stupor accessit,prohibenda primum est inflammatio insiliens, venæ sectione,oxyrhodino : aut si vulnus est,rosaceo & oui candido,& cæteris suprà in phrenitide dictis, & trepano apertâ caluaria, si fracta est : dein excitandus æger conuenientioribus soporis remediis.Sed propria vulneris,aut fractæ caluariæ remedia,chirurgica sunt.

Cari ab ictu capitis oriundi,curatio.

De læsa memoria.

Memoria quid.

Memoria est imaginum quas sensus præbuerunt, impressio atque conseruatio. Huius summa quidem, sed vix paucis concessa perfectio est,cùm quis impressiones,vestigiáque sensuum promptè excipit,pertinaciter continet ac diu quasi in thesauros recondit. Hæc pueris, atque senibus infirma est : illis quòd imaginum impressionem seruare atque retinere ; his verò, quia admittere & recipere non possint. Deletur ergò, cùm rerum simulacra cerebro leuiter impressa facilè euanescunt ; aut cùm noua ægrè admittuntur, ac difficilè insculpuntur : illud humidioris, hoc siccioris cerebri indicium est. Etenim cerebri substantia mollior, aut dura, memoriæ sedes est, & instrumentum excipiendis & conseruandis rerum spectris comparatum. Illius verò temperamentum, quantitas, figura, vnà cum animali spiritu, discernendi, cogitatione fingendi, ac memorandi facultatibus inseruiunt, & propriè ad functiones expromendas accommodantur. Est autem memoria duplex, vna conseruans & quasi patiens, quæ suscepta à sensibus simulacra amplectitur. Et continet ; altera in agendo constituta. Quapropter hæc definitur rei absentis repræsentatio per simulacri animaduersionem, cum præteriti temporis adnotatione, quo facta est impressio, quæ præteritorum recordatio est, ex imaginum apprehensione rem ipsam repræsentans : tum enim meminisse quis dicitur, cùm derelicta seruatáque rerum spectra animo intuetur;non quidem seorsim

Cerebrum siccius,aut humidius memoriæ officit.

Memoria duplex,passiua, & actiua.

ac per se illa spectans,(quod fictricis est proprium. Sed ex iis in res externas se referens, vnde quondam prodierant. Vtraque porrò memoria infirmatur & intercidit, quemadmodum & reliquæ principes animæ vires, ex frigida intemperie, cerebrum pertinaciter obsidente, cui si affluentia humiditatis, aut siccitas coniuncta sit, malo incrementum addit. Hanc autem ab illa distingues ex recrementis, ægri habitu, temperamento, victûs ratione, anni tempore, atque regione, maximéque ex eo quòd obliuioni, aut stultitiæ, humiditas adiuncta soporosos affectûs implicat. Quinetiam memoriæ iactura modò per se est, modò fatuitati, quæ rationis infirmitas est, vel amentiæ, quæ eiusdem priuatio, complicatur; quam aliàs præcedit, aliàs insequitur. Hæc vitia si omninò à primo ortu contracta sunt, & ab aliena capitis conformatione, aut pauca cerebri substantia proficiscuntur, nullâ arte tolli possunt.

Causa abdita, aut imminuta memoria, intemperies frigida, cum, aut sine materia.

Obliuio modò solitaria, modò fatuitati, vel amentiæ complicata visitur.

Prognosis.

Memoriam oblæsam sic restitues. Frigidam & humidam intemperiem, cephalalgiæ ac soporis remediis corrigito; vniuersi corporis vacuatione præmissâ, siquidem pituitosus humor eam fouet: frigidam autem & siccam, iis quæ in melancholiâ cerebrum madore perfundunt. Frigida autem intemperies si omninò sola & simplex est, iis eximenda, quæ capitis dolores à perfrigeratione tollunt. Verùmenimverò futilis & parum stabilis memoria confirmatur meditatione, quæ ipsa crebra est repetitio atque recursus imaginum, sustinetúrque methodo, & rerum, locorum, temporúmque accuratâ distinctione, ac certis sedibus digestâ, tum rerum, tum verborum, ac literarum congerie. Quamobrem cùm tanta in iis omnibus vis insit admonitionis, non sine causa ex iis veteres cognitionis & memoriæ disciplinam duxerunt. Sic Metrodorus, Cyneas, Carneades, hanc videntur esse consecuti: hac etiam Simonides, Mithridates, Cleopatra, Hortensius olim claruerunt.

Curatio læsa memoria.

Meditatio memoriam confirmat.

Memorandi ars.

CAPVT XI.

Catoche & Catalepsis.

Est autem quoddam vitium sopori finitimum, non tamen æquè notum, id catoche, & catalepsis, id est, comprehensio & detentio nominatur. In hoc sensuum instrumenta, maximéque aperti oculi, vigilantis formam exhibent: at omnis illorum functio quasi vincta & obstricta est, & repentè irretita. Quæcunque figurâ malum occupat, eâdem corpus continet; neque enim æger stans sedénsve mali appulsu concidit, sed fixus rigidúsque permanet, iacens non erigitur, erectus per se consistit, impulsus tantùm mouetur, & siquid priùs manu continebat, arctissimè iam premit ac retinet. Quocunque brachium adducitur, illic persistit: nunc clauso, nunc hiante ore, interdum tamen

Signa catalepsis.

tamen ſine ſenſu deglutit, atque eodem vultu æger permanet, quo repentè correptus eſt. Hac formâ ſtupendâ laborans neque audit, neque videt, neque ſentit, vel etiam compunctus, omnéſque mentis functiones non, vt in ſopore, ſtupidas, ſed planè interceptas habet: atque in ſopore corpus molle eſt, laxum, & quaſi diſſolutum; in catoche autem apertis, fixiſque oculis, ac voce repentè ereptâ, firmum, contractum, & rigidum ſubſiſtit, quomodo iis qui frigoris extremâ vi extincto calore obriguerunt, vnde Arabibus malum hoc congelationis nomen inuenit.

Diſcrimen Catalepſis à ſopore.

Huius cauſa traditur frigida & ſicca cerebri intemperies non vt in ſopore humida, atque illa modò ſolitaria, modò ſimili humore, melancholico nimirum comitata, qui poſteriore cerebri ventriculo repleto malum inuehat. Rarum quidem hoc ſymptoma non omnes eodem modo comprehendit; aliis enim continuum eſt, aliis intermittens circuitibus quibuſdam repetit. Quod continens eſt, eam fortè cauſam habere poteſt, aut frigidum & flatulentum humorem, potiùs quàm ſanguinem venas diſtendentem: cùm enim ex ſanguine quiſpiam derepentè obmuteſcit, aut apoplexia, aut coma eſt ab oppreſſione. Cæterùm quæ intermittit, aliam cauſam habet. Mihi nondum Medico familiaris quidam Iuuenis hoc mali genere tenebatur, vt quotidie quinquies aut ſexies, aut interdum ſæpius acceſſio, epilepſiæ modo, recurreret, horæ quadrante perſeuerans, (neque tamen epilepſiæ quidquam ſimile habens:) præſcriptis omnibus ſignis ſtipatus, & quaſi attonitus perſiſtebat, dum prorſus conquieſceret acceſſio, eorum more qui numine diuino afflati, raptis ſenſibus ecſtaſi tenentur. At verò proximam eius cauſam intemperiem ſiccam, aut humorem melancholicum fuiſſe, vix credibile eſt, ex acceſſionis tum celeritate, tum breuitate: non enim ſola intemperies, præſertim ſicca, poſſet ita repentè induci, aut ſubitò acceſſionem promouere, quæ pari alacritate diſcutiatur; quemadmodum neque humor craſſus melancholicus, nam cur hîc tantùm catalepſim, potiùs quàm immutatâ cerebri temperie, melancholiam, aut obſtructis ipſius ventriculis epilepſiam inferat? Quamobrem ſatius eſt, vaporem frigidum & craſſum exiſtimare, atque ſine venenatâ aut acri qualitate flatulentum, qui cerebrum & neruorum principium ſubitò implens, ſenſuum omnium, mentiſque functionibus interceptis, breuem totius corporis diſtenſionem infert, quâ id veluti tetano rigidum permanet.

Cauſa catalepſis eſt cerebri intemperies frigida ſicca, vel ſimplex, vel cum humore melancholico.

Catalepſis duplex, continua, aut intermittens.

Catalepſis continuæ cauſa

Hiſtoria catalepſis interpolatæ.

Catalepſis interpolatæ cauſa proxima.

Hanc affectionem ſiquis alteri conferre velit, & cauſâ, & effectu flatulentulæ conuulſioni iudicabit ſimillimam: atque vt hæc extremas partes illæſâ mente, integríſque ſenſibus ex interuallis impetit, ſic catoche ſine ſenſu, ſine mente omnia membra occupat, & comprehendit, dum frigidus, craſſúſque vapor diſſipetur, cuius tamen fomes, vel in capite ſit, vel in præcordiis deliteſcat. Ex quibus perſpicuum eſt, ſymptoma hoc, ſiue continuum ſit, ſiue intermittens, minimè à bilis & pituitæ permiſtione naſci.

Catalepſis intermittens nonnihil conuenit cum ſpaſmo flatulento.

Catalepſis nunquam à bilis & pituitæ miſcellâ naſcitur.

Curatio.

Curatio.

Hoc malo perculſis opitulandum ſic eſt: primò reuellentibus, non item repellentibus auxiliis vti oportet; deinde cerebrum calfacere ac corroborare, ac ſimul diſcutere quidquid in eo concreti eſt humoris, aut potiùs vaporis: Id autem topicis lethargicorum remediis præſtandum, detracto interim aceto, quod malo eſt aduerſum, & admiſtâ aquâ vitæ, tum iis prætereà quæ per os ac nares induntur, & ſternutamentis quæ laborantem excitent. Si per hæc à morbo recreari æger poteſt, & ad ſe redit, nihil præterea tentandum, vtique ſi malum ex ſolâ intemperie extrinſecùs illatâ eſt; alioqui ſi frigidus, craſſus, lentúſque vapor à crudo humore in viſceribus ſubſtante profuſus mali cauſa eſt, in ipſa intermiſſione cacochymia expurganda, capiti proſpiciendum per ea quæ in cephalalgia pituitoſa, cum eo quoque vt viſcera perfuſionibus & ſacculis, ex rutâ, cumino, & aliis quæ flatûs diſcutiunt, foueantur, admouendúmque præterea poplitibus, aut brachiis adurens medicamentum, vt vlcus inferat.

Scopi curationis, in catalepſi.

Acetum à topicis, quæ catalepticis adhibentur, proſcribendum.

Purgatio in mali intermiſſione, facienda.

CAPVT XII.

Typhomania.

ESt & alius quidam nomine carens affectus, ex phrenitide & lethargo compoſitus, atque ex bilis & pituitæ permiſtione in cerebro genitus. Hunc audio veteres typhomaniam, aut typhoniam dixiſſe, quem tamen quidam catochon, Paulus & interdum Galenus vigilans coma vocauere, ſed aut ambiguâ, aut communi nominis ratione. Plerique etiam vt nomina, ſic & cauſas, & ſymptomata confuderunt, atque vnum pro multis affectum poſuerunt.

Typhomania, typhonia, ſeu typhlomania, quid.

Hoc quidem qui tenentur, maiore temporis parte oculis conniuent, ſomnolentique ſunt & ſtertunt: pòſt autem apertis & fixis oculis diutiſſimè, vt catochi, intuentur: tum ſiquis eos interrogat, & inuitos ad colloquium compellat, tardi & difficiles erunt ad reſpondendum, plerumque & loquuntur ſtultè, & temerè effutiunt, quidquid in buccam venerit, de quibus Hippocrates ſic loquitur: comatoſi erant, & rurſum peruigiles. Horum autem pulsûs frequentes ſunt, & celeres, perinde vt phreniticorum, minùs tamen, quemadmodum & paulò imbecilliores, verùm lati ſunt atque parui. Veſica & aluus nihil, aut certè parum reddunt. Facies aliàs ſubtumeſcit, & modicè, lethargicorum modo, liuet, aliàs rubeſcit. In iis periculum maius eſt, quibus vigiliæ diutius perſeuerant, vrinæ non reſpondent, difficilis reſpiratio intenditur, ſudores erumpunt, & ad nares potius regurgitat. Hoc delirij genus vt ex-

Signa diagnoſtica typhomaniæ.

lib. 3. Epid. ſect. 3. text. 16.

Signa prognoſtica.

Causa typhomaniæ, permistio bilis & pituitæ. tremorum naturam habet participem, ſic ex contrariarum cauſarum permiſtione naſcitur, cùm pituita, biliſque flaua in cerebro permiſtæ immoderatiùs exuberant. Ita quippe conſentaneum eſt ex contrariis cauſis implicitis contraria excitari ſymptomata, & communia quodammodo phrenitidis & lethargi ſigna elucere. *Typhomaniæ ſymptomata variare pro variâ prædictorum humorum miſcella, æquali, aut inæquali.* Si pares ambo ſint humores, exquiſitè media omnia cernuntur. Si bilis exuperat, omnia in ardorem deuergunt, & affectus phrenitidi magis affinis eſt. Si pituita, ſaporis magis particeps, & ardoris ſymptomata mitiora, quòd bilis furorem pituita reſtingaut.

CAPVT XIII.

Coma vigil.

PRæter hæc etiam vnum inuenitur genus, quod à medio in ſoporoſorum conditionem magis deuergit: id ἄγρυπνον κῶμα rectè nominauit Hippocrates: detinebat eos (inquit) coma non ſomniculoſum: *3. Epid. ſect. 3. text. 39.* quanquam hoc etiam nomine, tum catalepſin, tum iam deſcriptum ſymptoma inſigniri ſcio. *Comatis vigilis cauſa, infirmitas facultatis animalis.* Hoc autem non ex humorum vitio, ſed extremâ potiùs animalis facultatis imbecillitate fit, ob quam palpebræ vel erigi, vel apertæ contineri nequeant: hincque fictam ſomni ſpeciem exhibent, qualem in iis cernimus, qui aut pernicioſo, aut diuturno morbo fracti, iam morti ſunt proximi. *Signa comatis vigilis.* Sed hoc genus & pulſuum obſeruatione, & extremorum frigore, aliíſque imbecillarum virium ſignis, & præſentis morbi vehementiâ internoſcitur.

Curatio.

Prognoſis. Ex his id quod ſecundo loco poſitum eſt, cùm nihil aliud ſit quàm nimia corporis imbecillitas, vix vlla curatione tollitur. Vnicum tamen auxilium eſſe poteſt imbecillitate detentis, vino cibóque, ac omnibus cardiacis in ſyncope comprehenſis ſuccurrere. *Parodia verborum Celſi, cap. 27. lib. 3.* Quodcunque aliud curationis genus, quo laborans excitetur, vix vnquam ſanitati reſtituit; ſæpe mortem tantùm differt, vitam interim infeſtat. *Scopi curatiui typhomaniæ.* Quod autem ex bile & pituita ſimul in cerebro exuperantibus fit, rarum eſt; vtque implicitas, & contrarias cauſas habet, ſic quadam contrariorum remediorum permiſtione curandum, hîc enim calida frigidis, & reprimentia digerentibus permiſceri oportet, qualia phrenitidis vigori aptamus, aut quæ ex phrenitidis & lethargi curationibus certâ permiſtione comparari poſſent. Præmittenda tamen humoris vtriuſque purgatio, ac ſæpè clyſteres iniiciendi, qui partim pituitam eliciant, partim bilem commiſtam leniant. Hæc quoque communia

ſunt,

ſunt,ſanguinem, ſi vires permittant,mediocriter detrahere, inferiores partes vehementer perfricare,cucurbit.ſcapulis & occipitio admouere, mucum ex naribus extrahere, ſternutamenta excitare, gargariſare iis quæ ſaliuam mouẽt,aut apophlegmatiſmatis vti,digerẽtia capiti imponere;denique impoſito ſinapi exulcerare ea quæ malè habent,aut quod extremum,candente ferro(vbi malum eſt)vlcus inurere, quò humor dimanet. Qui autem ex ebrietate vitium conceperunt,crapulâ ſolutâ tractantur, ſicut iam antea comprehenſum eſt.

CAPVT XIV.

Incubus.

INcubus, Græcis Ephialtes, eſt grauis corporis oppreſſio noctu dormientibus accidens,cum ſpirandi difficultate, vocíſque interceptione,& ſpectrorum turbulentâ concurſione.Hîc externi ſensûs,& interiores facultates ſopitæ,nihilominus perturbatione iactantur, ſed maximè fictrix;laborans enim per ſomnum, & inſomnia, graue quoddam onus ſibi incumbere putat,aut arctiùs premi, aut incurrente in ſe hoſte, horrendo monſtro,ſortilega vetulâ,dæmone, pernicioſâ ferâ vrgente, loco moueri non poſſe, aut ſibi fauces præcludi, aut deteriora phantaſmata imaginatur:hinc terror,& error, metus atque deſperatio ægrum concutit;auida vox aut ſupprimitur, & faucibus hæret, aut obſcura & incerta editur, ſensûs offunduntur, ſpiritus intercipitur magno ſuffocationis metu.Fit a.interdum quidem à grauante plethorâ,quæ non modò venas diſtendit in tumorem,ſed & corpus hebetat,artúſque premit,& motum pigriorem reddit,præſertim ſi & ſanguis craſſior eſt,& magna copia pectoris venas opplet,& ſeptum grauiùs premitur. Sæpiùs autem à viſcida pituita,aut craſſa melancholia, quæ frigido cœlo,humidóq; noctis ſtatu in præcordiis aut in viſcerib. redundans,aut etiam multâ crapulâ,ſomnóve humeſcens,& quaſi turgens,diaphragma premit, & reſpirationem offendit,effusóq; in fauces & cerebrum craſſo vapore,vocem intercipit, ac grauiſſima ſpectra ſenſib.& menti repræſentat. Quidquid enim corpus in ſomno vehementer premit,quamdiu de ſe imaginem animo exhibet,ſomnum variè interpellat,eóq; ſoluto prõptè euaneſcit.Interdum tamen ſi craſſior,multúſq; vapor eſt,paululum conſiſtit,eóq; impetu perterritus homo huc & illuc vigilans deuoluitur,cum tremore,ſudore,anguſtiâ,& anhelatione,interdũ etiã,quod deterrimũ,cordis palpitatione.

Quid ſit incubus.

Signa incubi.

In incubo phantaſia deprauatur.

Incubi cauſa internæ antecedentes.

Cauſa coniuncta.

Incubus vel ſomno abeũte diſcutitur, vel(quod rarius)adhuc perſeuerat.

Quapropter proxima, continénſque cauſa eſt multus & craſſus vapor, qui è ſubiectis partibus per ſomnum noctu cerebrum impetens, omnem ipſius vim aut hebetat,aut confundit. Vt enim vertiginoſi interdiu, ſic ephialtici dormiẽtes noctu ſpectrorũ turbulẽta concurſione iactantur.Itaq; huius mali acceſſio nec in vigiliis,cùm vapores per cutis

Cur incubus dormientibus non (vt vertigo) vigilantibus accidat.

ſpiracula liberè diſſipantur, & ſolutis ſenſibus fictrix facultas minimè obſtricta eſt; neque in leui, ſed arctiore, ac ferè primo ſomno, ſupino maximè decubitu, occupat: tum enim humores concluſi, multò maiore vi, quàm per vigilias, animum exercent, & inchoata concoctione larga corporei vaporis exhalatio ſuperiores ſedes impetit, ac ſensûs mentémque turbat, præſertim cui caput vel prægreſſo morbo, vel immoderatâ venere, vel alia ratione infirmum eſt, maximè autem pueris, obeſis, & crapulæ addictis. Incubo vix diſſimiles ſunt pauores, qui pueros ſæpè ex lumbricis per ſomnum exagitant.

Quinam huicce malo magis ſint obnoxij.

Pauores infantium per ſomnum, incubo finitimi.

Curatio.

Prognoſis.

Incubus, maximè qui citra cauſam externam grauior & prolixior eſt, & ſæpiùs repetit, aut apoplexiam, aut inſaniam, aut melancholiam, aut epilepſiam minatur. Interdum etiam ſuffocat, niſi confeſtim occurritur. Primùm in acceſſionibus laborantem excitare oportet, crura perfricare, & vinculis validè conſtringere, faciem interim frigidâ conſpergere, aut potiùs vino, ſi frigida cauſa eſt; cucurbitulas, ſi res cogit, imponere, & clyſterem flatibus diſcutiendis idoneum iniicere. Diſcuſſo autem paroxyſmo, ne malum redeat, curatio ex cauſarum varietate inſtituenda. Si malum id ex ſanguinis copiâ eſt, ſanguis vtique mitti debet, cucurbit. cum ſcarif. cruribus admoueri, menſes ſuppreſſi aut hæmorrhoides euocari: & vini potus arceri: nec non dulcium vſus, & aliorum quæ ſanguinis copiam exaggerant; prætereà eadem quæ in cephalalgia ex ſanguine, facienda ſunt. Si verò craſſa pituita, aut melancholia cauſa ſunt, illa epilepſiæ ſtomachicæ, hæc melancholiæ præſertim hypochondriacæ remediis tollenda: Quæcunque enim morbis præſentibus ritè peraguntur, eadem impendentibus illis agi poſſunt. Huiuſmodi ſunt humoris præparatio & euacuatio, electarium, puluis, opiatæ, quæ flatûs diſcutiunt, ſacculus, illitus ventriculi, atque etiam thoracis, ſi illic concluſus humor laborem affert, quemadmodum epithemata cardiaca, & ſacculi, ſi cordis palpitatio illata ſit. In ſumma victus ſit tenuis, qui non inflationes pariat, cœnáque frugalis, & quæ longo interuallo cœnam præcedat.

Remedia in ipſo paroxyſmo.

Agenda extra paroxyſmum.

Curatio incubi, à plethora oriundi.

Curatio incubi, à pituita craſſa, aut melancholia creati.

CAPVT XV.

Apoplexia.

Definitio apoplexiæ.

Apoplexia eſt præceps animalium facultatum lapſus, ſiuè repentina omnis animalis functionis priuatio: per hanc enim nerui omnes, æquè tum ſentiendi, tum mouendi vim celeriter amittunt, atque principales animæ facultates oppreſſæ, & quaſi extinctæ iacent, vt idcircò

ſubi

ſubita totius corporis reſolutio dici poſſit. In hac homo quaſi fulminis ictu attonitus ex improuiſo repentè corruit, móxque ſenſu, motúque priuatur, & obmuteſcit, ſola reſpiratione à mortuo diſſidens, quæ & mox euadit difficilis, & cum ſtertore grauiſſimo. Hinc ex reſpirationis difficultate, apoplexiæ magnitudo comprehenditur. Cùm enim plurimùm à naturali ordine diſcedit, ægráque admodum eſt, magnam; cùm verò liberior ac minùs intercepta, paruam cerebri noxam arguit,& apoplexiam mitiorem deſignat. Sanè peſſima reſpiratio hîc exiſtimanda eſt, quæ & longo tempore intermittit, & magna cum vehementia trahitur, in qua obauditur quaſi ſtrangulati ſonus. Sed multò deterius eſt, cùm ſpuma circa os apparet; hæc enim non concuſſione, vt in epilepſia, ſed extremâ vi, anguſtiâ, oppreſſione cordis, ſuffocatione, pulmonum æſtu & colliquatione mouetur. Omnium periculoſiſſimum, vbi ſine ſpuma & ſtertore, parua obſcuráque adeò eſt reſpiratio, vt ne percipi quidem poſſit. Apoplexiæ quidem gradûs, ſiue ordines ita definiti periculum demonſtrant, quod omne in ſpirandi difficultate conſiſtit. Hæc dum modica eſt, poteſt diutiùs trahi; cùm vehementior eſt, vt reſpirare æger ſine ſono & ſtertore non poſſit, citò ſtrangulat, cùm ſpuma quoque acceſſit, multò celeriùs: At quàm celerrimè, ſi nihil reſpirat æger: nam eâ maximè causâ hîc ſubitò mors irruit, quòd prohibita ſit reſpiratio. Quemadmodum enim cùm animanti fauces præcluduntur, quàm mox caloris & vitæ ſequitur extinctio, ſic cum grauior apoplexia motum omnem & reſpirationem tollit, hac correptus mox ſuffocatur & perit. Ideò rectè Hippocrates: apoplexiam fortem ſoluere impoſſibile, debilem non ita facile. In hac ſenſus & motus reſeruatur, ſed admodum obſcurus & languidus, feréque in paralyſim deſinit, noxio humore à cerebro in neruos illapſo: at grauior protinùs motum omnem ſenſúmque adimit, & reſpirationis defectu mortem accelerat. Quoſdam tamen maxima admiratione ſeruatos legimus tacita reſpiratione mortuis ſimillimos; quoſdam fama prodit in ipſis funeribus reuixiſſe, quod Aſclepiades funeri obuius intellexit eum viuere qui efferebatur. Verùm in iis exiguus erat vitæ calor, neque celeri, neque multa refrigeratione indigens, quem ſatis conſeruare potuit ſola tranſpiratio, & circumfuſi aëris appulſus aliquandiu ſuſtinere, quod animalia quæ per hyemem in latibulis degunt, perſpicuè declarant. Hinc forte legibus cautum eſt, ne apoplectici priùs quàm exacto triduo, quo humorum omnium motus expleri ſolet, inhumentur. At quibus vberior ineſt calor, cùm plus refrigerij deſideret, ſubitò extinguitur, niſi reſpiratione iuuetur.

Signa apoplexiæ.

Apoplexia magna, aut mitis quomodo dignoſcatur.

Spuma circa os apparentis in apoplexia, calamitas, iuxta aphor. 43. ſ. 2.

Aph. 42. ſ. 2.

Ab apoplexia forti ſeruatos fuiſſe nonnullos.

Ratio huius euentûs.

Apoplectici nonniſi exacto triduo ſepeliendi.

Iam autem apoplexiam à ſopore diſtinguit reſpiratio, quæ in hoc libera eſt, & ſine ſtertore; ſenſus quidem ſtupet, at plerumque ſeruatur motus, niſi cum profundus ingraueſcit: hîc ignauia & torpor, illic functionum omnium priuatio eſt: In ſopore enim priores cerebri partes, vnde ſenſus oriuntur; in apoplexia omnes offen-

Apoplexiæ ab aliis affectibus ſimilioribus diſtinctio.

Quî differat à ſopore.

offenduntur, maximè cùm vehemens est. At mitiorem à veterno distinguere non æquè promptum: Id tamen interest, quòd sopor primum lentè obrepit, sensímque augescens grauiùs occupat; apoplexia autem primo impetu horrenda, repentè hominem prosternit. Distat autem hic casus à syncope, quòd neque protinus facies pallet, nec extenuatur, quin potiùs intumescit, neque extrema frigent, neque frigidus sudor ex ceruicibus & capite prorumpit: sed omnium certissima distinctio in pulsu habetur, qui in syncope aut nullus, aut extremè paruus, obscurus, & languidus est; in Apoplexia plenus & euidens, nisi cùm iam inualuit malum, & mors instat. Ex iis præterea quæ antecesserunt, vtrumque discernitur. Ab vterina verò præfocatione, apoplexia internosci vix potest: hoc tamen discriminis intercedit, quòd hysterica pathemata vix adeò respirationem offendunt, nunquam stertorem accersunt, nec ita repentè irruunt, adsúntque malè affecti vteri certa indicia. Cæterùm apoplexia omnibus animalibus functionibus noxam inferens, cerebrum affectum esse necessariò demonstrat: Affecto enim & grauiter oppresso cerebro, omnis animalis functionis principio, ipsi mox omnes partes consentiunt, in quas nerui propagantur. Opprimitur autem cerebrum non in omnibus eodem modo, nec semper ab eodem humore: sæpe quidem à largissimâ pituitæ copiâ, quæ non modò omnes eius ventriculos affatim & vsquequaque obstruit, sed & vniuersam ipsius substantiam aggrauat. Quare irrigatâ & humore frigido perfusâ cerebri substantiâ, nerui omnes mollescunt, & relaxantur, atque illius ventriculis omninò infarctis, repentéque oppletis nihil deinceps suppeditari potest sensuum, motionúmque neruis. Vnde spiritûs & facultatis distributione in totum præpeditâ, mox necesse est vniuersum corpus sensu motúque destitui, partes singulas omni prorsus robore dissoluto ingrauescere, collabi, & tanquam intermortuas iacere. Illud idem quoque accidere compertum est illæsis cerebri ventriculis, cùm crassus quidam & viscosus humor, aut sanguinis grumus eas arterias constringit, vel obtinuit, quæ tum ad cerebri basim propagatæ retiformem contextum conficiunt. Quòd enim quispiam derepentè obmutescat, (vt quarto de ratione victûs legimus) id arteriarum, quæ in cerebro sunt, obstructiones, & interceptiones efficiunt. Itaque iis arteriis vel compressis, vel obstructis apoplexia gignitur, quòd tum cerebrum nihil spiritûs à corde per arterias subiectas recipiat, sícque necesse vim animalem concidere, haud secùs quàm interceptis carotidibus, quas ideò apoplecticas etiam appellant. Neque verò à pituita solùm, sed interdum à sanguine plurimo confertim in animalis facultatis principium confluente, apoplexiam excitari constat; quod ex plethora, non minùs quàm ex vehementiore capitis ictu, aut ebrietate accidisse comprobatum est: hinc quippe sursum impulsus vberior sanguis, & æstu quodam iactatus & efferuescens, eas arterias implet, ac multitudine vias obstruit, quæ sunt cerebro cordíque communes. Tum quidem iugu-

Quî differat à syncope.

Quî discrepet ab hysterica passione.

Sedes affecta in apoplexia, Cerebrum.

Causæ internæ apoplexiæ.

1. Pituita cerebri ventriculos, & substantiam inũdans.

2. Apolipsis arteriarum cerebri.

text. 23.

3. Sanguis vberior apoplexiæ non nunquam author.

iugulares maximè venæ tument, facies rubra aut liuida, aut subuiridis cernitur, coarctato sanguine, cuius nitor extinctione spiritûs obscuratur, vt parte quauis arctiore vinculo constrictâ. Quin & à melancholia proferri, author est Hippocrates, lib. de morbis. Neque tamen ab hac sed potiùs à pituita redundante, senes in apoplexiam sunt procliuiores.

Signa sanguinea apoplexia, siue ictûs sanguinis.
4. Melancholia.
lib. 1. περὶ νόσων, num. 5.

Huius impendentis hæc erunt præsagia, capitis grauitas & turbatio, crebra oculorum caligo, nocturna oppressio, frequens partium faciei palpitatio, corporis segnities, extremarum partium sine ratione algores, sensus obtusi, mens hebes, somnus supra consuetudinem & modo & tempore, vrina virens aut subliuida, subsidente quasi farinæ polline: corporis moles ampla & turgida, ceruix breuis & crassa, capitis vastitas, aut paruitas, aut eius quæuis mala conformatio. Hanc constitutionem sortiti, in apoplexiam maximè propensi sunt, præsertim senes, pituitosi, otio, crapulæ, & ebrietate addicti; hinc quippe ingens fit excrementorum prouentus, qui cùm coagmentatione assiduâ in summum excreuit, vel per se & sponte, vel æstu colliquante, vel frigore comprimente & coarctante, vel motu exagitante impulsus, vel humido cœlo & austrinâ constitutione turgens, repentino concursu cerebrum opprimit, & inopinatam apoplexiam infert. Quibus lingua tota resoluta est, aut amplificata paralysis alterum quoque latus comprehendit corporis, iis certè grauis apoplexiæ metus impendet.

Signa imminentis apoplexiæ.
Quinam in apoplexiam magis propensi.
Causa externa apoplexiæ.

Curatio apoplexiæ sanguineæ.

Maximè quidem calamitosus, mortique finitimus est morbus, apoplexia; in quâ primùm expressa mortis imago detegenda est, & exploranda vita, iisdem signis quæ ab vtero strangulatas discernere solent. Vt iam de vitâ cognitum est, prudentis est eum qui curari nequit, non attingere; at si grauis metus est, sine certâ tamen desperatione, vbi præmonueris in difficili rem esse, satius fuerit anceps auxilium experiri, quàm nullum.

Signa prognostica.
Celsus c. 26. lib. 5. & c. 10. lib. 2.

Primùm ergo considerandum, quæ causa apoplexiam excitârit. Si sanguinis copia, protinus venæ sectione opus est, ne oppresso & extincto natiuo calore repentina mors irruat. Ideò nullâ cunctatione cephalica ampliore fissurâ secanda; sanguis enim languente calore torpescens ac semigelidus, plerumque subsistit, aut ignauiter exit. Atque si plethora est, & vires tolerando sunt, statim initio sanguis vniuersè & semel emittendus; sin aliter hæc erunt, partienda euacuatio, & ex modicis interuallis diuidenda est, quandoquidem vires excitare, non dissoluere est. Cùm sanguis crassior, frigore veluti conglacians, vacuationi vix cedit, præparetur antè corpus subducto ventre, fotu ex oleo calente, anethino, & chamæm. anis. iis maximè partibus adhibito, quæ vehementiùs frixerint, asperâ frictione & validâ concussione,

Apoplexia sanguinea venæ sectionem postulat.
Fotus venæ sectioni præmittendus.

vt san

vt ſanguis recaleſcat, extenuetur, ac celeriùs effluat, ídque primò ex dextri, dein ex ſiniſtri brachij ampliore venâ latiùs apertâ: neque prudentis eſt, in vena ſecanda vllam mali remiſſionem expectare, vt quæ fortaſſis futura non eſt. Poſt eam ſectionem, veterum decreto, venæ iugulares ſecabantur, interdum felici, ſæpiùs inutili euentu. Et reuera huiuſmodi ſanguinis detractio vel occidit, vel liberat. Pauci hoc tempore has incidunt, ne iugulare videantur, aut metu fortè deterriti, quòd ſanguis illinc emanans, ægrè reſtingui, ob vicinarum arteriarum pulſum, vel partes incommodè vincire & alligari poſſint: ſanguis tamen emplaſtro aſtringente, & digito indito vulneri ſupprimi poteſt, ac vena coaleſcere, ſi anguſta eſt apertio. Sed ſi nullum aliud appareat auxilium, periturúſque ſit qui laborat, niſi temerariâ quoque viâ fuerit adiutus, in hoc ſtatu boni medici eſt oſtendere, quàm nulla ſpes ſine ſanguinis detractione, faterique quantus in hac ipſa re ſit metus, & tum demum, ſi exigatur, ſanguinem mittere. Plurimi hac ætate poſt humerariam, pro iugularibus venas ſub lingua ſecant, præſertim ſi hæc intumuerit, neque oris contractio prohibeat. Antiqui eam quæ in narium extremo, vel quæ in fronte cernitur: ſed ab illa nullum, ab hac non ita euidens eſt auxilium. Poſt ſanguinis miſſionem, protinus oxyrhodino capiti adhibito, ſanguinis affluxus reprimendus: cucurbitulæ inciſâ cute, & hirudines pluribus locis affigendæ, ac identidem reponendæ illæ, vel etiam iuxta iugulares. Si ſanguis aut præ virium imbecillitate, aut venarum anguſtiâ mitti non potuit, hæmorrhoides ſi turgent, aperiendæ: clyſmi acriuſculi iniiciendi: vincienda extrema, & validè perfricanda: ſternutamenta primò quidem mitiùs, deinde vehementiùs concitanda: acetum acerrimum naribus admouendum; ac imperanda quæ capitis doloribus ex ſanguine ortis idonea ſunt, narcoticis tamen omnino detractis. Sed interim tenuiſſimo victu vtendum eſt, ac nihil niſi ptiſſanæ ſorbitio, aut mulſa danda, aut hydroſach. aut iulep. roſat. donec fractâ mali acerbitate, pulli ius aliquod ſumere liceat. A ſectione, atque omnino ab iis ſpes ſalutis, ſi pulſus, reſpiratio, faciei color, partium frigus, mens, ſenſus, motus, horum inquam aut omnia, aut aliqua in melius conuertuntur: alioqui deſperatio eſt.

Iugularium venarum ſectio. Verba Celſi, c. 27. lib. 3.

Ranularum ſectio.

Oxyrhodinũ. Reuellentia õnis generis.

Victus.

Epiphanomena ſalubria, aut lethalia.

Curatio à pituita.

Quòd ſi apoplexia ex pituita eſt, venæ ſectione haud quaquam rectè curatur, quocirca decernenda non eſt, niſi venæ ſupra modum confertæ ac turgentes grauius periculum faciant: cúmque neceſſitas expoſcet, id parcè & partitè tentandum; redundant enim humores, at ſpiritûs deficiunt. Cætera eadem in hoc morbo, quæ in lethargo facienda ſunt. Siquidem mox excitandus æger, clyſmo acri ſæpiùs iniecto, glande, cucurbit. ſine ferro admotis, aſperrimis frictionibus, vinculis, vomitione per faucium titillationem, ſternutamentis ex pipe

Cautio circa phlebotomiã, in apoplexia pituitoſa.

Varia ſopitos ſenſûs irritantia, ac excitantia, vt in lethargo.

pipere, ſtruthio, & veratro: Aut ſi hæc deſunt, ſucco allij naribus indito, confectione anacardinâ, vel antiquiſſima theriacâ palato infricatâ, atque etiam ore per vim aperto ad ℥iß. exhibitâ, cum mulſa, vel aquâ betonicæ, quâ vel per ſe hauſtâ vocem reſtitui credunt. Quemadmodum & agreſtis rutæ ſucco naribus & auribus immiſſo. Sed confectione anacardinâ ori inditâ nihil efficacius; admotis prætereà quæ calfaciunt, & validè digerunt; denique omni aliâ ratione in lethargo expoſitâ, dum tandem ad ſinapiſmum, phœnigmum, cauſticum, candénſve ferrum peruentum ſit; quandoquidem extremis morbis extrema remedia: quò enim celerior, & vehementior hic morbus eſt, eò magis quàm in lethargo acceleranda, & validiora decernenda remedia. Præcepit Rhaſes in Apopl. ſartaginem quoque vel laminam ferream candentem capiti identidem tam propè admoueri, vt capilli adurantur, eo quippe algor euincitur: ſed modus eſſe debet ne violento ardore meninges contrahantur. Poſt hæc ſi non redit & motus, & mens, nil ſpei ſupereſt. Si redit, ſanitas quoque proſpicitur: ac tum ſi quid ore ſumi poteſt, validiſſimum medicamentum, quod primo morbi impetu fuerat neceſſarium, protinùs eſt offerendum, & reliqua letharg. curatio, & victûs ratio tranſigenda, dum tandem in paralyſim abierit. Hoc tamen prætereà curationi adiiciendum: Elapſo triduo eadem purgatio decernenda eſt, & repetenda, vel rurſus cienda vomitio, præſertim ſi ebrius quiſpiam repentè obmutuerit. Prodéſtque ad id, atque etiam ad crapulam corrigendam, olei ricin. ℥ß. in os infundere, quod in cruditate, & ſtatim initio, & in ſequentibus diebus aptiſſimum eſt, túmque ſtomacho diligenter conſulendum, & imponenda extrinſecùs quæ ad concoctionem faciunt. At citra ingluuiem vomitionis impetus non adeò tutus. Quinimò impurum corpus, & inexpurgatum ſternutamenti ſucceſſu, aliiſque irritamentis inter initia conturbare, artis non eſt. Quid igitur eſt? Multa in præcipiti periculo rectè fiunt, aliàs omittenda. Quæcunque autem aliter, & ab aliis cauſis fit Apoplexia, aut eandem, aut nullam curationem admittit.

Confectionis anacardinæ vtilitas.

Sartago Rhaſis. 9. ad Almanſ. cap. 5.

Celſi verba, cap. 27. lib. 3. Mochlicum.

Vomitio. Oleum ricininum.

CAPVT XVI.

Catarrhus.

GEneratim quidem, & vniuersè, omnis eſt excrementitij humoris ex capite in ſubiectas partes defluxio: at propriè ea eſt, quæ in fauces, in palatum, aut etiam in pulmones fertur. Deſtillat enim humor ex capite, interdum in nares quod leue eſt; interdum in os & fauces, quod peius eſt; interdum in pulmonem, quod peſſimum. Si in nares deſtillat, tenuis per has pituita profluit, caput grauiter dolet, & grauitas eius ſentitur, nares clauduntur, vellicantur, pruriunt,

Quid ſit catarrhus.

Celſi verba, cap. 2. lib. 4.

frequentia sternutamenta sunt, vox obtunditur. Si in fauces, has exasperans, raucitatem, & tussiculam mouet. Si in pulmonem, præter sternutamenta & capitis grauitatem, vera tussis incitatur. At certè in multò plures etiam partes noxius humor confluere solet, in ventriculum & intestina, in omnia sensuum instrumenta, in neruos motûs & sensûs compotes, in articulos, & extremos artûs. Hinc paralysis, stupor, tremor, & conuulsio; hinc cœcitas, & acres lacrymæ, surditas, auriúmque dolor; hinc coryza, & odoratûs priuatio; hinc raucitas, vua, paristhmia, antiades, atque notha angina; hinc tussis, dyspnœa, asthma, phthisis, & ficta pleuritis; hinc ventriculi & intestinorum dolor, imbecillitas atque dissolutio: denique vix morbus est, cui non aliquando principium, aut incrementum hæc causa dederit, ita vt verissimum hîc sit quod vulgò dici solet: A capite primùm computrescit piscis. Destillationis ergo fons & scaturigo è cerebro est, quod datum homini amplissimum, in editissimâ corporis sede collocatum, vel leui momento cumulata recrementa in subiectas partes transmittit. Cùm enim cerebrum frigidum & humidum est, vel aliâ quauis ratione imbecillum, proprium alimentum neque conficere, neque absumere potest, ex eóque necesse est, tempore plurima recrementa gigni, & p.n. cumulari. Hæc materia fluxionis magis accrescit, si prætereà euidentes causæ præcesserint, quæ illius exuperantiam gignunt. Hæ præcipuè sunt crapula, humidiórque victus, meracioris vini potus, & vsus frequens alimentorum refrigerantium, vel eorum quæ vaporibus cerebrum impetunt, ambientis constitutio vel frigida, vel humens & austrina, ipsum grauans, somnus diuturnior, præsertim mox à cibo, & euacuationum suppressio, tum earum quæ per vrinas & sudores, sed particulatim & præcipuè eius, quæ per palatum, & nares fieri consueuerat.

Multiplices affectûs ex catarrho creantur, pro partium in quas decumbit, varietate

Pars mittens in catarrho, cerebrum.

Causæ catarrhi, internæ, & externæ.

Materia catarrhi ferè per se frigida est, nonnunquam per accid. calida.

His ex causis superuacanea pituita, & in cerebri ventriculis, & circum cerebri substantiam, circúmque meninges immodicè colligitur & fluitat. Hæc quidem primum ac per se frigida est & humida, quandam cerebri constitutionem adepta; verùm illic diu conquiescens, neque tempestiuè expurgata, aut acrem, aut salsam, aliámve qualitatem tempore adsciscit, quæ subiectas partes sæpè vrit, & exulcerat. Ergo interiores destillationis causæ sunt, fluxuri humoris copia, tenuitas, acrimonia, quæ partem ad expulsionem proritat.

Externæ verò calor, frigus, balneum, motus, & attenuantium medicamentorum vsus: vt enim solis ardor cerebrum dilatans, illiúsque ductûs patefaciens, excrementa diffundit, fluxáque reddit, ita frigoris immodici vis, quasi comprimens & coarctans, illa exprimit, depellítque. Quamobrem si austri pluuiæque hyemem occupant, ver autem frigidum & siccum sit, aut contrà, destillationes hominem subeunt. At fluxionem iuuant & dirigunt viarum, laxitas, partis excipientis imbecillitas, sitúsque decliuior; quæ causa sunt cur in hanc potiùs quàm in illam partem humor decumbat, & illapsus varia morborum & symptomatum genera excitet.

Externæ causæ modò calida, modò frigida.

Hippocr. aph. 11. & 12. sect. 3. Arist. sect. 1. probl. 8. & 9. Cels. lib. 2. cap. 1.

Causæ adiuuantes fluxionis, eámque certam in partem velut manuducentes.

excitet. Quapropter destillationes frequentissimè profert cerebri imbecillitas, & frigida humidaque intemperies, vt idcircò inter ætates senectus illis maximè obiecta sit. Quin etiam multa corporei vaporis exhalatio ex subiectis visceribus in cerebrum sublata, dum minimè discutitur, id plerumque implet, & adeò grauat, vt crebræ hinc destillationes impendeant. Itaque quibus lien intumescit, ij rarò destillatione tentantur: At si cum immodico iecinoris calore frigidior capitis intemperies concurrat, sæpe destillationes fatigant, maximéque si aluus adstrictior est, densiórque cutis. Sed & qui calidam, humidámque cerebri constitutionem nacti sunt, facilè causarum euidentium, vt cibi, potûs, odorum, & eorum quæ caput contegunt, aut aliter extrinsecùs occursant, nimio calore affecti, destillationibus redduntur opportuni: Hæc enim constitutio, tametsi quàm illa minùs ab interioribus causis afficitur, externis tamen iniuriis non minùs patet, & ipsarum exuperantiâ citissimè offenditur.

Senectus catarrhis obnoxia.

Quibus hepar feruidius, caput verò frigidius, sunt catarrhis obnoxij, à causis internis.

Quibus cerebrum calidũ est & humidũ, catarrhũ facilè incurrunt, ob externas saltem iniurias.

Humor porrò quisquis influit, sæpe frigidus est & aquosus, interdum calidus & acris, etiamsi hunc plerumque frigoris occasio, & gelidi cœli occursus, illum solis æstus & circumsidentium calor è capite dimouerit, vbi anteà conclusus & quasi sopitus tenebatur.

Humor influens, aliàs frigidus, aliàs etiam calidus est.

Si calidus humor est qui destillat, sitis, æstus, faciei, nariumque rubor est, oculorum venæ tument, breuior, leuiórque somnus, & biliosa vrina est, fauces quasi ardent, & acrimoniæ sensu irritantur, humoris incursio concitatior, quibusdam (vbi grauius malum est) febris quoque superuenit.

Signa catarrhi calidi.

Si frigidus, qualis sæpiùs est, capitis grauitas sentitur, frons & supercilia intenduntur, sonant aures, sensuum, mentísque functiones torpescunt, vox obscuratur, & per nares obmurmurat, facies subtumida, & decolorata est, sæpe fluidi lachrymis oculi, somnus grauior, vrina aquosa, aut turbida est.

Signa catarrhi frigidi.

His accedunt quæ humorum dominia exprimunt, ex totius corporis, maximéque cerebi temperie, ætate, regione, anni tempore; & prægressâ victûs ratione comprehensa.

Causæ autem quæ destillationes concitârunt, euidentiores sunt, quàm vt signis indigeant.

Curatio.

Scopi curatiui catarrhi.

Purgatio.

Quoniam morbos partium quamplurimos ipsa è capite destillatio parit, constat nusquam rectè illos curari posse non antè inhibitâ destillatione; neque hanc inhiberi, nisi vacuato cerebro, sublatáque intemperie eius excrementi effectrice. Itaque nisi vrgentius quippiam interpellet, primùm & antequam irruens destillatio sistatur, eximendus est omnis excrementorum prouentus, medicamentis vitioso humori & catarrho accommodatis. Accommodata autem sunt non semper

Medicamentorum purgãtiũ habendus delectus, iuxta varietatem partis in quã ruit catarrhus.

omnia, ſed proüt in hanc aut illam partem frigida defluxio fertur, eligenda ſunt nunc quæ in pituitoſo capitis dolore mitiora expoſuimus, nunc quæ in pituitoſa angina, nunc quæ in tuſſi & aſthmate proponemus. Etenim lenientia iuuant, & exaſperantia aliena ſunt, ſi pulmones fluxionis impetum experiantur. Contrà ſi deſtillatio in ventriculum præcipitat, aptiſſima quæ profluentem pituitam, ſeruato adſtrictionis veſtigio detrahunt: Itaque tum neque agarico trochiſc. neque vllis vehementer incidentibus, aut colliquantibus vtendum; ſed hierâ, agarico cum maſtiche, aut ſpica, aut cinnamomo craſſo, item myrobal. cepulis, aut ſi pleniùs purgandum, diaphœnico cum rheo, aut alio tum parti, tum inducto affectui neceſſario: Eodem quippe medicamento poteſt pituita è cerebro, & ventriculo expurgari. Neque tamen præparatio purgationi præmittenda, quòd materia turgeat, & ſuo motu ac inſtabilitate omnia conturbet, ſempérque metus impendeat, ne in partem aliquam principem irruat, repentinóque ſit exitio.

In catarrho præparationẽ purgationi præmittere, opus non eſt.

Quocircà ipſo ſtatim initio medicamentum purgans offerendum, cui non admodum ægrè videtur ceſſura, quæ tum concitata eſt materia: Quæ enim in motu ſunt, promptiùs trahenti ac pellenti cedunt.

In multa & repentina deſtillatione, purgatio expeditior, vt plerumque leui medicamento compleatur: In diuturna verò & lenta, tutior, túmque faciliùs validioris medicamenti impetus tolerari poteſt. Cum ergò tempus deligere licet, maiore deſtillationis tranquillitate medicamentum offerendum, Quod in conſueta deſtillatione, ſæpius vſu venit, in præcipiti autem atque noua, cunctatio periculoſa nimium eſt; leuis autem plerumque nullo artis ſubſidio, breui finitur.

Quo tempore decernenda purgatio in catarrho.

Iam autem ſi calida & acris deſtillatio vrget, venæ ſectione protinus occurrendum, maximè ſi febris adſit, aut venæ ſanguinis copiâ turgeſcunt, aut locus in quem decumbit, nobilis eſt, & vitæ neceſſarius. Alioqui venam ſecare tutum non eſt. Cúmque licet, poſtridie nihilominus venæ ſectionem idonea purgatio comitetur, quæ impurum humorem ſeorſum detrahat.

Venæſectio quatenus locum habeat in catarrho.

Atque ſi è capite ducendus humor eſt; elect. è ſucco roſ. ſyr. roſ. ſolut. & rheum vſurpanda ſunt, aut pilulæ aggreg. aut aureæ, modò tragac. aut maſtiches paululum adieceris, aut myrob. citr. ℈ß; nihil enim quod vehementiùs exagitet, tum probari poteſt, cùm humores in motu ſunt.

Caput blandè purgantia.

Si humor in pulmones delabitur, decocto thoracico cum manna aut caſſia: ſi in ventriculum procumbit, rheo, myrob. citrin. ſyr. roſ. ſolut. pil. aſſaieret, vel ex hiera purgatio inſtituenda, vt apertiùs ſingularum partium affectûs declarabunt. Ab iis quoque partium morbis, alterantium ſyruporum formæ cuique catarrho aptæ depromentur. Sed aperientia & diuretica omnibus deſtillationibus aliena ſunt, ac prorſus interdicta, ideò nonnihil adſtringentium & incraſſantium

Pulmones & ventriculum blandè purgantia.

Alterantia in catarrho.

Cautio circa vſum aperiẽtium & diureticorum in catarrho.

ſyrupis

ſyrupis immiſceri par eſt. Humor enim quiſquis, quamdiu influit, tamdiu tenuis eſt,qui dein illapſus ſenſim craſſeſcit. Itaque ſi in pulmonem tenuis humor influit,ſyrupis agendum tuſſi irritanti,& phthiſi propriis, quibus capita papau.aut ſemen,aut roſas tum adieceris, cùm humor defluit: Alioquin è ziziphis, myxar. violar. florib. liquiritia,paſſulis,frigidíſque ſeminibus parentur.

Syrupi vſurpandi,tenui humore in pulmones illabente.

Si verò frigidus humor eſt, decocto expectoranti ſymphytum , nuces cupreſſi,maſtichen,aut thus addere neceſſe eſt, dum fluxio conquieſcat, etiamſi iis , materia pulmonibus impacta dein ægriùs reiiciatur.

Frigido humore in pulmones ruẽte, vſurpanda.

Si in ventriculum, galangâ, cypero , & ſimilibus ſtomachicis , acoro item vulgari , qui quia aſtringit , omnibus è defluxione morbis auxiliatur. Hinc plenior,ſi videtur,inſtituenda purgatio,ſicut in cephalalgia plenè diximus.

Catarrho in ventriculum labente,vſurpanda.

Illud præterea ignorari non oportet, clyſmis in frigida,quàm acri deſtillatione tutiùs locum dari. In hac enim cùm fluidior ſit humor, clyſmo periculoſiùs exagitatur, neque ſatis educitur. Hîc igitur molli & leniente clyſmo & caſſia ; illic acriuſculo ex hiera vti conueniet,tum maximè cùm ſuffocatio metuitur.

Cautio circa vſum clyſterũ in catarrho.

Purgato iam corpore , mox perſeuerans deſtillatio remediis ſiſtenda: horum alia influentem humorem in contrarium auertunt,vt iniectæ humeris cucurbitæ,brachiorum frictiones,vincula arctiſſima,tepentes fotûs ex decocto foliorum lauri,ſampſuchi,ſaluiæ,hyſſop.ſtœchad.roriſm.cùm frigida eſt intemperies ; aut decocto ſalicis, pampini vitis, capit.papau. hordei, roſ. viol. nymph. & chamæm. ſi calida ; in quâ ſunt qui etiam probent teſtium ex oleo viol.& nymph.illitum.Alia cerebrum exſiccant & roborant , vias per quas humor irruit , coarctant & aſtringunt , & influentem materiam incraſſant,aut diſcutiunt.Quæ id præſtant,modò vel ſubſtantiâ , vel ſuffitu per nares intrò ſubeunt ; modò ore continentur, ſenſimve deglutiuntur , modò capiti , & maximè ſyncipiti , & coronali commiſſuræ imponuntur. Si quis plenitudine permanente,& purgatione neglectâ,hæc remedia auſit adhibere,peruerſo medendi ordine catarrhum conduplicabit , qui aliquantulum ſuſpenſus mox leui momento diſrumpitur,& maiore impetu ruit. Interdum tamen vrgentiorem deſtillationem,maximè ſi tenuis eſt,vel inuerſo ordine,inprimis ſiſtere neceſſe eſt.Suffitu quidem deſtillationes arcent,roſa,coriandr.præpar.maſtich. gummi hederæ torrefactum, gummi iunip. ſuccinum, thus,ſtyrax,ſpica nardi,xyloaoë.nigella,quibus inclinante morbo,benioïnum,myrrha,caryoph.permiſcentur, vt ſuperuacanea diſcutiant, & cerebrum roborent. At non omnibus omnia poſſunt accommodari , quot enim fluxionum genera,totidem remediorum differentias vſus notauit. Alia deſtillationes tenues & acres aſtringunt,vt priora quæ minùs calent : alia craſſas & frigidas ſiſtunt , cerebrúmque roborant. In iis autem præſcribendis, primùm & maximè occurrendum cauſæ, quæ deſtillationem intulit, etiamſi quid in ipſius materiam pecces.

Catarrhum ſiſtentia varij generis.
Reuellentia.
Cerebrum roborantia,vias intercludentia, humorem incraſſantia, aut diſcutientia.
Medendi catarrhi methodus modò legitima, modò peruerſa, adhibenda venit.
Suffituum materia,in catarrho vſurpãdorũ.

Suffitus destillationes tenues, & acres sistens.

℞. Coriandr. præp. rof. rubr. iunip. gummi, ſuccini, maſtich. thuris, ana ℥ß. granorum & folior. myrti, ſantal. omnium, & nigellæ Rom. torref. an. ʒiii. hæc trita prunis candentibus inſpergantur ad ſuffitum, vel aquâ roſaceâ factâ infuſione gummi tragac. excipiantur & concinnentur in trochiſcos. Vapore etiam aquæ roſ. & aceti in nares è candente latere ſublato, hauſtóque, deſtillationes acres eximiè ſubſiſtunt. Vel fumo quem anethi, roſar. & ſantalor. decoctum expirat.

Suffitus destillationes crassas & frigidas. inhibens.

℞. Thuris, maſtich. ſtyrac. vel nigellæ Rom. torref. gummi hederæ torref. aut vernicis, (gummi eſt iunip. ſiue arabum ſandaracha, quæ omnem deſtillationem coërcet) an. ℥ß. caryoph. ladan. benioin. vel cyperi, vel calami arom. ſuccini, nucis cupreſſ. an. ʒiii. roſ. rubrar. ſpic. nard. vel ligni aloës, ſi extat, vel pſeudonard. an. ʒiß. terantur, in puluerem craſſiuſculum, ad capitis ſuffitum. Vel tereb. excipiantur, aut ſtyrace liquido, indéque fiant paſtilli lupinor. inſtar. Aut horum plurima in vino auſtero coquantur, hincque vapor exurgens inſpiretur.

Odoramenta.

Ad calidas fluxiones. In id quoque odoramenta fiunt: primùm quidem ad tenues & calidas fluxiones, ex caphurâ, nymphæâ, roſis, ſantalis coriandro, & melanthio fricto, acetique rore inſperſo, quæ trita concluduntur ſerico, aut linteolo raro in nodulum: vel mucagine tragac. excepta formentur in pomum. In id quoque furfur ac fabæ exempto cortice torrefactæ, & aceto immerſæ, naribus offeruntur; aut hordeum mundum & toſtum datur olfactandum.

Ad frigidas fluxiones. At ſi frigida eſt deſtillatio, globuli parantur, qui habent nigell. torref. ℥ß. caryoph. nucis moſch. ſampſ. an. ʒii. macis, ſpicæ nard. roſ. rubr. an. ʒiß. trita includantur ſerico, vel puro ladano excepta cogantur in globum: cui addes ſuppreſsâ deſtillatione, benioin. ʒiii. moſchi, vel ambræ, gr. vi. aut ℈ß. aut galliæ moſch. ʒi. tametſi hæc odorata aliàs capitis grauitates pariunt.

Ad omnes promiſcuè fluxiones vtilia odoramenta. Alios laciniæ panniculorum combuſtæ, vel cuminum vſtum, demiſſúmque panniculo iuuat. Nares quoque intus thure & myrrhâ cum oleo irino vtiliter perunguntur. Sunt qui ſemen lini torrefactum, acetóque reſtinctum, omnibus prodeſſe credant, tum ſuffitu, tum odore.

Sed

Sed multò efficaciùs melanthium eâdem arte præparatum, & linteo conclusum destillationes omnes, & coryzam naribus adductum exsiccat, vt & magma hedryochi.

Assumenda per os in catarrho.

Iam autem accepta ore ad destillationes cohibendas, quædam sensim degluciuntur, quædam sub lingua continentur, quædam omni collutione & gargarisatione iuuant. Blandè quasi lambendo demittitur syrup. myrtin. è rosis siccis, iuiub. sed præsertim diacodium cum sapa, & syr. è papau. quæ cochl. iii. mensurâ dormituro data, tenues & acres defluxiones incrassant. Huc accedunt quæ deuorantur ad ℈i. pil. è cynogl. & philon. Rom. & alia narcotica, quibus vti non oportet, nisi nimia necessitas cogit.

Syrupi sensim deglutiendi.

Narcotica cautè vsurpanda.

Materia ore continendorum in calida fluxione.

Ore continentur caphura, muccago psyllij, bolus arm. præsertim si cortex papauer. alb. rosæque siccæ incoxerint, tragac. gummi arab. aquâ rosf. decoctum, hordeum torref. actu frigidum, decoctum rhois & coriandr. sacch. rosf. conser. rosar. antiqua, pilulæ bechicæ adiectâ caphurâ, electar. diatrag. frig. oui candido solutum, & insperso puluere coral. rosf. coactum in formulas: v. g.

Formulæ hypoglotides, calido catarrho accommodæ.

℞. Boli arm. aq. rosf. loti, penidior. an. ℥iii. semin. papauer. alb. & semin. portul. ana ℥iß. puluer. diatrag. frig. ℥i. rosf. rubr. ℈ii. granor. sumac. & myrti, ana ʒß. caphur. ℈i. opij & croci, an. gr. iii. cum syr. de papau. aut rosf. sic. aut mucag. tragac. ex aqua rosarum depromptâ, cogantur in pilulas planas: vnam contineat ore præsertim noctu. Quòd si frigida est materia,

Aliæ frigido catarrho conuenientes.

℞. Boli arm. ℥iii. mastich. thuris, ana ℥iß. gummi arab. sacch. candi, amyli, & radic. bistort. an. ℥i. spicæ nard. semin. nasturt. torref. & cinnamom. crassi, an. ʒß. cum syr. myrtino fiant formulæ hypoglottides. Mastiche omnes capitis fluxiones cohibet, vel ore contenta; thus autem frigidis est proprium.

Gargarismi, quibus diorismis in catarrho adhibendi.

Sunt præterea gargarismi ad destillationes cohibendas efficaces; quibus tamen neque in materiæ copia, neque si in pulmones ea decumbat, neque in grauiore suffocationis periculo vti conuenit, sed duntaxat si tenuis fluxio est, aut alio quouis modo in fauces irruit, tum quippe ad ea recurrendum, quæ anginas reprimunt, quemadmodum destillatione repressâ quæ easdem discutiunt.

Capiti foris admouenda quâ vi agât.

Quin etiam nonnulla capiti extrinsecùs adhibentur remedia, ad cohibendas fluxiones, quorum & compositio & effectus obscurior est, quàm putetur: nam quæ astringunt, & refrigerant, densatâ cute, & occlusis spiraculis, capitis vapores exhalare non sinunt, & humores repellunt; Quæ verò calida sunt, liquatis & fusis humoribus destillationes concitant, vt proinde horum difficile sit iudicium. Quamobrem neque sola calida, neque frigida iuuant, sed quæ ex calidis & frigidis constant, partim digerentibus, partim corroborantibus variè permistis, pro fluxionis ratione.

Foris capiti admouenda ex frigidis calidisque permixtis constare debêt.

Puluis

Puluis capillis inspergendus, in calida destillatione.

♃. Coriandr. præp. mastich. rosſ. rubr. gran. & fol. myrti, ana ℥iij. caryoph. ſantal. omnium, ana ʒij. ſampſuc. macis, ana ʒi. fiat puluis. ſic enim conuenit calida quædam illis permiſceri, vt cerebrum recreent, & altiùs ſubeant, & ne violenter aſtringant.

Puluis ſyncipiti adhibendus, in frigidâ destillatione.

♃. Flor. ſtœchad. roriſmarin. ſalu. & roſ. ana p.i. ſampſuch. meliſſoph. ſicci, cort. citri ſicci, aut galang. craſſ. macis, nucis, moſch. caryoph. ana ʒij. ſerpilli, (hoc enim rheumatiſmos & frigidas deſtillationes, capiti inductum ſiſtit & diſſipat) granor. tinctorum, ana ʒij. fiat puluis, qui quotidie ſerò & manè coronali commiſſuræ inſpergatur, vel referatur in cucupham interſutam.

Emplaſtrum.

♃. Ladani puri ʒiii. fimi, columb. ſterc. muris, nigellæ Rom. torrefact. gummi hederæ torref. coriandr. præp. maſtich. cort. thuris, ana ʒij. baccar. & fol. myrti, roſ. rubr. ana ℈iiij. gummi tragac. ʒß. puluerizentur, & excipiantur pauco gummi ammoniac. in aceto liquato, aut paucâ pice & tereb. fiat emplaſtrum ad formam litteræ T. apponatur prioribus capitis ſuturis, raſo priùs ſyncipite; adde ſi velis, cyperi, calam. arom. nucis moſch. caryoph. ana ʒi. quæ cerebrum roborant, & frigidam eius intemperiem corrigunt. Tota verò emplaſtri maſſa in duo partienda, ad diuturnas & conſuetas deſtillationes; alioqui repentinæ & inſuetæ ſingulorum medietas ſatis eſſe poteſt, cui nonnunquam vt veſicas excitet, ſinapis & ſulphuris vini, ana ʒiii. cantharid. ʒij. euphorb. ʒi. adiicimus.

Fluxione ſedatâ, deriuatio, ac particularis purgatio celebrandâ. Poſtremò cùm iam fluxionis impetus conquieuit, & deſtillatio quaſi maturuit, auxilia adhibenda quæ purgationis vniuerſæ reliquias è cerebro deriuent; Item ſi quid in particulas deſtillationis vi ſe receperit, eximant. Sic enim & quæ in pulmonibus deſtillatione congeſta ſunt, bechicis expurgantur, quibus ſedatâ iam deſtillatione vtendum. Verùm *Pulmones expurgantia.* ſyrupos, decocta, electaria, condita, & tabellas atque vnguenta tuſſi accommodata, pleniùs in thoracis affectibus exponemus.

Deriuantia ex capite. At verò è capite deriuant errhina, & quæ ſternut. mouent, & maſticatoria, & digerentes gargariſmi, & quæ capiti inducta, per commiſſuras humores ſine ſenſu diſſipant, & rheumatiſmos diſcutiunt, vt fotus, embroche, illitus; cúmque caput inalgeſcit, panni calentes,

calentes, & sacculi, de quibus in capitis doloribus. Neque tum sternutamenti succussus pertimescendus est, qui priùs fluxione persistente grauiore periculo concutit magis, quàm vacuet. Summa tamen in hoc ciendo, non minùs quàm in errhinis habenda cura est, ne oculorum vel imbecillitas, vel inflammatio, vel acres lacrymæ adsint; quemadmodum in apophlegmatismis, thoraci & pulmonibus cauendum est, quòd eâ expuendi consuetudine per somnum destillans, neque reiectus humor, inferiora petat. Commendatur quidem à multis oleum rosatum, & violatum in nares inditum, etiamsi fluxio acris nondum resederit: sed & iuuat decoctum hordei liquidat. flor. nymph. & violar. cuius tum vapore per nares inspirato, tum liquore attracto destillationis ardor mitescit, & impetus deriuatur.

Sternutatoria quando nam hic tutò adhiberi possint. Apophlegmatismi, & errhina.

At crassior mucus, & fluxio frigida, non nisi acrioribus per nares elicitur. Quam facultatem eadem præferunt, quæ ad frigidos capitis dolores, errhina ex sampsucho, anagallide, betâ, iridis radice, & aliis vehementioribus parantur, si res exigit, adiectâ etiamnum hierâ picrâ, vel agarico, sed horum nihil, nisi finitâ destillatione tentandum, siquidem illinc cœperit, nisi fortè in posteriora decumbentem reuellere consilium sit.

Interim autem malè affectis visceribus prouidere licet putà æstuanti iecinori, vel malè coquenti ventriculo, ipsáque concoctione suscitatus vapor condito aut puluere inhibendus.

Cæterùm si hæc fluxio nondum omnino conquieuerit, ac recursura putetur, aut diuturna lentáque sit, maiore præsidio est opus. Itaque ad dropacem, sinapismum, phœnigmum, veniendum, quorum præscriptio ex capitis affectibus est requirenda. Si ne tunc etiam restitit, imponi debet causticum aut sincipiti, aut spinæ origini (nisi illuc destillatio feratur) aut vtrique brachio, aut alteri, ídque parti internæ iuxta cephalicam, ab humero ad cubiti flexum æquali interuallo.

In recidiuæ metu, aut morbo longiùs protracto, vesicatoria, & caustica sunt vtilissima.

Vltimum, idémque vehementissimum auxilium, est candente ferro capitis verticem leuiter inurere, & decisâ crustâ, vlcus diu prorogare; quod in desperatis oculorum affectibus etiam locum habet.

Destillationes quas diuturnus capitis dolor fouet, vix, ne recurrant, præpediri possunt; lata etiam capita non facilè medicamentis iuuantur.

SECTIO SECVNDA.

De Oculorum morbis.

CAPVT XVI.

De Ophtalmia, Chymosi, Epiphora, Dolore.

Cels. c. 6. lib. 6.

OCVLI in edito corporis loco tanquam ſpeculatores ſiti, ingentibus & variis caſibus patent, qui cùm magnam partem, ad vitæ ſimul & vſum, & dulcedinem conferant, magnâ curâ tuendi ſunt: Diuerſa autem eorum vitia ſunt. Ophthalmia phlegmone eſt oculi, propriè verò tunicæ externæ, quæ adnata nominatur. Hæc naturâ alba eſt, ſatis craſſa, quæ corneæ adiuncta oculi poſteriora cingit, & anteriore parte quà pupilla eſt, maiore circulo deſinit. Igitur vel ex ſanguinis copiâ, acrimoniâ, tenuitate, vel ex ictu, vento, ſole, puluere, inflammatio ibi naſcitur, fluxionis impetu à temporibus, & frontis venis excitato.

Ophthalmia quid.

Ophthalmiæ cauſa interna & externa.

Protinùs autem ortâ inflammatione hæ notæ ſunt, tumor, rubor, dolor, & diſtenſio, atque ſi ex bilioſo ſanguine eſt, calor & acrimonia maximè vrgent; ſi ex copioſo, cætera maiora ſunt. Interdum leuior quædam inflammatio apparet, cum rubore ac dolore miti, quæ vt ferè ab externis cauſis oritur, ſic promptè niſi errore ſuperaddito euaneſcit: hanc Græci τάραξιν vocant. At vera ophthalmia longè grauiora ſymptomata profert. Etenim quod in oculo album eſſe debet, rubrum euadit, venis admodum tumentibus, atque diſtentis, dolórque acerrimus infeſtat, ac ferè ſuper magnum dolorem lacrymæ ſalſæ, calidæque fluunt. Peius etiamnum eſt, vbi caput calet, à temporibus ad oculos dolor peruenit, nocturna vigilia vrget. Peſſimum, vbi magnitudine inflammationis, palpebræ ſic inuertuntur, vt claudi non poſſint, rubrúmque adeò intumeſcit, vt pupillam contegat, & viſioni officiat; id chemoſim vocant. Eſt etiam genus aridæ lippitudinis, ξηρόφθαλμίαν Græci appellant, in qua, neque tument, neque fluunt oculi, ſed rubent tantùm, & cum dolore quodam ingraueſcunt, & noctu præ graui pituitâ inhæreſcunt. Quantóque minor generis huius impetus, tantò finis minùs eſt expeditus.

Ophthalmiæ ſigna.

Τάραξις, ſiue ὀφθαλμὸς τεταραγμένος quid.

Celſ. ibidem.

Chemoſis.

Ξηροφθαλμία.

Celſus ibid.

De epiphora.

Epiphora quid.

Epiphora eſt tenuis pituitæ curſus, lacrymarum ſpecie oculos infeſtans:

festans : hæc autem pituita aliàs multa , frigida , & aquosa est, qua sine dolore, sine ardore, sine rubore , oculi continenter diffluunt : aliàs salsa & acris , dolorem , ruborem , & ardorem inferens , cuius impetu extrema ferè palpebrarum cilia exulcerantur, & pruriunt, & crassa, aspera , duráque fiunt. Itaque ab ophthalmia distinguitur , quæ acris est epiphora , quòd in illa oculi album , in hac palpebræ cilium inflammatur, ac rubescit : Illam sanguinis eruptio parit, è temporum , frontísque venis; hanc pituita tenuis, salsa, & acris, ferè è vertice per medias quascunque regiones in oculos defluens. Ophthalmia ferè breuior , sed periculosior & acerbior est : Epiphora longiùs excurrit , & interdum vix vnquam finitur. Animaduertimus enim quibusdam nunquam siccescere oculos, sed semper humore tenui madere, quæ res aspritudinem continuat , ex leuibus momentis inflammationes , & lippitudines excitat, totam denique hominis vitam infestat. Fluxionis origo sæpiùs è sincipite ducitur , inter caluariam, & cutem , nonnunquam inter membranam cerebri , & caluariam. Superiores partes ferè per tempora & frontem , oculos rigant ; inferiores per eas membranas , quæ ab oculis ad cerebrum tendunt. Quibusdam vtrinque humor descendit. Appositis fronti agglutinamentis , si sicci oculi esse cœperunt , apparet per eas vias quæ sub cute sunt , oculos rigari , si nihilominus madent , manifestum est sub osse descendere. Si est humor , sed leuior , duplex vitium est. Addit Paulus externas fluxiones venis in temporibus & fronte prominentibus discerni ; internas autem etiam cerebri sternutamentis.

Causa epiphoræ eiusdémque signa.

Quid differat ab ophthalmia.

Cels. c. 7. l. 7.

Fluxionis origo, & via. Cels. ibid.

Modus dignoscendi, an fluxio sit interna, vel externa , ex Celso ibid.

Paul. l. 3. c. 22.

Curatio.

Protinùs autem ortâ inflammatione , sanguis apertâ eiusdem lateris humerariâ est mittendus , vtique si graues dolores sunt , & firmo corpori materia superest : si verò minor impetus , minùs acrem curationem requirit , aluum ducere oportet ; At modica inflammatio neutrum ex his auxilium desiderat , satísque est his vti collyriis quæ ardorem reprimunt. In maiore autem inflammatione , cui ferè dolor capitis assidet , nihil horum tutum esse potest , nisi reuulsione & euacuatione præmissâ. Quæ quomodo administrari debeant , & quibus sanguinis impetum frænare , & quàm blandis pharmacis vti conueniat , in capitis doloribus planè comprehensum est. Vniuersalia quidem ita habent. Topica autem hìc præcipuè notanda sunt. Primò ergò ad rem pertinet , fronti & temporibus astringentia imponere , vt compressis venis prorumpentem fluxionem reprimant. Vt :

Vniuersalia. Venæsectio. Celsi verba, c. 6. lib. 6.

Topica.

℞. Mastich. boli arm. sang. drac. & cortic. thuris , ana ℥ ß. santal. omnium , ros. rub. semin. papauer. alb. & baccar. myrti , ana ʒii. candido oui liquore excipiantur, & linteolo inducta fronti & temporibus agglutinentur , atque etiam collo ; vel ex succis plantag. sola-

Anacollema.

ni, aizoi, & aliorum repellentium, addito pauco aceto, vel imponatur aliquod ex his, quæ ſanguinis profuſionem fronti admota cohibent. Vel:

Aliud. ℞. acaciæ, hypoc. gallar. malicor. maſtic. thur. aloës, ana excipiantur oui albo, aut mucagine tragac. & temporibus applicentur: Vel emplaſtrum contra rupturam oleo lentiſc. ſubactum.

Oculis iniicienda, qualia pro temporum ophthalmiæ varietate, eſſe debeant. In ipſum autem oculum quædam ritè coniiciuntur, quæ fluxionis initio repellant; in ſtatu & declinatione digerant; mediis temporibus vtrumque faciant: ſic tamen vt à repellentibus ad digerentia ſenſim pro incrementi ratione, fiat progreſſus: In repellentibus, ob exactiorem oculi ſenſum, aliena quæ valenter aſtringunt & exaſperant. *In ophthalmicis præſidiis quid fugiendum, aut aptandum.* Inimica cuiuſcunque generis olea, ſed præſertim acetum, & acidi ſucci, (ferè enim inſipida ſunt omnia quæ hîc reprimunt) quemadmodum in digerentibus, acria & pinguia reprobantur. Oportet autem quæ oculis immittuntur eſſe lenia, mollia, & nimium neque fluida, neque viſcida, ne pertinaciùs adhæreſcant, & lippientes palpebras agglutinent, aut celeriùs inareſcant. *Collyriorum laus in oculorum affectibus.* Aptiſſima ergo, ne oculum lædat, collyrij forma excogitata eſt, in quam ea ſola referuntur, quæ læuem & æqualem ſubſtantiam adepta ſunt, vt in oculum à maiore angulo iniici poſſint, eíque præſertim circa initia, moderato lentore inhæreſcere, quòd in oculi orbe lubrico facilè hac & illac diffluant. Multa quidem, multorúmque collyria ad id ſcripta ſunt, ſed qualis eſt ophthalmiæ per ſua tempora, talis & collyriorum mutatio eſſe debet.

Collyriorum materia. Collyriis hæc conueniunt, exquiſitiſſimè triti, & pictorum cote læuigati pulueres, mucilagines, aquæ ſtillat. decocta, ſed præſertim tenuis oui liquor, & lac recens mulctum. *Pulueres.* Initio ex aridis quidem apta eſt ceruſa elota & lenientibus miſta, aut trochiſci albi Rhaſis. In declinatione ſarcocolla, aut aloë (quæ citra morſum ſiccat & digerit.) interiectis temporibus, hæc illis permiſta conuenientiora ſunt, aliàs pari, aliàs diſpari menſura: quandoquidem increſcente malo, illorum partes duæ, horum vnica eſſe debet; contrà verò in ſtatu, aut declinationis initio: cùm autem vigor inſtat, par ſit modus omnibus. *Mucagines.* Sic mucago pſyllij, initio; cydonior. aut tragac. aut gummi arab. in incremento; lini aut althææ in ſtatu; fœnugr. in declinatione conuenit. Neque tamen repugnat, hanc illis, aut aliis refrigerantibus permiſtam vigente inflammatione vſurpari, quòd contrariorum permiſtione mediocritas quædam aſſurgat.

Aquæ ſtillatit. Stillatitiæ quidem aquæ initio, roſar. plantag. aut myrti: in declinatione verò fœniculi, aut euphraſ. aut chelidon. aut beton. Mediis temporibus hac & illac temperies, ſiue permiſtio requiritur. Eadem in cæteris ratio eſt, quæ nouis etiamnum miſturis temperari poſſunt, & variè arida liquidis miſceri, quemadmodum nunc exequar, ſi priùs monuero, quod pleriſque eſt controuerſum. *Celſ. loc. cit.* Etenim ſunt qui in ipſum primo die,

die, nisi modica sit inflammatio, nihil coniiciendum putant. Auicennas etiam ante triduum nil rectè imponi voluit, quia vix ante id tempus vniuerso corpori venæsectione, & medicamento, & reuellentibus auxiliis prospectum esse possit, sine quibus tamen turgidum & oppletum corpus, repulsum humorem non recipiat. Nihilominus secundo die, graui quoque lippitudini per indita medicamenta rectè succurritur, vbi vel iam sanguis missus, vel aluus ducta est. Atque si res vrget, etiam primo, vtique si humoris acrimonia potiùs quàm copia, oculum vexat, nusquam tamen ante venæsectionem. Ergo circa initia, cùm humoris cursus copiosior est, & lacrymæ tenues, salsæ, calidæque eunt, album oui diu agitatum cum rosacea, vel plantaginis aqua guttatim inditur; quibus, si dolor vrget, muliebre lac tepens, mucago psyllij, aut semin. papauer. albi adiicitur. Initio quoque troch. albi Rhasis, aut cerusæ quàm tenuissima portio, aut amyli. In vniuersum mollia medicamenta & modicè reprimentia hîc esse debent. Sic enim Auicenn. tuthiam elotam commendat lenientibus mistam, vt siccitas elidatur, & cerusam, & cadmiam, quàm diligentissimè ablutam, paritérque tragac. amylo, aut gummi arabic. repressam. Quibus eo modo temperatis singularis vis inest ad fluxionem cohibendam: sed omnia æstiuis ardoribus frigida, hyeme tepida oculis instillentur.

Auic. 3. 3. tract. 1. c. 9.

Cels. loc. cit.

Collyria principiis ophthalmiarum apta.

Auic. loc. cit.

Collyr.

℞. Collyr. alb. Rhas. ʒiß. album oui, i. (exemptâ spumâ quam agitatione contrahit) mucag. semin. psyll. ex aquâ rosar. deprompt. ℥i. aqua plantagin. ℥iii. omnibus commistis fiat collyr. quod instilletur in oculum, & dein molle linteolum eodem madens insternatur, & renouetur singulis horis, nam lacrymis continenter affluentibus, remedij vis infringitur, & morâ incalescit.

Aliud.

℞. Cerusæ lotæ ℈ii. tuthiæ præpar. ʒß. (repellunt enim metallica quæ sine morsu siccant) mucag. sem. cydonior. cum aq. rosar. extractæ ℥i aq. calicum rosar. vel myrti, ℥iii. illis in exactissimum puluerem redactis fiat collyr. Sed vbi dolor acrior est, papau. albi semen priùs in eâ aquâ leuiter deferueat. Huic quoties vsus requirit, quàm recentissimi lactis par modus misceri debet. Nota mucagines vix vltra secundum diem persistere quin acescant, ideóque his recentibus duntaxat vtendum. Ad inhibendum etiam fluxionis impetum, expressus & colatus mororũ rubi succus, insolatur, vt crassescat, subinde agitatur, qui vbi concreuerit, oui albo imbuitur. In sole rursus siccari sinitur, postremò lacte conspersus similiter siccatur, ex puluere cum oui candido & rosacea fiat collyr.

Aliud.

Fotus oculi principio ophthalmiæ conueniens.

Fotus quoque palpebrarum ex repellentibus est vtilis, vt

℞. Fol. plantagin. myrti, vel solan. vel salicis, ana M. ß. sem. psyll. & sem. papau. alb. & cortic. eiusdem, ana ℥ß. rosar. viol. nymph. atque si grauior est dolor, florum melilot. ana p. i. coquantur in ℔. i. aquæ ad tertias, foueatur blandissimè oculus.

Topica incremento ophthalmiæ vsurpanda.

In incremento autem, seu tertio iam die, & insequentibus, permisceri collyrijs oportet quidpiam digerens: Itaque illis lini, vel fœnugr. mucago, aut sarcocollæ, aut tuthiæ, aut aloës paulùm adiici debet, aut latiùs paulò plus, cùm dolor vehementiùs vrget.

Collyriũ morbi augmento dicatum.

℞. Muccag. psyll. cum aq. rosf. extractæ, & muccag. cydon. ana ℥ß. collyr. albi Rhasis, & tuthiæ præpar. ana ℈ii. sarcoc. in lacte asin. nutritæ ʒß. aq. rosar. ℥iii. aq. fœnic. ℥i. fiat collyr. quod crebrò instilletur in oculum, adiectâ lactis muliebris proprio calore tepentis æquâ portione, tum demum cùm eo vtendum est; alioquin enim dissipato spiritu facilè coacescit, parúmque iuuat.

Aliud.

℞. Ceruf. elotæ, & lapidis hæmatit. in cote fricati, ana ʒß. aloës succotrin. ℈i. terantur in exactissimum læuorem, dein paulatim aq. plantag. ℥iii. affundantur, & muccag. gummi tragac. ex aqua rosar. factæ ℥ß. permistâ, fiat collyrium. At si nihil aliud in promptu est, penidia, vel amylum, vel diatrag. diluuntur lacte, & imponuntur.

Quò grauior autem quæque inflammatio est eò magis leniri medicamento debet, adiecto vel albo oui, vel muliebri lacte; sæpiùs enim vtrumlibet horum, etiam per se infusum, dolorem lenit. Neque tamen sua desunt vtrique incommoda. Lac morâ corrumpitur, idcóque oculo minùs insideat, ocyúsque renouetur. Album oui diutiùs quidem persistit, at infarctu nocet in materiæ copia. Itaque hoc increscenti, lac autem vigenti malo conuenientiùs adhibetur. Si collyrium graue propter magnum oculorum dolorem videtur, neque facilè tolerari potest, quidquid eius in oculum instillandum est, antè linteolo percoletur, vt nil insit quod oculum offendat. Vel:

Lactis, & albuminis oui, quæ incommoda.

Collyria filtrata, aut percolata, oculis blandiora euadunt.

Collyrij filtrati exemplum.

℞. Flor. melilot. p. ii. rosar. p. i. leuiter in aq. plantagin. ferueant, in qua colata dissolue amyli, & tragac. ana ℥ß. ceruf. lotæ, atque subtilissimè tritæ ʒiß. sacocol. nutritæ, aloës, ana ʒi. stillentur per filtrum, & crebrò is humor in oculum coniiciatur. Si dolor nihilominùs excruciat, sumere huius & lactis parem modum oportet, atque sic in oculum demittere: Si nihilominùs pro doloris acerbitate hoc etiam infirmius videatur, vim eius sic licebit intendere.

Aliud.

℞. Semin. psyll. integri, papau. alb. & plantag. ana ℥ß. viol. flor. melilot. & camomil. ana p. i. rosar. & nymph. ana p. ß. coquantur in ana aq. violar. & calycum rosar. dein in colat. ℥iiii. dissolue quæ præscripta sunt, vt eodem modo per filtrum traiectus humor in vsum referatur. Quòd si grauissimi dolores sunt, & oculus humoris copiâ vehementer intentus tumet, vt in chemosi, emplastica & astringentia curiosiùs

In magna doloris oculorum acerbitate. emplastica & astringentia suspecta sunt.

curiosiùs vitari debent: illa enim infarctis spiraculis humorem exhalare non sinunt; hæc autem astrictis viis, per quas materia discutienda est, & corrugatis tunicis, dolores exasperant, & videndi aciem præstinguunt: Quapropter suppressa materiæ copia membranas diuellit, acrimonia eadem exulcerat, ex quo potiùs anodynis & laxantibus in eo casu vti necesse est. Vt:

℞. Muccag. psyll. & tragac. extractæ in aqua flor. maluar. aut si hæc desit, in aqua altheæ, ℥ii. liquoris tenuis oui, ℥ß. & in maximo cruciatu, croci gr. v. opij gr. ii. fiat collyr. *Collyrium anodynum.*

Neque verò alienum est, quædam palpebris superimponere, quæ fluxionem & dolorem leuent. Veteres portulacam tunsam cum polenta, aut intybum, aut sedum maius imponebant, vel cotoneor. malor. flores emplastri modo. Quinetiam farina hordeacea cocta, & cum malo cotoneo mista, reprimendi causâ rectè imponitur. At potiùs dolorem lenit, quod ex pomo comparari solet. Semiputre pomum, aut si id non est, aliud dulce coquitur, & repurgatum colóque traiectum, ex aqua rosacea subigitur, & vbi facta vnitas est, super oculos imponitur: Ea res & leuis est, & refrigerando humorem coërcet, & non exarescit, & glutinari oculum non patitur: cui tum muccago psyllij, tum vitellum oui, tum caphur. gran. 2. addi possunt, & in maxima dolorum necessitate, opij gr. ii. vel iii. sed eo, nisi res nimiùm cogit, vti non oportet, ne visioni iacturam inferat, quæ nullo modo resarciri possit, tantum abest vt in ipsum oculum rectè iniiciatur, nisi cùm à cæteris desperatio est, quod alioqui malo accommodatum est, ac nihilominùs illata offensio aliquanto pòst fœnigr. & melilot. decocto corrigenda. Hoc etiam intolerabilem dolorem minuit. *Palpebris imponenda.* *Cels. loc. cit.* *Pomum coctum.* *Parodia verborum Celsi loc. cit.* *Opium non temerè oculis dolentibus adhiberi debet, ex Galeno lib. 2. κτ τόπ. ca. §. 7.*

℞. Fol. hyoscyam. coctor. num. iiii. aut v. aut fol. coriandr. parem modum, puluer. flor. melilot. & camomil. ana ʒiß. croci ℈ß. contund. in mortario marmor. dein adde muccag. psyll. & tragac. ana ℥ß. emulsionis seminis papauer. alb. ʒi. oui vitell. i. Reducantur omnia subacta in formam leuissimi cataplasm. grauia siquidem inimica sunt, perinde ac sacculi, neque à ratione abhorret, aliquando superimponere, candidi panis interiorem partem, pondere ℥iß. ex aqua ros. vel lacte, vel vtroque subactam, addendo vitellos duos recentiorum ouorum, mucag. sem. cydon. & fœnugr. ana ℥ß. aut oculo vehementer distento, lini, & altheæ, parem modum, croci ʒß. caphur. gr. iiii. (hanc tamen collyriis admistam potiùs concitare dolorem, quàm minuere, tum in aliis, tum in meipso sum expertus,) fiat catapl. quod linteolo molli interiectum, palpebris superimponitur; sed reponendum sæpè, & cùm inaruit, iterum madefaciendum. Si graue id & durum, ob excruciantem dolorem, videtur, oui albumen & vitellus in vas defundendum est, adiiciendúmque eò lactis plurimum, ídque digito permiscendum, & oculis imponendum. Aut: *Cataplasma anodynum pro oculis.* *Aliud.* *Caphura collyriis parum apta.* *Celsi imitatio loco cit.*

℞. Ceruf. lotæ ʒii. amyli ʒß. gummi Arabic. ℈ii. gummi tragac. *Linimentum ophthalmicū.*

in aqua rof. foluti ʒi. papau. lacrymæ, & croci, ana gran. iii. fingula primùm per fe terantur exquifitiffimè, deinde mixta iterum, adiecto paulatim gummi liquore, donec linimenti craffitiem habeant, quod fpecillo, vel pennâ fuper palpebras inducatur. Idem faciunt paftilli albi Rhafis, cum opio & oui liquore diffoluti, & fronti, palpebrífque illiti.

Ante topicorum ocularii admotionem, fordes oculorum funt detergendæ. Celf. ibid. Vrgente dolore, narcotica affumere licet.

Quæ oculorum inflammationem, dolorémque leniunt, hæc ferè funt: fed priufquàm aut inftilletur, aut agglutinetur quidquam oculis, collectas fordes, & inhærentem pituitam, fpecillo lanâ molli aut bombace inuoluto, & aqua rofar. immerfo detergere conuenit, hoc enim dolores quoque minuit. Si tantum mali eft, vt fomnum diu prohibeat, eorum aliquid dandum eft, quæ inducto fomno doloris fenfum tollunt, aut minuunt, vt Philonij & Afyncriti ʒi. aut requiei Nicolai, aut fyr. è papauer. ficut in capitis ardoribus, & phrenitide præfcripfimus.

Topica in ophthalmiæ ftatu, qualia effe debeant.

Cùm autem ophthalmia ftatum attigit, iámque curfus humoris conftitit, ad ea quæ difcutiunt pleniùs, tranfeundum: id autem tunc eft, cùm lacryma parcior & minùs acris eft, & alba pituita & craffa adeò euafit, vt eâ palpebræ agglutinentur, tum ergo in difcutientibus reprimentium triens fatis eft, quemadmodum vigoris initio vtraque æqualiter permifta conuenientiora funt. Hæc eadem, cùm lenior & pituitofa eft inflammatio, protinus vfui funt, in tumore fcilicet magno qui fine dolore eft.

Collyrium ftatui ophthalmiæ accommodatum.

℞ Sarcocol. nutritæ in lacte afin. ʒi. aloës fuccotr. ℈ii. tuthiæ præpar. ʒß. croci gran. v. aut paulò plus, mucag. fem. pfyll. & cydon. extractæ cum aqua rof. ℥i. aqua fœnic. vel euphraf. ℥ii. aqua rofar. ℥i. mifce fiat collyr. cui, cùm vtendum eft, lactis guttæ aliquot permifceri etiam poffunt. Imò verò id minùs timidè, tum temporis, crebrò ex vbere in oculum infunditur. Vel:

Aliud.

℞. Aloës ʒi. cadmiæ vftæ diligenter lotæ, ℈ii. (ficcat & aftringit, & creberrimâ lotione ex aquâ rofar. & plantag. omnem acrimoniam deponit) lycij ʒß. mucaginis tragac. in aq. fœnic. ℥i. decocti fœnugr. & melil. ℥iii fiat collyr. Lycium eft concretus cuiufdam plantæ eiufdem nominis fuccus, cui vis ineft mediocriter digerendi & ficcandi, cum quadam aftrictione: Verùm quia defideratur, fubftituamus calami odorati, vel myrrhæ electæ ℈i. rofar. gran. v. aut paretur cum decocto flor. chamæm. melil. rofar. calam. odor. & fem. fœnic. quæ in aqua euphrafiæ coxerint.

Lycium quid, & eius fuccedaneum.

Palpebras præuifcido humore inuicem cohærentes, quæ fomenta diducant.

Si humoris adhæfu, & quafi lippitudinis vinculo palpebræ inter fe iunctæ aperiri nequeunt, has fœnugr. melil. camomil. & rofar. decocto fouere conuenit; aut etiam tepente vino albo aquâ fœnic. diluto. Magnam quidem fœnugr. vim effe, inter authores conuenit. Diligenter id purgatur, fæpiùs abluitur, die integro in aqua maceratur, dein in vafe fictili occlufo benè coquitur, abiectâ eâ aquâ noua infunditur, dum

Fœnugr. ad ocularia medicamenta præparatio.

tertiâ

tertiâ coctione omnem amarorem deponat, & liquidi mellis crassitiem habeat. Eo cremore citra expressionem percolato, vtendum triduo, vix enim diutius asseruari potest.

Vbi verò statum morbus præterierit, iámque symptomatum vehementiâ mitescente æger leuari cœperit, quia prorsus humor subsistit, reliquias omninò discutere oportet. Quæcunque autem id præstant, pariter quoquoque dolores ex flatuum & humorum copia membranas distendente ortos dissipant. Nobilis admodum est puluis citrinus, & discutiendo efficax, cuius vires hoc collyrio æquantur.

Topica declinanti ophthalmiæ apta.

Huius descriptio extat apud Rhas. l. 9. ad Almans. cap. 18.

℞. Sarcocollæ nutritæ ʒi. aloës ℈ii. croci ℈ß. aut spicæ. aut myrrhæ, gr. v. aq. fœnic. vel euphras. vel eius defectu, aq. beton. aut sampsuch. an. ℥ii. Misce, fiat collyr. adiectâ, si libet, mucag. fœnugr. ℥i. sed antè fouere oportet oculos decocto fœnugr. ex aquâ rosar. aut vino albo.

Collyrium malo declinante vsurpandum.

Fotus discutiens.

℞. Summit. fœnic. verben. chelidon. an. m. i. sem. fœnugr. purgati & diligenter abluti, ℥i. sem. fœnic. & althææ contus. an. ℥ß. flor. camom. melil. & aneth. an. p. i. rosar. & stœchad. aut spicæ, (quæ oculum roborant) an. p. ß. coquantur in æquis partibus vini albi, & aq. pluuiæ, ad oculorum fotum. A quo mox collyrium instillabitur. Interdum etiam tepore coctorum ouorum fouendus oculus; aut crebro halitu, siue expiratione ab eo factâ, qui fœnic. aut fœnugr. præmanderit. Quòd si crassior est humor, & firmiùs impactus his minimè discutitur, collyriis paulo validioribus vti licet. Vt:

Collyrium magis discutiens.

℞. Aloës elotæ, ʒiß. sacch. candi ℈i. myrrhæ electæ, ℈ß. mucag. fœnugr. ℥i. aq. fœnic. ℥iij. Misce, fiat collyrium. At nihilominùs fomento vtendum.

Celsi verba, cap. 6. lib. 6. Hipp. aph. 31. sect. 6.

Curari verò oculorum dolores sanguinis detractione, medicamento, balneo, vino, vetustissimus auctor Hippocrates memoriæ tradidit, sed eorum tempora & causas parum explicuit, in quibus medicinæ summa est.

Tempora in administrandis auxiliis obseruanda.

Priora ergo duo primis diebus antecedentem causam aptè summouent; posteriora verò remedia, vt & fomentum, iam declinante malo, quod parti impactum est optimè discutiunt. At si quis manente adhuc sanguinis, aut pituitæ cursu, festinârit, maiorem ex his oculorum perturbationem sentiet. Solet porrò euenire nonnunquam, siue tempestatum vitio, siue corporis, vt pluribus diebus neque dolor, neque inflammatio, & minimè humoris cursus finiatur, quod vbi incidit, iamque in vetustatem res abit, à vehementioribus auxilium petendum.

Hæc omnia sunt Celsi, loc. cit.

Præsidia Chirurgica. Phlebotome. Cucurbit. cum scarific. Sectio venæ canthi alterutrius, necnò venæ frontis. Hirudinum admotio.

Oculorum ergo inflammationes, & acres lacrymæ, post sectam humerariam, & frequentes humerorum scarificatûs, sæpiúsque admotas ceruici & venis iugularibus cuburbitulas, quibus retrahantur, si nihilominus perseuerant, deriuari debent incisâ venâ, quæ in alterum fertur angulum: eâ non comparente, quæ in fronte tumet legenda est: ac vbi scalpellum

Extrema chirurgia ferro, aut igne peragenda. Celſ.l.7.c.7. Idem loc.cit.

quis veretur,iiſdem venis affigendæ hirudines.Neque deſunt,qui calidas & acres fluxiones oculorum inhibeant,ex toto præciſis,vel aduſtis temporum arteriis,aut venis,tum ſcilicet cùm diu propagatæ illæ aliter finiri nequeunt; ſic enim humoris curſus conquieſcit, quod ſignum eſt quaſi obcæcatorum itinerum,per quæ ferebatur: ſed optimum eſt, candente ferro,vel cauſtico vſque ad os verticem adurere, ſic vt ſquammam remittat.Si id minimè permittitur, ceruicis initio eadem imprimere,aut funiculum ſetaceum(quem ſetonem vocant)adigere. Si ne id etiam licet,brachiis,vt in catarrho dixi,cauſtico vlcera inferre,quæ ſanari minimè ſinantur, donec valetudinem reſtituant. Hæc enim vt in recentibus morbis aliena eſt, (quia ſæpe ſine eo tormento ſanitas proſpicitur)ſic in veteribus, quæ nullis aliis remediis ceſſerunt, admodum efficacia eſſe conſueuerunt.

Parodia verborum Celſi, cap.6. lib.6.

Curatio epiphoræ.

Prognoſtica epiphorarum.

Celſ.c.7.l.7.

Ac ferè acris Epiphora nullâ aliâ ope ſanari poteſt, ſed antè ab his iiſdem collyriis auxilium petendum eſt, quibus in ophthalmia humoris curſus reprimitur. Antè etiam ab illis medicamentis, quibus in catarrho fluxiones acres ſiſti diximus. Superuacanea tamen curatio eſt in iis, qui ab infantibus id vitium habent, quia neceſſariò manſurum eſt vſque ad mortis diem. Vix etiam iis ſuccurrit,quibus interna,& ſub oſſe fluxio eſt: nihilominùs tamen eadem tentari poſſunt. Quibuſcunque autem ſupra os pituita deſcendit,quod frequentiſſimum eſt,iis opitulari licet,partim medicamentis, partim manûs operâ:atque præter ſuperiora, hæc duo quæ ſubiiciam,fluxionis impetum retinent.

Ad acres epiphoras & omnes lacrymas.

Anacollema fronti admouendum, Celſ.loc.cit.

℞. Litharg. cocti & eloti, ℥iij. ceruſæ, plumbi vſti, & ſtibij elotorum, ana ℥ii. gummi tragac. aut Arabic. ℥iß. acaciæ, hypociſt. an. ℈ii. Omnia excipiantur oui albo, & ſucco myrthi, vel oleæ ſylueſtris ſucco, quibus coactis frons illinatur. Cucurbit. quoque,inciſo vertice, rectè accommodabitur. Inungi verò eo debent oculi,quod ſequitur.

Litus palpebrarum.

℞. Tuthiæ præpar. cadmiæ diligenter lotæ, corall. rubri vſti & eloti, plumbi eloti, lycij, an. ℈ii. terantur, & cum aq. roſac. factâ infuſione gummi tragac.reduc in modum litûs palpebrarum. Vel:

Collyrium.

℞. Tuthiæ præpar. ℥iß. aloës elotæ, lapidis hæmat. an. ℈ii. corall. rubr. margarit. electar. & cortic. myrobal. citrear. vel nucleor. dactylor. vſtor.an. ʒß. conterantur tenuiſſimè,& cum ℥iii. aquæ pluuialis, in quâ thus coxerit, miſceantur in collyrium: quo ſi pituitæ curſus non ſubſiſtit, cadmiæ præpar. aut marcaſit. vſtæ & elotæ ʒi. addere oportet. Aut ſi aquoſus humor eſt, ſtibij vſti lotique parem modum.

CAPVT

CAPVT XVII.

De abſceſſu oculorum, & purulentis oculis.

NOnnunquam autem ingens inflammatio tanto impetu exercet, vt vniuersũ oculũ comprehendens, digeri nuſquã poſſit: Ideóque perſiſtente dolorũ acerbitate, auctáq; pulſatione futurũ eſt vt in pus vertatur. Aliquando ſub adhærẽte membranâ puris collectio eſt, quod leuius eſt. Aliquando ex profunda inflammatione pus fuſum corneâ, includitur, humani vnguis ſpecie, quod ὑπόπυον Galenus appellauit: ὑπώπιον per ω & ι, ſugillationem ſignificat.

Abſceſsûs oculi cauſa. Signa. Differentia ratione loci affecti.

Ratio curationis eſt, vt vel pus digeratur, vel rumpatur vomica & purgetur. Pus digeritur crebro fotu ex fœnugr. & camom. decocto. Ad hæc collyriis concoquentibus, quæ ex thure, myrrha, aloë, croco, ammon. galban. & fœnugr. ſucco fiunt; Quibus veteres caſtorei momentum adiiciunt. Principatum autem ad id obtinet collyr. ex thure.

Indicationes. Digerentia.

℞. Thuris ℥v. ammon. & ſarcoc. an. ʒiiß. croci ʒi. omnia læuigata, & fœnugr. ſucco excepta in collyria digerũtur, ſic n. matureſcit & foràs euocatur, ne interiora corrũpat. Illud quoque quod ex myrrhâ fit, huic aptum eſt. Si iis pus minimè diſcutitur, ſed magna ſuppuratio ſe oſtẽdit, cùm in adhærente mẽbrana eſt, ab eo angulo qui propior tempori eſt, leuiter incĩdi oculus debet. Si verò ſub ceratoïde includatur, fiat ſectio inter pupillam & oculi album, vt effuſo pure inflãmatio & dolor finiatur, & intus tunicæ concidant. Nã ſine his quoq; corruptus eſt oculus, & lumẽ ademptũ: Dein vtendũ collyriis, ex lacte, ouo croco, quib. troch. albi miſceãtur, donec his dolor leniatur: At rupto abſceſſu, vlcus relinquitur poſteà curandũ. Si verò pus in oculis citra exulceratione coierit, acrioribus vtendum, quibus cicatrices & albugines extenuãtur. Puſtulæ quoq; in cornea tunica interdum oriuntur, phlyctænæ dictæ, ex acri & erodẽte bilis ſero, erumpentes, quarum non alia quàm phlegmones curatio eſt. Omitto carbunc. & carcinomata, quòd quàm rariſſima ſint, rariúſque ſanentur.

Collyrium ex thure, deſcrip. Rhaz. 9. ad Almãſ. c. 19. Apertio chirurgia ope quomodo facienda. Celſ. l. 6 c. 6. Apertâ vomicâ quid agendum. Puſtulæ oculorum. Carbunculi & carcinomata oculorũ

CAPVT XVIII.

De oculorum vlceribus.

EX inflammatione & puſtulis, atque ex acri epiphora, interdum vlcera oriuntur, quæ modò iis præſentibus, modò finitis iiſdẽ quoque manant. Exulcerationis timor in palpebris aut pupillis eſt, vbi ſuper magnum dolorem, lacrymiæ ſalſæ calidæque fluunt: maximè vbi per inflammationes pituita liuida eſt; vbi caput calet, à temporibus ad oculos dolor peruenit, nocturna vigilia vrget, & acer, pungens, pulsánſque dolor, etiam detracto ſanguine, inditiſque collyriis minimè remittitur, ſed vehementior perſeuerat, ſiquidem ſub iis oculus plerumque

Vlcerum oculi cauſa. Celſus ibid.

Oculi προόπτωσις, & huius causa. rumpitur, votúmque est vt tantùm exulceretur. In his ipsis oculis etiam ab exteriore causa vulnera, vlceráque fiunt. Ruptâ, vel sectâ, vel exesâ corneâ, primum humor albugineus effluit, quo fit vt oculus inarescat; deinde vuea procidit, primò quidem paululum, quæ (quia veluti muscæ caput foràs ostentat) myocephalon nominatur, deinde amplius caput exerit, & ita excrescit, vt acinum vuæ repræsentet, ex quo staphyloma dicitur. Oculus eo modo prolapsus, totus emoritur, sciréque oportet prorsus lumen esse amissum. Vlcera interdum maiora, interdum leuiora sunt: atque hæc modo in adhærente membranâ consistunt, quod est tutissimum; modò in cornea detecta, id est, maiore oculi circulo, quod peius; modò in centro eius ob pupillam, quod pessimum. Leuiora corneæ vlcera, quòd albescunt, plerumque incautos quadam leucomatis siue maculæ albæ similitudine fallunt, quæ tamen ex prægressis causis, & ex acri fluxione, circunstante rubore, & dolore, & excauato puncto, non erit difficile agnoscere. Ad hæc membranæ adnatæ vlcera rubra, corneæ alba & cineritia visuntur.

Myocephalon. *Staphyloma.* *Celsi verba, ibid.* *Differentiæ vlcerũ oculi.* *Vlcera corneæ leuiora quî distinguãtur à leucomate.*

Curatio.

Si quando autem in ipsis oculis vlcera sunt, medico oculario exercitatissimo opus est, qui diligentissimè succurrat: quò magis enim necessaria pars erit quæ tractabitur, hoc quoque maiori periculo subiecta est. Primò ergo considerandum, num malus corporum habitus sit eíque occurrendum; dein ipsa vlcera curanda. Acriorum humorum defluxionem quomodo, & quibus inhibere oporteat, suprà posui, quandoquidem hîc eadem seruanda, quæ de venæsectione, purgatione, & iis quæ fronti & temporibus imposita humoris impetum sistunt, cucurbit. scarif. frictionibus, hirud. causticis ceruici admouendis præscripsimus. Vlcera autem oculorum si cum inflammatione non sunt, aut sordida, aut caua, aut certè vetera esse consueuerunt. Itaque propria remedia requirunt quæ expurgent, carnem augeant, & cicatricem inducant: atque in vnoquoque genere leuiora eligenda sunt, quæ citra morsum siccent; oculi enim ob sentiendi præstantiam, vehementia & acria remedia sine incommodo sustinere nequeunt; & in hominũ naturis quò acutior sensus & tenuior spiritus est, (vt ferè in oculis cœruleis) eò magis leniri medicamenta debent, magísque vbi oculorum venæ conspicuæ & prominentiores sunt. Vitanda ergo quæ exasperando tergent, quæ cum morsu siccant, & quæ nimiâ astrictione corrugant Horum siquid remediis ocularibus inseritur, id linimentorum permistione tenuandum, & accuratâ præparatione domandum est: particulatim autem quæ purgandis oculorum vlceribus idonea sunt, aut liquida sunt, aut arida. In liquidis notantur lac serosum, quale est asinæ, aut etiam mulieris, adiecto saccharo cando, (ipsum enim pariter dolores lenit) vinũ saccharo conspersum, diluta mulsa, decoctum selectissimi fœnugr. priùs eloti, cui cùm vlcus inflammatione circumseptum est, plantago & rosa additur, & in iure colato paulùm mellis rosati soluitur,

Indicationes. *Cels. loc. cit.* *Detergentia, sarcotica, & epulotica, quæ oculis vlceratis adhibentur, eligenda sunt maximè ἄδηκτα.* *Detergentiũ liquidorum materia.*

ſoluitur,præſertim cùm copioſior & craſſior ſordes hæret. Omnium autem præſtantiſſima eſt ſtillatitia aqua mellis. In ſiccis recenſentur puluis diatragac.frig.diaireos,ſaccharum candum,aloë,myrrha,thus,quæ etiam concoquunt. His tamen quædam metallica diligentiſſimè præparata permiſceri oportet, quibus acrium humorum impetus cohibeatur, & ſiccentur vlcera quæ humore quodã alieno & inutili madent. Sic etiam tunicarum,præſertim ceratoïdis natura ſicca efflagitat. Vlcera verò caua implent,& carni gignendæ accommodantur eadem, quæ ſordida vlcera leuiter expurgant,ſi modò mitiorum quorũdam permiſtione temperentur; hæc enim omninò acrimoniæ expertia eſſe conuenit: huiuſmodi ſunt ſarcoc. nutrita, thus, cortex thuris,gummi arab.bolus armena,terra lemnia,tragac. aloë lota, myrrha,& his quoque iuncta metallica, at non ſola, quæ alioqui per ſe,aut maiori menſurâ carnem reprimunt. Cicatricem poſt omnia, explero iam vlcere, inducunt, quæ vehementer ſiccant, omni quidem morſu deſtituta: ſed oculorum vlceribus aliena,vt dixi, ſunt, quæ aſtrictione corrugant & exaſperant. Itaque ad exſiccandum,reprimendum, & omninò ad cicatrices inducendas, hæc aptiſſima ſunt,ceruſa lota,tuthia præpar. cadmia vſta elota, ſeu lapis calaminaris, (quæ cadmia eſt lapidoſa)lapis hæmatit. plumbum vſtum & elotum,recrementum plumbi, ſcoria ferri vſta & ſimiliter elota,ſtibium vſtum & lotum: his alia accedunt,vt bolus arm.terra lemnia,corall.margaritæ,lapis pyrites, ceruinum cornu vſtum, quæ menſurâ cumulatiore quàm in purgando,& implendo vlcere, præſcribenda ſunt.

Deterg. ſiccorũ materia.

Sarcoticorum materia.

Epuloticorum materia.

In curandis autẽ vlceribus,antequàm aggrediare,diligenter aduerte, num quidpiam vlceri coniunctum ſit,quo præſente ipſius curatio compleri nequeat. At plerumque inflãmatio vlceri aſſidet,eique implicatur, neque rarò dolor vrget, quæ inprimis tollenda ſunt. Etenim quæ vlcus purgant,nouam fluxionem accerſunt,& quæ carnem gignũt, inflammationẽ augent,atque vtraque dolorem exacuunt. Neceſſe ergo eſt his antè occurrere,per ea quæ ſuprà dixi. Atque ſi fluxio perſeuerat, aut ſubinde redit,illam leuiter repellentibus, aut collyrio albo ſiſtere. Iam verò deſcriptâ remediorum materiâ,atque expoſitâ componendi ratione, exempla ſubiiciam,eodem ſeruato ordine.

Vlcera oculorum cõpoſita, quomodo curanda.

Inflammationi, & dolori, vlcera oculorum comitãtib. vt occurrendum.

Fluxioni quomodo opitulandum.

Sordida purgantur.

℞. Decoct.fœnugr.eloti,adiectâ plantag.& roſa,℥iiij.mellis roſ.colat. ℥ß. Aut hoc,quod pariter leuiorem inflammationem reſtinguit. — *Collyrium detergens.*

℞. Sacchari candi tenuiſſimè triti ℥ß. exigua portio diſſoluatur in lacte aſin.aut mulieris,ſi potiùs ſedandus eſt dolor; ſic & penidia,tragac. & alia diſſolui poſſunt. Vel: — *Aliud.*

℞. Aq. roſar.℥iij. ſyr.roſ. ſiccar.ʒiij. aut ſi plus ſordet,℥ß. Miſce, inſtillentur,guttæ aliquot in oculum. Aut: — *Aliud.*

℞. Aq.ſublimationis mellis ℔ß. eadem albugines exterit. Aut: — *Aliud.*

℞. Aloës lotæ ʒi.tutiæ præpar.& ſacch.candi,an. ℈ii. decoct.fœnugr. — *Aliud.*

& aq.mellis, an.℥ß. miſce, fiat collyrium.Vel excipiantur pauco melle roſato in linimenti formam. Si oculi ferre non poſſunt, vis mollienda eſt,adiectâ aquâ roſar. vel aliquanto pòſt in oculos iniecto lacte,aut oui liquore cum roſaceâ, donec conſuetudine vis perferatur.

Acrimonia collyriorum quomodo mitiganda.

Caua implentur his

Collyrium ſarcoticum. Sief album deſcribitur à Rhaz.lib.3. ad Almanſ.

℞. Sarcoc.nutritæ,aloës elotæ, an.ʒi. tutiæ præpar. & lapid.hæmatit. an.ʒß. myrrhæ electæ ℈i. mucag.fœnugr.aut(ſi quædam reſtent inflammationis veſtigia)cydonior.aut tragac. ℥i.aq. plantag.q.ſ. fiat collyr. Eſt etiam ad idem vtile collyr.album, cui ſarcocollæ & aloës ſingulorum ſubduplum miſcebitur. Aut:

Aliud.

℞.Cortic.thuris,ſarcoc.nutritæ,aloës lotæ,cadmiæ lotæ,plumbi vſti & loti,tutiæ præpar. & lapidis hæmatit.an parẽ modum,vt ʒii.ſint ſingulorum: poſtea ſimul omnia conterantur in exactiſſimum læuorem, & cum aquâ roſar. aut pluuiali, factâ infuſione gummi tragac. aut Arabic. formentur trochiſci, qui cùm vtendum eſt,modò lacte, modò aquâ mellis, modò roſar. vel plantag. aut pluuiali, in quá thus coxerit, (vt poſtulat caſus)ſoluuntur; malum enim longiùs excurrit,vt maiori compoſitione ſit opus.Sic Rhaſes,maximus ocularius medicus,paſtillos è plumbo,& è cadmia,(quibus vtriſque antimonium inſerit,atque opium)inſtituit, ad gignendam eorum carnem,& vlcera perſananda. Cæterum eadem, ſarcoticis detractis,plenum vlcus cicatrice obducunt,hoc modo.

9. ad Almanſ.c.19.

Collyrium epuloticum.

℞.Tutiæ præparat.ceruſ. lotæ,& cadmiæ vſtæ & elotæ,an. ʒi. lapidis hæmat.corall. rubri vſti & eloti,margar. ſplend.cornu cerui vſti & eloti, an.ʒß.in exactiſſimũ pollinem contrita,excipiantur aquâ roſ. factâ infuſione tragac.in litûs craſſitudinem; aut fingantur ex iis paſtilli, qui vſûs tempore diluantur aquâ plantag.roſar.caudæ equin.& ſimil.Vehemẽtius reddes medicamentũ,vbi vlcera dyſepulota ſunt, corpúſque ſolidius,adiecto ſtibio,aut ære,aut ſaltẽ plumbo, diligenter vſtis & lotis: metallica hæc omnia magnam ſæpe opem ferunt, at ſæpiùs maiorem offenſionem, vtique ſi negligentiùs præparẽtur.Pompholyx,aut cadmia,(cuius defectu lapis calaminaris ſubſtituitur)ter aut quater vritur,totiéſq; lacte, vel rubro vino reſtinguitur,dein dũ teritur,abluitur, ſiccatur,idque ſepties aut ſæpiùs faciendũ,donec omnẽ acrimoniam depoſuerit. Vbi vlcera detergenda,implenda,ſiccanda,vbi ſiſtenda acris fluxio,vix vllũ iis præſtãtius. Plurima veterũ monumentis celebrantur,quæ hac tẽpeſtate prorſus exoleuerunt,quòd aut primùm moleſta ſint,aut obtrectatorũ calumniis prorſus obnoxia.Hæc ergo,ſi quis effectũ ſpectet,ſpecie diſtincta ſunt;at verò ipſa cõpoſitio,maioris & minoris ratione tantùm diſcrepat.His quidem remediis vlcera leuiora optimè curantur; maiora verò quæ ex ingenti abſceſſu relinquuntur, ſæpiùs procidentiã afferunt,& in oculi perniciem deſinunt. Cùm primũ ergo per ruptã, exesámve corneã rhagoïdes tunica procidens,quaſi muſcæ caput oſtentat,antequàm in ſtaphyloma deſinat, vbi

Monitũ circa metallicorum vſum.

Myocephalo adſtringentib. occurrendum.

vbi rursus admotæ ceruici cucurbitulæ fuerint, repellētib. & dēsantibus vtendū: Astringentia n. aliás declinanda, hîc necessaria sunt. Itaque ad id aptū erit, quod cicatricem inducere diximus, sed cum succo oleæ, vel polygoni, vel rosar. vel rubi, vel myrti læuigatum. Aut quod sequitur.

Trochisci pro collyrio ad myocephalū.

℞. Lapid. hæmat. ℥iij. stib. combusti & eloti, pompholyg. & cadmiæ, an. ℥ii. acaciæ, aut quòd vera desideretur, hypocystidis, & cornu cerui vsti & loti, an. ℥i. aloës & tragac. an. ℥ß. quibus, cùm teruntur, adiiciatur oleæ turionum succus, & rosar. & concinnentur trochisci, qui mucagine cydoniorum læuigati, & soluti, ad vsum referantur. His plumbum, & æs vstum & elotum, & cerusa, & lycium, & nuclei palmularum vsti, & gummi Arab. & spica, & rosæ siccæ, & terra lemnia, addi possunt, quæ omnia, vt dixi, oleæ turionum succo excipiantur. Mox verò vt medicamentum inditum est, lana mollis benè carpta, aut implicatum molle linteolum super oculum planè imponi debet, atque fasciâ ligari, ne per somnum cadat, atque contineat; sic tamen vt non nimis astricta sit. Quin etiam penicillo fouere oculos oportet, ex vino astringente, vel aqua calida expresso, in qua antè vel myrti, vel oleæ folia, vel rosæ coxerint. Interdum vellus eo imbutum adalligatur; vel farina fabarum cum rosis, ouorum albo, & thure, emplastri modo imponitur; vel foliola plūbi. In eiusmodi casu supinus decubitus capite decliui, & quies necessaria est. Quòd si per hæc staphyloma minimè reprimitur, aut callum iam contraxit, nihil melius sperandum. Eadem planè consentanea sunt in oculorum expressione, in qua oculi exeruntur, & prominentiores sunt.

Alia topica. Cels. 6. l 6.

Ἧλος clauus, malū immedicabile.

Ἐκπιεσμοῦ curatio, eadē quæ staphylomatis.

CAPVT XIX.

De oculorum cicatricibus, nubeculis, albuginibus, caligine, & hallucinatione, quæ omnia corneæ sunt.

Cicatrices oculorum, modò visioni officiunt, modò solam deformitatem inducunt.

Nubecula quid.

Albugo quid.

Quomodo albugo differat à suffusione.

Causæ nubeculæ, & albuginis.

FActæ verò ex vlceribus cicatrices, si in pupillæ loco sint, visioni officiunt, eóque magis quò crassiores & maiores relinquuntur, neque enim quâ parte sunt, perspicua cornea est, vt per eam videri possit; longiùs autem dissitæ, nil quidem obsunt, sed interim fœdæ visuntur. His finitima est nebula, atque hæc crassior albugo: Nubecula quidem tenuis est humor corneæ insidens, cuius adhæsu æger per nebulam aut fumum videre se putat. Atque hoc quidem est albuginis rudimentum, ex quo sensim crassescente humore, ipsa prodit. Est enim Albugo crassus humor, in cornea, vel supra hanc, lenticulæ, vel squammulæ, aut niuis, aut grandinis, aut vnionis specie ita concretus, vt visionem intercipiat, vtique si ob pupillam consistit: Interdum enim oculi nigrū cōmaculatur, pupillâ incolumi, aut non omnino captâ. Suffusio (ne similitudine fallat) sub cornea pupillā obsidet, neq; quidquam eius extrà cernitur. Ex inflāmatione & epiphorâ hæc vitia nascūtur, quæ ipsa aliis quoq; de causis oriri solēt:

Interdum

Interdum enim lentus humor citra hæc ſenſim per intermedias membranas eò propellitur, aut illic genitus concreſcit. Interdum etiam ictu vel attritione oculus inalbeſcit. Neque multùm ab his diſtat caligo, quæ tenebroſa viſio eſt, ex craſſiore factâ tunicâ corneâ. Id vitium ex ſenectute ferè eſt, ob quam oculorum tunicæ, non minùs quàm vngues craſſeſcunt. Caligare etiam oculi nonnunquam ex lippitudine, aut imbecillitate aliquâ videntur. Ex inflammationibus quoque, ab indiſcuſſo ſanguine, interdum maculæ quædam relinquuntur, quod vitium ὑπόσφαγμα nominârunt. At ſæpiùs extrinſecùs, ſi ictus oculum læſit, vt ſanguis in eo ſuffundatur. Sic corneâ alieno colore infectâ, quidquid in aſpectum incidet, concolor apparebit, ex quo hallucinantur oculi, quemadmodum per ſicterum luteo colore ſuffuſi.

Caligo quid.
Celſ. c. 6. l. 6.
Hypoſphagma quid.
Celſ. ibid.
Hallucinatio quid.

Curatio.

Cicatrices, nubeculas, albugines, & craſſiorem corneam extenuant medicamenta acriora, atque vehementiùs detergentia, ſic tamen vt leuiore malo mitiora conferantur. Ergo nubeculas, vt & incipientes ſuffuſiones diſcutiunt anemones ſuccus, & anagallid. & fœnic. & pariet. & roriſm. ſampſ. marrub. rutæ, fœnugr. infuſus cum melle, aut ſtillat. mellis aquâ; aut ſuccus chelidon. maior. æreo vaſe cum melle coctus, & inunctus; item liquirit. puluis, cinamom. gummi ceraſi, & cedria noſtra, hirundinum vſtarum cinis, fel gruis, perdicis, teſtudinis, præſertim marinæ, & marini ſcorp. & labracis piſcis, quem lupum appellant, & ſylueſtris capræ, & gallinæ. Ad hæc ſtercus album magnæ lacertæ inprimis efficax, ſtercus muris, hirundinum; myrrha, crocum; vrina humana æreo vaſe decocta in clibano dum exareſcat, & deraſa; aut quod in æreo vaſe ex ſubſidente vrina in ſole concreuerit, & tereb. ſtillat. liquor, & aqua ſtillat. mellis. Eadem albugines & craſſas cicatrices extenuant, ſed validiora ipſas delent & prorſus exterunt, vt nitrum, ſal ammon. os ſepiæ vſtum & detritum, alcyonium, teſta ouorum vſta, mitulorum cinis elotus, ammon. & ſagap. (emolliendo & digerendo) cochlear teſtæ vſtæ, & melle exceptæ, piper, zinziber, æris ſquamma, ærugo, vitriolum, quæ poſtrema nonniſi mitiorum permiſtione temperata, & nihilominus ſummâ prudentiâ, ac parcè certaque moderatione adhibenda ſunt, neque vnquam in vehementiora, quæ veteres vſurpabant, prorumpendum. Sed habenda hîc corporum quoque ratio eſt: non enim eadem pueris & ſenibus, ruſticis & vrbanis, cœruleis & fuluis oculis, cæſiis & nigris conueniunt. At parum idonea curatio, ſi ſenilis ætas eſt, quæ ſine nouo vitio tamen aciem hebetem habet. Neque in aliâ ætate cicatrices prorſus deleri poſſunt, extenuari quidem aliquando poſſunt. Acrioribus tamen his non vtendum, niſi paulatim aſſuefacto oculo. At mitioribus nubeculæ prorſus euaneſcunt.

Medicamẽta extenuantia ac detergẽtia hiſce malis neceſſaria.
Materia huiuſmodi medicament.
Acriora albuginib. & cicatricib. prorſus extirpãdis idonea.
Acriora mitioribus temperanda.
Acriora, aut blandiora topica medicã pro varia corporum indole vſurpanda.
Præparatio tum corporis totius, tum humoris in oculo contẽti, quemodo inſtituenda.

Cæterùm antequàm remedia vſurpentur, quæ nubeculas & albugines

gines abstergunt, idonea præparatio adhibenda est, non solùm totius corporis, sed etiam concreti humoris. Corpus enim expurgandum, siquidem humores eius in vitio sunt, & præsertim pituita. Et ne quid in oculum influat, reuellentia, & deriuantia auxilia imperanda. Humor autem illic concretus emolliri antè debet, quàm discutiatur. Itaque fouendus oculus vapore aquæ calidæ, in qua fœnugr. lini semen, & similia coxerint: Dein his quæ albugines abstergunt, vngendus est; ita quippe altiùs horum vis penetrat: quo nomine veteres inprimis balneum imperârunt. Alioqui ad tepentis aquæ vaporem facies apertis oculis inclinanda est. Butyrum recens illitum mollit, lenit, polit, & blandissimè resoluit, ideóque cicatrices & albugines extenuat: Quapropter eo liquato, per molle linteolum, vtiliter fouetur oculus. Aut:

Emollitio præmitti debet detersioni.

Illitus oculi ex butyro.

℞. Palear. auenæ & hordei, minutim concisar. ana ℥i. sem. fœnugr. diligenter abluti, ʒvi. semin. fœnicul. fol. euphras. siccor. ana ʒiii. flor. camomil. melil. ana p.i. misce, & include tribus paruis sacculis quadratis, ex panno lineo raro factis, qui ebulliant in æquis partibus aq. chelid. euphras. & vini albi: expressi, vt paulum refrixerint, frequenter inuicem oculo admoueantur, aut adiecto maluar. & althææ, ana M.i. coquantur illa in aquâ pluuiali, & vino albo, & vapore foueatur oculus, subiecto vase oris angusti. Deinde:

Fotus ex sacculis.

℞. Sacchar. candi, & farin. fabar. ana ℥ß. stercoris lacertæ albissimi, (facilè comparatur) ʒii. terantur exquisitissimè, & cribro densissimo cernantur. Puluis hic inspersus albugines rapit. Easdem extenuat, & nubeculas tollit, puluis Nabatinus. Nubeculas, sunt qui sæpè lambendo extergant, & prorsus tollant: sed fieri id pueri linguâ, vel catelli, satius est. Si quis puer præmanso fœniculi semine ieiunus crebrò in oculos inspirauerit, recentem albug. discutiet. si saccharum candum cum salis quadrante aut sextante ieiuno mansum in oculum expuitur, cicatricem & albug. delent.

Puluis ad nubeculas tollendas, & albug. extenuandas.

Puluis Nabatinus, vide Guid. Cauliac. tract 6. Chirurg. Doct. 2. cap. 2. p. 2. Nabatinus dicitur à Nabet, id est, saccharum candum, vti docent Monachi in Mesuen.

Inspiratus in oculum.

Aliud validius.

℞. Succi anemones, & fœnic. depurati, ana ℥ii. aq. stillat. mellis ℥iii. misce, instillentur guttæ aliquot in oculum. Auicennas stillat. aquam flor. papau. commendat erratici. Quinetiam hirundinum cremata capitula & in cinerem redacta, cum melle illita iuuant, meliúsque si myrrham adieceris. Idem stercus hirundinum ex melle præstat. Similiter cremata nigra faba ex melle pari, deliniri poterit, præsertim si myrrhæ sextans accesserit. Sed multò vehementior puluis est ex resiccata in vase æneo vrina, atque derasa.

Collyrium.

Fen. 3. tract. 2. c. 18.

Collyrium

Alduginem extenuans, & videndi aciem exacuens.

℞. Fellis perdic. & testud. ana ʒi. sterc. lacert. ʒii. sem. fœnic. in pelui

ænea ſiccati, & in tenuiſſimum pollinem redacti, ℈iiii. myrrhæ elect. ʒi. pulueriſentur tenuitate atomorum, & cum aqua fœnicul. rutæ, euphraſ. chelidon. an. ℥iii. fiat collyr. aut puluis; demittatur in oculum. Aut cum mucag tragac. in aq. fœnicul. extract. fiat litus: dein aquâ mellis oculus abluatur. Aut:

Aliud. ℞. Sacchari candi, & halcyonij, (maris ſpumam vocant) aut eius defectu oſſis ſepiæ combuſti, an. ʒii. fiat puluis: inſpergatur, aut cum aqua chelid. ex eo fiat collyr. Aqua ſtillat. anagallid. purpur. albugines & ſuffuſiones delet, & oculorum aciem reſtituit. Sagapenum cum melle octuplo colatum, vel alioqui melli liquido ſolutum, ad eadem efficax eſt. Si illud non eſt, ammoniac. idem facit, quod etiam ſaluiâ ſubactum albuginibus infantium vtiliſſimè illinitur. Ebeni tenuiſſima ramenta vino optimo macerata, & in collyrio addita, nubeculas abolent. Aut:

Aqua ſtillatitia oxydorcica. ℞. Summit. fœnic. rutæ, chelidon. anemon. euphraſ. & ſampſuch. aut roriſm. an. M. i. ſem. fœnic. contuſ. ℥i. ſeſel. ℥ß. mellis roſat. colat. aut alterius optimi ℥iiii. ſacch. cand. ℥iß. fell. perdicis, & labracis, vel teſtud. n. i. ſterc. lacertæ ʒiii. aloës illotæ, myrrhæ elect. an. ʒii. cinnamom. & caryoph. an. ʒiß. croci, ſpic. nard. piper. long. an ʒi. roſar. & zingiberis, an. ʒß. confuſa omnia irrorentur vino albo, ſinantúrque die vno aut duobus in vaſe æneo macerari: poſteà verò omnibus vaporario vitreo concluſis, ſtillatitius liquor eliciatur, qui vſu albugines, nebulas, cicatrices, pterygia extenuat, & ſuffuſioni, caligini, & hebetudini auxiliatur. Quæ ſi acrior eſt, vsûs tempore, aut pari, aut ſubduplâ, aut ſubtriplâ aquâ fœnic. temperari poteſt. Si inueterata, craſſáque albugo eſt, ac maior vis requiritur, ſalis ammon. aut nitri ʒi. aut ærug. aut vitriol. ʒß. adiicietur, plus aut minùs pro rei neceſſitate, & corporis ſtatu.

Alia. ℞. Mellis recentiſſ. ℔ ii. ſummit. fœnic. M. ii. euphraſ. & chelidon. an. M. i. flor. ſambuc. & roriſm. an. p. ii. ſacch. cand. ℥iiii. in duplici vaſe vitreo fiat deſtillatio chymicorum modo. Aut:

Alia. ℞. Succi fœnic. chelidon. rutæ, & euphraſ. vel meliſſ. vel anagall. vel marrub. ana ℔. ß. mellis ℔ ii. tereb. ℔ß. fabarum exempto cortice tritarum, ℥v. fiat deſtillatio.

Non deſunt, qui ad detergendas albugines, poſt emollientem fotum, præcipiant menſis vnius curriculo ſtillatitiâ mellis aquâ vtendum eſſe. Deinde proximo præſidio, quod perquàm vtile eſt.

Liquor filtratus. ℞. aq. fœnic. & roſ. an. ℥iiii. antimon. tenuiſſimè triti, & alcyon. ana ʒi. miſta biduo ſeruentur, dein filtro committantur, vt hinc liquor ſtillet. Aut:

Aliūs. ℞. Myrrhæ electæ & tuthiæ in vrina pueri præparatæ, an. ʒiß. ſtib. & cadmiæ, an. ʒi. nitri, cinnamom. an. ℈ß. fellis labracis & teſtud. an. ʒi. ſucci fœnic. chelid. & euphraſ. depurator. an. ℥i. (ſi euphraſia deſit, fœniculum vicem ſuppleat) vini albi ℥iiii. Illa terantur, & iis permiſta, triduo in vaſe æneo obturato ſinantur ſub ſole fermentari, deinde per filtrum humor eliciatur. Sunt qui ſalis p. i. cum vino albo decem diebus in vaſe

æneo

æneo ſubinde exagitant, dum id vireſcat, eóque albugines abſumunt.

Aliud.

℞. Sacchari candi ʒii. fellis accipitr.& capræ ſylueſtr.vel teſtud.& galli gallinacei,an.ʒi.ſterc.lacertæ,aut hirund. ℈iiii. alcyon. oſſis ſepiæ, aloës,myrrh.an.℈ii.ſucci chelidon,cum vino albo extr.℥iii. conterantur illa,& demum ſimul omnia vaſe æneo coquantur ad ſucci conſumptionem, & rurſus conterantur, ac puluis demittatur in oculum. In id autem inuoluendum bombace ſpecillum eſt,& in ſaliuâ,aut melle,aut fœniculi aquâ intingendum,vt puluerem excipiat, qui diductis palpebris ita tutò inditur, atque leuiter infricatur. Vel pulueri adiiciendum mel, eatenus ne ex ſpecillo deſtillet, eóque inungendus oculus. Optimum quoque Rhaſis eſt collyrium iis qui à multo tempore albugines experiuntur, neque de vllo magis inter Arabes conuenit. Habet autem in hunc modum.

Alcohol ad idem pollens.

℞. Maſſæ cumiæ, id eſt, raſuræ viridis fictilium vaſorum, quæ vitreata dicuntur,(ea ex plumbo,vitro,& ſilice conficitur) ſeu vitri ſemicocti,alcyonij, ſterc.magnæ lacertæ, nitri naturalis, ſacch. albiſſimi,ana. dein ſume acori,chelidon.fœnic.an.ʒx. coquantur in ℔.i.aquæ ad trium partium conſumptionem: Eo iure colato, præſcripta iam trita ſubigantur,& perfundantur,& in vmbra ſiccentur: Iterum tertiò & quartò conterantur,etiam aſperſa vt priùs,ſiccentur.Id vbi quater peractum eſt,rurſus omnia ſiccentur,& quàm tenuiſſimè terantur, puluis in oculum demittatur. Dum ab eo pars ardorem ac dolorem ſentit, ac venæ turgeſcunt,intermittendum pauliſper,donec inflammatio conquieuerit.Hinc rurſus idonea inſtituetur curatio, quæ cùm inualida eſt,crematæ æruginis & in aq.plantag.diu nutritæ, paulum ſupradictis miſcetur.Quinimò ʒi.commodè excipitur mucag.fœnugr.℥i.& parcè illinitur,quod in extremis ponimus; adiicitur enim celeritati,ſicut tormento quoque: melior tamen hîc ratio curationis, quæ longa, ſed ſine tanto dolore eſt.

Collyrium Rhaſ. 9. ad Almanſ. cap. 21. & pſeudogalen. lib. ſecret. ad Mont c. 5.

Extremum præſidium, ſed minùs tutum, rariúſque propterea in vſum vocandum.

Porrò ſi ictus oculum læſit, vt ſanguis in eo ſuffundatur, inflammatione vt dixi priùs repreſsâ, nil commodius eſt,quàm ſanguine turturis aut columbæ, aut palumbi, aut perdicis, aut hirundinis inungere: ſed hoc ordine, vt ſit hirundinis optimus, minùs efficax columbæ. Itaque vulneratâ alâ, ſanguis identidem commodiſſimè inſtillatur, ac tenerrima euulſarum pennarum capitula in oculum exprimuntur, vt ſuccum effundant: Aut fœnugr. ſuccus illinitur, præcipuè adiectâ myrrhâ. Archigenes hyſſopi comâ tritâ,& panno lineo inuolutâ, dein aquâ calidâ imbutâ oculum fouet, quod efficaciſſimum. Vbi tamen hæc inualida ſunt, iiſdem ſugillationes hæ, quibus albugines diſcutiuntur, etiamſi ex ophthalmia derelictæ ſint.

Hypoſphagmatis remedia.

Celſi verba c.6 lib.6. Gal. lib. 10. ſimpl. cap. de ſang. columb. Gal. 5. κ. τ. c.8.§.6.

CAPVT XX.

De Vngue, & Tunica carnosa, Sebel dicta.

HVc quoque affinitate quadam pertinent vnguis & suffusio. Ille quidem extra, hæc autem intra corneam in pupillâ consistens, cernendi potentiæ se opponit. Cùm enim pupillam occuparunt, aspectum non secùs obtegunt, quàm nubes quæ radianti se syderi obiecit. Vnguis, quod pterygion, est membranula neruosa sæpiùs à maiore angulo oriens, & sese oculis obtendens, quæ incremento assiduo ad pupillam quoque peruenit, eámque obtegit. Nascitur ex adhærente membranâ, sensim destillatione crassorum humorum excrescente, cui modò leuiùs, modò firmiùs innititur. Pterygio non est dissimile quod Arabibus Sebel nuncupatur. Id tunica quoque est adhærenti membranæ insidens, & supra hanc enata, non tamen neruosa, nec dura, nec albicans, sed ex multiplici venarum turgentium implicatione interiecto veluti quodam fumo contexta, atque producta: Quod quandoque ex ophtalmia sequi solet, semper verò lento influxu crassioris sanguinis. Itaque oculorum radices sanguine suffusæ rubent, pruritus adest, & acres lacrymæ, & palpebræ crassæ, duræque sunt, ac ferè scabie vexantur.

Vnguis quid. *Vnguis causa.* *Vapores etiam acres in locis maritimis accusat Cassius Probl. 13. vnde nautas huic malo maximè omnium obnoxios esse notat.* *Sebel quid, & eius causa.* *Sebel membranæ signa.*

Curatio.

Vnguem recentem non est difficile discutere medicamentis quibus cicatrices, & albugines in oculis extenuantur. Si inueterauerit, iámque ei crassities quoque accessit, hamulo recuruo, atque scalpello idoneo euelli debet, eâ ratione quam Paulus & Celsus explicârunt: Sed antè eadem, quæ in deprimenda suffusione, videnda sunt. Neque verò in carnosa tunica pupillam obuelante alia curatio est. Hîc tamen primò sanguis è brachio, atque è fronte mitti necessarium est, illic potiùs aluum ducere phlegmagogis. In vtroque vitio cucurbitulas admouere, & capiti prouidere, & demere aliquid ex cibo. Neque alienum est illini frontem astringente compositione. Quod autem ad oculum pertinet, vnguem primò (vt dixi) fouere oportet, dein extenuare acribus & abstergentibus, quæ albugines tollunt, atque etiã paulò validioribus, vbi vetustior is est.

Celsi verba, c. 7. lib. 7. *Paul. l. 6. c. 18* *Cels. l. 7. c 7* *Vniuersalia auxilia vnguis, & Sebel.* *Topica medic. vngui conuenientia.*

Neque tamen ea temerè vsurpanda, quæ veterũ monumentis conscripta legimus, quale collyr. viride, quale ex flore æris, quale ex vitriolo est, aut quod ex ære vsto, atramento sutorio, & hircino felle, omnibus melle exceptis, paratur; aut quod ex atramento sutorio & gummi, æquè mistis, vinóque læuigatis componitur. Hæc si quando in vsum referenda sunt, eâ lege referantur, vt tantùm specilli mucrone bombace inuoluto parcè demittantur, & leuiter infricentur; aut ex iis cum aq. fœnic. euphr. chelid. vel rutæ, cum vino albo, per filtrum liquor facultatis particeps eliciatur hoc modo.

Rhas. 9. ad Almans. c. 24. Auic. 3. 3. tr. 2. c 23.

℞. Stercoris lacertæ, aloës succotr. & myrrhæ electæ, an. ℥iß. æris vsti, atram. sutorij, alcyon. an. ℥i. salis ammon. & ærug. an. ℥ß. conterantur omnia, & septimanæ spatio reponantur, quotidie rutæ succo aspersa, atque subacta. Deinde omnibus eodem succo vel melle exceptis, fingãtur trochisci instar lenticulæ, quorum vnus detritus per specilli mucronem, vt suprà dixi, inditur: Aut omnia illa iam trita cum ℥iii. vini albi, & succi fœnic. & chelid. vtriusque ℥iß. miscentur, sic triduo seruantur in vase æreo, dein per filtrum humor extrahitur. Gutta vna atque altera crebrò in oculum demissa, sat est: Satius enim est curationẽ aliquam longiùs produci, quàm maiore vi oculum periclitari. Cæterum in eo genere quod secundo loco positum est, quia non procul rubor, dolor, & inflammatio sunt, nihil horum tutum esse potest, nisi iis priùs omninò repressis.

Trochisci pro collyriis.

Tutiora ergo sunt, quæ citra insignem caloris vim exsiccant, & extergunt, quale hoc.

℞. Cortic. ouor. recentium decem diebus in acri aceto infusorum, dein quàm tenuissimè tritorum ℥iii. ossis sepiæ, & lapid. pyritis, aut marcasit. an. ℥i. puluerent. atomor. specie. At cùm palpebrar. asperitudo & scabies coniuncta est (quod ferè est) adde lapid. hæmatit. tutiæ præpar. & corall. rubr. an. ℥iß. Ab iis ad ea transeundum, quæ dixi albug. & vnguem extenuare, modò inflammationis metus absit. Si verò inueteratum malum sit, curantem manum expostulat.

Puluis oculo immittendus.

CAPVT XXI.

De Suffusione.

GRæcis ὑπόχυμα & ὑπόχυσις, neotericis cataracta, sæpè videndi aciem perstringit, & orbat lumine: suffusio enim est humoris p. n. in pupilla, aut inter rhagoidem tunicam, & crystallinum humorem concretio. Is autem illic sensim concrescit, vel ex crassis vaporibus à ventriculo, aut cerebro, sæpè in oculum profusis, ibíque tandem conuersis in aquam; vel ex tenui humore per neruum opticum, aut potiùs per intermedias tunicas illapso; quandoque etiam ex redundante aqueo humore oculi, seu quodam eius recremento congeritur, & paulatim obdurescens interiori potentiæ se opponit. Itaque accidit potissimum ex frigidâ oculorum intemperie, & imbecillitate cernentis spiritûs, eóque senes magis, ac longo morbo, & longo capitis dolore fractos occupat. Nonnunquã vel ex ictu, vel crebris vomitionibus cõtrahitur. Ac cùm perfecta est, tunc in pupilla humor concretus, & albicans cernitur: obstructo autem optico, cæcitatis causa in oculo conspicua non est, idcóque guttam serenam appellârunt. Incipiente suffusione, fumi, nubes, muscæ, culices, aliáque fictitia ob oculos volitare creduntur, ac talia apparent visa, qualia iis qui è profundiore somno excitantur; maximè verò pueris, ebriis, & quibus crassi vapores

Suffusio quid

Suffusionis caussa interna.

Cels. c. 7. lib. 7. Paul. Ægin. lib. 6. cap. 21.

Caussa externa.

Signa suffusionis perfectæ.

Signa suffus. incipientis.

cerebrum implent ac degrauant. Eundem affectum concitant corrupti vapores à ventriculo in cerebrum elati, qui simulatas & fictas imagines oculis obiiciunt & repræsentant. Hinc suffusio aliàs primario fit oculi affectu, aliàs consensu ventriculi: hæc vtrumque oculum & simul & æquè afficit; propria verò aut alterum; aut non vtrumque simul, neque similiter. Quinetiam si primaria est, continenter & assiduè visis fallacibus iactatur: Si verò ex sympathiâ est, cruditate nouâ intenditur, felici coctione & purgatione ventriculi mitescit, eiúsque affecti certa indicia relucent, & nausea, deiecta appetentia, oris amaror, ventriculi dolor, distensio, & nonnunquam vomitio. Suffusio ergo quæ proprio fit oculorum affectu incipiens quidem causam habet aut vaporem, aut tenuem humorem qui sensim crassescit, & glaciei modo in pupillâ concretus visionem præpedit. At non eâdem semper formâ. Nam si tota pupilla, à coacto ibi crasso humore occupatur, omninò visionem prohiberi continget. Sin aliqua pars, etiamnum pura manet, per eam, aut rerum externarum partem aliquam, aut vnamquámque solam cernere licebit, visionis scilicet cono angustiore effecto. Cùm autem in pupillæ centro exigua consistit suffusio, detectáque & illustris illius circumferentia est, quæcunque tum aspicientur, perforata apparebunt. Quapropter suffusio magnitudine, figurâ, situ, concretione, motu, & calore, plurimùm euariat, vt postea luculentius euadet.

Suffusio vel primaria, vel per cõsensum ventriculi.
Signa distinctiua vtriusque.

Suffusionis primaria varij modi, ac differentia. Gal. lib. 1 de caus. sympt. cap. 2.

Curatio.

Suffusio cùm recens incidit, medicamentis quoque sæpè discutitur vtilia autem huic sunt medicamenta eadem, quæ ad albug. & quæ ad extenuandas cicatrices suprà comprehensa sunt, & quæ mox in hebetiore visu proferentur, præsertim quæ animantium fel excipiunt. Ac molliendum hîc quoque ac laxandum, priusquàm resoluas; vtique si humor nimium concreuerit. Verùm inter initia sanguinem ex cubito mittere oportet, vtique si venæ turgent, & plenitudo subest; alioquin id Rhasis meritò prohibet; aut potiùs aluum ducere expedit iis, quæ pituitam trahunt, atque etiam clystere crebro, cucurbitulas occipitio atque humeris identidem admouere, causticum ceruici imponere vt vlcus inferat, vel etiam setonem transfigere: astringentia temporibus admouere, gargarisando pituitam euocare, caput suffitu, puluere, & assumptis in cephalæa pituitosa & catarrho expositis roborare expedit. Quæ singula nihilominus quomodo propriè oculorum vitiis aptare oporteat, cùm venero ad visûs imbecillitatem dicam. In ea autem quæ stomachi consensu fit, crebrò hierâ purgandus est ventriculus, ac muniendus iis quæ corroborant, vt etiam cruditas & euaporatio arceatur. Licet tamen iisdem in primariâ suffusione non inutiliter vti: plerumque enim duplex initium est. Hæc ergo primis suffusionum rudimentis auxiliantur. Quòd si perfecta suffusio est, & vbi iam vetustior facta est,

Cels. loc. cit.
Topica quali virtute prædita suffusioni adhibenda recens orta.
Phlebotomia quando locũ habeat in suffus.
Reuellentia varia.
Intercipientia, deriuantia, roborantia.
Suffusioni sympathica vt medendum.
Cels. loc. cit.

manûs

manûs curationem desiderat, quæ inter subtilissimas habetur. Ad hanc autem nonnisi certis obseruationibus veniendum, quia in quibusdam superuacua curatio est, in quibusdam sanitas speratur: Nam si exigua suffusio est, si per se immobilis, colorem autem habet marinæ aquæ, vel ferri virentis, aut lucentis plumbi, vel hydrargyri, & à latere sensum aliquem fulgoris relinquit, spes superest. Si magna est, si nigra pars oculi amissâ naturali figurâ, in aliam vertit; si suffusioni color obscurus & nigricans, aut citrinus, aut sine splendore albicans est, & cineritius, & gypso, grandinique similis est; si labat, & hac atque illac mouetur, vix vnquam succurritur. Neque curationem admittit quæ omninò lucem eripuit, adeò vt ne radiante quidem sole splendor internoscatur. Si clauso etiam oculo, laborantis pupilla digito premitur & perfricatur, aut inspiratu fouetur, ac cùm suffusio quasi micans dilatatur, ac rursus in suam figuram, & magnitudinem recurrit, sanabilis est, quemadmodum etiam si dissipatur, ac subinde redit, verùm hæc nondum satis maturuit. At si eadem suffusionis figura & magnitudo persistit, inexpugnabilis est, quia nimium concreuit. Quinetiam si clauso oculo sano alterius pupilla dilatatur & inclarescit, acu restitui visus potest. At nil iuuantur quibus eadem pupillæ amplitudo permanet, quòd prætereà nerui obstructio subsit. Ferè verò peior est, quæ ex grauiore morbo, & maioribus capitis doloribus, vel ictu vehementiore orta est. Neque tolli potest, si destillationes, & grauedines infestant, aut tussis, aut vomitus, aut sternut. impetere consueuit; nam leui motu eripi acies in perpetuum potest. Neque idonea curatio est, si senilis ætas est, ac neque puerilis, sed inter has media. Oculus quoque curationi neque exiguus, neque concauus satis opportunus est. Atque ipsius suffusionis quædam maturitas est, non triennio, aut quiquennio definita, sed tum cùm dilatatur quidem, minimè tamen dissoluitur. Quæ enim diuiditur & diffluit, nondum satis concreta curantem acum eluderet. Itaque eius rei causâ cibis incrassantibus & glutinosis vti conceditur. Expectandum ergo est, donec iam non diffluere, sed durities quædam mediocriter concreuisse videatur. Sed ea curatio verna esse debet, aut certè ante hyemem medio autumno, iam fractis æstibus, nondum ortis frigoribus, ac felicior curatio est tranquillo die, sereno, & loco lucido.

Prognostica in suffus. perfectâ Cels. loc. cit.

Suffusiones quæ sint sanabiles, aut secùs.

Cels. ibidem.

Cels. loc. cit.

Celsus ibid.

Suffusionis maturitas.

Cels. ibid.

Tempus anni, quo paracentesis oculi commodè celebrari potest.

Hæ quidem Medici partes sunt, quas ex Celso, atque Galeno, & Paulo arripuimus, ex quo etiam chirurgiæ ratio constat. Quidquid autem manuum operâ geri debet, expertis circulatoribus committendum, qui quomodo, & quâ parte acum demittere, & quàm leniter acum vertendo suffusionem paulatim deducere infra regionem pupillæ oporteat, iam longo vsu didicerunt. Minimè tamen confidentiùs adeunda suffusionis curatio, neque certi quicquam, vel medicamentorum, vel manûs operâ promitti potest.

Artifices periti adhibendi.

CAPVT

CAPVT XXII.

De Mydriasi, & oculorum Tabe.

Pupillæ dilatatio p.n. semper visum lædit. SI pupilla vel aucta, vel imminuta fuerit, videndi aciem hebetat. Incrementum quidem siue congenitum fuerit, siue post ortum acciderit, semper vitio datur, quòd vniuersam pupillam spiritus animalis implere non possit, sed subitò effundatur & dissipetur; imminutio verò *Pupillæ μείωσις ab ortu contracta, non improbanda.* quæ naturalis est, & in vtero contracta, aciem exacuit, quòd per eam coacto spiritu, conseruetur videndi robur, nec ita ab externo lumine dissipetur. Ad hæc rerum externarum simulacra, vi maiore in crystallinum incidunt, quæ aspectum exactissimè concitant. *Pupillæ μείωσις aduentitia, visioni officit.* Diminutio autem aduentitia vitiosa est, ac visionem offendit, non quidem per se, neque sui ratione, sed quòd prauos consequatur affectûs, cuiusmodi est humoris aquei, vel vitrei absumptio siue defectus, ob quem vacuato interno spatio, vuea *Causa μειώσεως aduentitiæ pupillæ.* tunica in se se concidens contrahitur, & rugatur: vnde pupilla (quæ eius est foramen) necessariò imminuitur, & deterior visio fit: quoniam crystallinus hoc humore destitutus, quo tanquam propugnaculo egebat, externum splendorem citra noxam sustinere nequit, atque quodammodo exarescit. Hæc autem humoris absumptio causam habet, aut oculi phthisim, aut atrophiam, aut corneæ disruptionem, vel vlcus per quod humor *Causa mydriasis.* dimanauit. Amplificatur autem pupilla & dilatatur, distentâ rhagoide tunicâ, subiectis humoribus illic p.n. cumulatis; impleta enim vtris modo distenditur, & vndique distrahitur, vnde ipsius foramen augeri & amplificari est necesse, quode tiam accidit prominente oculo, aut inflammato. *Diuulsio & ruptio pupillæ, visioni nihil aut parum officiunt.* Cæterum diuulsio pupillæ, & ruptio, quovis modo eueniant, visioni nullum insigne incômodum inferre possunt, modò pars illa ceratoïdis quæ ruptioni obiicitur, perspicuitate illuceat. Rumpitur autem ac diuellitur pupillæ extremitas, quâ parte vuea corrugata est ad iridem.

Curatio.

Cels. li. 6. c. 6. In mydriasi pupilla effunditur & dilatatur, & acies eius hebescit, ac penè difficillimè genus id imbecillitatis eliditur. In ea tamen quæ post ortum incidit, leuiórque est, pugnandum est per eadem omnia, quæ in imbecillitate oculorum, proximè dicemus. His enim humor in vuea conclusus & redundans exsiccabitur.

At multò difficiliùs curatur aduẽtitia pupillæ minutio, quã oculi tabes effecerit; nihilominùs tamen ea tentari possunt quæ in simili casu deinceps proponemus. Si verò ex ictu pupilla latior euaserit; vbi iam sanguis *Cels. ibid.* missus est, admotæque cucurbitulæ, supra percussum oculum ad inflammationem inhibendam, non est alienum imponere cataplasma.

Cataplasma ad oculos percussos. ℞. Farin. fabar. mundat. & hordei, ana ℥i. olei ros. ℥ß. cum vitello oui, & succo endiuiæ, aut salicis, aut coriandri aquis, subigantur in

in emplaſtri craſſitiem, quod palpebris ſuperimponatur. Dein verò repreſsâ inflammatione, adiicito chamæmelum & anethum, atque ex iis & fabarum farinâ diluto vino ſubactis comparetur emplaſtrum. Ipſi quoque oculo per eadem indita, quæ in ophthalmia, ſuccurritur, adiecto lapide hæmatit. aut bolo armeno. Poſtremò tepente volucrum ſanguine, quod coiit, diſcutietur. Aut.

℞. Thuris, croci, myrrhæ, an. hæc exactiſſimè læuigata pulueris ſpecie immittantur. Ac ne aliis quidem medicamentis oculi confuſio curanda eſt, in quâ humores ex ictu confuſi, permiſtíque ſunt, citra vllam eruptionem.

Puluis diſcutiens hypoſphagmata.

CAPVT XXIII.

De cæcitate & viſus imbecillitate.

PRæter hæc frequenter ſine manifeſto oculorum vitio, obcœcantur quidam, aut hebetiùs cernunt, quod ἀμαύρωσιν & ἀμβλυωπίαν nominarunt. Cœcitas & omnis viſus imbecillitas fit, vel cernendi facultate læſa, vel cernendi organo malè affecto. Facultas quidem offenditur aut intercipitur affecto cerebro, propriâ facultatis ſede, aut vectore ſpiritu, aut neruo optico, per quem diſtribui debet: Affectûs autem qui oculo inſident, modò partem eius præcipuam occupant, modò aliquam earum quæ humori cryſtallino ſubſeruiunt, de quibus iam dictum eſt, ac de aliis dicendum. Spiritus animalis viſioni addictus ad conuenientem facultatis diſtributionem, exactámque functionem, tum ſubſtantiâ tenuis, tum quantitate multus eſſe debet. Horum ſi quid deſit, imbecilla & obſcura viſio fiet. Cui enim purus, tenuíſque fuerit, ſi paucus is, res propinquas planè diſcernet, at diſtantes minimè videbit, multus autem ſed craſſus & diſtantes & propinquas videbit, ſed non ad vnguem diſcernet. Paucus autem idémque craſſus, neque diſtantia videre, neque propinqua diſcernere poteſt: vbertas enim ſpiritûs videndi aciem protendit, tenuitas autem eandem exacuit. Qui proxima tantùm cernunt, myopes & luſcioſi dicuntur, cùm quidem à primo naturæ ortu non niſi admota oculis vident, ídque exertis propè oculis, palpebris conſtrictis ac ferè conniuentibus: ſubtilior enim ſpiritus luce diffluit, tenebris colligitur, & noctu acutiùs cernit; Quapropter hanc nocturnam aciem dixerunt, quam tunicarum oculi raritas, humorum tenuitas, & ſpiritûs ſubtilitas facit. Contrario iis modo ſenes afficiuntur, cùm enim propinqua non videant, procul diſſita aſſequuntur, quòd ſpiritus craſſior intermedij aëris ſplendore, interiectóque ſpatio extenuetur, & illuceſcat: Atque hæc imbecillitas oculorum eſt, ex qua quidem interdiu ſatis, occiduo dein ſole obſcuriùs, nocte nihil cernunt; hos laborantes ideò nyctalopas appellarunt.

Αμαύρωσις ſeu ἀμβλυωπία quid.

Cauſſæ viſum minuentes, aut abolentes.

Spiritus viſorius qualis eſſe debeat.

Viſûs imbecillitas à ſpiritus viſorij vitio.

Myopes qui dicantur.

Vide Holler. l. 1. Pract. c. 20.

Nocturna acies eiúſque cauſa.

Celſ. ibid.

Nyctalopes qui dicantur.

Thermæ. circuitibus. Quidam in hoc vitio calidis aquis vsi, releuatique sunt.

Altera indicatio quâ oculis prospicitur, per oxydorcica, vel ὀξυωπῆ. Altera superest curationis pars, tota in iis externis collyriis posita, quæ quòd visum acuant & illustrent, Græcis oxydorcica dicta. Hæc autem ferè abstergunt, modicè exsiccant, & attenuant. Licet ergo iisdem etiam medicamentis non inutiliter vti, quæ oculorum nubeculas, & caligines discutiunt, vt quibusdam exemplis conspicuum euadet.

Collyrium. ℞. Tutiæ in vrina pueri priùs præpar. ʒii. aloës succotrin. & sarcocoll. an. ʒi. fellis hirci & accipitris (cui acerrima est oculorum acies, vt & aquilæ) vel gallinac. vel perdicis, an. ℈iiij. margarit. splend. vel lapidis hæmat. (quæ maximè Auicenna probat) & stercoris lacert. an. ʒi. succi fœnic. & euphras. vel rutæ & sampsuc. depurator. an. ℥ii. aquæ mellis ℥iiii. misce, fiat collyr.

Quòd si acrius esse putas, traducetur per filtrum, aut demptis succis, ex earumdem plantarũ aquis paretur; aut cum stillat. aqua hirundinum, vel picarum, hanc enim cum melle depromptam, vel per se, obscuram visionem pristinæ sanitati restituere putant.

Aqua picarum.

Topica idonea, vbi oculi sunt nimis humidi. Cùm oculi nimiâ humoris copia diffluunt, eáque & spiritûs & humores crassescunt, & hebetiùs cernunt, non modò tutiam, sed etiam cadmiam & stibium, & marcasit. ex arte pręparata, & vniones, & lapidem hęmat. & magnetem, & galactiten collyriis vtiliter inserimus. Galenus fel quoduis cum succo marrub. & melle optimo miscet ad obscuriorem visum: sed longè efficacior & præstantior stillatitius hic liquor est quem ad delendas albugines suprà descripsimus; qui etiam multò vtilior euadet, si folia auri x. aut xii. minutissimè concisa in eum coniiciantur, dein benè conclusa phiala pensili soli exponatur, viginti aut saltem quindecim dierum spatio.

l. 4. κατ. τόπ. c. 8. § 12.

Liquor efficax ad obscuritatem visus. Recentissimi flores rorism. phialâ vitrea includuntur, quæ obserata exactissimè arenâ obruitur quatriduo æstiuis ardoribus, aut hyeme fimo equino sepelitur, liquor redditur perutilis oculorum imbecillitati efficacior futurus, si mel antho satum & fœnic. succum depuratum in eam amphoram conieceris, eâ quidem mensura vt horum quadrans satis esse possit. Egregiè etiam hoc visum confirmat, & eius aciem intendit.

Alius. ℞. Succi fœnic. ℥iiii. succi rutæ ℥ii. mellis ℥i. rorism. sampś. & ros. an. ℥ii. fel perdicis & testud. nemor. an. num. i. sacch. candi ʒiii. tutiæ præpar. sem. fœnic. & sileris montani contusor. an. ʒiiß. aloës succotr. sarcocoll. an. ʒii. myrrhæ electæ ʒi. zingib. piper. long. cinamom. & caryoph. an. ℈ii. conterantur hæc, & illis permista concludantur amphorâ vitrea, qua flagrante canicula insoletur mense vno, quotidie agitata, deinde purus humor secretâ fæce in vsum referatur.

Aliud.

Collyrium oxydorcicum. ℞. Picam auem in clibano non admodum aduréte siccatam, & contritam cremata, aut hirundinum capita, semunciæ pondo, succi chelidon.

minor.

minor.ſucci fœnic.& rutæ depurator.an.℥ii.aq.ſtillat. mellis ℥iii.miſce. Ad idem viperarum capita cremantur, cinis melle excipitur, temporibus & palpebris inungitur, viperinus quoque adeps cum melle pari ad oculorum aciem illinitur. Qui interdiu ſatis,noctu nihil cernunt,præter hæc inungi debent humore iecinoris,maximè hircini,ſin minùs caprini,vbi id coquitur,excepto; atque edi quoque ipſum iecur, quandiu calet,eiúſque vaporem oculis excipi oportet,(an quia capras aiunt etiam noctu videre?)Rhaſes pipere longo quàmplurimis locis transfixum in clibano aſſandum præcipit; hinc piper, extractum cum moſchi momento conterendum,ac collecto cruore rigandum, eóque dein ſiccato puluerem comparandum qui in oculos demittatur. Quinetiam iuuat crebra obiter pueri expiratio, qui ieiunus fœniculi ſemen præmanderit,aut nucem moſch,aut cinamom.aut macim, aut caryoph. aut zingib.aut piper longum aut nigrum,aut quidpiam ſimile, nam huiuſmodi halitus,quouis fotu præſtantior eſt. Prodeſt tamen fouere oculos decocto,tum fœnic.euphraſ.rutæ,roriſm.ſampſ.verben. marrub. chelid. quæ in aqua & vino coxerint. Licet etiam vaporem hircini iecinoris, dum elixatur,apertis oculis,& in ollam obuerſis,excipere.

Nyctalopum remedia.

Gal l 4. κατ. τοπ. & Celſ. l.6.c.6.

9.ad Almanſ.c.31.

Pueri halitus.

Fotus oculorum.

℞. Cruoris ex hircino hepate, longo pipere, aut caryoph. confixo, dum aſſatur collecti,℥ii.ſucci chelidon.minor.& fœnic.an.℥iß.aq.mellis ℥iiii.miſce, fiat collyr.Hoc autẽ ſi parum iuuat,ad ſuperiora quæ fel excipiunt recurrendum, & ad ea quæ dixi albugines conſumere, quale eſt quod habet mellis partes iiii.ſucci fœnic.defæcati partes duas,fellis rapacis cuiuſdam alitis,aut hirci partem i.omnibus commiſtis fiat collyr.Si acrimonia ferit aliquantò poſt,ſedari inſtillato lacte poteſt,aut tepente volucrum ſanguine, quem affuſum credidit Auicenna ſpiritûs quoq; illuſtrare,& oculorum ſplendorẽ cõferre.Supra palpebras autem, ad oculorũ aciẽ acuẽdã,non alienum eſt quædã imponere,quale hoc eſt.

Collyrium.

Aliud valentius.

℞.ſem.fœnic.in pelui æneâ exſiccati,& piper.long.an.ʒiß.ſarcocoll. & aloës,an.ʒi.zingib.& cinamom.an.℈ii.ſpic.nard.& croci,an.℈ß.moſchi g̃.ii.exquiſitè conterantur,& melle optimo,vel anthoſato excipiantur,in litûs formam quo inungantur palpebræ horâ ſomni.

Litus ſuper palpebras adhibendus.

Quæ hactenus protuli,oculorum caliginem, & omnem videndi imbecillitatem ex craſſo ſpiritu, & humorum, vaporúmque copiâ, atque nerui obſtructione & pupillæ dilatatione ortam ſanant.Eadem ſuffuſionibus,& albuginibus auxiliantur. Iam autem ſi tenuitate ſpirituum & inopiâ,viſus imbecillior eſt,vt in luſcioſis, quos etiam myopas nominant,vix ei vitio(ſi à primo ortu eſt)ſuccurri poteſt,quòd abinſitâ viſorij ſpiritus imbecillitate id ſit.Cùm autem poſtea diſſipato prætenui ſpiritu, atque tunicarum raritate contrahitur(quod pictoribus, aurificibus, ſcribis,lectoribus,ſtudioſis,& aliis qui intentâ oculorum acie plurimum laborant, plerumque accidit)collyriis leuiter aſtringentibus & refrigerantibus vtendum, citra vllam corporis purgationem; eius rei causâ veterum conſenſu paratur collyrium ex punico malo.

Myopiæ remedia.

℞. Succi

diarrhod.& aromat.rosat.descript.Gabrielis,an.ʒiß.euphras.siccæ ℈iiij. myrob.sacch.conditor.num.j.cortic.citri sacch.condit.℥ß.conseru.flor. rorismar.& stœchad.an.℥iß.conseru. flor. salu.℥ij. cum syr.conseru.myrobal.reducatur in formam opiatæ,sumat loco boli,atque alternis etiam diebus ad quantitatem nucis iuglandis : postea bibendo cochlearia duo aquarum fœnic.& euphras.

Electarium.

Tabellæ.

℞ Pulu.rosat.nouell.& pliris archontic.an.ʒj.diambr. & diamosch. dulc.an.℈ij.puluer.euphras.siccæ & fœnic.an.ʒß. conseru. rorismar.vel stœchad.ʒiij.sacch.albiss.aq.euphras.soluti q.s.fiat electarium in tabellas rhomboïdes pond.ʒiij.detur vna opiatæ loco,superhaustâ aquâ fœniculi.

Ventriculi quoque ratio hic habenda.

Quoniam autem in hoc ægroto ventriculi imbecillitas,& impuritas sæpè oculos malè afficit,ac vapore plurimo offundit,& obscurat,ei quoque succurrendum,& omninò cruditas vitanda est.

Puluis concoctorius.

℞. coriandr.præparat.℥iij.sem.anis.& fœnic.an.℥j. fol.euphrasiæ siccorum ʒiij.corall.rubri vsti & aquâ absynth.loti,rasur.eboris,& margar. splendid.an.ʒij.puluer.diacyton.sine aromatibus,& pulu.rosatæ nouell. an.ʒiß.cinamom.inter.ʒj.piperis longi,sileris mont.& macis,an.ʒß.rosar.rubrar.℈ij.sacchar.rosat.tabulat.ad pondus omnium,fiat puluis : cuius detur cochlear vnum postremâ mensâ, nihil insuper bibendo. Vel mastic.g̃.iiij.deuorentur.

Puluis alius ad oculorum hebetudinem.

Condimentũ. *Tragemata.* *Vinum euphrasiatum.*

℞. Pip.long.nucis mosch,macis,cinamom.cardamom.caryoph.ana ʒj.euphras.siccæ,sem.fœnic.an.ʒij.sesel.ʒiß.zingib.ʒß.sacch.ad pondus omnium , fiat puluis quo fercula respergantur. Aut dempto sacchato, admistóque salis triplo pondere condiantur edulia,aut ex his sacchar0 incrustatis parentur tragemata.Feruente musto recèns ab vuis expresso euphrasia coniicitur; vinum repurgatum , vsu oculorum habetudinem discutit.

Pilulæ.

℞. Myrrhæ elect.sarcocoll.opt.an.ʒiß. cinamom.℈j. agar.rec.℈iiij. follicul.sennæ orient.℈ij. granor pœn.sem.rutæ,sem.fœnic.& euphras. siccæ, an. ℈j. aloës ad pondus omnium : malax. cum succo fœnic. fiat massa pilul. ex cuius ʒj. formentur pil. vj. sumat tres semel in hebdomade,

made,manè. Iis conuenientiſſimè myrob. kebul. emblic. & antim.aliquid accedet, vt etiam rhéi. Neque verò confidentiùs & audaciùs crebrior purgatio vehementioribus inſtituta medicamentis imperari debet; non parum enim ſpiritûs demit, & oculorum aciem infirmat. Quò magis hîc verenda eſt ſanguinis detractio,hac enim & calor & ſpiritûs imminuuntur, ad videndi vſum imprimis neceſſarij. Itaque non niſi in magna plenitudine, & capitis dolore decernenda eſt; tum quippe etiam ſanguinem ex fronte,vel naribus mittere conuenit. Vniuerſim autem purgato corpore vtiliſſimum eſt cucurbitulas humeris aut ceruici admouere; antè etiam cutem ſcapello exaſperare: Et cùm obſtructio metuitur,verticem adurere,vel cauſtico vlcus ceruici inurere,aut funiculum ſetaceum adigere: crebrò apophlegmatiſmis, rariùs errhinis vti,caput ſuffitu & puluere ſuperinſperſo roborare,atque etiam conuenienti cephalicorum decocto abluere.

Valida catharſis rarior eſſe debet.

Sanguinis miſſio cautè adhibenda.

Cucurbitula.

Pyrotica.

Setaceum.

Apophlegmatiſmi,ſuffitus, puluis inſperſibilis,lixiuiũ cephalicum.

Maſticatorium.

℞. Staphyſagr.pyrethr.an.℈iiij.nucis moſch.macis,an. ʒj. cubeb.& piper.long.an.℈ij.conterantur,& ceræ q.ſ.excepta referantur in trochiſcos planos,quorum vnus quotidie manſus pituitam educit crebrâ expuitione reiiciendam.Gagariſmatis iiſdem quibus in cephalæa pituitoſa hîc quoque vtendum eſt,

Gargariſmata.

Errhinum.

℞. Succi anagall. purpur. ſucci fœnic.& ſampſ. depuratorum, vini albi,an.℥iij.miſce.fiat errhinum.

Sternut.

℞. Sampſ.ʒj.melanth.ʒß.piper.alb.& caryoph.an. ℈j. nucis moſch. ſtruthij,& helleb.an.ʒß.fiat puluis naribus afflandus.

Ablutio capitis.

℞. Fol.lauri,ſampſuch.ſummit.fœnic.verber.chelidon. ſummit.betæ,abſinth.rutæ,an.M.ij.folliculor.ſennæ(etenim ſenſuum inſtrumentis præclarè auxiliatur)℥iß.ſem. fœnic.rutæ,an.℥ij. flor. chamæm.ſtœch.& roriſm. an. p. ij. coquantur, affundatúrque ſub finem vini albi optimi ℔iß.aut cogantur in lixiuio ſarmentorum vitis,adiecto vini quadrante: eo caput perfundendum & abluendum eſt bis menſis curriculo; ſed die ſereno id facere. Interim cauere oportet, ne quo frigore, afflatúque lædatur, atque poſthæc curiosè caput abſtergere; eóque lauari pedes manè, aliquanto frequentiùs, & ſemel ſeptenis circui

Pedum lotio.

Visûs imbecillitas ob cerebri vitia. Cerebri autem vitium aut intemperies est, eáque vel simpl[...] cum humore, aut constitutio à tumore p.n. aut obstructio ab h[...] crassioribus humoribus profecta, adhæc continui solutio. Neru[...] *Eiusdem offensa vitio nerui optici.* eadem sunt vitia, ac præcipuè obstructio, ex crassioris humoris [...] quæ frequens esse solet, tum angustia ex tabe, & præthereà d[...] *Eiusdem offensa vitio humoris crystallini.* vi causarum externarum illata. Crystallini humoris vitium rarò [...] peries, sæpiùs continui solutio: Hæc enim omni æquè parti c[...] nis est.

Adhæc glaucoma, quod est crystallini humoris in glaucum [...] scum colorem mutatio, ob quam laborans per fumum & nebu[...] dere se putat. Peculiare autem eius vitium est,è sua sede dim[...] *Geminatæ visionis caussa.* casu, vel ictu, vel aliâ quauis ex causâ. Hæc autem dimotio si [...] aut deorsum fiat, laboranti quidquid obiicitur, geminum & [...] apparet, mutatâ scilicet & diuulsâ rei imagine: Non autem [...] tio in alterutrum fiat angulum, quia tunc crystalloides in ead[...] sistit linea.

Signa cerebri affecti, & caterarum caussarum visionē lædentium. Cæterùm oculorum in varias partes distractio,aut alterius ocu[...] pressio, gemina quoque simulacra exhibet, quòd vtriusque ocu[...] non ad idem rei visæ punctum dirigitur; sed hæc opticis relinq[...] Porrò cæcitatis & imbecillitatis causa in cerebro consistere de[...] ditur; si non solùm visionem, sed reliquorum etiam sensuum f[...] nes offendit. Cerebri autem vitium quale sit propria signa ost[...] Sin id in cerebro non est,in neruo optico,aut oculo est; sed in h[...] *Repentinæ cæcitatis caussa.* conspicuum existit; in neruo planè abditum est. Ac tum item c[...] randum, subitóne, an lentè ac pedetentim imbecillitas ea [...] *Sensim inductæ cæcit. caussa.* rit. Repentina enim cœcitas ex influxu oritur crassi humo[...] neruum opticum obstruit: Sic quidam sine vlla manifesta cau[...] tò obcœcati sunt: At quæ sensim inducitur ex tabe fit. Glauco[...] cæteráque oculorum vitia, aut per se, aut ex his quæ suprà dix[...] spicua sunt.

Curatio.

Aspectus qui plures rerum differentias nobis declarat,eò ma[...] necessarius,ac maiore curâ tuendus. Cœcitas, & omnis visûs im[...] litas, quam vel spiritus crassior, vel optici nerui obstructio,hum[...] cerebri intemperies,aut pituitæ copia parit, remediorum duo ha[...] *Indicationes duæ.* nera,quorum primum cerebro prospiciens,causam antecedētem [...] cit,& auertit.Alterum propriè oculis auxiliatur,quòd iis adhibit[...] *Prima indicatio,quâ cerebro prospicitur.* dedi aciem instauret,& exacuat.Prima curatio suprà quidem in pi[...] capitis dolore comprehensa: Quia tamen quamplurimis viti[...] suum, tollendis eadem necessaria est, (quandoquidem frigidus [...] omnium maximè sensuum functiones infringit atque debilitat) [...] *Cels. ibid.* quædam purgandi formula subnectenda est. Etenim nonnulli cù[...]

qu[...]

nil vidissent, repentinâ profusione alui, lumen receperunt.
nus alienum videtur ex recenti re, & interposito tempore, me-
itis quoque moliri deiectiones. Itaque primùm ac sæpè dein-
ter vtilis est.

Clyster.

℞. Mercurial. malu. orig. calament. puleg. sampsuc. beton. rutæ, M.j. sem.fœnic.ameos, sesel. an.ʒiij. sem.cartam. ℥j. agric. ʒiij. ch. rorism. chamæm. & melil. an. p.j. fiat decoctio ad ℔ i ß. in sol. diaphœn. & hieræ picr.aut bened.an.℥ß. olei rutac.& cha- an.℥iß.mellis rosat.colat.℥ij.fiat clyster; cuius vice,

Bolus purgãs.

℞. Catholic. ʒvj. electar. de citro solut. aut diaphœn.aut indi ma- t diacartam.ʒiiß. misce fiat bolus, qui per se, aut cum aquâ fœ- beton.detur.

Apozema catharticum.

℞. Rad.fœnic.acori,cyperi, calam.arom. & galang.crass.an.℥j.liqui- summit. fœnic.verben. euphras. beton. chamædr. sampf. fumar. & capill.ven. an.M.j. passul.mundat.par.xij.sem.fœnic.℥ß.sesel. culor.sennæ mundat. ℥ij. polypod. querc.rec.& sem. cartam.an. ic.recenter trochisc. ℥ß.flor. stœchad.& rorism. an.p.ij. coquan- qua pluuiali, & in colat. ℔ij. dissolue syr. de stœch. ℥v. mellis & despumati ℥iiij. pulueris macis & nucis mosch.aut diambr.& d.an.ʒj. fiat apozema clarum in sex doses. Quandoque etiam us decoctis lignum sanctum incoquitur.

Catapotia.

℞. Massæ pilul.lucis maior.℈ij. pil. cocciar.aut de agar aut è quin- eribus myrob. aut sine quibus ʒß. malax. cum aquâ euphras. ic. & formentur pilul.vij. Sed longè efficaciores, si illarum ter- orei ℈ß. adiiciatur. Die verò sequenti.

Bolus roborãs.

℞. Theriac.vet.& mithrid. an.ʒß. conseru.ros.& flor.rorism.an.℈ij. charo fiat bolus, quem sumat die sequenti quinque horis ante m. Quinetiam theriaca, & tryphera minor, (quæ ob myrobala- pores inhibet) aut myrobal. Kebuli sacch. conditi ℥ß. conseru. rismar. & stœchad. ac citri, aut nux mosch. condita, cortex citri . Adhæc fœnic. semen,euphras. siccæ, & frequens aromatum, vt macis, caryoph. carpobalsami, zingib. conditi vsus, non pa- videndi aciem instaurandam, & discutiendam oculorum em conferunt. Hæc autem in compositionem referuntur hoc

Varia medicamenta tam cõpositaquàm simplicia, cerebrũ ac sensus roborãtia.

Electuarium molle vsuale, ad idem valens.

℞. Folior.euphras. siccor. & sem. fœnic. an. ℥ß. rutæ, sesel. carpesij, n. maceris,cinamo.& piper.long. an.ʒij. zingib.ʒj.rosar.ʒß croci lis optimi ℔j. succi fœnic. vel euphras. aquæ eiusdem ℥iij. mel lam coniectum succo diluitur, coquitur, despumatur; eo depo- in in id iam coctum, & ad teporem reductum puluis inspergi- exactè in electuarium molle permiscetur: Huius detur quod li integri, aut castaneæ magnitudinem æquet, quotidie super- quâ fœnic.aut euphras. Aut.

Opiata eiusdem facultatis.

℞. Puluer. electar. diambr. & diamosch. dulcis, an. ʒj. puluer.

Collyrium ex ſucco mali granati.

℞. Succi punici mali, quod guſtu medium ſit, ℔j. æreo vaſe, tenui linteo contecto inſoletur dum craſſeſcat, deinde mellis opt. par modus miſceatur, & rurſus inſolentur, & reponantur 20. dies, & dein pixide æneâ, eóque medicamento delinantur oculi ſomnum inituri. Auicenna & Rhaſes ſuccum igne coquunt ad medias, deinde mellis deſpumati parem modum adiiciunt, atque ſimul commiſta ille ſoli exponit, hic rurſus paulum coquit, tandémque viginti dierum inſolatu medicamentum perficit: Id tunicas firmat, & ſpiritus continens, à diſſipatione tutatur.

Auic. 3. 3. tr. 4. cap. 4. Rhaſ. 51. 2.

Hieracij facultas.

Si accipitris imitatione hieracium in oculares facultates inditur, ſic laborantes potiùs quàm nyctalopas iuuat, vim enim refriger. & modice ſubaſtringendi obtinet.

Plin. l. 20. c 7.

Neque id ſine cauſa fit, cùm accipitris acies nimio ſolis ſplendore offuſa & defatigata, eius herbæ ſucco, cui nomen dedit, mirificè recreetur, & in antiquum ſtatum redeat. Itidem præſtat lactuc. ſylueſtris lacteus ſuccus inſtillatus.

Aliud collyrium.

℞. Succi hieracij maioris (quam ſonchitim etiam vocant) aut lactuc. ſylueſtr. ℔j. mellis anthoſ. ℥iiij. aq. roſ. ℥iß. coquantur paululum: dein adiectis decem auri foliolis amphorâ vitreâ rectè concludantur, & ſoli exponantur.

Aliud.

Licet quoque flores roriſmar. & roſas recentes in phialam reponere, & ſub arena aut fimo liquorem elicere, cui deinde hieracij ſucci depurati par modus miſceatur, omniáque aliquandiu inſolentur, commiſto anthoſati mellis ſextante. Aut.

℞. Boli arm. ʒiij. tutiæ præpar. ſang. drac. gummi arab. & tragac. an. ʒiß. tenuiſſimè terantur, dein cum aquæ roſar. ℥v. fiat collyr. quod æſtiuo ſoli 20. dies exponendum, & quotidie agitandum, & obuerſandum.

Fotus oculorum ex aqua. Variæ res oculos lædentes, aut iuuantes.

Cæterùm oculi quandoque aquâ puriſſima fouendi, ac ſæpè diúque in ea æſtiuis ardoribus, & æſtate florente immergendi. At inimica ſunt, ignis, æſtus, demiſſus intuitus, acriora omnia, itémque calida fomenta, & quæcunque ſpiritus exoluunt; obſcuriore autem loco non parum recreantur, & offenduntur lucido & ſplendido quouis candore. Color verò niger, fuſcus, cœruleus, viridis hos iuuat. Sed nil commodiùs ocularibus ſpecillis concauis, & in circumferentia denſioribus, vt tenues ſpiritus colligantur.

Curatio debilitatis viſûs ex humorum penuriâ.

Quòd ſi ex humorum penuriâ, oculi atrophiâ, & corporis ſiccitate videndi imbecillitas acceſſit, lenibus collyriis, ex mucag. cydonior. lini, althe. aut tragac. cum lacte muliebri & albo oui vtendum eſt; aut ſolo lacte, aut recentiſſimo butyro, quod lenit, laxat, & polit; fouendíque oculi ex aquâ in qua violæ, maluæ, lini ſem. & althæ. & cydon. coxerint, ac ſubinde dulcis aquæ balneum imperandum, & ad tepentis aquæ vaporem facies inclinanda. Naribus autem & auribus oleum amygdal. dulcium infundendum, & reliqua eadem quæ ſuprà dixi facienda. In vtraque autem, id eſt, & ſiccitate, & ſpirituum diſſolutione, illis cibis vtendum qui maximè corpus alere & implere conſueuerunt, vt vino,

Curatio debilitatis viſus ex humorum ſiccitate, & ſpirituum defectu.

ouis,

ouis,oryza & similibus, & interim quiete & otio perfruendum, vitandáque omni modo causa quæ spiritûs exhaurit,ac dissipat,vt euacuatio immodica,vigiliæ,venus,& occasio quæ lacrymas excitet, curáque domesticorum,& acria medicamenta,& acres cibi,quæ non aliò magis nomine his nocent, quàm quòd lacrymas mouent. Crystalloidis autem, quemadmodum & humoris vitrei vitia ferè perpetua sunt, siue enim ille è propria sede dimotus,siue nimiopere crassescens,& densatus, aut alioqui pristinum splendorem amittens, atque in fuscum aut glaucum colorem mutatus,curationem non admittit.

Cels. ibid. Quædam humorum oculi vitia incurabilia.

CAPVT XXIV.

De Strabismo, & paralysi, quæ motum oculorum impediunt: necnon de quibusdam palpebrarum vitiis.

INterdum quoque euenit modò in altero oculo, modò in vtroque, vt contractis musculis ambo non eundem conspectum præstent,quæ oculorum deformitas est, & conuulsio, strabismus nominata. Oculi infantium ab incunabulis distorti & obliqui, in rectum & viuum aspectum diriguntur rebus obiectis aduerso situ constitutis; ergo lucerna & micantes gemmæ, aut vitrei globuli colore distincti,aut aliud quod aspectum moueat, opposito situ iis obiicitur, quæ sæpè dirigant aciem, & in aduersum conuertant. Sic cùm in nasi angulum contorquentur, stipulas palmeas, aut gemmantes pauonis pennas angulis qui tempora respiciunt, apponere conuenit, vt visu ad has continenter directo oculos emendent. At in grandioribus id vitium corrigi vix potest; si tamen recens conuulsio est, aut etiam resolutio, per quam affectis quoque neruis secundæ coniugationis, oculorum motus perit, sic vt iis nequaquam intendi possint; In vtrâque eadem circa caput facienda sunt,quæ suprà in paral. dixi,paucis tantùm adiectis: siquidem admouendæ humeris cucurbitæ sunt, & oculis digerentia & siccantia collyria imponenda,quæ ad caliginem & oculorum hebetudinem conscripta sunt.

Strabismus quid. Cels. ib. Curatio strabismi in infantibus. Curatio eiusdem in natu grandioribus. Cucurbitulæ. Collyria digerentia & siccantia.

Palpebrarum vitia & ipsa quoque diuersa sunt: sæpe enim scabies infestat, quæ psorophthalmia, & pruritus qui xerophthalmia Græcis, Latinis arida lippitudo dicitur: neque enim tument, neque fluunt oculi. Vtrumque ab humore fit calido & acri, vel salso & nitroso, à quo cilia rubent, & exasperantur, ídque modò cum prurigine [illegible], modò cum leui exulceratione. Quidam prætereà cum asperitudine crassas & duras palpebras habent.

Psorophthalmia. Xerophthalmia. Causæ horum affectuum. Signa eorundem.

Curatio.

Prognosis, ex Cels. ibid. Quantò minor vitij huius impetus, tantò finis minùs expeditus est. In hoc autem purgandum corpus iis quæ humores exustos in melancholia educere diximus. *Purgatio, & venæsectio.* Atque si rubor & ardor ingens illius ambitum obsidet, sanguis etiam mittendus, & reliqua omnia facienda quæ acres epiphoras intercipiunt. *Topica.* Quod verò ciliis est impactum, crebris balneis & fomentis emollientibus ex malu. althæ. violar. fumar. endiu. hord. lentium, lini, fœnugr. decocto & vapore eluendum est; dein collyriis dissipandum & prorsus discutiendum. In id autem idonea sunt, quæ ad epiphoras & carnosum panniculum scripta sunt; particulatim tamen infestante solo pruritu, oculum fouere iuuat aquâ rosar. in qua ferrum candens sæpè restinctum sit, & oui album succo portul. & intybi subactum imponere; aut virens intybum contritum cum rosaceo super palpebras dormituro illigare. Quòd si per hæc parum proficitur:

Cataplasma. ℞. Lentes exempto cortice, rosas rubras, rhus obsonior. & succum punici mali, quæ simul intrita sapâ conspergantur, & emplastri modo imponantur. At longè efficacior est aqua rosar. in qua parum aluminis, aut cuperosæ, aut æruginis solutum sit, ita namque veteres acria commendârunt, vt lacrymas prouocarent.

Collyrium. ℞. Tutiæ præpar. ℥ß. lapidis hæmat. ʒiß. aloës ʒi. rosar. siccar. ℈ii. croci, & caphuræ, ana ℈i. tenuissimè terantur & coquantur in vini generosi, & aquæ rosar. ana ℔. ß. ad medias, & vtere. Vbi inueteratum malum est, stibij & floris æris, ana ʒi. cadmiæ lotæ ʒii. addidisse iuuat. His igitur scabies vehemens exsiccatur. Collyrium autem aptissimum est, quod sequitur.

Linimentum, aut collyrium. ℞. Tutiæ præpar. cadmiæ elotæ, an. ʒiß. ceruſ. lotæ, & lapid. hæmat. ana ʒj. lycij ℈ij. corall. rubr. marg. splendid. ana ʒß. singula primò, dein omnia simul tenuissimè terantur, & cum aqua rosar. factâ infusione gummi tragac. excipiantur in modum litûs, aut fiat collyrium mistis omnibus cum aquâ plantag. in qua ferrum candens sit restinctum. *Cels. ibid.* In hoc genere valetudinis quidam crassas & duras palpebras, & alcyonio, & ficulneo folio, & asperato specillo, & interdum scalpello eradunt, vt scabra læuigentur, versásque quotidie medicamentis suffricant. Quæ neque nisi in magnâ, vetustáque aspritudine, neque sæpè facienda sunt, nam meliùs eódem propositis medicamentis peruenitur. Si verò scabri sunt oculi, quod maximè in angulis esse consueuit, possunt eadem prodesse quæ proximè descripta sunt. Sed vt hæc medicamentis, sic alia palpebrarum vitia scalpello & manu potiùs curantur; vt palpebræ inuersio, quam & ἐκτρόπιον Græci vocant.

CAPVT

CAPVT XXV.

De Rhyade & encanthide.

EX curatione autem vnguis, quemadmodum & ex Ægilope, & ex humoribus & medicamentis acribus interdum maioris anguli caruncula imminuitur aut absumitur, quod malum Rhyas nominatur, ex quo & angulus latior fit, & inuoluntariæ lacrymæ continenter effluunt. Curari sarcoticis id debet.

Rhyas quid, & eius causa.

Curatio.

Puluis sarcoticus.

℞. Sarcoc. nutritæ ℥j. aloës succotrin. lotæ, & thuris, an. ʒiß. boli arm. & lapid. hæmatit. an. ℈ij. fiat puluis, qui specillo inspergatur, vel cum aqua rosar. in qua tragac. ʒj. infuderis, fiat litus.

Litus.

Cels. ibid.

Encanthis quid, & eius causa.

Curatio.

Cels. l. 7. c. 7.

Fit & in angulo parciùs vngue exciso, vel aliter tuberculum quod palpebras parum diduci patitur, ἐγκανθὶς Græcis dicitur, id est, naturalis eius carunculæ incrementum, rhyadi oppositum. Exedi autem medicamentis acribus potest, quibus vngues exeruntur; At si insigniter eminet, excidi hamulo & circumcidi debet, hîc quoque diligenter temperatâ manu, nequid ex ipso abscindat; tum exiguum linamentum respergendum est, vel cadmiâ, vel atramento sutorio, & in eum angulum diductis palpebris inserendum supráque deligandum. Aut:

Puluis catharereticus.

℞. Vitrioli, alum. vsti, & gummi, an. partes æq. omnia mista sic in vsum referantur, vt vicina non attingant. Validius comparabitur id medicamentum aucto atramenti sutorij modo, pro tuberculi magnitudine, eâ tamen moderatione, vt id tantùm absumatur, quo maior caruncula est, quàm naturaliter esse debeat.

CAPVT XXVI.

De Ectropio.

Ectropion quid, causa, & curatio.

Hic affectus palpebræ inferioris inuersio est, vel ex crassa cicatrice, vel ex hypersarcosi. Si ex sarcomate est, eadem ratio medicinæ est, quam in encanthide nunc posui. Si ex cicatrice est, id ferro curandum, & inungendum medicamentis exedentibus, & dein ad planiorem cicatricem perducentibus.

Cels. ibid.

CAPVT XXVII.

De Crithe, tuberculo palpebrarum.

Celſ. ibid. *Hordeolum quid, & eius cauſſa.* *Curatio.*

IN palpebris ſuper pilorum locum, ſæpè tuberculum naſcitur paruulum, in abſceſſum ferè deſinens, quod à ſimilitudine hordei, à Græcis κειθὴ, à noſtris hordeolum nominatur: At ſi durus eſt, & difficulter matureſcit, grando appellatur; Id vel calido pane, vel cerâ ſubinde calefactâ fouere oportet, ſic ne nimius is calor ſit, ſed facilè in ea parte ſuſtineatur; hac enim ratione diſcutitur ſæpè, interdum concoquitur, quemadmodum diachyl. impoſito, aut etiam ammoniaco, opopanace & ſimilibus, cùm præſertim obduruit.

Palpebrarum pediculi, ac pilorum defluuium. *Pili palpebrarum oculum irritantes.* *Ancyloblepharon.*

Ad palpebrarum pediculos, ac pilorum defluuium, quibus vtendum ſit, iam conſtat, ex iis quæ ſuprà dixi. Pilorum autem inuerſio quæ oculum irritat, & palpebræ inter ſe cohærentes, aut cum oculi albo glutinatæ ex negligenter curato vlcere, maius in manu, quàm in medicamentis auxilium habent; de quibus, déque enarratis oculorum & palpebrarum affectibus, quâ ratione ſcalpello & manu curentur; à Celſo lib. 7. cap. 7. Paulo lib. 6. c. 8. Aëtio, Rhaſi, & aliis optimè tractatum eſt.

CAPVT XXVIII.

De Ægilope, & fiſtula oculorum.

Ægilops quid

ÆGilops phlegmone eſt furunculo ſimilis, ſed nihilominus deterrima, quæ inter angulum oculi maiorem, & naſi radicem attollitur. Dolor & diſtenſio vehemens eſt, & maior quàm pro magnitudine tumoris, rubórque ingens eius ambitum obſidet; Cauſa feruentis & bilioſi ſanguinis fluxio eſt, è prominentibus frontis & temporum venis in eam effuſa, quæ ſummis naribus iuxta oculi angulum inſidet, quâ vel ruptâ, vel apertâ, vel exesâ, ſanguis ſubter cutem fuſus phlegmonem parit. Ex phlegmone minimè diſcuſsâ abſceſſus fit, ſanguine vtrique in pus conuerſo; Hoc autem modò exulceratâ ſummâ cute, maturè foràs exit; modò diutius coërcitum cuniculos agit, & vicina quæque corrodendo ſinuat. Ex quo fiſtula relinquitur, quæ interdum etiam aliis abſceſſibus ex frigidâ materiâ factis ſuperuenit. Hæc in oculi angulum ferè deſinit, eóque pus eructat, tum maximè cùm ſinus digito premitur, qui effuſo pure ſubſidet, dum ſimili colluuie denuò repleatur, quod aliis citiùs, aliis tardiùs fit; Nonnunquam etiam exeſo oſſe (quod & vicinum, & tenellum eſt) vſque ad nares penetrat, per quas pus aſſiduè deſtillat, tetérque ſpiritus redditur.

Signa. *Cauſa.* *Abſceſſus.* *Fiſtula oculorum.* *Celſ. ibid.* *Caries oſſis naſi.*

Curatio.

Curatio.

Phlegmone oriente auertendus is materiæ aditus eſt per venæ ſe-ctionem, cucurbit. & medicamenta quæ ſimul & reprimunt, & refrige-rant, dein ad ea veniendum quæ digerunt, & reſoluunt; In vniuerſum eadem quæ cæteris inflammationibus, hîc neceſſaria ſunt. *Curatio ægilopis & abſceſſus.*

Repellens.

℞. Succi plantag. ſemperuiui, vel ſolani, ana ℥j. boli arm. ſang. drac. an. ʒj. ſantal. alb. & rubr. an. ʒß. roſ. rubr. ℈j. miſce, illinatur phle-gmone: aut linteola ſternantur quæ ſtillatitiâ aquâ roſ. myrti & plantag. madeant, & apponantur. *Collyrium.*

Reſoluens.

℞. Fol. althe. malu. ana M. ß. farin. lini ℥i. flor. chamæm. aneth. & melil. ana ʒi. coquantur in aqua & colo traiiciantur; dein adde olei chamæmel. ℥iii. fiat cataplaſma, quod validiùs digeret, adiectâ fœnugr. farinâ; validiùs, addito iridis puluere ad ʒiß. validiùs, ſi omnia in œno-melite & ſucco apij coxerint. *Cataplaſma.*

Suppurans.

℞. Radic. lilior. & althæ. aut (ſi phlegmone minùs calida eſt, & ægrè ſuppurat) radic bryon. vel cæparum, ana quart. ß. fol. malu. & viol. aut acanthi, ana M. ß. ficuum præpinguium, & paſſul. ana par. viii. coquantur & contuſa, colóque traiecta reduc in cataplaſ. addendo fa-rinæ tritici & lini, ana ℥i. butyr. rec. ℥iii. vitell. oui i. croci ʒß. Matu-rare ſimiliter poteſt cataplaſma ex mucag. lini, fœnugr. extractâ ex de-cocto ficuum, in quo farina tritici ſoluta, coctáque ſit, adiecto oleo & oui vitello. Aptiſſimum quoque eſt baſilic. aut diachyl. butyro li-quatum, vel oleo liliorum, parcè tamen oleis vtendum, quòd locus oculo vicinus ſit. *Aliud.* *Aliud.* *Cur olea hîc ſuſpecta ſint.*

Licet etiam miſcere æquis portionibus ammoniacum, opopan. aloën, pondúſque addere myrrhæ dimidio minus, atque ſub his tumor & ſuppurat, & rumpitur. Quòd ſi non maturè aperiatur, ſcalpello puri via facienda eſt, vel etiam ante perfectam matura-tionem, ne id morâ vicinum & tenerrimum os corrodat. Cætera quæ pertinent ad purgandum vlcus, ad implendum, ad cicatricem inducendam, proximè exponentur. *Abſceſſus apertio.*

Fistulæ curatio.

Prognostica. Cels. ibid.

Si abſceſſus in fiſtulam peruenit, quod creberrimum eſt, difficilè ſaneſcit, & aſſiduè malè habet oculum, quantóque angulo propius id foramen eſt, tantò difficilior curatio eſt, quia peranguſtum eſt in quo verſari manus poſſit: quibus multum mali accedit, ſi corpus vel ægrum, vel ſenile, vel mali habitûs eſt: Recenti tamen re mederi facilius; nam recens ſinus atque fiſtula carne ſuâ circumuoluitur. Cûm autem eius latera vetuſtate occaluerunt, multò ægriùs. Quòd ſi prætereà ſubiectum os vitiatum eſt, omnium difficillimè, vt non niſi ferro ſuccurri poſſit. Quod etiam ſuperuacuum eſt, & inutile, quibus exeſo oſſe ea in nares penetrat; ex quo in tres partes diuidi tota curatio poteſt. *Triplex huius mali status.*

Sinus nōdum calloſi curatio. Primùm ergo antequàm ſinus occalluerit, iam expreſſo pure, fiſtula eluatur aquâ rutæ & melle vnà commiſtis, & impleatur ea cauitas arundinis molliſſima lanugine, quæ inter nodos radici proximos inuenitur. Dein emplaſtrum diachalcit. ſuperimponitur, ſupérque linteola vino rubro imbuta, in quo roſæ & chamæm. coxerint, inſternuntur: hæc autem quotidie renouanda, dum exactè purgatus is ſinus fuerit. Purgari etiam *Linimentum detergens.* poteſt linimento quod myrrhæ duabus partibus, vini generoſi & ſubauſteri, melliſque roſati ana parte vna conſtet. *Modus vtēdi.* Inuoluendum autem bombace ſpecillum eſt, & in eo medicamento intingendum, & demittendum in fiſtulam, & leniter ibi inuertendum; rursúſque linamentum inuolutum, eodem medicamento illinendum, & inſerendum eſt. Recentem quoque ſinum purgat agrimonij, & apij, vel abſinth. & rutæ ſuccus cum melle roſ. aut ſyr. abſinth. adiectâ myrrhâ, vel tereb. vt:

Vnguentum etiam detergens. ℞. Succi apij & agrimon. ana ℥ß. mellis roſ. ℥i. coquantur aliquantùm, dein adde farinæ hordei ℥ß. percoquantur in vnguentum, commiſcendo ſub finem tereb. ʒii. myrrhæ ʒi. ſi craſſiùs pus erit, radicis irid. ʒi. adiicietur. At fiſtulam ex lue contractam optimè purgat decoctum gaiaci, cui mel quoque roſatum inſit. *Sarcoticorum materia.* Purgatus ſinus, dein ſarcoticis explebitur, quæ ferè eadem ſunt omnia cephalica, & validè ſiccantia, vt ariſtol. iris, aloë, myrrha, thus, manna thuris, reſina, ſarcoc. cum ruta, chamædry, aut betonica & abſinth. *Auenzoaris remedium.* Auenzoar. thuris corticem, aut thus igne deflagrans crebrò ſtillatitiâ roſ. aquâ extinguit, hanc oculo inſtillat, expreſſo iam pure, ipſa enim vel integrâ cute iuuat. *Puluis.* Sunt qui puluerem ex conchularum, aut limacum teſta, aloë, myrrhâ, & thure vnà commiſtis in apertum ſinum inſpergant; aut ea melle excepta, in litûs ſpeciem, quod vt dixi ſpecillo & linamento inditur. Quinetiam ceratum ex iiſdem comparatur, quod recentes fiſtulas ægilopas perſanat.

Ceratum ad ægilopas. ℞. Myrrhæ, aloës lotæ, thuris, ana ʒii. ſarcoc. ſang. drac. ceruſ. ana

ana ℥iß. pulueris testar. cochlear. ℥i. opopan. aceto soluti, & lapidis hæmat. ana ℈ii. croci ℈i. ceræ & resinæ, ana ℥iß. misce, fiat ceratum, vt artis est. Vel.

Linimentum. ℞. Radic. peuced. aristol. rot. ana ℥ii. radic. arund. & cortic. & cortic. pini ana ℥iß. radic. ireos ℈iiii. myrrhæ electæ & cortic. thuris ana ℈ii. excipiantur omnia mellis rosat. q. s. in litus formam, si verò latera iam callo obduruerint, & putris, inutilisque caro subest, adde ærug. ʒß. aut paulò plus. *Fistula iam callo obducta medela.* Callum etiam absumit ægyptiaci, vel apostol. ℥i. duabus aut tribus basilici, vel cerati alterius subacta & vnita; vel potiùs melle ros. vel syr. de abs. permista. Prodesse similiter potest mercur. puluis melle exceptus, aut cum alumine vsto; vel puluis ille mellis vice vnguento ægyptiaco exceptus, vel ammoniac. aquâ vitæ solut. permisto ærug. sextante, vel quadrante, vel triente, proüt sinus magis aut minùs occalluerit; aut quod flore æris, alumine, & melle æquè mistis constat. *Varia medicamenta callii exterentia.* Quin etiam vitri puluis tenuissimus, fistulæ inspersus mirè desiccat. Adhæc aloë similiter cum manna & myrrha.

Hæc etiam fistularum callos exterunt, centaur. & chelid. succus; iridis quoque succus infusus. *Iniectiones ad fistulam. iachrymalē.* Item ruta satiua vnà cum lixiuio contrita, coctaque & indita, aut quod habet herbæ chelidon. & agrimon. ana M. ß. hæc coquantur in ℔. ß. aquæ vitæ ad medias, quæ percolatur, & duæ aut tres guttæ iniiciuntur. Interim autem oculo imponendum est linteolo molli exceptum oui album, & suprà, quod inflammationem coërceat, atque ita deuinciendum. Quod autem sequitur, fistulam expurgat, siccat, tandémque persanat.

Iniectio præstantissima, ex aqua stillatitia. ℞. Fol. agrimon. & chelidon. maior. in vino albo macerator. ana M. i. floris æris ℈ii. aloës, thuris, sang. drac. stib. alum. sarcoc. ana ℥ii. alcyon. ℥i. boli arm. balaust. ana ʒß. conterantur hæc, & cum agrimonio madente vincta in vaporium vitreum demittantur ad eliciendam aquam, cuius guttæ aliquot in fistulam sæpè instillentur; Huic finitimum est Rhasæ collyr. quod pulchrè admodum ægilopas fistulas emendat.

Collyrium Rhasis, lib. 9. ad Almans. cap. 33. ℞. Aloës, thuris, sang. drac. sarcoc. balaust. stib. alum, ana ærugi-nis quantùm pendet quarta pars vnius: hæc trita, & plantag. succo subacta, in collyria redigito, cúmque vtendum est, fistulam premito vt pus exeat, ægróque in sanum latus decumbente, iam descripti collyrij in succo plantag. aut decocto immaturæ gallæ dissoluti, tres aut quatuor guttas vicissim instillato, sic vt non antè demittatur, quàm prior insilierit. Interim eo modo decumbens æger duabus horis persistet. Id autem bis aut ter quotidie fieri debet, postridiéque eadem facienda sunt, & deinceps maioribus interuallis, cùm scilicet compressa fistula pus emittit; sub hac enim curatione locus diu siccus manet. *Fistula oculorum cum ossis carie complicata, diagnosis & curatio.* Atque id recentem fistulam curat, inueteratam fucat: quod intelligi & ex vetustate mali potest, & quia tenui specillo in vlcus immisso, tenue os inæquale, asperúmque deprehenditur.

Ita

Chirurgia. Itaque vbi primùm quò maximè fistula ferat, specillo exploratum est, excidi is sinus rectà vsque ad os debet, aut scalpello, aut nouaculâ, semper obseruatione adhibitâ, ne oculi angulus lædatur, in quo difficilis cautio est; Ideóque potiùs in hac sectione infrà declinandum, dein *Cels. ibid.* linamenta in oui albo tincta induntur, sic vt vulnus amplificent. Postero die ossis corruptela detegitur, túmque oculo & cæteris iunctis partibus benè obtectis, os tenui ferramento adurendum est vehementiùs, sic quoque vt infrà potiùs id vergat, & in nasi apicem potiùs quàm in oculum. Sed & oculi gratiâ per subtilem fistulam id demittere licet, aut oculum præmunire emplastro, aut (quod tutissimum puto) bombacem, mollissimámve lanam candido oui liquore imbutam oculo adhibere, eíque cochlear argenteum, æneúmve superimponere. At ferramenti figura ex cariei magnitudine deligenda est, feréque claui retusi modo accommodatissima esse consueuit. Sunt qui cùm os iam carie affectum est, adurentia imponunt, vt atramentum sutor. vel ærug. vel pastillos causticos, vel alchimistarum fortem aquam ex specilli mucrone, bombace inuoluto. Sed per ferrum candens expeditior, & tutior curatio est, cum eo tamen vt sciamus, exasperato leuiter tantùm & nigricante osse rasuram sufficere, post quam quid fieri debeat, suprà comprehensum est. Osse verò adusto dolor lenietur oui luteo cum rosaceo, dein squamma resoluetur, in ídque lenticulas decoquito, & cum melle vtitor, vel butyro recenti, vel basil. vnguento.

Pyroticum ægilopicum. Caustica medicam.

In carie ossis superficiali derasio adhibenda.

Medicamenta squammam ossis resoluentia.

SECTIO TERTIA.

De Aurium morbis, & Curationibus.

CAPVT XXIX.

Aurium inflammatio.

Verba Cels. cap. 7. lib. 6. HACTENVS in oculis ea reperiuntur: nunc ad aures transeundum est, quarum vsum proximum à luminibus natura dedit; has sæpè & crudelissimè inflammatio exercet: ea fit sanguine plurimo & acri, è meningum venis in internas aurium membranas profuso. In hac grauitas est, distensio, calor, & molestissima pulsatio, hincque dolor intolerabilis, qui cum febre interdum etiam ad dementiam, mortémque præcipitat: sanguis enim angustissimè coarctatus ac putrescens membranas acrimoniâ ferit, & copiâ distendit, atque diuellit, vix ruborem, tumorémque ostentans: Itaque iuuenes quibus est sensus acutior sæpiùs quàm senes huius inflammationis, dolorísque vehementiâ periclitantur.

Causa inflammationis aurium.

Signa diagnostica. Cels. ibid.

Prognostica.

Curatio.

Ergo vbi primùm inflammatio notata eſt, ſanguinem mittere oportet, & fluxionis impetum reuellendo cohibere, dein quod impactum eſt digerere, aut eius ſuppurationem promouere. Itaque poſt humerariam ſecetur vena ſub aure. Si id aliquæ cauſæ prohibent, aluus leni medicamento ſoluenda eſt, ac nihilominùs vincula & frictiones cruribus adhibendæ, cucurbitulæ ſcapulis admouendæ, ac reliqua facienda, quæ ſanguinis ardorem compeſcunt, impetúmque ſedant.

Indicationes
Venæſectio.
Celſ. ibid.
Reuellentia varia.

Repellentia hîc ferè dubia videntur, parúmque tuta ſunt in materiæ copiâ, vbi laxanda potiùs via eſt, vt arctiſſimè coërcitus calor exhalet, ac dolor temperetur: ſemper enim metus eſt, ne humor in partem principem refluat, néve dolor exaſperetur, eâque vi fluxio increſcat. Neque tamen collecta fluxio calidis protinus, & attrahentibus tutò diſcutitur, quæ irruentem humorem pleniùs in affectam partem alliciunt, vnde auctâ materiâ, diſtenſio, dolórque intenditur. Itaque eâ lege temperanda ſunt omnia, vt neque adſtringentibus dolor exaſperetur, neque lenientibus euocetur fluxio, ſed modo quodam leniter reprimatur. Non enim hîc vt in parotidibus repellentia prorſus interdicta ſunt, quòd non niſi paucus humor ex inflammatâ aure in cerebrum remeare poſſit, quódque medicamenti exigua quantitas in aurem demittitur, quam facilè calor euincit. Statim igitur ſi mediocris inflammatio, roſaceum, quod omphacinum eſſe præſtat, & oleum è floribus ſalicum, vel ſi hoc deſit, myrthinum modicè ad auris ſenſum tepefacta, cum aceti momento in aurem blandè per imbutam expreſſamque lanam infundito, ea lanæ flocco excepta, paululúmque refrigerata foris admoueto, aut roſacei ℥ß. aceti, aut ſucci punici mali ʒi. in ipſius cortice coquito, dum acetum exhalauerit, dein addito caphuræ gran. iiii. lac quoque muliebre proprio calore tepens, ſubinde cum oui candido auri inſtillato; aut candidum oui liquorem ex aquâ roſarum, nymphææ, ſolani, aut violarum, aut depurato ſucco parietariæ, polygoni, cucurbitæ ſubactum, admixto etiam roſaceo. Rectè etiam ſalicis foliorum & corticum ſuccus cum roſaceo, in cortice mali punici feruefactus, tepidè infunditur. Quinetiam paſtilli è glaucio veteribus vſitatiſſimi, ſi nunc extarent, efficaciſſimi notantur. Quorum vice trochiſci albi Rhaſis, cũm vſus exigit, lacte vel roſaceo liquati in aurem dari debent. Aut:

An repellentibus hîc vti liceat.
Repellentium modicus vſus non penitùs interdictus, ad fluxionem reprimẽdam.
Medicamẽta principio morbi accommodatiora.
Olea.
Lac muliebre.
Alia mixſtara tũc idonea.

℞. Trochiſcorum Rhaſis cum caphura ℈iiii. olei roſacei ℥i. albuminis oui vehementer agitati ℥ß. aquæ plantaginis, & nymphææ, ana ℥i. agitentur ſimul, & in cortice mali punici tepefacta inſtillentur. Vel:

In aurem inſtillandum medicamẽtũ.

℞. Succi ſemperuiui, aut ſolani, & olei roſati omphacini, ana ℥ß. lactis muliebris ʒii. agitata tepidè inſtillentur. Aut:

Aliud.

Aliud collyrium auriculare.

℞. Mucilaginis ſeminis pſyllij, & cydoniorum, ex aquâ roſarum depromptæ, ana ℥ß. collyrij Rhaſis ʒi. olei roſati ℥i. aquæ ſolani & calicum roſarum, an. ℥iß. Miſce, fiat collyr. cui addes cùm vſus requirit, lactis recentis partem mediam. Hæc refrigerant & dolorem leniunt, fluxionis vim temperant, nec ita aſtringunt.

Anodyna ſelectiora, vrgente acerbo dolore.

Huc etiam facit oleum decoctionis cancrorum fluuialium, vt eſt apud Sym. Sethi, c. de cancris.

Narcotica.

Opij correctio modò croco, modò caſtoreo perficitur. Galen. 3. κατ.τόπ. c.1.§.3. & 8.

Compoſita narcotica officinalia.

Si dolor eſt acrior, ſecundo iam die præſtantiſſimum eſt ouum recens, aut ipſius luteum, roſaceo, aut violaceo, aut oleo è ſemine cucurbitæ, aut è nymphæa, aut è lacte muliebri ſubactum, molliter auri immiſſum: aut ſingulare ouorum è vitellis oleum, aut columbæ iugulatæ ſanguis calens auri ſenſim inſtillatus, aut oleum amygdalarum dulcium, in quo aſelli (millepedas vocant) aut lumbrici coxerint. Si ne ſic quidem miteſcit dolor, quin potiùs acerrimè cruciat, & conuulſionis & ſyncopes metum incutit, ad narcotica veniendum eſt; In idque oleum è papauer. infunditur, foriſque illinitur: aut opij tantillum, caſtoreo crocóve repreſſum, & lacte muliebri, vel roſaceo, vel oui candido, vel paſſo exceptum demittitur. Sed in inflammationibus croco, in vlceribus caſtoreo potiùs corrigitur. Atque ſi continua vigilia eſt, croco non caſtoreo opium retundito: miſceri autem opio caſtoreum oportet multo ante vſum tempore, atque ita componi, vt in vehementiſſimis doloribus pares ſint vtriuſque portiones, in mitioribus caſtorei duplæ. Compoſita verò ad inflammationem & dolorem leniendum hæc ferè ſunt, Philonium lacte dilutum, donec ſatis liquidum ſit, trochiſci ſtellæ, trochiſci è croco Meſuæ, ſapâ aut lacte ita ſoluti, vt in aurem inſtillari poſſint. Aut hoc modo.

Suffitus auricularius humidus.

℞. Folior. ſalicis, ſaluiæ, & hyoſcyami, an. m.ß. florum chamomil. melilot. & roſar. rubr. an. p.j. coquantur, & vapor illinc expirans benè moderatus, in aurem recuruo corniculo euehatur. Aut:

Iniectio in aurem.

℞. Aſellorum par. x. lumbricorum terræ, Numer. v. olei violarum & è papauer. ana ℥iß. aceti & mucilaginis pſyllij extractæ cum aquâ roſar. ana ℥ß. coquantur donec acetum exhalauerit, demum addatur lactis muliebris ℥ß. & in aurem crebrò guttæ aliquot infundantur. Vel:

Alia.

℞. Olei violarum, & è papauer. aut olei de vitellis ouorum, aut lactis muliebris, ana ℥i. philonij Romani ℈i. Miſce, donec hoc diſſoluatur.

In maximo dolore præſtat nihil infundere, ſed ſolũ fouere aurem.

Somnifera

Repreſsâ fluxione, chalaſtica, digerentia, aut ſuppurantia.

Sed præſtat in maximâ doloris acerbitate, nihil planè infundere, & potiùs ſuperdatâ tepente lanâ, quæ medicamento imbuta ſit, aurem molliter fouere, quandoquidem vix citra offenſionem audiendi neruus inſtillati liquoris contactum ſuſtinet, niſi paulùm remiſſo dolore. Si vehemens inflammatio ſomnum ex toto prohibet, præſcribi ea debent quæ in phrenitide & capitis dolore ſomnum conciliare diximus. Biduo, triduóve ſic fluxione repreſsâ, deinceps quæ modicè relaxant, leniunt, & digerunt, aut materiam concoquunt, adhibere conuenit.

Ad

Ad hæc autem adeps anſeris,anatis,Gallinaceus aut vulpinus, aut leporis,aut medulla cruris vituli roſaceo,(oportet autem digerentia repellentibus primùm miſceri)aut ſeſamino, aut amygdalarum dulcium, aut irino,aut, in quo lumbrici cocti ſint, aut è lini ſemine ſubinde in auris meatum ſenſim inſtillatur adiectâ croci exiguâ parte.Et fotus ex iiſdem, aut ex oleo dulci,& calente per ſpecillum lanâ inuolutum continuo adhibentur,aut ſuffitus huiuſmodi.

Chalaſticorũ materia.

℞. Maluarum, althææ cum radicibus, viol. ana m. ii. hordei vel lentium part. i. ſeminis lini & fœnugr. ana ℥i. florum chamæmel. melilot. & aneth. ana part. ii. roſarum part.i.decoquantur, indéque emergens vapor in aurem per corniculum inſinuetur: atque vt iam ſtatum attigit, quidpiam eorum quæ diſcutiunt adiiciendum, vt betonic. origan. abſinth. aut hyſſop. aut calaminth. aut ſampſuc. vt quod parti impactum eſt diſcutiatur. Rectè autem admoueri cataplaſmata non poſſunt niſi admodum leuia,molliáque ſint, & ſubinde mutentur: grauitas enim,durities & aſperitas non minùs quàm aut nimius calor, nimiúmque frigus declinanda ſunt: ſi tamen ſunt præſcribenda, illis adiectâ fabarum & hordei farinâ, coctiſque omnibus in ſapa & oleo chamæmel. aut butyr. recenti, fient aptiſſima. Cæterùm ſi inflammatio in ſuppurationem vergit (quod ferè fit) ſuppurantibus hîc parcè vtendum eſt, quod locus excrementis, & putredini pateat: quamobrem iuuat mucilaginem lini, aut fœnugr. aut althææ cum roſaceo, aut chamæmel. vel anethino inſtillare, & lanam his imbutam foris circumponere, aut baſilicum (quod etiam tetrapharmacum appellant)roſaceo, amygdalino,nardino,vel lumbricorum oleo ſolutum immittere:id enim dolorem mitigat,& pus mouet. Aut:

Suffitus auris morbo iam progreſſo.

Cataplaſmata minùs hîc commoda sũt.

Pus mouentium magis idoneorum materia.

℞. Mucilaginis, ſeminis lini & fœnugr. extractæ cum decocto maluarum vel althææ ℥i. olei amygdalarum dulcium, vel lumbricorum ℥ii. vnguenti baſilici ʒii. omnia ſubigantur, & blandè portiuncula crebrò in aurem infundatur, ac foris circumponatur; tum quoque aliquod vnguentum circundari poteſt ex his quæ thoraci adhibentur.

Iniectio ſuppurans in aurem.

Quinto iam die quanta inflammatio futura eſt, declaratur, ac ferè ſeptimo (niſi vincitur æger) maturata illa per membranam, aut ruptam, aut exeſam, aut rariorem factam pus ſaniémque emittit, ſimúlque dolor, febris, eiúſque ſymptomata miteſcunt. Eruptionem verò accelerant tuſſis, ſternutamentum, & in affectam partem decubitus,crebráque corporis agitatio; tum quidem œnomelite, aut mulsâ expurgandus eſt abſceſſus, & relicti vlceris curatio, vt proximè dicetur tranſigenda. Quòd ſi obdureſcit, ammoniacum vel bdellium oleo liliaceo & aceto fuſum,ad eius conſumptionem, vel alia malactica infundentur, prægreſſo nihilominùs emolliente ſuffitu. Quemadmodum ſi tumor œdematodes eſt, rectè pulegij ſampſuc. orig. calamenti,rutæ, hyſſopi, ſtœchad. aneth. cæparum, & ſimilium vapore fouetur:

Pure ex aure prorumpente miteſcunt omnia ſymptomata.

Pure egreſſo abſceſſus expurgandus.

Malactica, ſi cauſſa mali obdureſcat.

Remedia ſi tumor ſit œdematodes.

Deinde oleum chamæmel,anethinum,irinum,amygdalar. amarar. ſerpillinum,rutaceum,aut quodlibet aliud, ex incidentibus, & aperientibus in aurem datur, & foris vnguentum reſumptiuum,aut aragon.aut martiatum cum aliquo ex oleis ſolutum,aptè illinitur.

CAPVT XXX.

De auris vlcere & ſordibus.

Vlceris ſigna & cauſſa.

EX abſceſſu ſi ſeruetur æger, vlcus manet ſordidum atque diuturnum,è quo modò pus craſſum, modò liquidior ſanies exit; Quin etiam interdum acer & putris humor eò protruſus, vel corrupta ſordes congeſta vlcus inurit,aliàs reconditum & abſtruſum,aliàs ita expoſitum vt aure ſoli aduersâ perſpici poſſit. Eſt quoque vitium ſuppurationi finitimum, quo aures ſine vlcere pariter inquinantur, & colluuie multâ ſordeſcunt, continentérque diffluunt, id ex cerebri imbecillitate,atque impuritate eſt,vnde vitioſus humor in aures procumbit,atque illac decurrens,cerebrum expurgat: verùm hîc doloris ſenſus neque adeſt, neque vſquam ex inflammatione fuit.

πυόῤῥοιαι, ſiue ſordes aurium ſine vlcere.

Curatio.

Indicationes.

Inflammatione finitâ vlcus purgandum eſt, agglutinandum, & cicatrice obducendum. Sed in iis vt corporum natura,& vlceris conditio eſt,ita qualitas remediorum diſtingui debet. Vlcus vel recens,vel inueteratum eſt; molli corpori, recenti malo, nimiùm neque ſordido,neque humido leuiora conueniunt,multò magis ſi acrior eſt ſenſus. In contrariâ conditione vehementioribus eſt locus. Sed & in purgando vlcere præſertim antiquo, prima quidem ratio corporis, deinde partis haberi debet. Cùm ergo pus aures habent, mulſa tepida crebro infundenda eſt,aut ſi nondum tota inflammatio reſtincta eſt, decoctum hordei cum melle roſato, aut lactis ſerum cum ſaccharo,aut plantag. betonicæ,apij, aut agrimonij decoctum, cui mellis aut ſacchari vis inſit, hæc enim ſiccant,tergent,& putredini obſiſtunt: optimè etiam idem faciunt illarum ſucci,aliquantum cum melle roſato cocti, vt

Remedia leuiora quando vſurpanda.

Vehementiora quando locũ habeant.

Detergentia varia, in purulentis auribus.

Iniectio auris blandè detergens.

℞. Succi apij, abſinth. & mellis roſati, ana ℥j. mixta & tepefacta inſtillentur. Si vlcera vetuſtiora ſunt, & craſſiùs, tenaciúſque pus habent, abſinthium, praſſium, iris & ariſtolochia decoctis adduntur, aut alia quæ paulò vehementiùs detergunt. Commune verò auxilium vlceratis, purulentíſque auribus eſt terebinthinæ & mellis pares portiones commiſcere, adiectâ etiam myrrhæ exiguâ parte. Quòd ſi ſimul & vlcus & vehemens dolor eſt, oleum è vitellis ouorum, mortario plumbeo tandiu ſubactum donec liuidum euaſerit, in aurem conieciſſe

Detergentia validiora.

abundè

abundè eſt. Si non adeò vrget, saniéſque intus ſubeſt, oleum id ſincerum cum mellis triente inprimis eſt efficax. Rectè etiam vnguentum aureum melle roſato, vel ſuperiore decocto, vel roſarum ſucco diluitur, atque ita immittitur.

At ſi multum puris, malúſque odor eſt in antiquo vlcere, ea quæ æruginem recipiunt, leuioribus temperata, vſui ſunt, veluti ſi vnguenti apoſtol. Aut ægyptiaci trientem tetrapharmaco aut melli miſcueris, dein vel ſpecillo induntur, ſi quidem vlcus patet; vel paſſo diluta inſtillantur, vbi id altè inſidet, præſertim ſi non adeò inueteratum vlcus eſt, aut hoc modo. *Celſ. ibid.*

℞. Succi apij, & ſucci porri ℥iß. myrrhæ electæ ʒi. aloës ʒß. æruginis raſilis, ℈i. croci gr. vi. vini generoſi ℥i. omnia lento igne coquantur, donec vinum exhalauerit, & liquor percoletur, qui poſtquàm intepuerit, ſæpè tres, quatuórve guttæ in aurem dantur. *Liquor detergens infuſilis in aurem.*

Quòd ſi maiori adhuc deterſione opus eſt, æruginis pondus augendum eſt, aut ægyptiacum in vrina pueri reſoluendum; ſed & longè melius fuerit infrà ſubſiſtere, ac primùm mulsâ, vel priore decocto, vel œnomelite, aut ſyrupo roſato purgante, aut vino cum roſa mixto, aurem eluere; deinde quod ſequitur ſarcoticum immittere. *Detergens validius.*

Linimentum detergens & agglutinans recentiora vlcera.

℞. Myrrhæ electæ, & aloës, ana ʒii. gummi iuniperi ʒiß. pulueris iridis florentiæ, & ſarcoc. ana ℈iiij. radicis ariſtoloch. ʒi. eáque omnia ſubtiliſſimè contrita melle deſpumato excipiuntur, ſic vt linimenti craſſitudinem habeant.

Atque huius portiuncula per ſpecillum molli lanâ obuolutum altè demittitur in aurem. In id quoque efficax eſt ſuccus polygoni, equiſeti, burſæ paſtoris, anagallidis, millefolij, plantag. hyperici, in mellis quadrante coctus. hoc modo.

℞. Succi plantag. & polygoni, ana ℥ii. mellis roſati ℥i. efferueſcant in cortice mali punici, & ſenſim infundantur; Idem præſtat aqua extinctionis ferri, aut vinum acerbum in quo ferrum ſæpè reſtinctum ſit. Sed omnium efficaciſſimus eſt foliorum ſylueſtris oleæ ſuccus cum melle, aut ſtillatitiâ mellis aquâ mixtus, atque in aurem inditus, exſiccat enim atque mirificè abſtergit: Itaque aptiſſima compoſitio eſt, quæ myrrham, aloën, vernicem, irin, & ariſtoloch. aut thuris corticem hoc ſucco, melléque excipit, aut ſi maior deterſio requiritur, hæderæ ſucco cum melle. Quinetiam ex iiſdem paſtilli confingi poſſunt, quorum vnus, cùm vſus requirit, teritur, & ſpecilli nucleo, vt dixi, lanâ inuoluto, melléque oblito, puluis exceptus *Alia iniectio detergens.* *Succus foliorum oleaſtri.* *Trochiſci vſuales.*

demittitur. Quòd si vlcus altiùs delitescit, quàm vt attingi queat, adiiciendus est succus, donec medicamentum satis liquidum sit, & in aurem instillari possit. Eodem modo commune auxilium aduersus omnia auris vlcera Rhasis composuit, quod terget, siccat, & carnem gignit.

Ad aurium vlcera persananda.

9. ad Alm. cap. 26.

℞. Sarcocolæ, aloës, sang. drac. thuris, singulorum ʒß. squammæ ferri, æruginis, singulorum ℈ß. omnibus aceto læuigatis in aurem quod satis est infunditur: vel linamentum tortile melle imbutum, ac eo medicamento intinctum in aurem mittitur. Ærugo autem & squamma ferri cum melle purgant vlcera, cum cerâ aut oleo implent: Si illa tamen suspecta sunt, adiiciendus est plumbi vsti, & tutiæ præparatæ singulorum ℈i. & cum sexquuncia rosacei, vel myrthæi, subigenda omnia in crassitiem linimenti. Sed præstat, quamdiu pus, saniésque profluit, ante id mulsam infundere, dum alternato horum vsu curatio compleatur. At si vlcus antiquum, & dysepuloticum est, cuiusmodi ferè in hac parte fit, nonnisi iis quæ vehementissimè (citra morsum tamen) siccant, & obdurant, cicatrix inducitur. Pars enim naturâ sicca est, & nihilominùs excrementis abundans, tetráque vlcerum sorde scatens; atqui natura similibus conseruari, vitium contrariis corrigi debet: Quamobrem oculo minùs quàm nari, huic quàm auri siccantia congruunt. Ideóque auribus metallica magis siccantia & carnem generant, & cicatricem inducunt. Scoria ferri, plumbum vstum, alumen vstum, squamma æris, æs vstum; omnia quidem acria sunt & verè cathæretica, sed quæ tamen sæpiùs lota dum acrimoniam omnem deposuerint, epulotica redduntur. Optima sanè diuturnis & malignis aurium vlceribus cicatrice obducendis, maximè in durioribus corporibus. Quocirca si pluribus diebus nihil remedia alia iuuerint, vetúsque iam vitium est, id ex primis & validissimis medicamentis est quod ex scoria ferri comparatur, sed nonnisi benè expurgatis vlceribus est vsurpandum.

Æruginis & squammæ ferri vsus.

In vlceribus aurium dysepulotis valida siccantia conueniunt.

Metallica varia, cõgrua epulotica in aurium vlceribus.

Linimentũ ex scoriâ ferri. Scoriam ferri septies vino austero extinctam & exsiccatam terito, & cum butyro recenti misceto in formam linimenti.

Linamenta quomodo præparanda. ℞. Vini austeri ℥i. in quâ aluminis ʒi. liquescat, & eo vino imbuantur panni quinquies, & exsiccentur, deinde ex his fiant linamenta, quæ eo vnguento illita in aurem inserantur: hoc mitius est, & præstantissimum.

Linimentum ex stomomate, seu squamma ferri. ℞. Stomomatis subtilissimè triti, & in aceto acerrimo infusi, ac demum siccati ʒiß. olei è vitellis ouorum ℥ii. Misce, & cum pauco bombace instillentur guttæ aliquot in aurem: atque si qua sordes, detergenda priùs est, ne astringentibus pertinaciùs inhæreat. Quin etiam sæpè vlcus id crustulâ obducitur, saniésque intus latitat, & suppressa dolorem

Ad crustulã vlcerũ auris resoluendam.

dolorem infert, túmque intermiſſo exſiccantium vſu, roſaceum & amygdalinum infundendum eſt, dum cruſta reſoluatur, expirétque virus: hinc detergentia & exſiccantia reſumere neceſſe eſt. Ita verò collocari ægrum oportet, vt ſæpiùs auris deuexa ſit. *Situs ægri.*

Ad aures ſordidas & diffluentes.

Quibus aures decumbente è cerebro humore continenter diffluunt, ac malâ naturæ conſuetudine ſordeſcunt, iis quoque purgandum corpus, admouendæ humeris cucurbitulæ, errhina imperanda & apophlegmatiſmi. Denique cephalico puluere ac ſuffitu intemperies capitis, & imbecillitas corrigenda; Sordes verò intus hærentes, per ea quæ diximus expurgandæ ac detergendæ ſunt, aut infundendum cum mulſo nitri paulum, aut cum melle porri ſuccus. Aut: *Curatio auriũ πυοῤῥοούντων ſine vlcere.* *Topica, poſt vniuerſalia.* *Celſ. ibid.*

℞. Nitri, vel eius defectu ſalis petræ, cardamomi, ana ʒi. myrrhæ, aloës, ana ʒß. ficuum pinguium (exemptis quàm maximè fieri poteſt ſeminibus) ℥ß. coquantur in ſucco abſinth. & rutæ, vel ſampſuch. & porri, & expreſſione factâ, gutta vna atque altera in aurem demittatur. *Iniectio in aurem.*

CAPVT XXXI.

De tuberculo carnoſo & callo. De vermibus & aliis quæ auris ductum obturant, occupántve.

IN vlcere neglecto ſæpè caro excreſcit, & ſenſim adeò exurgit, vt aſſiduo incremento auris anfractum obturet, auditúmque intercipiat. Occalleſcit etiam ibi ex cumulatis ſordibus, interdum aliquid verrucæ inſtar, ídque omni penè ſenſu caret. Vtrumque vbi ſpecillo fuerit exploratum, eâ ratione excidi debet, quam in polypo mediocri, & penis ſarcomate exprimemus. Si tamen altè aurem replet, attingi non oportet. *Tuberculi carnoſi, & calli cauſſa.* *Curatio per chirurgiam.*

Quin etiam nonnullis à primo ortu euenire ſolet, vt aure repletâ foramen in eâ nullum ſit, ideóque audiendi ſenſu careat: ſi non altè, ſed in ſummo repletum eſt, ac ſpecillum recipit, curari poteſt. Nam quà cauum eſſe debet, medicamentum aliquod imponendum ex adurentibus, vel candente ferro aperiendum, vel ſcalpello incidendum: cúmque id patefactum, & iam vlcus purum eſt, iniicienda eò pinna eſt, illita medicamento cicatricem ducente, quo fit, vt poſtea facultas audiendi ſit. *Meatûs auditorij obſtructio.* *Celſ. l. 7. c. 8.*

De ver

De vermibus.

Celſ. l.6. c.7. *Vermium cauſſa.* Vbi autem vermes orti ſunt, (qui ex hærente diu ſorde atque putredine procreari ſolent, ac titillationem, pruritum , & dolorem inferre,) ſi iuxtà ſunt,protrahendi auriculario ſpecillo ſunt ; ſi longiùs , medicamentis amaris & acribus enecandi , cauendúmque ne poſtea naſcantur, *Verminea iniectiones in aures.* Ad vtrumque proficit abſinthij decocto aurem eluere, vel centaurij, vel marrubij,vel foliorum viridium capparis,aut fructuum eiuſdem, aut veteri vrina : Adhæc mentaſtri ſuccum inſtillare , aut calamenthi, aut abſinth. aut folior. perſicorum , vel amygdalarum amarar. quod præterea ſordes expurgat, vel etiam oleum commune auribus inditum : Aut aloë *Celſ. ibid.* cum ſucco abſinthij , vel rutæ , detrita & immiſſa. Sic emortui vermes, vel alia quæuis animalcula, in primam auris partem euocabuntur, vnde facilè educi poſſint.

Compoſita aduersùs aurium vermes.

Iniectio in aures. ℞. Succi abſinth. ſucci marrub. an. ℥i. farinæ lupinorum ʒi. Miſce; *Alia.* aut ſucci cucumeris agreſtis,& ſucci oleandri , an. parem modum, aceti ℥ß. Miſce inſtillentur. Aut:

Alia. ℞. Abſinth. marrub. centaurij , ana m ß. coquantur in oleo communi , adiectâ mellis portione , aut in ſapa , & colaturæ portio inſtilletur.

Alia. ℞. Succi radicum mori & centaurij minoris , ana ℥i. ſcammoniæ in aceto detritæ ℈i. Miſce , inſtillentur guttæ aliquot in aurem ; vel ſucci foliorum capparum , & abrotani, ſingulorum pares portiones, Miſce. Vel :

Alia. ℞. Olei amygdalarum amarar. & de abſinthio , ana ℥i. ſucci marrub. ℥ß. leuiter coquantur , addendo ſub finem myrrhæ & aloës, ana ℈i.

Si vermes & dolores adſint , quid agendum. Quòd ſi ſimul vermes & dolores torquent, illis excluſis oleum amygdalarum dulcium conieciſſe abundè eſt , aut lac cum ſaccharo cando; his enim & dolor conquieſcit, & vermes alliciuntur : Si quidem protinùs auris inclinetur, & ſternutamenta moueantur , alioqui mulsâ elui aurem , ſpecillóque auriculario purgari oportet. Hæc quidem in aure ſuccreſcunt.

Ad ea quæ in aurem incidunt extrahenda.

Celſ. ibid. *Corpora extranea in aurẽ incidentia vel animata, vel inanima.* Solet etiam interdum in aurem aliquid incidere, vt calculus, aliquódve animal. Si pulex intùs eſt, compellendum eò lanæ paulum eſt, quò ipſe is ſubit,& ſimul extrahitur. Si non eſt ſecutus, aliúdve animal eſt, ſpecillum lanâ inuolutum in reſinam quàm glutinoſiſſimam, maxi-

méque

méque terebinthinam, aut gummi, aut in aliud glutinans demittendum, ídque in aurem iniiciendum, ibíque vertendum est: vtique enim comprehendet, & eximet. Sin aliquid exanime est, vt calculus, nucleus, vitrum, quæ eâdem magnitudine persistunt, aut faba, pisum, siliquarum grana, quæ naturali madore corporis inflata maximos cruciatûs mouent, nisi maturè excludantur, horũ quidquid inciderit, potest eodem modo resinâ educi, aut specillo auriculario extrahendum est, aut hamulo retuso paululùm recuruato, aut volsellâ. Sic tamen vt errore non altiùs protrudatur, sed ante hæc oleum tepefactum auri commodè infunditur, præsertímque violaceum, & dulcis aquæ balneo, vel fotu pars sequax molliórque redditur. Sternutaméta quoque inducta id valido succussu elidunt, præsertim si comprehensis naribus, clauso ore illa prorumpunt, vt retentus spiritus impetum faciat in aures; si ne tum etiam excutitur, suctio tentari potest immisso corniculo, vel pennâ vtrinque peruiâ, vel arundinis tubo qui cerâ extrinsecùs circunduci debet, quà aurem attingit, ne vspiam transpiret. Si ista nihil proficiunt, artificiosè concussâ aure id quod inest, excidit. At siliquarum grana & pisa iam inflata, cùm integra exire non possint, confracta partitè extrahentur. Porrò si aqua in auris anfractum vel fœtida aut copiosa insiliit, aut hydrargyrus, præcipiendum vt capite in laborantem aurem inclinato æger vnico pede subsiliat, eo præsertim qui affectæ auri respondet, sed multò promptiùs excutitur, si tum caput ad aurem manu subcutitur. Si hoc modo non exit, sternutamento & olei effusione eiicitur, vel etiam suctione, vt dixi, factâ extrahitur, aut auriculario clystere elicitur. Quinetiam aquæ molestiâ liberabitur inditâ spongiæ portiunculâ filo alligatâ, aut medullâ sambûci, quæ illam ebibat: alioqui iuncus lucernarius, qui digiti longitudinem æquet aquam absumit, si modò eius extremum quod foris est, oleo intinctum subinde intenditur, síque dolor est, lacte demulcetur.

Modus extrahendi.

Cels. ibid.

Præmittenda ante extractionem.

Sternutamentum.

Suctio.

Auris concussio.

Leguminum extractio.

Liquidarum rerum extractio.

Spongia, medulla sambuci, iuncus lucernarius aquam ex auribus eliciunt.

CAPVT XXXII.

De Aurium dolore.

AVrium dolor concitatur non solùm ex inflammatione, vlcere, vermibus, & iis quæ extrinsecùs violenter inciderunt, sed etiam frequentissimè ex crasso flatulentóque spiritu inter membranas concluso, qui eas distendens, ac disiungens, cruciatum mouet. Hîc non vt in phlegmone grauitas est, non ardor, non pulsatio, sed sola distentio cum tinnitu aut strepitu: Ortus quoque est à frigore aliísque causis flatulentis. Quinetiam sæpè frigidus & crassus humor pertinaciter inhærescens, dolorem commouet, qui tamen mitior est: In hoc quoque nec aures calent, nec molestè pulsant, at nihilominùs

Caussa doloris aurium.

Signa distinctiua caussarum.

ſemper grauitas ineſt, ſæpéque diſtentio, præceſſerúntque effectrices pituitæ redundantis cauſæ. Rarò autem dolorem infert humorum acrimonia citra inflammationem, multóque rariùs calida intemperies ſimplex, vbi ſi quando incidit, feruoris cuiuſdam ſine grauitate, ſine tenſione ſenſus eſt; hunc eadem ſedant, quæ inflammationem lenire diximus.

Curatio pro cauſſarum varietate varia.

Dolor ſi ex flatu eſt, hunc eadem quæ aurium tinnitum excutiunt: ſi ex frigido humore, eadem quæ ſurditatem curant. Si ex calida intemperie & acrimoniâ, eadem quæ inflammationem lenire diximus.

CAPVT XXXIII.

De ſonitu & tinnitu Aurium.

Deſcriptio. Celſ. ibidem.

HOc vitij genus eſt vbi aures intra ſeipſas ſonant, atque hinc quoque fit, ne externum ſonum rectè accipiant, eóque fallantur, perinde vt oculi in ſuffuſione. Cùm enim aër intimæ auri ingenitus & membranâ concluſus (quod præcipuum audiendi inſtrumentum ſtatuitur) quietus ac citra turbam eſſe debeat, ſi quando ab interiore cauſa impellatur, deprauatè audit, & falſo quodam ſono quaſi is extrinſecùs incideret, pulſatur, atque afficitur. Erroris cauſa flatus eſt ad intimam aurem citus, qui in membranas proſiliens has concutit, vt eâ agitatione perſtrepant, ac reſonent. Atque vt is tum quantitate, tum ſubſtantiæ tenuitate diuerſus eſt, variéque impellitur, ita ſonorum varietatem facit. Sibilus & tinnitus à tenui; ſonitus & ſtrepitus à craſſo flatu excitantur.

Sonitus & tinnitus aurium deprauăt auditum. Cauſſa huius ſymptomatis, flatus. Sibilus, ſonitus, tinnitus, & ſtrepitus quomodo differant.

At verò ſibilus & ſonitus ex continuo & æquali; tinnitus & ſtrepitus ex interrupto ſpiritûs motu fiunt. Porrò hic flatus ab humore crudo imbecillioris caloris vi quibuſdam interuallis excitari conſueuit. Hic autem humor ſæpius in auribus eſt, & vicinâ cerebri parte. Interdum tamen in ventriculo & præcordiis ſubſidet, è quibus flatulentus vapor in cerebrum, auréſque perfertur. Hinc tinnitus, omníſque deprauata auditio, aliàs proprio fit aurium, cerebríque affectu: aliàs viſcerum cruditare atque impuritate. Hæc diutiùs intermittit, & vtramque aurem æquè ſimúlque ferit; illa ferè continua eſt, & alteram aurem infeſtat, aut ſi vtramque, non ſimul tamen, nec æqualiter: hîc ferè abſunt, illic ſemper adſunt viſcerum affectorum indicia. Cæterum tenuis vapor, ſeu ſpiritus feruentior huius ſymptomatis etiam cauſa eſſe poteſt, quoties toto corpore, vt in febrium ardoribus, aut citra febrem ab æſtuantibus præcordiis in cerebrum, auréſque effuſus membranas concutit. Huiuſmodi autem vaporis impetus non in ſolam aurem, ſed in omnes capitis arterias

Cauſſa flatus, humor crudus, & calor imbecillis. Tinnitus vel ſympathicè, vel idiopathicè excitatur. Eius rei dignotio. Alia cauſſa tinnitus aurium. Vapor feruẽs.

arterias effunditur. Quamobrem deprauata auditio modò ex frigida, modò ex calida causa originem habet: quæ prioris est generis, sæpius auri propria est; posterior semper subiectarum partium sympathiâ excitatur, citra vllum auris affectum. In illa cum aurium tinnitu grauis: In hac ferè pulsans capitis dolor est. Illa ingrauescens surditatem, hæc diu persistens vertiginem minatur. Illa his obuenit quibus imbecillior: hæc quibus acrior est hic sensus. Illa sumpto cibo & crapulâ intenditur; hæc remittitur, atque per inediam magis fatigat. Leuius in hac vitium est, peius in illâ: sed pessimum, vbi ex vlcere diuturno, aut firmatâ surditate relinquitur, hic enim tinnitus perpetuus est, nihílque intermittens, ac nusquam deleri potest. Nam licèt nullus flatus præter naturam subsit, spiritus tamen per arterias continenter impulsus impetu læsum auditum offendit, perinde ac pressis, digitóque obturatis auribus. At maioris periculi, qui ex immoderata sanguinis profusione, haud secus ac suffusio, pandiculatio & oscitatio inciderit.

Signa distinctiua caussarum.

Prognosis.

Curatio.

Si ex flatu est, eadem quæ in surditate medendi ratio est; vix enim potest solus flatus colligi citra humorem, qui ipsum foueat. Si ex febribus aut earum crisibus, breue esse consueuit, sublatóque morbo protinus finitur. Sin autem nihilominùs perseuerat, aliquid iam in auribus fixum habet: quamobrem absinthij decocto foueri aures debent, radiculæ succus cum rosaceo infundi, aut castoreum cum aceto & rosaceo vel anethino, aut alia quæ biliosam surditatem elidunt. Si à viscerum æstu vel cruditate ortum ducit, expurgatis illis sonitus omnis cessat & euanescit: nec si acutior sensus vitio datur, ad narcotica confugere necesse est.

Cels. ibid.

CAPVT XXXIV.

De surditate, & graui Auditu.

SVrditas, quæ auditûs est priuatio, & grauis auditio, omnísque audiendi imbecillitas causam habent, vel in cerebro, propriâ facultatis sede, vel in præcipuo audiendi instrumento, vel in flexuoso auris ductu. Affectus cerebri, nerui, atque præcipui instrumenti, aut intemperies est modò simplex, modò ex humore, aut obstructio, aut continui solutio. Intemperies rarò quidem sicca, aut ex atrophia & spiritûs dissipatione: At sæpiùs frigida & humida, quam vel alimentorum refrigerantium vsus, vel humens, austrináque constitutio peperit. Etenim spiritûs offundit & obscurat, omnésque sensuum functiones debilitat, Austri (inquit Hippocrates) auditum hebetant, caliginem oculis inducunt, & caput grauant. Obstructio frequens à crassa lentáque pituita; rarior

Surditas quid.

Caussa surditatis, & βαρυηκοΐας, affectus variarũ partium.

Intemperies cerebri, aut organorum ἀκουστικῶν, surditatis causa.

3. Aph. 5.

Obstructio, causa surdit.

rarior à melancholiâ aut bile: quod tamen interdum per se, at sæpiùs à morbo aliquo fit: sic enim scripsit Hippocrates, quibus in febribus aures obsurduerint, superuenientibus biliosis deiectionibus, iis surditas soluitur: natura enim crisim moliens ac præpedita, sæpè noxium humorem eò auertit, dum patefactâ dein viâ in aluum depellatur. Nonnunquam tamen is humor adeò intimæ auri infigitur, adeò caloris vi exsiccatur, & obdurescit, vt audiendi organa atterendo, corrumpendo, obstruendóve perpetuam surditatem inferat; at multò frequentiùs pituita auditum, alióſque sensus grauat, & extinguit. Si auctior intemperies, vel obstructio integra est, surditas incidit; sin leuior & inchoata, nonnihílque spiritûs etiamnum præterfluit, auditus grauior euadit. Symptomatis enim magnitudo ex morbi magnitudine nascitur, quam ideò coarguit: id quod in omnibus perpetuum est. Quinetiam tumor præter naturam, maximéque inflammatio, & vlcus, omnísque continui solutio, ac diuulsio, audiendi sensum lædit. Sic violentiùs concusso capite, sic auribus ictu vel casu, vel magnitudine sonitûs vehementiûs impulsis auditus obtunditur, atque interdum perit. Etenim ab horrendis, ingentibúſque sonis, quales bombardarum & tonitruorum, spiritus vehementer cogitur, & exprimitur, prætensáque intimæ auri membrana laxatur, atque diuellitur. Iam verò auris cauitas multis anfractibus sinuosa & contorta, obstructioni potissimum est obnoxia. Obstruitur autem vel ab interna, vel ab externa causa, vt à tumore præter naturam, à crusta, carneóque tuberculo & callo, à sanguinis grumo, à vermibus, denique à collectis, concretísque sordibus. Extrinsecùs verò in aurem incidunt calculus, nucleus, & quæcunque alia suprà recensuimus. Hæc omnia impedimenta radio solis aurem illustrante, aut aspectu, aut specillo discernuntur: Si nihil ibi est, causa vel in primum instrumentum & neruum, vel in cerebrum referenda est.

4. aphor. 28.

Surditatis & grauis auditûs eadem caussa, solâ magnitudine differentes.

Solutio continui caussa surditatis.

Quomodo soni ingentes exsurdare possint.

Caussæ obstructionis meatus auditorij, internæ, & externæ.

Signa.

Cerebri vitia in alios etiam sensus protenduntur, alioqui ad neruum descendere oportet.

Si vitium repentè occupauit, obstructio est ex humoris influxu, qui si frigidus & pituitosus est, grauitas sine caloris sensu est, calida iuuant, frigida offendunt, à quibus etiam originem habuit.

At si sensim ac lentè accessit aut intemperies, aut inflammatio, aut vlcus, quæ singula facilè suis signis agnoscuntur; præcipuè verò obseruandum, qualisnam morbus præcesserit, calidúsne an frigidus, acutus an longus, vt hinc & obstruens humor, & intemperies certa prodatur.

Prognosis.

Surditas porrò à naturæ primordiis allata, non ab his causis, sed à vitiosa conformatione est, ideóque immedicabilis.

Cura

Curatio.

Surditas quæ biennium excesserit, ac firmata est, remedium non habet. Ægrè sanescit quæ nec intenditur, nec remittitur, sed semper, suique similis est; multóque ægriùs cùm ex vlcere, aut intimo tuberculo, aut vehementi contusione, aut insigni atrophiâ prouenerit: vbi verò grauiùs aliquis audire cœpit, aut etiam audiendi sensu caret, quod maximè post longos capitis dolores euenire consueuit, atque ex obstruente pituita esse, inprimis corpus vniuersum & caput expurgare oportet. In id autem comparabuntur clysteres, syrupi seu apozemata quibus etiam lignum sanctum incoxerit, pharmaca modò pilularum, modò potionis, aut boli, aut electarij, aut puluerum formâ. Quinetiam roborantes opiatæ, & tabellæ, & condita, cephalici pulueres, capitis affusiones, suffitûs, apophlegmatismi, errhina, & quæ sternutamentum cient, ac tum crurum fomenta, & ablutiones, tum cucurbitulæ, tum caustica reuellendo, deriuandóque humori apta, locupletissimè extant, in pituitoso capitis dolore, atque etiam in sopore & paralysi explicata. Secunda, eadémque præcipua aurium cura esse debet quâ impactam intimæ auri pituitam incidentibus, attenuantibus, & detergentibus dissipemus: sed ante hæc aurem ipsam considerare oportet: apparebit enim aut crusta, aut sordium coïtus, quæ prædictis remediis eluere, atque auriculario specillo protrahere conuenit, si quidem hæc & occultam causam fouent, & remediorum vires infringunt. Hinc propria remedia conuenienter afferuntur, ad id quod intimæ auri impactum est discutiendum, & obstructionem reserandam: Quæ eadem flatûs discutiunt, ideóque & aurium tinnitûs, & his ex causis ortos dolores. Videntur autem hanc facultatem habere lauri baccæ, & iuniperi, porrum, cæpa, scilla, pancratium, ruta, origanum, calamentum sampsuch. marrub. absinth. sisymbrium, centaur. radix hastulæ regiæ oleo incocta, radix peucedani, bryoniæ, cucumeris asinini, aristoloch. veratrum, colocynth. fel capræ vel tauri, vrina huius aut apri, nitrum, sulphur, sinapi, castor. cinnamom. calamus odorat. galanga, zedoaria, cardamom. macis, myrrha, & reliqua aromata.

Cels. ibidem. *Purgantia.* *Alterantia.* *Reuellentia præsidia.* *Topica remedia.* *Cels. ibid.* *Discutientia, ecphractica, carminantia, surditati opitulantur.* *Sylua horum medicamentorum tam simplicium quàm composit.*

Eliciuntur quoque ab iis succi, & olea, cuiusmodi est rutaceum amydalar. amarar. scorpionum, laurinum, oleum è nucleis persicorum, oleum è balano myrepsica, è spica, moschatum, è iunipero, è cinnamomo præstantissimum, è terebinth. è semine raphani, sambucinum, quod doloribus præcipuè succurit, è scilla, è sinapi, è lateribus, è piperibus, è castoreo: quibus plerumque aqua vitæ adiicitur, & odorata permiscentur, alioqui per se vtilissima, vt benjoinum, moschus, & ambra. Comparantur quoque ex illis sacculi, & decocta quibus aceti vis insit, ad tenaces, crassósque humores incidendos. Quamobrem remedia quæ ad surditatem & aurium tinnitum, atque dolorem tollendum faciunt, alia

Olea. *Odorata.* *Sacculi & decocta.*

Tria genera remediorum pro auribus: extrà admouenda, instillanda, & ἀτμοειδῶς insinuanda.

extimæ auri adhibentur: alia in aurem instillantur: quædam etiam vaporis specie intrò subeunt. Quæ immittuntur, liquida, tepida, quantitate exigua esse oportet, ac subinde commutari, expurgarique aurem, antequàm nouum aliud instilletur, eóque accepto aliquandiu in aurem sanam decumbere. Quoniam autem quæ infunduntur, sæpè inhærent, & obfarciunt, ac morâ corrumpuntur, satis est ab iis quæ suffitu prosunt auxilium capere, aliis tamen minimè neglectis.

Suffitus ad surditatem, & tinnitum, flatuosósque dolores.

Suffitus humidus.

℞. Radicis cucumeris asinini, radicis ciclaminis, vel corticis fraxini, (qui reconditâ facultate auditum restituere creditur,) sampsuch. marrub. rutæ, calaminthæ, origani, pulegij, sisymbrij, summit. lauri, aut polij montani, serpylli, aut absinthij, & centauri, ana M. i. radic. bryoniæ ℥ii. radicis cyperi, calami odorat. & aristoloch. rotund. ana ℥i. vel radicis cæpæ dissect. num. i. squillæ vel pancratij ℥ii. hellebori nigri aut albi, ʒiii. aut efficacissimæ pulpæ colocynthidos, parem modum, florum stœchad. melilot. camomil. sampsuch. aut hyperici, rorismarin. & anethi, p. ii. & in flatulenta materia, qualis quæ tinnitum parit, adde semina quæ flatûs discutiunt, vt seminis rutæ, cumini, fœnicul. anisi, vel dauci, ameos. seseleos, ana ʒiii. baccarum lauri & iuniperi ana ℥ß. fiat decoctio in duabus partibus aquæ, & vnâ aceti acerrimi, obturato vase: deinde excipiatur inde vapor tepidus per infundibulum, aut auriculare corniculum summa parte inflexum, cuius extremo latiore vas comprehendat, angustiore in aurem fumum expiret.

Bombax moschatus. Suffitus siccus.

Id autem ieiuno ventriculo bis in die faciendum, atque mox à suffitu absterſa auris bombace moschato obturanda est. Eadem quoque materia sicca adiectis aromatis imposita prunis, in suffitum adhibetur, sed multò minori effectu, nisi fortè cùm simplex flatus membranis coërcetur.

In eosdem vsûs comparantur sacculi identidem auribus adhibendi, quibus præcipua vis est ad flatûs dissipandos, frigidos humores euocandos, hincque ortos dolores sedandos.

Fotus ex sacculis siccis, neutiquam madefactis.

℞. Baccarum lauri vel iuniperi modicè contusarum, ℥i. cumini, ameos, carui, seseleos & fœnic. an. ℥ß. folior. rutæ siccæ & sampsuch. beton. & calamenti, ana M. ß. zinziberis, nucis mosch. macis, an. ʒiß. sinapi & piperis nigri, ana ʒi. florum stœchad. camomil. melilot. & comarum anethi, ana p. i. terantur terenda, & fiant duo sacculi quadrati, qui vini generosi, aut aceti vapore alternatim calidi, applicentur affectæ auri, nec enim madefactos probo.

In doloribus quoque flatulentis milium, sal, sulphur, quodlibet eorum calefactum, & in linteum coniectum. At si maiore vi opus est, calidi lateres, superimpositâ rutâ, sampsucho, absinthio, rorismarino, hyssopo, inuolutísque linteolis, & sic circundari quadrati calidi applicentur. *Fotus alij sicci in causa flatulenta.*

Post suffitum autem infundendum in aurem castoreum cum aceto, & laurino oleo, & succo radiculæ corticis, aut cucumeris agrestis, vel aliquod eorum quæ mox subiungam. *Varia in aurẽ instillanda. Celsus ibid.*

In aurem infundenda.

℞. Olei è iunipero, ℥i. olei scorpionum, ℥ß. misce, instillentur tres quatuórve guttæ in aurem. *Enstacton.*

℞. Olei de semine cannabis, de fraxino, & de spica, ana ℥ß. misceantur, & in aurem dentur. *Aliud.*

℞. Olei de cinnamomo arte chymicâ extracti, ℥ß. succi marrub. depurati ℥i. misce, instillentur frequenter duæ guttæ in aurem. *Aliud.*

℞. Succi cæpæ vel raphani ℥i. aceti acerrimi ℥ß. olei laurini ℥iß. castorei ʒi. hellebori aut nitri, & sinapi aut seminis porri, ana ʒß. hæc conterantur, & omnia mixta leuiter feraeant, deinde colatura seruetur in vsûs. *Aliud.*

℞. Olei amygdalarum amararum, & costini vel anethin. ana ℥iß. vini albi, & succi porri, (qui huic parti est accommodatissimus,) ana parem modum, (horum enim & olei par pondo esse debet) piperis, castorei, hellebori, ana ʒi. rutæ, nitri & aloës, ana ʒß. contrita hæc, & aliis permista coquantur, donec vinum succúsque exhalauerit, dein exprimitur oleum, quod vbi vsus requirit, parcè instillatur. *Aliud.*

℞. Succi cyclamini, & succi scillæ recentis, aut eius defectu succi cæpæ, ana ℥i. vini albi ℥iß. castorei & colocynthidos, ana ʒi. myrrhæ, aristoloch. rotundæ, cumini, ana ℈ii macis ʒß. coquantur ad tertias, & expressus liquor reponatur in dictos vsûs. Hoc Rhasi maximè placuit, quod sequitur. *Aliud.*

℞. Colocynthidos ʒi. castorei, aristoloch. rotundæ, succi absinthij singulorum ʒß. nitri ℈i. costi sesquiobolum, id est, gran. xv. euphorbij, obolum, fellis vaccini, quantum ad illa excipienda sat est, conformentur pastilli, & cùm vsus exigit, vnum oleo amydalarum amararum detritum in aurem sensim affundito. Tutius est tamen illorum vim, quàm materiam in aurem demittere. Hoc alteri non cedit. *Pastilli Rhasis. 9. ad Alm. c. 39.*

℞. Styracis calamitæ, ladani, macis hellebori, castorei & foliorum rutæ, vel calaminthæ, & sampsuch. ana ʒi. cardamomi, spicæ nardi, myrrhæ, & pulpæ colocynthidos, ana ℈ii. croci ℈i. olei laurini & irini, vel scorpionum, ana ℥iß. aquæ vitæ ℥i. omnia concludantur *Liquor auri instillandus.*

phialâ

phialâ benè obturatâ quæ in cacabum æneum aquâ plenum fornaci ſuppoſitum hic demergitur, vt fundum non attingat, ſícque ſinuntur ſemihoræ ſpatio, aut paulo plus efferueſcere, deinde percolatus humor in vſum referatur, adiecto moſchi ſemiobolo. Eadem alembico vitreo conuenienter includuntur, & qui deſtillatione elicitur humor, in aurem inditur. Sic & helleborus in aquâ betonicæ maceratur, & liquor deſtillatione collectus guttatim vſurpatur. In hoc quoque rusticorum remedio explorata vis eſt: cæpa præſertim rubra, & ampla excauatur, & oleo impletur amararum amygdalarum, aut ſambucino, aut alio apto, vel in cauitatem ipſius, rutæ & ſampſuc. folia viginti aut triginta immittuntur, oleúmque antiquiſſimum affunditur, & demùm calidis cineribus imponitur, aut furno ſupra laterem coquitur, oleum inde exprimitur, inprimis vtile ſurditati, & aurium doloribus.

Idem liquor per deſtillationem prolectus.

Olei capæ vſus ad ſurditatem.

Atque id multò efficacius adiectâ caſtorei aut hellebori ſemidragmâ, redditur. Rectè etiam cæpæ cauo aromata, aut alia ſurditati conueniens materia includitur. Nec ſecùs reſpondebit oleum in quod radix cucumeris aſinini coxerit, aut cyclaminis radix, aut iuniperi, lauríque baccæ & folia, & hyſſopus, betonica, ſerpillum, zedoaria, calamus aromaticus, zinziber, aliave aromata. Hæc igitur & quæcunque alia veteribus Acopa nominantur, ſurditatem & incertos aurium ſonos, doloréſque finiunt, ſola quidem ſi intemperies ſimplex & ſolitaria eſt, (quod quàm rariſſimum eſt:) alioqui nonniſi purgatione, reuulſionéque prægreſsâ iuuare iſta poſſunt. Sed inter hæc autem crebrò purgare oportet, & ſpiritum continere, vt inde humor aut vapor expiret, & ſternutamento prouocato os naréſque occludere, vt altè auri inſidentes medicamenti reliquiæ prorſus excutiantur: Quòd ſi illis iis remediis audiendi ſenſus non redit, naturales balneæ quibus ſulphuris, nitríque præcipua vis ineſt, prodeſſe poſſunt.

Alia olea ad idem idonea.

Acopa.

Medicamenti in aurem infuſi reliquiæ excutiendæ.

Thermæ.

Quemadmodum & illa victûs ratio quæ ex Guaiaci decocto inſtituitur, tametſi malum ex lue venereâ non ſit profectum. Iam verò ſurditas quæ ex bile in febribus incidit, quoniam critica aut ſymptomatica eſt, facilè vel ſpontaneâ, vel artificiosâ bilis euacuatione illa ſoluitur; ſi quando tamen perſiſtat & firmetur, auri quæ ex ſuperiorum numero mitiora ſunt, infundere conuenit, vt oleum amygdalarum amararum anethino, aut iuniperinum chamomelino temperatum, aut rutaceum oleo lumbricorum, aut cæpæ ſuccum oleo liliaceo permixtum, adiecto etiam caſtorei momento: quandoquidem bilis altiùs infixa, tempore craſſa, tenáxque euadit, nec niſi aperientibus diſſipatur. Itaque iuuabit etiam inclinatâ aure vaporem aquæ excipere, cui origanum, abſinth. betonic. ſampſuch. chamæmelum incoxerint.

Decoctum ligni ſancti.

Curatio ſurditatis ex bile.

Mitiora auri infundenda.

Suffitus acouſticus.

Cùm porrò à validis, ingentibúſque ſonis quiſpiam grauiùs audire cœperit, voce leni ac dulci ſono eius aures demulcendæ ſunt. Sin ex tabe illud eſt, & abſumptione ex vigiliis, inediâ, aliquando immoderatâ euacuatione, reficiendum corpus, inſtaurandique ſpiritus victu humido

Curatio ſurditatis à nimio ſenſibili.

Curatio ſurdit. ab exhauſto.

mido ac boni ſucci, & cerebro dulcis aquæ balneo. Quinetiam tepente aquâ cum humectante oleo, vt cumini, aut violarum, aut althæ. maluæ, chamæmel. decocto perfundere caput expedit.

Quum autem quidpiam auris ductum occupat, & auditum intercipit, illud eſt exprimendum, ſicut anteà comprehenſum eſt.

SECTIO QVARTA.

De Narium morbis & curationibus.

CAPVT XXXV.

Phlegmone.

NARES rarò phlegmone premuntur, quòd ſanguis ſeu ab interiore cauſa, ſiue ab ictu aut caſu concitatus, facilè ex iis foràs profluat, alioquin abſceſſum facturus. Si quando tamen incidat, fit ex tenui bilioſóque ſanguine, ab oris & palati ſuperioribus venis in internam narium membranam irruente. Hæc nares obſtruens, oſsíſque ſpongioſa foramina intercludens, ſpiritûs odoríſque introitum arcet. Reliqua verò cum aliis inflammationibus communia habet. Sed & huic eadem quæ cæteris, æquè medentur, præcipuè verò illa iuuant quæ anginas & oris inflammationes reprimunt, atque diſcutiunt, partim gargariſata, partim errhini modo hauſta, partim vaporis ſpecie è ſubiecto vaſe inſpirata.

Cauſa, ſanguis bilioſus.

Signa.

Curatio.

Vlcus.

Nares excrementis è cerebro defluentibus maximè patent, híncque mordaci eorum qualitate ſæpe exulcerantur. Quin & ex rupto abſceſſu, & ab euidentibus cauſis, & acerrimis errhinis, & ab ictu atque vulnere vlcus ibidem relinquitur. Id ſæpe cruorem ſaniémve fundit, & quidem quàm minimo doloris ſenſu: Interdum etiam cum ſanguine cruſtam quamdam ipſo emunctionis impetu obiicit. Certiſſimè tamen id quale ſit, detegitur ſolis radio intimam narem ſubeunte, quemadmodum & reliqua vitia quæ naſi operculo conteguntur. Cæterùm ozæna vlcus eſt inueteratum, malignum atque putridum, quod plures cruſtas, & odorem tetrum habet. Oritur autem ex acri & exedente humore, præcipuè cùm exaſperatur, atque ex putridâ & perniciosâ colluuie, qualem lues venerea, & elephantiaſis profert. Itaque fit fœdi ſpiritus ipſe odoris, ſordes plurima, craſſa, glutinoſa atque ſubalbida vlceri adhæreſcit, atque hinc pus odore putri deſtillat: interdum (quod peius eſt) ſanies nimis

Cauſſa vlceris narium.

Signa eiuſdē.

Ozæna quid ſit.

Cauſſa ozænæ.

Signa.

Vlceris maligni & cãcrosi signa & causa.

tenuis, aut liuida, aut subpallida, & mali odoris ex eo manat, quæ & ipsum vlcus, & iunctam ei carnem exedit, ac modò narium septum absumit, inque vicinas alas procedit ac serpit: modò tenella ossa corrumpens etiam in palatum penetrat, & facilè in horrendum carcinoma degenerat. Hoc autem vt deteriorem causam habet, atram exustámque bilem altissimè defixam, ita labris iam duris, atque tumentibus oris, acerbitatis suæ virus eructat, & saniem nigram aut fuluam emittit.

Curatio.

Remedia generalia.

Topica, qualia esse debeant.

Cels. l. 6. c. 8.

Crustas resoluentia.

Purgandum ante omnia corpus, atque (si vlcus postulat) mittendus sanguis, admouendæ cucurbitulæ, & cerebrum ex quo vitiosus humor in nares decurrit, omni ratione corroborandum. Deinde pro vlceris conditione remedia afferantur, quæ crustas emolliant, & euellant, quæ cum locum purgent, tum quæ repleant, & sic cicatricem inducant. Inprimis ergo cùm crusta subest, nares exulceratas fouere oportet vapore aquæ calidæ, id est, spongiâ expressa atque admota; fit & subiecto vase oris angusti calida aqua repleto, in qua viola, malua, althæa, lini semen, & aliâ emollientia coxerint. Decidit quoque indito cerato violaceo cum adipe gallinaceo, aut mucilagine sem. cydoniorum, aut althææ, & recenti butyro, aut sæuo, medullâve cruris vituli, aut recenti pomata, quæ in id præstantissima est. Si per hæc crustæ resolui nequeant, epulotico magis resiccandæ; ac dein, vt dixi, emolliendæ sunt. Postquam ita crustæ deciderunt, animaduertendum an cumulata, & glutinosa sordes, sanguísne aut sanies prætenuis, tetrúmq; virus inde exeat, nam si sanguis profluit, purúmque vlcus est, protinus cicatrix induci potest his medicamentis quæ deinde subiiciam. Nec enim maiorem operam desiderat quod leue recénsque est; nisi fortè errhinum quoddam, simili facultate pollens adiiciendum putes. At sordidum & putridum, quod glutinosa colluuie redundat, priùs accuratè purgandum est. Quocircà in narem ipsam mel cum exiguo modo resinæ terebinthinæ, aut myrrhæ, vel aloës, vel ireos coniiciatur, quod specillo quoque inuoluto lana aut bombace fit, attrahatúrque spiritu is succus, donec in ore gustus eius sentiatur. Id etiam optimè faciunt quæcunque extergendis aurium vlceribus conuenire diximus: sic tamen vt nulla odoris grauitate, neque vehementia, aut acrimonia infensa sint, & duplo, triplo, aut quadruplo illorum quantitas augeatur: quæ in errhinum accommodari possunt hoc modo.

Puro vlceri quæ cõueniãt.

Sordidis vlceribus detersio debetur. Cels. ibid.

Errhinum detergens.

Errhina liquida.

℞. Hordei integri p.i. lentium p.ß. plantaginis M.i. glycyrrhizæ ℥i. rosarum p.i. fiat decoctio ad ℔.i. & in colatura dissolue mellis rosati colati ℥iii. pro errhino.

Si plus est quod detergendum est, aut acrius pus inest, maiore vi

opus

opus est, itaque absinthium, irin, & alia adiicere oportet. Vt

Errhinum vehemens detergens.

℞. Foliorum plantaginis, agrimoniæ, absinth. marrub. & oleæ, ana M. i. iridis florentiæ ℥i. coquantur in vino albo, & in colaturæ ℔. i. dissolue mellis rosati colati, & syrupi de absinthio, ana ℥iß. pro errhino.

Síque adhuc sordidius est, gentiana & centaurium addi potest: si è venereo malo contractum sit, guaiaci decoctum cum melle, naribus haustum proficit, quemadmodum corticis eius puluis melle exceptus, & in narem datus: Ex succis pari modo.

Vlceris ex lue venerea contracti topica.

Errhinum validè purgans è succis plantarum.

℞. Succi apij, plantaginis, & absinthij, vel anagallidis, ana ℥ii. œnomelitis ℔. ß. vel si ardor inest, nec adeò glutinosum subsidet, hydromel. ℥iii. pro errhino. Cùm enim inflammationis metus est, neque adeò glutinosa sordes, in mitioribus & refrigerantibus subsistendum, quale & primum hoc est.

Inflammatio in huiusce-modi vlceribus cauenda.

Errhinum refrigerans & detergens è succis.

℞ Succi mali punici & rosarum, ana ℥iii. mellis rosati colati ℥ii. misce. Proficit etiam malorum punicorum triplicis generis succus cum melle in vase æneo coctus, donec crassitudinem asciscat, in quo intingendum linamentum, eóque vlcera implenda, hoc enim refrigerat, simúlque expurgat. Quòd si vlcus iam serpere videtur, saniem quandam prætenuem & acrem effundens, prægressa leui detersione astringentibus frigidis coërceri debet, ne vltrà feratur. Etenim vlcera hæc satis patent, vt minùs astrictio verenda sit. Cùm tamen sæuiora sunt, & multam saniem pessimi odoris eructant, ante hæc vel medicamento, vel ferro adurenda sunt, quò virus exhauriatur, aliòquin astringentibus periculosè coërcendum. Quæ verò putrida sunt, & sordidiore muco seu glutinoso pure obsita, non protinùs hæc astringentia, sed illa detergentia efflagitant. Deinde iam satis purgata, iis quoque iuuari solent, quòd continenter humore plurimo è cerebro affluente madeant, vnde obstruuntur remediorum vires. Quamobrem vt omnia breuiter complectar, & recentibus vlceribus protinus, & putridis iam detersis, & malignis seu depascentibus iam caustico edomitis astringentia conferunt.

Gal. l. 3. κατ. τόπ. c. 3. §. 6. & Auicen. l. 3. fen. 5. tr. 2. cap. 12.

Vlceribus corrosiuis astringentia adhibenda.

Quādo aduri debeant vlcera narium.

Anacephalaeosis.

Errhinum, quod maligna & serpentia vlcera cohibet, ac mitiora cicatrice tegit.

℞. Turionum myrthi aut lentisci, foliorum oleastri, aut oleæ, rubi, agrimoniæ, plantaginis & ceterach, aut equiseti, aut pilosellæ, aut polygoni, ana M. i. malicorij, (quandoquidem inprimis est efficax) aut nucum cupressi ℥ii. aut duo mala punica immatura, & contusa, rosarum p. i. fiat decoctio in æquis partibus aquæ pluuialis, & vini acerbi. (Aut si inflammatione obsidetur, loco vini, aceti quadrante (& in colaturæ ℔iß. dissolue mellis rosati colati, & syrupi, de absinthio, ana ℥iß. Aut syrupi è rosis siccis (qui refrigerat, exsiccat, deterget & astringit) parem modum: aut nisi malum punicum incoxerit, affunde succi eiusdem, & mellis rosati, ana ℥ii. hoc ozænas sistit, & polypos incipientes contrahit; hauriatur tamen ore aquâ pleno, ne quid illabatur in fauces quod offendat. At verò præstantissimus est succus ex toto punico malo (quod genere medium sit) contuso expressus, & lento igni, vel insolatu ita concretus, vt pulueris specie per calamum scriptorium in nares immitti possit. Neque præter rem ei succo, dum soli imponitur, aluminis & rosarum puluis miscebitur. Quod sequitur, deterget, astringit, & validè siccat.

Succus mali punici.

Errhinum detergens, astringens, ac valde siccans.

℞. Aloës & myrrhæ, ana ʒiß. chalcitidis vstæ, ʒi. minij ʒß. aluminis ℈iiii. corticum punici mali & balaustiorum, ana ʒii. olei myrthini, & rosarum omphacini, ana ℥iiß. ceræ parum, fiat vnguentum, quod aquâ myrthi vel plantaginis solutum in nares hauriatur, ore aquâ pleno. Sunt etiam qui omphacium in vase æneo paratum, aut quædam acriora vtiliter commiscent. Probatur quoque hoc sequens, quod inflammationem sedat, & extinguit.

Errhinum inflammationem sedans.

℞. Aquæ rosar. plantag. & solani aut semperuiui, ana ℥iii. balaustiorum mirobal. cirrearum, ana ʒiii. aluminis ʒi. cum paululum efferbuerint, percolentur. Ita sæpè vlcera elui oportet, aut aquâ glutinosâ foueri, aut si iam phagedænica, & maligna sunt, aquâ sublimatâ vel aquâ forti attingi, ea ratione quam explicabimus. Sub iis enim sæpè illorum malignitas corrigitur, atque interdum euincitur.

Epulotica pro narium vlceribus qualia esse debeant, ex Gal lib. 5. meth. med. cap. 10.

Puris vlceribus deinde adhibendum medicamentum quod cicatricem inducat, & id quidem vehementius quàm oculis, paulò mitius quàm auribus exulceratis. Itaque argenti spumam cum plumbi recremento aut cerusâ conterere oportet, ac sedulò abluere, iisque dum teruntur inuicem succum plantaginis, & oleum myrtheum aut rosaceum adiicere, donec mellis crassitudinem fecerint, quibus interdum malicorij, balaustiorum, rosarum puluis commiscetur. Id idem vnguento è cerusa, aut è lithargyro, aut diapompholygos præstabitur, quæ leuioribus vlceribus satis esse possunt. At quæ iam vetustiora sunt & acerbiora,

Linimenta epulotica.
Vnguenta epulotica.

ra, huiuſcemodi medicamenta planè aſpernantur, túmque à ſequentibus auxilium petendum.

Vnguentum è ceruſa.

℞. Myrrhæ, ceruſæ, lithargyri contritorum, gallarum parum combuſtarum, & aluminis, ana ℥i. cum oleo roſaceo, & ceræ tantillo fiat vnguentum, quo illita linamenta demittuntur in narem. Idem poteſt vnguentum diapompholygos, ſi modò chalcitidis parum adiece ris.

Aliud efficacius, quod vſu ſæpè comprobauimus.

Aliud vnguentum efficacius.

℞. Plumbi vſti & loti, tutiæ ignitæ ac diligenter ablutæ, ana ʒii. antimonij ſimiliter loti, & lapidis calamin. ana ʒiß. teſtarum cancrorum tenuiſſimè contritarum, corticum punici mali, cerûſæ aquâ roſarum lotæ, ana ʒi. ceterach, aut polytrici exſiccati, ℈ii. ſucci plantag. aut ſolani defæcati, ℥ii. olei roſarum, omphacini, ℥iiii. ſubigantur omnia diutiſſimè in mortario, & piſtillo plumbeo ſolis radiis expoſito, donec agitatione vnguentum nigreſcat, & craſſius euadat. Deinde bis vel ter quotidie linamentum inuolutum & oblongum, eo illinendum, demittendum in narem eſt. Sed ne ſpiritui via intercludatur, ſi in vtramque narem inſerendum eſt, penicillos concauos eſſe conuenit, ſicut ex gracili calamo, aut leui tubo plumbeo lanâ aut linteolo obuoluto, ſuper quod medicamentum imponendum, nonnunquam puluis eiuſdem facultatis in nares efflatur.

Celſ. ibid.

Puluis.

℞. Plumbi vſti, & ſubtiliſſimè pulueriſati, antimonij, lapid. calam. aquâ plantaginis diligentiſſimè lotorum, ceruſæ lotæ, tutiæ præparatæ, ana ℥i. cineris caudæ equinæ, & cancrorum marinorum eadem aquâ lotorum, ana ℥ß. miſce, fiat puluis, qui calamo aut corniculo coniiciatur in nares. Apta etiam eſt Galeni compoſitio. Exprimitur trium granatorum ſapore differentium ſuccus, inſolatu aut lenta coctione inſpiſſatur, cortices ſiccantur, teruntur, & ſucco permiſcentur, donec craſſitudo in iis vnguenti fiat. Sed longè efficacior compoſitio euadet, ſi adiectâ præſcripti pulueris ℥ß. diu in mortario plumbeo ſubigatur, & ita ſeruetur plumbeo vaſe.

Alia compoſitio, ex Gal. l. 3. κατ. τόπ.

Sin autem ea vlcera deteriora ſunt, & vehementer putrida, ferociúſque in partes vicinas propagantur, & oſſa erodunt: ſciri quidem debet, nonniſi vehementiſſimis euinci poſſe. Quo nomine adurens medicamentum intelligo, & ferrum candens, quod virus

Cauſtica tam actualia quàm potentialia.

 omne

omne domat, neque altiùs insinuari patitur: quamobrem alterutro inprimis vtendum est, sine quo irritus astringentium, & agglutinantium vsus foret, quibus pernicies aut retinetur, aut profundiùs infigitur. Adurentia medicamenta quæ in malignorum vlcerum curatione adhibentur, quamplurima sunt; vt ægyptiacum, mercurij puluis, & alia quæ proximo capite notabimus. Hoc tamen ad ozænas & polypos consumendos Chirurgis familiarissimum est. Aquam vitæ tertiò stillatam cum arsenico candido exactè contrito æquis partibus commiscent, mixturam in vmbra siccari sinunt. Postero die, & altero, atque adhuc sequente rursus aquam vitæ instillant, quantum puluis ille potest ebibere & similiter quotidie siccant & conterunt: deinde vbi vtendum est, eum puluerem melle excipiunt, sic vt par vtriusque sit modus. Inuoluendum autem bombace specillum est, & eo medicamento illinendum, eóque vlcera attingenda sunt. Atque si multa putris caro subest, linamentum eodem medicamento illitum demittendum in narem est; Aut specillum bombace inuolutum in aquâ separationis auri (quam fortem nominant) vel sublimatâ intingendum, eóque vlcera attingenda; quomodo etiam maligna oris vlcera tactu cohibentur: & hæc si palatum erodunt; est enim fungosa & mollis earum partium caro, nec ita exactè sentiens. Sed inprimis danda est opera, vt pars ab impendente inflammatione vindicetur, id quod præstat vnguentum rosaceum, aquâ solani & rosaceâ, vel plantaginis succo, aut psyllij mucagine, & bolo armenâ subactum, viciniśque partibus illitum. Circunspiciendum etiam atque etiam ne immoderato exedentium vsu ea vlcera exacerbentur, ac ferociora euadant. Proximus cancri metus est, qui curationibus irritatur. Id autem vitium si medicamentis non cedat, ferro curandum est. Atque sunt qui ferrum, sunt qui medicamentum anteponant, & tutius putent, interdum tamen vtroque vti necesse est, præcipuè si aucta in osse caries est. Apud quosdam rectè positum est, vel subtilem fistulam linteolo inuolutam, vel enodem arundinem, vel scriptorium calamum in nares esse coniiciendum, donec sursum ad os perueniat, tum per id tenue ferramentum candens dandum esse ad ipsum os, deinde adustum locum purgandum esse ægyptiaco vel solo, vel in aqua hordei soluto: vbi purus est, superiore vnguento epulotico ad sanitatem ducendum: Sed ante hæc cùm vlcera maiora sunt, narem incidendam esse ab ima parte ad os, vt & conspici locus possit, & faciliùs tutiúsque candens ferrum admoueri, & adustum quidem vlcus eadem ratione curari, & sui narem debere. Suturam verò illini aliquo glutinante.

Causticorum potentialium præstãtissima.

Linimentum causticum ex arsenico præpar. & melle, ad vlcera narium contingenda: quod habet A Chalmetéus Enchir. Chirurg. l. 1. c. 25. & l. 3. c. 21.

Aqua fortis. & sublimata.

Inflammationis prophylaxis.

Cels. l. 7 c. 11. Chirurgia Ozænarum.

CAPVT

CAPVT XXXVI.

Polypus & Sarcoma.

INterdum verò in naribus carunculæ tuberculorum ſpecie naſcuntur, eæquè imis partibus, quæ molliſſimæ ſunt, inhærent. Quod fit aliàs cùm ſuper vlcera caro increſcit; aliàs etiam integra cute, cùm contuſis naribus ſubiecta caro diffunditur & immodicè luxuriat. Aliàs ſponte, cùm ſanguis vel pituita in mollem illam & fungoſam carnem, ſenſim crebróque diffluens eam amplificat in tumorem. Sarcoma hoc maiore incremento longiùs productum iam polypum conſtituit. Polypus quidem eſt caruncula modò alba, modò ſubrubra, ferè acinoſo mori ambitu cõglomerata: modò etiam (quod peſſimum eſt) liuida, quæ polyporum piſcium ſimilitudine imis naribus inhæret, & modò ad labra pendens narem implet, modò retrò in fauces deſcendens adeò increſcit, vt poſt vuam cõſpici poſſit, & ſtrangulatûs metu terret, maximè Auſtro aut Euro flante, tum quippe nouæ deſtillationes ingruunt, quibus imbuitur, & extumeſcit. Ferè quidem illa mollis eſt, carò dura. Vtraque ſpiritum impedit, grauem halitum expirat, loquelam offendit, & nares dilatat. Sed hæc magis quæ ferè carcinodes eſt, iam colore liueſcens. Non igitur omnis polypus ex neglectis vlceribus ſupercreſcente carne fit: Omnis tamen ſenſim gignitur, & narem obturat, cúmque inſpectione dignoſci poſſit, non alia ſigna deſiderat.

Polypus quid. Celſ. l. 6. c. 8.
Cauſæ polypi.
Sarcoma quid. Celſ. ibid.
Differẽtiæ polypi, & ſigna. Celſ. ibid.

Curatio.

Polypus alius facilè, alius difficilè ſanatur, atque etiam quidam inſanabilis reperitur. Expedita curatio eſt iamprimum exorientis, & exigui polypi, ſiquidem mollis eſt, laxus, albus & indolens, in quo & nares tractabiles ſunt, & multo humore madent: hunc enim omnémq; carnem ſuper vlcera expullulantem reprimũt vehementer aſtringentia, quæ in vlcerum curatione adhibuimus, quæ gallam, malicorium, ceruſam, lithargyrum, tutiam, antimonium elotum, atque alumen crudum, atque etiam vſtum, & his ſimilia excipiunt; item aqua aluminoſa intingendis linamentis apta. Sed pueris & mollioribus in recenti malo roſarum rubrarum puluis inſpiratus, & reſiccata ſaluia pariter immiſſa ſufficit. Si plus eſt quod tolli opus eſt, adhibenda ſunt etiamnum vehementiora quæ corpus exedant, cuiuſmodi ſunt præcipuè quæ ex ærugine, calce viua, chalcitide, aut vitriolo, aut auripigmento tum puro tum ſublimato, aut hydrargyro ſublimato comparantur.. Sed præcipuè attingitur ſpecillo in aquâ forti aut ſublimatâ intincto.

Prognoſis.
Polypi initio aſtringentia conueniunt.
Gal. l. 3. κατ. τόπ. c. 3. §. 6.
Polypo auctiori cathaeretica adhibenda.

Eadem

Eadem quoque medicamenta quæ in penis ductu, hyperſarcoſim abſumere dicemus, æquè tubercula hæc exedunt. Cùm totus extrà polypus, aut eius pars emerſerit, volſellâ prehenſus forcipe candenti exſcinditur, vtique ſi tenuis, rotundus, & in longum deductus eſt. Itémque ſi ima eius pars craſſa, ſumma quâ innititur, tenuis eſt, is enim commodè præſcindi, & radicitùs extirpari poteſt, vt aliâ curatione non ſit opus, præter eam quæ ſanguine ſuppreſſo, & reſolutâ cruſtâ cicatricem inducit. At ſi latiore baſi figitur, plus negotij exhibet, præſertim dum intimis partibus hæſit, aut altiùs pendet, quàm vt attingi poſſit. Si plurimùm increuerit, & inſigni mole iam cauum implet, præcipuè ferro curatur. Deinde etiam adurente medicamento quod reliquias eximat; Ergo vt iam corpori & capiti proſpectum eſt per ea quæ ſuprà dixi, polypum calente oleo, aut decocto præſcripto aliquot diebus fouere oportet, ac fiſsâ iam nare primùm acuto ferramento, vt gladiolo, vel ſcapello excindere: deinde medicamentum aliquod ex adurentibus imponere, vt & quæ à ſectione relicta ſunt, exedat, & inductâ cruſtâ ſanguinem ſiſtat, qui tamen aliquantiſper ſinendus eſt fluere, priuſquàm medicamentum imponatur, hæc autem ſemel quotidie, atque interdum (ſi vires robuſtæ ſint) bis fieri debent, donec tota caro mollis & fungoſa extirpetur. Maiora quidem curationis interualla prorſus inutilia ſunt, faciléque iis ſpatiis noua caro ſuccreſcit, & immodicè luxuriat; breuiora autem crebriore tormento nimium fatigant. Sed interim circumponenda ſunt quæ refrigerant & reprimunt, vt locus ab impendente inflammatione vindicetur; in hac autem adhibenda diligentia, ne infra os cartilago lædatur. Vbi polypus abſciſſus eſt, carunculæ vnco ferramento aut volſellâ extrahendæ, & tum implicita linamenta adurente medicamento illita demittenda ſunt, iiſque vlcera implenda: medicamentum eſſe poteſt, vel aliquod ex iis quæ ad depaſcentes ozænas ſuprà poſui: Sed mirum eadem malignáque vlcera ſiſtere, & polypos detrahere; illic putrida, hîc excreſcens caro eſt, vtraque inutilis. Nec ſecùs Ægyptiacum, quod æqua mellis & æruginis portione conſtet, vel puluis mercurij ſolus, vel cum melle, ſeu is cum alumine vſto pari pondere iunctus & melle exceptus, aut oleum mercurij validiſſimum. Sed meritò præſtantiſſima habentur linamenta ter aut quater aqua ſublimata imbuta, totiéſque exſiccata, & in narem data, vbi tandiu ſinenda ſunt, dum nouo apparatu alia iis ſuccedant. Hæc autem inibi continentur, concerptis linamentis & penicillis leuiter impleta nare.

Polypus extrà propēdens quando amputandus.

Celſ. l. 7. c. 10.

Polypi grandioris operoſior Chirurgia, ferro, & cauſticis.

Inflammatio cauenda. Celſ. ib d.

Medicamēta cauſtica ad polypos abſumendos idonea.

Aqua fortis alchymiſticæ æqualis.

℞. Vitrioli romani, & aluminis crudi, ana ℥ß. ſublimati ʒi. aquæ roſarum vel plantag. ℥viii. ferueant ad quartæ partis conſumptionem

nem, recondantur in vſum. Huius vis intenditur & remittitur auctâ, imminutáve ſublimati quantitate, aut linamentis ſæpiùs, parciúſque imbutis, quæ quoties, quandiu, quantum, & quam latè vſurpanda ſint, polypi, ſarcomatíſque magnitudo declarabit. Ab iis vlcus purgandum, & eo modo cicatrice obducendum, qui ſuprà poſitus eſt. Dum polypus in fauces retrocedit, quidam nodoſo è ſetis filo à nare per palati foramina in os, acu plumbeâ traiecto deterendum præcipiunt, eo ſæpe in ſerræ modum vtrinque tracto locum exaſperant, deinde ex ægyptiaco filum perlinunt, quo ducto polypus attingatur. Sed res ea rarò ad ſanitatem ſatis proficit.

Mundificatio & ἀπούλωσις.
Paul. l. 6. cap. 25.
Celſ. l. 7. c. 11.

Illud autem polypi genus, quod durum eſt ac liuidum, aut obſcuro rubore ſaturatum, & rigidas, ſiccaſque nares exhibet, attingi non oportet, ne ſine effectûs ſpe in exulceratum cancrum degeneret, adurentibus medicamentis aut ferro irritatum: At tum verè cancer eſt, cùm acres punctiones circa locum ſentiuntur, iſque immobilis, inæqualis tumet, interdum etiam torpet. Circa eum, & ad palati ſuperiora inflatæ venæ quaſi recuruantur, eæque pallent aut liuent: interdum etiam in quibuſdam deliteſcunt, tactúſque is locus aliis dolorem affert, in aliis eum non habet: hunc curare periculoſum eſt, nam mortem quoque ea res maturat. Si vlcus acceſſit, malo quoque ſuccurri non poteſt.

Polypi maligni non temerè attingendi.
Polypi καρκινώδεις ſigna.
Celſ. l. 5. c. 28.

Nihilominùs tamen quædam tentari poſſunt, quibus quaſi quodam fuco deliniatur: hunc demulcet vnguentum è mineralibus ad vlcera deſcriptum, ſief de plumbo, item quod ex punico malo fit, & quod ſequitur.

Polypo καρκινώδει ſolâ fucatâ curatione opus eſt.

℞. Plumbi vſti & loti ℥ß. lithargyri auri, tutiæ præpar. an. ʒii. ceruſæ lotæ, pulueris ranarum, & cancrorum fluuiatilium & marinorum, ana ʒiß. ſucci ſolani & ſcabioſæ, aut coriandri & ſemperuiui, vel punici mali & plantag. an. ℥ii. olei roſati omphacini, aut myrthei, aut (in vehementiſſimo dolore) amygdalarum dulcium, q. ſ. Omnia quàm diutiſſimè verſentur in mortario plumbeo ad ſolis radium, donec agitatione fuſcum vnguentum euaſerit.

Vnguentum polypos maligniores leniēs.

Adiici in nimio ardore poteſt mucilago ſeminis pſyllij, aut ſeminis papaueris albi ℥i. aut ſucci hyoſcyami ℥ß. caphuræ ℈i.

CAPVT XXXVII.

Narium fætor, & odoratus corruptio.

NAres odorum ſpiritúſque viæ quædam ſunt. Illac ſiquidem cum attracto ſpiritu hauſti rerum odores ad cerebrum, olfactúmque permeant. Olfactus autem corrumpitur & deprauatur, vel quòd appulſos rerum odores quoſcunque fœtidos eſſe comprehendat, vel quòd nullâ

Narium vſus.
Symptomata in olfactu deprauato, duplicis generis.

nullâ re odoratâ ſenſum mouente aſſiduus naribus fœtor inſideat laborantis ſenſu perceptus. Quoniam autem fœtor putredinis ſoboles eſt, ille naribus inſidens, aut à computreſcente quodam humore, aut ab eroſâ, & (vt in ozænis) corruptâ interdum narium ſubſtantiâ efflatur. Sed quid cauſæ eſt, cur plerique graues duntaxat & fœtidos odores percipiunt, ſuaues autem, & quæcunque odoratióra occurrerint, nullomodo ſentiunt? his in ipſo odorandi ſenſu, aut circa hunc ad imam narium radicem quædam putreſcunt, quæ tetrum de ſe odorem expirant, laboranti planè incomprehenſum. Rei autem extrinſecùs appulſæ odor fœtidus quidem ab interiore augetur, & cum eo implicitus profertur, iucundus verò reſtinguitur.

Cauſſa huius ſymptomatis.

Cur quidam fœtida percipiant, minimè verò beneolentia.

Curatio.

Scopi curatiui.

Si nares grauem halitum, & fœtidum expirant, neque vlcus aut polypus ſubeſt, purgato iam corpore, errhinis primò detergentibus, deinde odoratis vitium id euincitur. Illa iam deſcripta ſunt; hæc in hunc modum componuntur.

Errhinum odoratum.

℞. Succi roſar. & ſampſuch. an. ℥ii. aquæ roſar. & myrthi vel florum aurantij, (quam naphæ dicunt) aut citrij, an. ℥iß. mellis roſati ℥ß. Miſce pro errhino.

Rectè etiam nonnulla ad fœtorem extinguendum in nares demittuntur, quale hoc.

Linimentum pro naribus internis.

℞. Myrrhæ electæ, amomi, aut eius vice cinnamomi, aut caryophyllorum, an. ʒi. roſarum rubrarum ʒß. trita excipiantur melle, & oblinantur narium interiora. Item benefacit, malagma ex mentha & vino admotum. Rectè etiam aceti vapor inſpiratur è candente latere, aut ſubiecto vaſe.

Suffitus.

Poſt id fomentum etiam ſulphuris probatur.

Fœtoris ab vlcere curatio.

Si ex vlcere prodit, nonniſi eo ſanato deleri poteſt: nihilominùs tamen reprimitur errhino ex ſucco roſarum, & aquâ myrthi, vel roſaceâ.

CAPVT XXXVIII.

Olfactus hebetudo aut priuatio.

Ariſt. 2. de anima, cap. 9.

Cauſſæ olfactus aboliti vel imminuti.

ODoratus ſenſuum omnium infirmiſſimus, hebetiórque homini quàm cæteris animantibus à natura datus, imminuitur, aut prorſus extinguitur, ídque vel obſtructis obturatíſque naribus ab inflammatione, polypo, coryzâ, atque etiam reſimo naſo, vel affectis, refrigeratis, obſtructíſque cerebri ventriculis, ſeu iis mollioribus productionibus quæ ad naſi ſummum ſpectant, mammarum papillis non

dissimiles, in quibus odorandi facultas constituta est; itaque si loquela minimè offenditur, nec quidquam in nare est, libérque spiritus illac fertur, eò caussa referenda est.

Signa distinctiua caussarum.

Curatio.

Narium impedimenta quomodo curanda sint, iam explicui: cùm autem offensionis causa in cerebro, aut propaginibus est, eadem, quæ in cephalæa pituitosa omninò facienda sunt. Nunc illud adiicio, maximè apophlegmatismis, sed multò magis errhinis esse vtendum, & iis quæ sternutamenta excitant, atque odore mouent, vt moscho & ambrâ, denique acribus, incidentibus, & aperientibus halitûs specie haustis, quæ obstructionem reserent. In id autem præcipuam vim habent acetum, melanthium, struthium, piper, vrticæ semen, pyretrum, castorium cum aceto, veratrum colocynthis. Sed iis mitiora sunt sampsuchus, beta, brassica, iris, & quæcunque alia suo loco exposita sunt. sed inprimis suffitus ad grauem auditum præscriptus, addito melanthio, sampsucho, iride. Aut aceti vapor è subiecto vase oris angusti naribus haustus, atque efficaciùs (si in eo coxerit) melanthium, sampsuchus, iris, & alia quæ iam retuli.

Scopi curatiui.
Apophlegmatismi.
Errhina, & ptarmica.
Materia errhinorum & ptarmicorum.
Suffitus naribus obiiciendus.

CAPVT XXXIX.

Hæmorrhagia.

Sanguis frequenter è naribus immodicè profunditur magnâ virium iacturâ. Erumpit autem ruptâ, apertâ, aut exesâ vena. Rumpitur nimiâ plenitudine, casu, ictu, atque alia externa vi. Reseratur, sanguinis tenuitate & interdum copiâ patefactis osculis. Exeditur ab acri & mordaci humore. Horum quodque euidentium causarum animaduersione facilè distinguitur: neque in re tam leui necessaria videtur longior signorum discussio. Sanguinis effusio modum prætergressa opportunè sistitur efficientibus causis primò sublatis, venæ sectione, si copia eruptioni dederit originem: purgatione ex rheo cum tamarindis decocto, si cacochymia: alterantibus, si sola humoris qualitas; vt refrigerantibus quæ ardorem, cohibeant, & incrassantibus quæ tenuitatem emendent, additis quæ partium internarum robur firment. Dein prorumpentis sanguinis impetus reuellendus cucurbitulâ hypochondriis è directo affixâ, aut humeris, aliàs integrâ cute, aliàs scarificatu agglutinatâ; frictionibus extremorum, vinculis, manuum pedúmque fotu calente. Tertiò fluxum intercipientibus, collo, fronti, & temporibus admotis, & aliis locis vnde sanguis deriuatur, aut quà fertur, aut quò

Caussa hæmorrhagiæ.
Ruptionis, anastomosis, & erosionis caussa.
Curatio varia pro varietate caussarū, per vacuantia, aut per alterantia.
Reuulsio.
Interceptio.

irruit, id eſt,aut parti tranſmittenti, vt iecori,tanquam pleniſſimo fonte à quo fluxionis origo; aut excipienti,vt capiti; aut intermediis, per quas venæ propagatæ ſanguinem aliò transferunt. Poſtremò aſtringentibus, & obſtruentibus extremis venarum oſculis quæ ad nares deſinunt, & hiant adhibitis. Iam verò primus ſcopus in euacuatione aut alteratione poſitus, eadem prorſus remediorum aſſumptorum genera efflagitat,quæ in menſtruis ſupprimendis enarrabimus. Interim tamen vt omnia fiant illuſtriora, ſanguinis feruor temperetur,& humores craſſeſcant hac potione.

Topica aſtringentia.

Sanguinis feruorem temperantia.

Potio refrigerans & incraſſans.

℞. Boli arm. corall.rubr.an.℈ii.trochiſc. de ſpodio cum ſemine acetoſ. ʒ ß. margarit.elect.& ſem.plantag.an.℈i. ſyrup. de roſis ſiccis ℥i.aq. plantag. & burſ. paſtor.an. 4. ß. Miſce, fiat potio.

Opiata.

℞. Conſeru. roſ. antiq. & conſer. ſymphyt.an. ʒx. conſeru. nenuph. & flor. cichor. an. ʒvi. corall. rubr. vſti & loti, lapidis hæmat. ana ʒi.ß. trochiſc. de carabe, & de terra ſigill. ana ℈ii. raſ. cornu ceru.& raſ.ebor. an. ʒß. ſyrup. q. ſ. reduc ad formam opiatæ, de quâ exhib. ad quantitatem nucis,ſuperbibendo aq.caudæ eq. & plantag. (aut ſalicis) quæ ſingularis eſt.Pulueres,elect.pil. aſtringentes ſyrupi,ac reliqua præſidia iam deſignato capite ſcripta vſurpentur: quemadmodum narcoticorum vſus eſſe poteſt, vt athanaſ. aut philon. rom. ad ʒi. cum aq. plantag.vbi alia explorata & deplorata.

Narcotica.

Tertius & quartus ſcopus in topicis conſiſtit conuenientibus, quæ ſanguinis æſtum reprimant, & intercipiant vias per quas ille effertur, quod fit epithematis refrigerantibus admotis cordi aut hepati,aut teſtibus virorum,mammis mulierum necnon pulſibus affricando.In id etiam confert os atque faciem frigidâ conſpergere,aut cyprini piſcis lapidem, aut cryſtallum ore continere, aut iaſpidem viridem, aut corallum collo appenſa,aut circumligata,quò iugularium venarum aut arteriarum contactu ſanguinem repellant.

Epithemata cordi, iecori, teſtibus, mammis admouenda.

Alia externa præſidia.

Epithema.

℞. Succi fol. ſalicis, portul. & aïz. ana ℔ß. aceti opt. quart. ß. omnium ſantal. ʒiß. coral. rubr. ʒi. ſem. acetoſ.& ſem. portul. an.℈ii. caphuræ ℈i. fiat epithema. Aut poſſunt admoueri emplaſtri formâ, addendo coriandr. ℥ß. farin. hord. q. ſ. fiat emplaſtrum, applicetur dictis partibus. In ſuccorum penuriâ vtere aquis.

Epithemata vel liquida, vel ſolida.

Vnguentum refrigerans hepar.

℞. Omnium ſantal. ℈iiij. ſemin. endiu. & acetoſ. ana ʒi. ſpod, ℈ii.roſ.

℈ii. rof. rubr. flor. viol. & nenuph. an. ℈i. ol. cytonior. & rofat. omphacin. ana ℥iij. aceti acerrimi ℥i. ceræ albæ q.f. fiat vnguentum vngatur regio hepatis.

Litus ad teftes & mammas.

℞. Album. ouor. numer. iij. fucci vmbilic. ven. aceti rof. & argill. aut gypfi, ana ℥i. Mifce, & admoueantur teftibus, aut mulierum mammis. Eodem fpectant quæ venarum ductûs intercipiunt, per quos fanguis in nares decurrit, qualia admouentur collo, fronti, & temporibus.

Collo frontique admouẽdus liquor.

℞. Succi plantag. centinod. (aut vmbilic. ven. aut tribuli aquat.) & aq. rofar. an. quart. i. aceti ℥i. album. ouorum, num. iiij. Mifce fimul longâ agitatione, & panni linei hoc liquore madentes collo, frontíque adhibeantur.

In fuccorum penuriâ, vfurpentur aq. rofar. myrthi, prunellorum, cum tantillo aceti. Sed & gypfum folum, aut argilla aceto atque oui candido fubacta, & fronti, temporibúfque impofita auxilio eft, quemadmodum myrthi cinis, bolus arm. eodem modo adhibitus. Aut:

Solida iifdem partibus admouenda.

℞. Sang. drac. gummi arab. affi, acaciæ, hypocyft. balauft. boli arm. lapidis hæmat. corall. rubr. ana ʒiß. femin. papauer. alb. femin. portul. cornu ceru. vfti, gallar. nucis cupreffi, an. ʒi. puluerentur fubtiliter & incorporentur fimul cum fucco plantag. & album. ouor. an. q.f. fiat emplaftrum liquidâ formâ, applicandum collo, temporibus, & naribus.

Emplaftrum, fiue Anacollema iifdem partibus adhibendum.

Irrigatio.

℞. Fol. lactuc. femperuiui, portul. plantag. lyfimachiæ, folani, polygonati (corrigiolæ dictæ) an. m.i. rhois, cortic. granat. ana ℥i. capitum papauer. numer. vi. rad. mandrag. ℥ß. rofar. flor. viol. nenuph. an. part. i. fiat decoctio in ℔. xii. aquæ, & colaturâ factâ guttatim inftilletur capiti: Deinde abfterfione factâ vngatur fequenti vnguento.

Embrochatio capitis.

℞. Ol. nenuph. ℥iß. aquæ rofar. ℥ß. rofar. rubr. & fem. earund. an. ʒiij. puluer. cortic. granat. balauft. an. ʒij. fucci lyfimachiæ ℥j. ceræ q.f. Mifce, fiat vnguentum fyncipiti & temporibus admouendum, præmifsâ irrigatione.

Vnguentum poft embrochationem fyncipiti ac temporibus admouẽdum.

In iis autem capiti & collo admouendis, cautio etiam atque etiam adhibenda, ne fanguis immodico frigore conglacians in meningum fedibus coërceatur, néve intercipiantur carotides arteriæ, vnde grauis apoplexiæ metus impendeat. Itaque id tertium præfidiorum genus non temerè & fine iudicio aggrediendum, nec nifi euacuatione & reuulfione præmifsâ, ne intempeftiuo vel accelerato refrigerantium vfu, aut con-

Pericula ex intempeftiuo aut nimio intercipientium refrigerantiũ vfu timenda.

uulſio, aut reſpir. difficultas ſuborta mortem inferat; aut in pulmones retruſus ſanguis cruentas expuitiones atque tabes inuehat, quod mulieribus quibus menſes ſunt ſuppreſſi, ſæpiùs accidit. Tutior eſt vſurpatio topicorum, quibus poſtremus curationis ſcopus perficitur, occluſis & obſeratis oſculis venarum in nares deſinentium, quibus tamen eâdem obſeruatione vtendum. Quæcunque id præſtant, aut occultâ & reconditâ facultate ſanguinem ſiſtunt, vt ſuccus porri, ſtercus ſuillum, aut aſininum, ocymum maius, puluis ranarum, vrticæ puluis eiúſque ſemen, ſuccus lyſimachiæ & menthæ, burſæ paſtoris, quæ omnia mirè auxiliantur; aut manifeſtâ qualitate opitulantur: Atque hæc aſtringentia ſunt, vel agglutinantia, vel refrigerantia, vel exſiccantia.

Iſchæma occulta facultate agentia.

Iſchæma qualitate manifeſtâ, quadruplicia.

1. Aſtringentia.

Aſtringentia, quæ apertis vaſis potiſſimum aptari debent, cenſentur roſa, galla, hypocyſtis, acacia, myrthus, granatorum cortex, balauſtia, acini vuæ, biſtorta, cydonior. ſuccus, plantago, &c. fusè in immodico ventris & menſium profluuio exprimenda.

2. Glutinatio.

Glutinantia & ſarcotica, quæ peculiariter ruptis & exeſis emplaſticâ vi remedio ſunt. Id genus habentur bolus arm. terra lemnia, farina volat, maſtiche, aloë, thus, tragac. gypſum, amylum, lapis hæmat. ſang. drac. album oui, ſanguis animalium, mucago pſyllij, & cydon. aranear. tela, pili leporis, lanugo caſtanear.

3. Refrigerantia.

Refrigerantia, quibus ſanguinis ardor miteſcit & reſtinguitur, qualia ſuccus papauer. albi, Iuſquiami, aizoi, fol. ſalicis, vmbilic. ven. ſolan. lentic. aquat. non tam parti ſanguinem eructanti adhibenda, quàm vicinis & ſuperioribus locis vnde venæ propagantur, & quà materiæ curſus eſt.

4. Siccantia.

Siccantia, quæ ſanguinis ſerum hauriunt, abſorbent, & combibunt, quo genere ſunt corallium, ſuccinum, cornu ceru. limat. cornu tauri, cortex oui, ſpodium, ſcoria ferri, ſtib. &c. His accedunt cauſtica, quibus ceu poſtremo remedio, neque temerè vtendum, vt alum. vitriol. flos æris, arſenicum, iis tantùm ſelectis quæ cum vi cauſticâ, aſtringente etiam facultate pollent, quâ firmiùs eſchara hæreat.

Cauſtica, aſtringentia.

Aſtringentia & ſiccantia glutinantium beneficio in compoſitione connectenda.

Porrò aptiſſimè tum aſtringentia, tum exſiccantia in vnũ cohærent, & medio agglutinantium vinculo quaſi viſco in compoſitione connectuntur, aliàs pari, aliàs diſpari proportione: In eâ autem diſpari copulatione, hæc vel illa exuperent, & antecellant, quæ cauſæ ſunt accommodatiora. Etenim apertis aſtringentia, ruptis glutinantia, exeſis ſarcotica, & boni ſucci alimenta inprimis remedio ſunt: quemadmodum exſiccantia ſeroſo ſanguini abſorbendo propriè deſtinantur; at quæ reconditâ facultate vigent, per omne genus oberrant. Hæc autem naribus admouentur, aut induntur, aliàs in puluerem trita, & corneolo inſufflata, aliàs pilis leporis, lanugine ſalicum, caſtanear. cotoneor. ex oui candido & ſuccis aſtringentibus excepta, atque indita in nares, contorto linamento, quaſi cuneolo, iis imbuto, & inſuccato: aliàs

Quibus formis iſchæma naribus adhiberi poſſint.

aliàs errhini modo in nares immiſſa vel hauſta, quibus vtetur conuenientiùs ſi frigidam ore contineat.

Puluis.

℞. Pulueris cucurbit. ſiccæ, thuris & teſtar. oui, ana ℥ß. puluerentur ſubtiliſſimè, & cum pennâ anſeris inſufflentur in nares; aut puluis vrticæ, aut ranar. in vaſe fictili exſiccatar. puluis naribus inſufflatus, qui ad ſupprimendum ſang. inprimis efficax, quacunque parte corporis exierit.

Alius.

℞. Boli arm. thuris, ſang. drac. aloës, roſar. electri, granor. myrthi, chartæ combuſtæ, an. ʒi. caphuræ ʒß. fiat puluis tenuiſſimus, qui inſufflatus compreſſis naribus continendus. Nonnulli laudant puluerem ſpongiæ præparat. Si ſpongia priùs in puluerem redigatur, licet etiam eoſdem pulueres ſucco aut porri, aut plantag. aut ocymi maioris, aut burſæ paſtoris, & oui candido excipere, atque penicillos è molliſſimis pilis leporis, aut prædictâ caſtanearum lanugine paratos medicamento imbuere; aut hoc parare

Linimentum ἔμμοτον.

Vnguentum.

℞. Thuris ʒii. aloës. ʒi. boli arm. ʒß. oui candido, & pilis excepta immittantur, atque telæ lineæ eodem medicamento, aut ſucco plantag. madentes inſternantur.

Aliud, ad imitationem Galenici medicam. 5. m. m. cap. 4.

Aliud.

℞. Thuris ʒii. mumiæ, ſang. drac. aloës, boli arm. maſtich. lapidis hæmat. an. ʒi. telæ aranear. ʒiß. pulueris leporis ʒi. farinæ volatil. ℥ß. alb. ouor. & ſucci porri, an. q. ſ. fiat vnguentum, quo illitus bombacis aut telæ lineæ penicillus narium foraminibus indatur. Sanguinis profluuium ſæpe repreſſum eſt inſpirato naribus viridis coriandri ſucco.

Aliud.

Succus coriandri.

Aliud ruſticis accommodum.

℞. Sterc. porci ʒi. thuris, cortic. ouor. gallar. roſ. rubr. rubricæ fabrilis, aut gypſi, an. ʒß. aceti, aut ſucci plantag. parum, fiat cuneolus, cum pilo leporis, imponatur naribus. Galla igne deflagrans, auſtero vino, aut aceto extincta & intrita, ſi deinde linamentis inſpergatur, ſucco priùs vrticæ, aut burſæ paſt. intinctis & madefactis, confert, quibus teſta oui exuſta, eodem gallæ pondere admiſta, medicamenti vim intendit.

Galla vſta.

Gal. lib. 3. κατ. τόπ. cap. vlt.

Hæc

Hæc etiam remedio esse solent, Aselli domestici cinerem inspirabis, vel aselli expressi succum instillato, vel molaris lapidis aceto extincti vaporem naribus obiicito. At si ne iis quidem acquiescat, validissimum hoc explorandum.

Puluis sanguinē sistens, inspiratus.

℞. Gypsum, cinerem chartæ ex linteis præparatæ, gallam, sang.drag. calcem viuam, chalcitidem, & hæc simul in puluerem detrita naribus inspirato. Vel linamentum tortile ex linteo iis pulueribus albumine oui aut ocymi maioris succo exceptis imbutum naribus immittito. Vbi mitiorib. sanguinis eruptio sisti nequit, hoc auxiliatur. Minimè prætermittendus puluis supprimendo sanguini efficacissimus, mensium profluuio coërcendo à nobis descriptus; necnon pessarium eodem loco paratum, incredibili euentu, huc penicilli formâ traduci potest.

Infr.l.4 c.57.

Immissa vel hausta errhini modo.

Parantur ex succis aut aquis salicis, rosar. coriandr. arnogloss. bursæ past. equiseti, porri, ocymi maioris, succo stercoris suilli, quibus thuris, ros. corall. aut caphuræ, aut pulu. mentæ, aut s. nonnihil sit admistum.

Leges viuendi sanciendæ.

Circumfusum aërem refrigerato. Cibum deducito. Alimentis incrassantib. & refrig. oui candido liquore, amylo, oryzâ, hordei cremore, quibus aquæ rosaceæ aut sacchari, ros. vis insit, insperso nonnunquam corallij, gummi tragac. ossis sepiæ puluere. Viscidis ac lentis, vt animalium extremis partibus. Vinum arceto adhuc constantibus viribus. Vini loco aquam pluuiam frigidissimam, & chalybeatam substituito, admisto etiam punicorum malorum acidor. vino. Fructuum astringentium & acerborum esu, & portulacæ, oxalid. mali punic. lentium mundatar. rhois vsu impetum sanguinis cohibeto. Somnum conciliato. Summam tum animi, tum corporis quietem imperato. Timorem cæco impetu percellentem incutito. Rubentium obiectorum aspectum præcludito.

SECTIO QVINTA.

De morbis dentium, & oris.

CAPVT XL.

De dolore Dentium.

Varij dentiū affectus.

DENTES externarum & internarum causarum iniuriis obuij, crebrò variéque afficiuntur, dolent, stupescunt, liuent, nigrescunt, vacillant,

cillant, eroduntur, corrumpuntur, franguntur, aut aliter vitiantur & cariem ducunt, & excidunt. Dentium autem dolor, qui & ipſe maximis tormentis annumerari ſolet, modò cum ardore & inflammatione, modò ſine ea eſt. Etenim ſæpè à capite frigidus, & pituitoſus humor in dentium radices, atque alueolum, ſuccingentémque membranam & gingiuas adhærentes procumbit. Interdum etiam calidus & acer humor, vel ſanguis vberior eò confluit, qui infixus & arctiſſimè coërcitus maximum dolorem mouet, & ſubſtratum neruum inflammat. Quandoquidem prætenues neruorum fibræ à tertia cerebri coniugatione in dentium radices profundas imâ parte inſeruntur, qui non ſolùm tangendi ſenſum iis impertiunt; verùm & nonnihil facultatis deguſtandi in ipſos deuehunt. Frigidus autem an calidus ſit humor qui eò defluxit, & dolorem infligit, ſigna declarabunt in catarrho iam prodita. At ſigna proxima ſunt quòd hîc ardor & gingiuarum rubor, & interdum pulſatio; illic tumor conſpicuus, & hebetior dolor eſt. Vt autem crebra defluxio dentes excauat, corrodit, & nonnumquam ſuâ ſede dimouet, ita ſi quis exeſus, aut aliter vitiatus eſt, in eum promptior fluxio eſt, tanquam mutuâ cauſarum reciprocatione.

Celſ. l.6 c.9.

Cauſſa odontalgiæ, modò frigida, modò calida.

Vnde exquiſitus dentium ſenſus.

Signa frigidi vel calidi humoris.

Fluxio eroſionem dentium, eroſio fluxionem accerſit.

Curatio.

Si quando dolor cum inflammatione eſt, ſanguis rectè mittitur; ſi id res aliqua prohibet, aluus vtiliter ducitur; & nihilominùs cucurbitulæ humeris & ceruici adhibentur, antè incisâ cute; & quædam ex attrahentibus, quæ vias intercipiant, temporibus applicantur. Quinetiam gingiuarum & dentium calidiores affectûs, poſt humerariam, venarum quæ ſub labris extant ſectionem deſiderant. Os autem circa initia colluitur poſcâ, in quâ decocta ſit galla, balauſt. myrthi folia, & rubi, lentiſci, roſæ, aliáque reprimentia increſcenti anginæ accommodata; aut ſuccus portul. plantaginíſque & coriandri virentis, cum roſaceo ſæpiùs ore retinetur: aut aqua frigida, aq. roſar. & plantagin. cui caphura ſit admiſta, aut acetum cum roſaceo, donec tepuerit: Acetum enim quamuis dentibus per ſe aduerſari videatur, attamen aliis permiſtum iuuat, altéque penetrans, cætera deuehit alioqui inutilia; cúmque id offendit, roſaceum frigidum dein ore continendum, ſæpiúſque mutandum; aut myrtinum oleum, aut lentiſc. aut omphacin. aut è ſalicibus, aut maſtich. præſertim ſi iam primùm inflammatio præterierit.

Reuulſio fluentis humoris, in cauſa calida.

Celſ. l.6.c.14.

Interceptio eiuſdem.

Collutiones oris.

Decoctum pro collutione oris.

℞. Ol. myrt. & roſac. an. ℥iß. ſemin. plantag. portul. & baccar. myrti, ana. ʒi. opij ℈i. aceti ℥iii. fiat decoctio ad tertias. Quòd ſi vehementior is dolor eſt, neceſſariò & iuſquiami ſemen foliáve, aut ſolani, & papauer. non minimum in poſca, vel in vino miſto coquitur, at ore is humor contineatur, ſæpiúſque mutetur. Sed in narcoticis vtique vitandum, ne quod hauſtum erit, deuoretur. Si ne ſic etiam mitescit,

In vehementiori odontalgia aliquid narcotici collutionibus oris addendum.

Celſ. l.6.c.9.

tescit, caphura vnà cum pyrethro trita, præsertim iam progresso malo, dentium radicibus iuxta gingiuas inspergitur. Et vt puluis hic à saliuâ elutus deciderit, denuò respergetur, & rosaceo imbuta lana denti applicabitur: Cui cùm dolor acerbiùs recrudescit, opij gran. iiii. adiicientur, vel alterci seminis vapor per infundibulum excipitur, sic tamen vt contra dentem feratur. Vtilis etiam hæc compositio est:

Pastillus. φυλικὸς

℞. Sem. portul. coriandr. rhoïs, lentium excepto cortice, santal. citr. rosar. pyrethr. sem. iusq. albi, caphuræ, ana. Terantur, & affuso solani succo in pastillos cogantur, quorum vnus & alter affricetur dentibus qui laborant, per se, aut vino & aquâ rosar. diluitur, eóque dens fouetur. Vel Philonis antidotus denti circumlinitur. Aut si vehemens dolor somnum ex toto prohibet, huius ʒi. datur, vel aliud ex iis quæ ad somnum conciliandum faciunt. Sed si remissus iis non est, gingiuis scalpello leuiter incisis hirudines affigentur; vt cum sanguine dolor eximatur. At gingiuis ex inflammatione dolentibus, præstantissimum est remedium oleum lentisc. in cortice punici mali torrefactum, si in ore contineatur. Esto autem id recens, nam vetus tantò recenti deterius, quantò calidius. Cùm porrò fluxionis impetus iam resedit, neque nouæ vlla est suspicio, præscribenda sunt quæ humorem euacuant & discutiunt, qualia in pituitosa fluxione nunc explicabimus.

Hypnotica. Gingiuarum scarificatio. Oleum lentiscinum inflammationibus gingiuarum optimum. Gal. 5. κ.τ. cap. 9.

Dentium doloris ex causa frigida curatio.

Dentium dolor ex frigida destillatione frequentissimus est, in quo primùm aluus ducenda, atque pituita expurganda è capite; cucurbit. scapulis admouendæ, & intercipienda defluxio, tum remediis in catarrho comprehensis, tum astringente emplastro temporibus imposito, quale est mastiche, è pelle arietina, subactum cum oleo lentisc. vel myrt. quæ autem ore continentur ad dolorem, in duas differentias distributa sunt: alia enim ipso fluxionis impetu dolorem remittunt, alia verò fluxione iam repressâ & sedatâ conueniunt. Quæ prioris sunt generis, exsiccantia, & quodammodo astringentia esse debent, citra vehementem caloris vim, vt hedera, pentaph. radix, nux cupressi, tamarisci folior. decoctum ex vino, piceæ & pini folia trita ex aceto decocta, gummi iuniper. in aceto coctum, absinth. myrtus, lentisc. verbascum, quæ partibus constant facultatis contrariæ: hæc si desint, arte comparantur, digerentibus & acribus permistâ gallâ, vel malicorio, vel rosa & alumine. Sic enim rosaceum cum mastiche, & vinum rubrum cum alumine vtiliter circa initia ore continentur.

Ore continenda vigente fluxione.

Quæ fluxione iam repressâ conueniant.

Posteriora autem calida sunt & acria, vt attenuent, & discutiant quod dentium cauis impactum est, & ex alto foràs trahant, quam facultatem præcipuè habet ononidis radicis ex posca decoctum, quin & radicis cortex mansus, betonic hyssop. decoctum, marrub. rad. asparag. peuced. nigellæ, allium, vel rutæ folia cum oxymel. vel acetum scillites. Adhæc, gummi hederæ, pyrethrum, staphysagr. piper, galb. opop. succus cyren. coloc. decoctum, præcipuéque radicis eius cum aceto.

Præterea

Præterea quædam inter hæc mediam conditionem adepta, blando calore dolorem demulcent, & relaxant, vt althææ decoctum ex aceto in ore detentum, cui magnam vim Dioſcorides tribuit; ac ficûs pingues vel in mulſo, vel in aceto & melle, ex quibus cùm ficus decocta eſt, is humor percolatur. Nonnulla inducto ſtupore partis ſenſum obtundunt, vt ingentem doloris cauſam minimè percipiat, vt iuſquiam. vel ſolani ex vino aut ex aceto decoctum in ore retentum. Sunt & alia reconditis viribus conuenientiſſima, vt anguium ſenecta ex aceto decocta in collutionibus, cuius exuſto puluere melli commiſto, Archigenes dentem exturbari credidit. Paſtinacæ piſcis aculeus in eius caudâ prominens dentibus adhibitus, primi leporis dentes impoſiti, ranar. ex poſca decoctum, dens caninus vſtus, tritúſque coquitur in aceto ad collutionem, aut cornu ceruinum raſum.

Paregorica temperata. *Dioſcorides, lib 3 c.160. Celſ. l. 6. c. 9.* *Narcotica.* *Occultâ proprietate iuuantia dolores dentium.* *Gal. 3. κ. τ. c. 9 §. 2.*

Indicantur autem præſtantiſſima, quæ ita diſcutiunt vt vehementiſſimè ſiccent, & quæ roborent, ſic enim dentium natura efflagitat, ne violentiâ inſitus partis humor pariter exhauriatur.

Incipiente & perſiſtente fluxione.

℞. Radic. pentaph. ℥ii. radic. cyperi, & nucum cupreſſ. vel cortic. radic. pini, ana ℥ß. fol. verben. hederæ, ana M. i. ſaluiæ & lentiſc. vel tamariſc. ana M. ß. coq. in aqua & aceto, ad oris collutionem, addendo alumen. ʒiii. (ſi quis plus aſtringendum) aut gallæ immat. ℥ß. Quòd ſi grauior is dolor eſt, rectè iuſquiam. radic. ℥ß. incoquitur, aut ſeminis huius & pap. alb. ana ʒiii. adiicitur.

Decoctum pro collutione oris.

Fluxione iam ſedatâ.

℞. Radic. peuced. ℥ii. radic. pœon. raphan. vel cucum. agreſt. & galang. vel ariſtoloch. rot. & radic. cappar. ana. ℥i. radic. pyrethr. ℥ß. ſtaphyſ. vel melanthij ʒiii. cubeb. vel caryoph. vel ſinap. vel piper. vel zedoar. ʒii. fol. beton. hyſſop. polij & dictam. vel orig. puleg. ſaluiæ & fol. raphani, ana M. i. alliâ, ſi placent num. ii. coq. in poſca aut vino miſto, in quo colato diſſolue ſalis ʒiii. Id ore continetur & ſæpiùs mutatur. Vel è ſubiecto vaſe fumus hiante ore excipitur, ſed eo tempore in peluim candentes ſilices demitti, & iuxtà ſedens homo veſte contectus eſſe debet, nam per os continens pituita defluit, & humor diſcutitur, ídque ſæpè dolorem leuat. Mediis autem temporibus vtraque permiſta ſunt conuenientiora. Interdum quoque iis digerentibus & calidis narcotica permiſcentur, vt mutuâ amborum pugnâ mediocritas quædam emergens dolorem ſedet. Ego autem has formulas ex contrariis compoſitas ſoleo præſcribere in vehementiſſimo dentium cruciatu.

Aliud decoctum tam ad collutionem oris, quàm ad ſuffitum. *Celſ. ibid.*

Formulæ.

Trochisci salivales. ℞. Pyrethr. staphys. ana ʒß. piper. nigr. & sem. iusq. ana ℈i. opij gran. iiii. aut v. excipiantur pulpâ passular. & cum serico raro rubro concinnentur formulæ lupinor. instar, contineat vnam supra dentem, sed interim affluens pituita expuatur.

Dentifricium Rhas. 9. ad Almans. cap. 48. Rhases accipit pyrethr. sinapi, thapsiam indicam, nitrum, piper. & zinziber æquo pondere, quibus contritis dentium radices infricari iubet, aut lanam melle imbutam, eóque puluere respersam dentium finibus iuxta gingiuas apponere; sed priùs os eluere aceto præcipit, in quo pyrethrum, mentastr. & orig. efferbuerit (acetum enim aliorum permistione corrigitur.) At si hæc inualida fuerint, dentium finibus hoc medicamentum circundatum, auctore Rhase dolorem soluit. Habet autem castor. succi cyren. piperis, zinziberis, styrac. opij, ana. Hæc melle læuigata denti circundantur. Quinetiam piperis puluere melle subacto, dens vtiliter perfricatur: aut felici quorundam experimento salis subtilissimè triti quamplurimum albâ cerâ excipitur, eâque dens omnis contegitur ad discutiendum dolorem. Dentem etiam vel calido pane, vel assò vitello oui calido, & subinde calfacto foueri oportet. Specillum quoque lanâ inuolutum in calidum oleum demittitur, & præsertim in quo ea coxerint, eóque feruentissimo dens fouetur. Aut castorei partes ij. opij pars i. cerâ paucâ excipitur, quæ denti implicatur: sic enim conuenit solidiore formâ narcoticum contineri, ne ea noxa cæteris impertiatur. Vtilis quoque suffitus hic est.

Matth. de Grad. com. in Rhas.

Cels. ibid.

Formula narcotica.

Suffitus dentis dolentis. ℞. Sem. coloc. sinapi, & sem cæpe, ana ʒii. nigell. Rom. staphys. ana ʒiß. semin. iusq. albi ʒi. contundantur, & in candentes prunas coniiciatur ʒi. sic vt vapor contra dentem feratur. Si exesus est dens dolens, vtiliter cerâ rubrâ aut viridi, in id cauum immissâ, & rutilante ferro liquefactâ, dolor mitescit. Extrinsecùs autem maxillam fouere oportet anodynis & chalasticis.

Fotus maxillarum. ℞. Radic. lilior. ℥iii. malu. althæ. cum radic. ana. M. i. hyssop. & rorisin. ana Mß. amygdal. amarar. contus. & nucleorum persicorum, ana ℥i. sem. lini, fœnugr. brassicæ & porri, ana ℥ß. flor. camom. melil. & aneth. ana pi. coquantur in vino, quo per spongiam maxilla fouenda est, & imponendum vnguentum resumpt. aut althææ cum irino, vel liliaceo, vel Keirino, camæmel. vel anethino, admisto etiam croco, aut hæc olea lanâ comprehensa, aut aliud ex his quæ in angina proponemus. Quòd si acerbior is dolor est, vtiliter calida cataplasmata, aut discutientes sacculi ex milio torref. auenâ, furfure, & sale supra maxillas admouentur, superueniens enim tumor & foris conspicuus, bonum. Quicquid dentibus admotum est, nihilominùs interceptæ semper viæ esse debent, quibus iter est in affectam partem. Itaque emplastrum, quale suprà apposui, temporibus affixum esse debet. Vel:

Litus.

Cels. ibid.

℞. Thuris,

℞. Thuris, hypocist. acaciæ, ladan. mastic. picis, ana. subacta oleo lentisc. formentur in emplastrum.

Emplastrum temporibus affigendum.

Excogitatum etiam aliud est remediorum genus, per quod aut doloris materia aliò rapitur, aut nouo dolore suborto prior obscuratur, cuius rei causâ sinapismi, aut phœnigmi imperentur. Quidam in hunc vsum myrrhæ, cardamom. aut pip. ana ʒß. croci, pyrethr. ficuum ping. ana ʒii. sinapi ʒß. contrita linteolo illinunt, & imponunt in humero eius partis quà dens dolet: si is superior est, à scapulis; si inferior, à pectore, idque dolorem leuat, & cùm leuauit, protinus summouendum est. Huc etiam pertinere videntur periammata, quæ apposita carpo reuellunt & dolorem eximunt, vt ranunculi folia, aut dentillariæ radix tunsa: in quem vsum allium tritum, è directo in contrariam aurem inditum, vel oleum in quo terreni vermes coxerint, similiter instillatum iuuare creditur; vel succus tithymali, vel asphodeli rad. succus in contrariam aurem infusus: vel hederæ corymbi cum rosaceo in malicorio feruefacti, & eodem modo instillati; aut myrrha cum alumine coacta, & in aurem quà dens dolet, indita; vel oleum amygd. amar. sambuc. & è castoreo instillatum; post quæ vix potest fieri vt dolor permaneat, sed si manserit, stilo candente dentis radicem attingere oportet.

Sinapismi & phœnigmi. Cels. ibid.

Periammata.

In aurem immittenda.

Si verò exesus est dens, festinare ad eum eximendum, nisi res cogit, non est necesse. Dens enim hærens cum summo periculo euellitur, ac si exesus est, sæpè sub forfice confringitur; quâ de causâ euellendus linamento aut plumbo impletur. Quòd si dolor eximi eum cogit, in id foramen quædam demissa dentem findunt, comminuunt, & extirpant, quale hoc:

Cels. ibid. Idē l. 7. c 12.

Idem l. 6. c. 9.

Dentis commotio antequàm eruatur.

℞. Tithymalum, siue ranunculi radicem, & piper, & cedri resinam, quæ commista coniicito in id foramen, sed vicinos cerâ aptè communiri oportet. Aut tithymali lac solum cauernis dentium inditum, cariosos frangit, vt sponte excidant; quod de succo chelidonij, vel ficulneo lacte, & virentium ranarum adipe, & serpentis exuuio prodiderunt, quæ tamen minùs præstant quàm pollicentur. Et pastinacæ piscis aculeus torretur: dein conteritur, & resinâ excipitur, quæ denti circundata hunc soluit. Ex fæce aceti acerrimi plurimis diebus circumlinitur, aut aquâ forti leuiter attingitur; aut olei è sulphure gutta vna immittitur, nam pariter liuorem minuit: maiore enim periculo, qui hæret, manu ferróque eximitur, quò tamen plerumque doloris vehementia & pertinacia impellit; cúmque eximi debet, non id maiore doloris acerbitate, sed maximâ ipsius reuersuri tranquillitate tentandum, eâ ratione quæ à Celso lib. 7. & Paulo lib. 6. tradita est. Itaque non temerè euellendus dens, sed si corruptus est, totus tabidus, vacillans, si adsit nerui subiecti inflammatio, à quâ periculum immineat. Sic enim extracto dente coërcitus humor ventilatur, & faciliùs discutitur.

Medicamenta dentes frangentia.

Cels. ibidem necnon Plin. lib. 32. c. 7.

Dentium extractio cautè instituenda.

Ad corrosos Dentes.

Indicationes. Collutio.

Humor acris & salsus purgandus est; crebra fluxio quæ dentes excauat, intercipienda, quibusdam in dentium foramina immissis. Itaque primò ex vino colluitur, in quo saluia, menta, hyssop. galla coxerint, & piper: deinde aut theriaca, aut masticbe, aut benjoin. caphur. myrrha, aloë, cyperi, gallæve fragmentum, aut sulphuris pauxillum, in id dentis cauum dèmittitur, in ídque sinitur ad corruptionem arcendam.

Immittenda in dentis cauum.

Cauterizatio dentis corrosi.

Aut ferramento candente per fistulam immisso leuiter dentis foramen attingitur; vel etiam indito priùs mastiches grano. At si omnes aut plurimi exeduntur, nigella Romana torrefacta, & aceto intrita ore continetur; aut zinziber, aut capparis radix, vel angelica, vel zedoaria in aceto coquitur adiecto sale, eóque abluitur os. Quandóque erosis & corruptis dentibus vermes ex humore putrescente subnascuntur, quos arguit dolor, pruritus & titillatio: Hi amaris enecantur, præsertim aloë, myrrhâ, absynthio, semine porri & cæpæ, & nitro, & cornu ceruino, quibus nonnulli iusquiam. semen in suffitu addiderunt. Vt:

Vermes dentium, signa, & curatio.

℞. Myrrhæ, aloës, sem. porri, sinapi, & iusq. albi, an. ℥ß. excip. mucag. tragac. ex aceto depromptâ, & dentium caua expleantur, superimpositâ cerâ aut mastiche.

Dentium caua intrudenda.

Suffitus ex iisdem comparatur adiecto styrace. Oris collutio ex tepente aceto, in quo absinth. abrot. marrub. capparis radix, & mori, & lupini contusi, aliáque id genus coxerint.

Suffitus & collutio.

Si quando autem lactans adhuc infans dentitione laborat, perungendæ crebrò sunt, & leuiter perfricandæ gingiuæ cocto leporis cerebro, vel canino lacte, vel asin. vel medullâ cruris vituli, vel recenti butyro & mucag. althææ, aliísque quæ laxent, rarefaciant, atque demulceant.

Dentitionis dolores, hósque demulcentia.

CAPVT XLI.

Ad dentes mobiles, & gingiuas fluxione laxas, ad exesas, tumidas, luxuriantes.

Caussæ mobilitatis dentium. Cels. l. 7. c. 12.

DEntes mouentur & vacillant ex atrophiâ & virium imbecillitate, velut in senibus, & iis cernitur qui à diuturnis morbis emerserunt. Sed in atrophiâ analeptice est necessaria: senectæ vitium immedicabile est. Vacillant quoque interdum ex ictu, vel alio casu. At sæpiùs ab interiore causâ quæ alueolum laxat & infirmat, vt cùm pituitosus humor dentium radices imbuit, & lubricum sinum reddit: eadem humoris copia gingiuas, fluidas & molles efficit. Quamobrem in vtrolibet conti-

Præsidia dentes stabilientia.

nenda

nenda ore reprimentia, vt vinum meracum in quo malicorium, nuces cupressi, cytini, aut myrtus, aut lentisc. aut oleæ folia, aut rubi, aut rosæ cum saluia & rorismarin. aut radic. bistortæ, aut alumen decoctum, aut in quo galla candens coniecta sit. Hæc enim commotos dentes stabiliunt, & fluxionem arcent, sed interim denigrant, præsertim malicorium: at minimè alumen, quod exustum cum corallio, & cornu ceruino mixtum, nimium humorem combibit, & absorbet. Hæc autem aliáque siccantia melle rosa. excipiuntur, vel syr. myrtino, vel è rosis siccis; & denti qui vacillat adhibentur. Eadem cruentis gingiuis auxiliantur, & tumidas & excrescentes coërcent, quemadmodum prætereà portul. & plantag. succus in ore retentus, & colymbadum muria, & oleum omphac. vel lentisc. vel melinum, vel amurca: atque in aridis semen plantag. ærugo ferri, atramentum sutorium, aliáque ex adurentibus & sarcoticis, quæ tum demum necessaria sunt, cùm maximè excreuerunt, perinde atque in epulide.

Celsus ibid.

Remedia gingiuarum exesarum, necnon tumidarum.

Collutio ad mobiles dentes, & fluidas gingiuas.

℞. Radic. cyperi ℥ii. summit. myrti, lentisc. oleæ syluestr. saluiæ, & rorism. aut summit. cupress. ana M.i. cytinorum & gallæ igne flagrantis, aut nucum cupressi, ana ʒiii. sem. cumin. torref. ʒiß. rosar. p.i. coquantur in vino aspero, aut aceto, sub finem coniiciendo aluminis & salis, ana ℥ß. colluatur os, aut saltem linteolo, madefacto foueantur dentes tremuli. Firmat quoque gingiuas gummi iuniper. quod in aceto coxerit. At si externâ vi concussi labant dentes, auro cum iis qui benè hærent, sunt vinciendi, & continenda ore, vt dixi, reprimentia. Si nihilominùs excidunt, factitij artificiosè supponuntur, qui primorum defectum contegant, si id expetitur.

Cels. ibidem.

Si verò à dentibus gingiuæ recedunt, aut exeduntur, quod ab humore fit acri & salso, eadem quoque iuuant quà fluxionem inhibent, & exedentem humorem, non vltrà serpere patiuntur, sed cum aloë, aut myrrhâ, aut mastiche, thure, iride, atque aristolochiâ, vt carne radices obtegantur. Itaque post astringentem collutionem, horum puluis gingiuis inspergitur, atque infricatur hoc modo.

Idem lib. 6. c. 13.

In gingiuarum erosione reprimentia sarcoticis miscenda.

℞. Aloës, myrrhæ vstæ, (alioqui nimis ingrata est,) iridis, ana ʒii. mastich. aristoloch. rot. gallæ & alum. ana ʒiß. cinamom. rosar. ana ʒi pyrethr. ʒß. conterantur: quibus addi potest corallium, & cornu ceruin. & myrob. aut dactyl. nuclei, aliáque quæ mox ad purgandos dentes subiiciam.

Dentifricium pulueris formâ.

Ad dentes purgandos & dealb.

Dentes amissum nitorem recuperant, & obducti lentore purgantur detergentibus & exsiccantibus, quæ tamen nec amara, nec fœtida esse debent.

Dentes detergentium materia. debent. In eum vſum plurima, ſed hæc præcipuè notantur, os ſepiæ, lapis ſmiris (quem emerillium vocant, ad illuſtrandos enſes hodie vſitatiſſimus) ſal quiuis qui purgat, & putredinem arcet, margarit. puluis, corall. vtrumque, vſtum ebur, dens caninus, aut lupi, aut primores apri aut equi, ariſtol. radix vſta, vt & arundinis, parietaria ſicca, ſulphur vſtum, æs, pumex, ceruinum cornu vſtum, alcyonium quintum, cinis buccinæ, aut mitulorum, aut conchulæ indicæ, aut cochlearum terreſtrium, & ouorum teſtæ tritæ, & ſi quæ aſperitate ſuâ obuiam dentium faciem abſtergunt, & atterendo abradunt; quomodo panis hordeaceus ſiccus & tritus. His autem alia quædam miſceri ſolent, provt vitium eſt.

Horũ detergentium cum aliis compoſitiones, variæ pro variis ſcopis. Si mobiles firmandi, adiicitur alumen & roſa, & lentiſci, myrtíve cinis, reliquis aſtringentibus hîc planè reiectis, ex quibus nigreſcunt non minus quàm dulcibus & calidis. Si exeſæ ſunt gingiuæ ex agglutinantibus & ſarcoticis, minùs ingrata permiſcentur, vt maſtiche, iris, & exuſta, (vt dixi, myrrha, vel benjoinum pauxillum. Si præterea ſuauitas oris expetitur, vel iunci odorati flos, ſchænanthe vel nardi ſpicæ, vel ſantali, vel folium malabatri, cynamom. agallochum, calamus arom. iris, caryoph cyperi, moſchus, ambra adiicitur.

Variæ formæ dentifriciorũ. Ex his puluis craſſiuſculus, & aſperior fit, qui modò per ſe dentibus affricatur, modò cum oxym. ſquillit. aut ſyr. è roſis ſiccis (id enim firmat dentes;) aut melle roſato, aut anthoſato in confectionem, ſeu opiatæ formam reducitur, modò cum mucag. gummi trag. aut arab. deprompta ex aq. roſar. in dentifricium digiti magnitudine & pyramidis figurâ concinnatur. Iam autem luculentiùs omnia in vſum referamus.

Dentifricij exemplum 1. ℞. Cornu ceru. vſti, corall. rubr. oſſis ſepiæ non vſti, & lapidis ſmiridis, aut pumicis, ana ʒiii. ſalis vſti ʒii. alumin. vſti ʒiß. iridis, cyperi, ſpic. nard. ſchæn. maſtich. & ſulphuris combuſti, ana ʒi. fiat puluis craſſiuſculus, quo dentes affricentur; aut cum oxymel. ſquill. coacta in opiatæ formam redigantur, in eundem vſum.

Si nimium in modum nigri ſunt, ante hæc ferro circumradi debent, & radicibus inhærentes ſquamulæ purgari, euellíque debent.

2. ℞. Panis tritic. aut potiùs hordei, corall. vtriuſque, cornu ceru. an. ℥ß. alum. & teſtæ cochlear. marinar. ſiue porcellanar. ana ʒiii. vrantur omnia in vaſe fictili, & conterantur, eóque puluere dentes confricentur. Dens autem ſcaber quâ parte niger eſt præcipuè radendus: cui odoris gratiâ conuenienter adiiciuntur cinamom. ʒß. moſch. aut ambr. gr. iiii. Probatur ſi corallij decocto dens canis apponatur. Ad dentes etiam malè coloratos confert lana ſuccida cum pauco ſale vſta; aut ſal candidum melle reſperſum fici foliis inuoluitur, & vritur donec in carbones abeat.

Dentifricium ad dentium candorem.

3. ℞. Oſſis ſepiæ non vſti (vſtum enim graue olet, perinde ac teſtæ ouor.) ℥ß. vitri ʒii. corall. rubr. & albi, ſpod. alum. vſti, margarit.

an.ʒi. maſtich.& cinam. ac iridis,an.℈ii. ſalis ammon.vel gemmei ʒiß. craſſiuſculè terantur, & cum mucag. tragac.extr. cum aquâ roſ.fac dentifricia balanor. ſimilitudine,quinque digitos oblonga, quibus in vmbra ſiccatis crebrò vtendum.

Probatur à nonnullis ſequens puluis, qui dentes non ſolùm candidos reddit, ſed multò magis firmat & conſeruat.

℞ Turionum lentiſc.myrti,oleæ ſylu.ſalu.& roriſm.an.M.i.ariſtol. rot. & rad. cannar. ana ℥ß. polij mont. corall. rubr. eboris & cornu ceru. ana ʒii. ſalis communis ʒi. omnia in vaſe fictili concluſa comburantur, donec albeſcant, dein in puluerem craſſiorem redigantur, addendo caryoph. roſar. cinamom. craſſi, ana ʒiii. puluis per ſe, aut cum oxymel. aut ſimplici aut ſquillit. in confectionis ſpeciem infricatur dentibus. Dein aquâ puriſſima os eluitur: aut ſubſcripta quæ dentes purgat,firmat, iiſque nitorem addit. Hic non minùs efficax, euidentiùs nitorem reſtituit.

℞. Oſſis ſepiæ, corall. vtriuſque, pumicis, teſtæ marinar. cochl. ana ℥ß. ſalis vſti, & alum. vſti, ana ʒiii. maſtich. & ariſtol. rot. ana ʒii. caryoph. & ſantal. citrin. ana ʒi. fiat puluis, qui linteolo madefacto adhærens, dentibus infricatur. Comparantur etiam dentifricia ex lappæ aut maluæ, aut althe. radicib. molliuſculè (ne gingiuas lædant) coctis in aceto cum alumine & ſale, vel in aqua quæ hæc exceperit: illis dein in clibano ſiccatis & obduratis dentes perfricantur.

Aqua ſtillatitia ad dẽtes dealbandos.

℞. Salu. & roriſm. ana M. iii ſummit. myrthi, M. i. roſar. p. i. ſalis p. iii. pulu. aluminis ℥ii. omnia vino immerſa & macerata, vaporario vitreo concluduntur, vt inde aqua deſtillatione eliciatur, ad dentium collutionem.

Dentiſcalpia ex quib. fiãt.

In Narbonenſi hac Gallia lentiſci frondes repurgandis dentibus ſemper vſui ſunt. Poſſent etiam myrthi ramuſculi, & roriſm. virgulæ alimentorum reliquias dentibus infixas & adhærentes eruere, atque etiam fœniculi, vbi modicùm cum ſale & alumine in poſca aut aceto cocti, aſtrictiorem acquiſiuerint. Non tamen iis, ſed illis candor amiſſus redit.

Dentibus quæ ſint noxia.

Aliena ſunt acerba, dulcia, pinguia, viſcida calida, & nonnunquam frigida, præſertim mox ab iis adhibita, nimium dura omnia ex lacte comparata, & quæcunque alia putredini obnoxia. Sed maximè frequens vomitus abſit, & crapula, cuius halitu, quemadmodum & viſcerum impuritate, dentes nigreſcunt: Itaque hæc quamprimùm expurganda ſunt. Primùm ſale dentes confricato: dein lentiſcino dentifricio illos expurgato. Poſtremò os vino, cui aluminis parum inſit, aut aquâ frequenter colluito.

CAPVT XLII.

Hæmodia.

Causa hæmodiæ.

TOrpescunt dentes, vel potiùs eorum sensus molestè exasperatur, acerbis & acidis rebus, vt crudorum fructuum esu, acidæ pituitæ contactu, & cruditatis expiratione; his enim imbuti tutò mandere non possunt. Id vitium commansâ portulacâ (quæ ad id primas habet) facilè eliditur: aut amygdalis, aut pineis nucleis, auellanis torref. nuce iuglande. Vtile est etiam sale torrefacto perfricare, idémque præstare vinum calidum in ore retentum, & aqua vitæ potest. Nec in re leuiori atque inter epulas difficilior inuentio, aut exquisitior præparatio esse debet. Sed mirum, quomodo ab acerbis dentes afficiantur? credo quia in solida substantia, in qua permanens affectio est, quodam gustandi sensu præditi sunt, quod nulli parti est concessum.

Curatio hæmodiæ.

Cur dentes ab acerbis afficiuntur.

CAPVT XLIII.

Oris & Linguæ morbi.

Inflammatio partium ore contentarum

ORis regio variis partibus inflammatur, variéque & dissimiliter exulceratur: inflammatio quidem nonnunquam gingiuas adoritur, interdum linguam, tonsillas (quæ glandulæ sunt linguæ radici vtrinque assidentes), columellam, quæ Græcis Gargareon nominatur. Quamcunque illa partem obsederit, tumore, dolore, calore, atque distensione comitata est. Plerumque tamen simplex ardor ex febre, aut præcordiorum æstu omnes æquè oris partes incendit, quæ ex feruente halitu citra tumorem inflammantur. Phlegmone autem propriam & firmam causam habet, scilicet calidioris sanguinis vberiorem influxum, qui si in gingiuas irruit, parulis, in linguam βάτραχος seu ranula nominatur, quæ ferè sub lingua consistit, doloresque magnos mouet, quemadmodum si in tonsillas, παρισθμία & ἀνθιάδες; si in columellam sic, vt ima parte crassior à tenui quasi pediculo propendeat, similitudine vua dicitur, præsertim si phlegmone iam in abscessum abierit.

Phlogosis earundem partium.

Parulis, βάτραχος, παρισθμία, ἀνθιάδες, vua.

Frigidi tumores in ore, eorúmq; signa.

Cæterùm sæpè frigida & pituitosa destillatio partes easdem tumefacit, sed nullo rubore, nullo calore, & obscuro doloris sensu. Cùm autem inter angustias iuguli se defluxio demersit, & glandulas implet, sub maxilla tumor deprehenditur, qui introitum coarctat, & tanquam grandi, asperóque cibo illic hærente grauiter offendit; æger neque cibum vorare, neque potionem, imò neque saliuam facilè potest. Atque si tonsillæ per inflammationem intumuerint, is locus manifestè calet

dolórque,

dolórque acerbior eſt, anginæ ſpeciem præ ſe ferens. Neque minùs moleſta ſæpe eſt columella, cùm longior euadit quàm naturaliter eſſe debeat: Etenim ſummas gulæ, gutturíſque partes attingens, crebra titillatione tædio eſt, & quaſi ſtranguler, metuitur. Hæc modò cum inflammatione, modò ſine ea deſcendit. Relaxatur quidem ac ſine inflammatione longior fit, cùm multo humore madet, ſeu lubrica pituita è cerebro labente imbuitur. In inflammatione verò vua dolori eſt, & rubicundi coloris, & omnia cum ardore difficiliora ſunt.

Columellæ tumefactos.

Celſ. l. 7. c. 12.

Curatio inflammationis, & omnium tumorum oris.

Cùm os ſimplici ardore flagrat, linguáque arida eſt, eluendum id ſæpè iiſdem quibus ſitis reſtinguitur. Plerúmque & quàm optima aqua ore continenda, gargarizandum non ex reprimentibus, (vt quidam indiſcriminatim præcipiunt) ſed ex his quæ ſimul refrigerant, & humectant, quale hoc eſt.

Collutiones oris quibus facultatibus pollere debeant, in oris phlogoſi.

℞. Hord. integri, paſſul. lactuc. (quam Galenus ad linguæ inflammationem inprimis commendat) M. i. ſem. melon. ℥i. ſem. lactuc. & portul. an. ℥ß. ſem. pſyll. ʒiii. ſem. pap. alb. & althæ. an. ʒii. flor. viol. bugl. & nymph. recentis, an. p. i. decoq. ad ℔. i. in colat. diſſ. ſyr. viol. ℥iii. colluat os frequenter.

Formula collutionis oris.

Ardorem quoque oris & ſitim extinguit ſemen pſyll. linteolo raro inuolutum, & aq. roſ. maceratum, quo identidem lingua attingitur. Si gingiuæ, aut lingua, aut tonſillæ inflammentur, aut gurgulio cum inflammatione deſcendat, pari temporum obſeruatione eadem facienda ſunt quæ in angina exponentur, donec inflammatio diſcutiatur, aut ſuppuret. Quòd ſi pure ſubſtante non rumpitur, aperienda vel ſcalpello, vel (quod in vua tutius eſt) candente ferro per ſutilem fiſtulam ſiue canulam introducto. Dein ex detergentibus gargarizandum.

In inflammatione partium oris quid agēdum.

Celſ. l. 6 c. 10.

Si verò partes illæ tument imbutæ deſtillatione frigida, eadem quæ pituitoſæ ſiue nothæ anginæ curandi ratio eſt. Anidmaduerſionem tantùm hanc habent neceſſariam, quia ſi lingua ex pituita in tantam molem excreuerit, vt ore comprehendi nequeat, hanc initio leniter ſale contrito perfricare oportet, aut inter ſe miſtis ſale foſſili, (aut armeniaco) combuſto, cupreſſo, nepeta, pipere, aut muria cum aceto & pyrethro, aut theriaca vel oxymelite cum decocto raphani, acori, ſampſuch. ſtœchad. cui zinziber & piper acceſſerint; vel alio digerente gargariſmo, vt quod impactum eſt diſcutiatur, deinde eluere os, & inter hæc, hiare, donec pituitæ parum profluat, quemadmodum ſuprà in reſolutione linguæ fuſiùs comprehenſum eſt.

In pituitoſis tumoribus oris quid agendum.

Idē l. 6. c. 13.

Idem ibidem.

Idē l.7.c.12.

Cùm autem columella vltra iustum modum à pituita est deducta, medicamentis astringentibus & siccantibus reprimenda, & impellenda est, sed antè fluxioni occurrendum, omnibus in catarrho comprehensis, atque modò admouendæ ceruici cucurbitulæ, modò emplastra quæ trahunt, vt:

Emplastra aduersùs fluxiones, capiti admouenda.

℞. Ammoniac. aut galb. in aceto dissol. ℥i. fiat emplastrum ceruicis initio vel occipitio admouendum. Rectè etiam emplastrum ex fimo columbæ, & aliis id genus sincipiti imponitur; aut quod habet fimi columb. salis vsti, & fermenti acerr. ana ʒiß. anacardino melle exceptam. Si lactens adhuc infans est, cui laxior est columella, pauco thure & mastiche instar nummi emplastrum comparatur, quod mollissimo sincipiti impositum fluxionem suspendit. Gargarismis autem, vt dixi, non aliis eget, quàm anginæ reprimendæ accommodatis. Quinetiam eam tumentem puluis hic fluxionis initio per cochlear exiguum aut spatham vuæ subiectus reprimit & multò feliciùs quàm gargarismus.

Gargarismi.

Puluis.

Puluis laxiori columellæ adhibendus, initio fluxionis.

℞. Rosar. rubr. gallæ immat. alum. ana ʒi. granor. rhois, aut sem. rosæ, aut nucum cupress. santal. & cornu ceru. vsti, vel corallij, ana ʒß. reduc in puluerem, cui dein, vt humor paulò pleniùs incubuit, adde piperis ℈i. aut paulò plus: misceri præterea potest cuminum aut zinziber, aut carpesium, aut iris, aut myrrha, & augeri duplò piperis modus. At cùm fluxio planè subsistit, impactus humor sic discutitur.

Alius, subsistente fluxione adhibendus.

℞ Gallæ immat. & salis armen. cineris hirund. ana ʒi. alum. piper ana ℈ii. carpesij, cyperi, caryoph. vel nucis mosch. iridis aut myrrhæ præstantissimæ, ana ℈i. spic. nardi, zinziberis, ana ℈ß. fiat puluis. At verò hoc, vt quidam ineptè imperant, circa initia immittere tutum non est.

Tonsillarum induratarum emollitio, per gargarismos.

Tonsillas autem quæ post inflammationem induruerunt, curare oportet emollientibus gargarismis, ex althea, malua, radice lilij, lini & fœnugr. semine, passulis & ficubus cum origan. puleg. anetho & aliis discutientibus. Si ne sic quidem resoluitur, cùm subtenui tunicâ est, oportet digito circumradere. Si nihil hoc etiam iuuat, hamulo excipere & scalpello excidere, tum vlcus aceto eluere, & his vti quæ sanguinem supprimunt. Sin potiùs carnosus tumor ille est, prudenter aquâ forti attingere, vel sublimatâ, vt mox dicam, quæ eadem epulim quoque coërcet, id est, increscentem gingiuarum carnem, siue carunculam ex vlcere ipsarum neglecto productam. Cæterùm vuæ vehemens inflammatio terrere maximè debet, cùm in abscessum conuertitur. Si rubet & dolet, lenientia vt lac, atque discutientia conueniunt. Si pus habet, vt dixi, aperientia. Sin liuida iam est, vel inalbescit, præcidi debet, maximè cùm ima crassa, summa tenuis est. Etenim si rubicunda

Cels. l. 6. c. 14. Inflammationis columellæ præsidia. Idem l. 7. cap. 12. post. Hipp. 3. progn. Staphylotomia quando instituenda.

cunda

cunda est, præcidi sine periculo nequit, solet enim multum sanguinem effundere. At iam sphacelo liuida, aut forcipe, aut fauceolo, aut ferro candente per fistulam immisso, resecanda est, ne pars sincera trahatur. Neque quidquam commodius est quàm volsellâ prehendere, sub eáque quantum inutile est, præcidere. Si verò nigra, duráque est, carbonis similitudine, quod quasi carcinoma sit, præcidere periculosum est. Interdum tamen instantis suffocationis metus eódem cogit, ac dein sanguis si immoderatiùs erumpat, inhibendus aceto; in quo gallæ, balaustia, rosæ, aliáque adstringentia coxerint.

Idem ibidem.

℞. Succi plantag. succi burs. past. & polygoni, ana ℥iii. myrtillor. aut rosar. ℥viii. trochisc. de succino, vel de spodio, boli arm. ana ʒii. amyli, & lapid. hæmatit. ana ʒiß. frigidè iis subinde colluere os oportet, & inter hæc hiare donec sanguinis eruptio consistat, & nihilominus ore continere quæ hæmoptoicis vtilia sunt. Quòd si putris, & tetro pure confecta est, specillo aquâ sublimatâ vel forti extincto, & expresso attingenda est; sed illa pari aquæ rosac. modo temperanda, vt minore periculo immitti possit. Post curationem eadem facienda sunt, quæ in oris vlceribus proximè explicuimus.

Collutio oris adstringens post vuæ amputationem vsurpanda.

CAPVT XLIV.

De Aphthis.

Aphthæ vlcera sunt oris serpentia non admodum caua; sed horum genus vnum mitius, alterum cacoëthes & malignius est, ac ferè cum ardore. In pueris quidem ea sunt periculosissima vlcera, hos enim sæpè consumunt. In viris & mulieribus idem periculum non est. Hæc à gingiuis sæpè incipiunt, deinde palatum & totum os occupant, tum ad vuam & fauces descendunt, quibus obsessis, non facilè fit vt puer conualescat. Hoc vitium ab humore, vel vapore fit acri vel salso; sic enim è iecinoris ardore, & ardentissima bile præcordiis insidente, sublatus eò vapor calidus vlcera inurit. Sic pituita salsa in os defluens eadem infert; sic acrius lactis serum mollia puerorum ora malè habet. Verùm ea longè perniciosissima sunt vlcera, quæ ex venerea lue contrahuntur: etenim os graue virus odoris expirat, feruentemque saliuam reiicit: modò vitium depascente exulceratione os & fauces ambit, quæ tùm minùs terrere solent, cùm hydrargyri perunctione id accessit. Est & aliud genus, quod aperto phlegmones abscessu, ruptísque pustulis relinquitur, quod non citò finitur, vtpote in parte humida & calida; & in qua remedium continenter saliua eluitur, & hebescit, neque vlceri hærere potest.

Cels. l. 2. c. 1. Aphtharum duplex genus, mite scilicet & malignum.

Cels. l. 6. c. 11. Aphtharum causa.

Aphtharum venerearum signa.

Aphthæ ex abscessu aperto in ore. Gal. 6. κατ. τόπ. cap. 2.

Curatio.

Celſ. ibidem.
Medicamẽta topica aphthis idonea.

Vlcera oris ſi cum inflammatione ſint, & parum pura & rubicunda ſunt, optimè iis medicamentis curantur, quæ mitiùs anginas reprimunt. Huiuſmodi aſtringunt, refrigerant, reprimunt & leuiter detergent, vt hordei vel lenticulæ decoctum, cui plantago, rubus, polygonum, roſæ, & ſimilia incoxerint, vix enim oris vlcera ſine inflammatione ſunt. Sed inprimis eximi debet cacochymia, aut ſi res poſtulat ſanguis mitti, vel etiam ex venis iis quæ ſub lingua ſunt, atque fluxio reuellendò intercipi & cohiberi per cucurbit. ſuffitum, & attrahens emplaſtrum. Ac miſeriùs adhuc etiam, ſi lactens infans eſt, quo minùs imperari remedium aliquod poteſt; ſed inprimis nutrix cogenda ad purgationem, tum ipſa pueri vlcera perungenda melle, cui aliquid ex reprimentibus miſceatur. Si verò iam firmior puer eſt, gargarizare debet iis ferè vt dixi, quæ anginis incipientibus auxiliantur, ac ſæpè ore continere conſeruam roſar. ſymphyti, & alia hæmoptoïcis vtilia. Cùm autem dolor acrior eſt, vſto lacte os rectè perluitur; atque huic purgandi gratiâ, mellis roſ. paulum miſcetur. Vtile etiam eſt pyra, aut mala non matura mandere, & ore eum humorem continere. At ſi modicus quidem dolor, & exulceratio eſt, prodeſt ſæpè vinum purum ore retentum, cui modò alumen, modò mel adiici poteſt. Simulatque verò pura vlcera eſſe cœperunt, augenda multò magis aſtringentium vis, imminuto melle, exemptóque hordeo, cuiuſmodi id medicamentum eſt, quod in narium vlceribus expoſitum eſt. Aut hoc:

Indicationes, in aphthis obſeruandæ.
Celſ. ibidem.
Aphtharum dolorem placantia.
Celſ. l. 6. c. 13.
Idẽ l. 6. c. 11.

Collutio oris adſtringẽs ad aphthas, aliáq; oris vlcera.

♃. Radic. cyperi ℥ii. plantag. caprifol. polyg. ſummit. rubi, lentiſc. oleæ, myrthi, piloſ. ceterach, rhoïs, vel (ſi ex pituita ſalſa concepta eſt) ſaluiæ, roriſm. an. M. i. balauſt. malic. aut nucum cupreſſi, an. ℥i. gallar. immatur. & alum. efficaciſſimi (os enim humore multo circunfluit) an. ℥ß. roſar. rubr. p. i. coquantur in aq. pluuiali vel chalyb. vel ſi pituitoſæ aphthæ ſunt, & albeſcunt, in vino albo diluto ad ℔. i. in quo colato diſſolue dianucum, aut diamoron, aut mellis roſ. colat. an. ℥ii. aut ſyr. è roſis ſiccis, aut myrtini; aut ſi plus inflammationis ineſt, ſucci mali punici; aut ſi ſordes hæret, ſucci roſar. tantundem, fiat oris collutio, quâ etiam gargariſandum, ſi vlcera in tonſillas & columellam, aut in fauces deſcendunt. Hæc eadem vuam laxiorem & penſilem reprimunt.

Linimentum, ad perungendas aphthas.

♃. Gallæ immat. malicor. roſ. gran. myrti, an. ʒii. ſem. roſar. cyperi, & alum. an. ʒi. fiat puluis, qui ſtillaritio melle, aut ſyr. myrtino, aut è roſis ſiccis, aut blito exceptus demittatur in vlcus. Vel.

Formula ore tenenda.

♃. Gallæ immat. ʒi. balauſt. alum. an. ℈ii. roſ. rubrar. rhoïs, an. ʒß. cum ſyr. myrtino & aq. roſ. ex infuſione gummi trag. fiant formulæ, contineatur vna ſuper vlcus expuendo ſaliuam: vel poſt collutionem illini vlcera poſſunt ſequente

Linimentum.

♃. Alum. vſti, partes duas, maſtich. thuris, ana part. i. terantur,

tur, & melle excipiantur in litum. Si putridum vlcus eſt, vino ſæpè colluitur, in quo cyperus, chelidonium, mentaſtrum, agrimonia, cupreſſus, galla, & alumen coxerint, ſic vt huic quoque mel adiiciatur.

Collutio oris

At ſi lenia medicamenta parum proficiunt, adhibenda prudenter ea ſunt quæ adurendo cruſtas vlceribus inducant, qualis eſt aqua fortis aut ſublimata; ſic vt ſpecillo, vel (ſi maiora vlcera ſunt) ſtilo bombace inuoluto, intinctóque vlcera attingantur. Neque quicquam periculi eſſe poteſt, niſi per imprudentiam peccatur; quod tamen remedij genus in iis vlceribus, aliquando in ſolidis ſolis putridis & depaſcentibus ex lue venerea profectis, ſemper eſt neceſſarium, maximè dum palatum occupant, tum enim promptiùs occurrendum, ne tenella oſſa pernicie erodant, maxima vocis offenſione, magnáque deformitate. Ergo cùm ea obſident, bis quotidie aquâ forti aurificum attingenda ſunt, aut ſublimata in naſi vlceribus deſcriptâ, aut eâ quæ à noſtris Chirurgis ſic comparatur.

Celſ. ibidem. Eſcharoticorũ vſus in aphthoſis.

℞. Sublim. ʒi. aq. roſ. & plãtag. an. ℥ii. in phiala vitrea coquãtur donec ſublimatum tabeſcere deſinat, & planè diſſoluatur. Specillum bombace inuolutum in eam aquam demittẽdum, & excutiendũ eóq; vlcus exactè attingendum, ne vicinum & ſanum locum lædat. Sed & id bis die facere, & plurimis diebus idem repetere, prout vehemens malum eſt, neceſſarium eſt, dum pernicies euincatur. Quoties autem medicamentum id inditur, & antè & pòſt os eluendum aq. plantag. roſar. vel etiam fontanâ, ac nihilominus identidem gargarizandum ſupradictis, & præſertim quæ ad purganda vlcera, hordei putà vel roſ. decocto cum punici mali ſucco, ſic vt huic quoque paulum mellis miſceatur, aut medicamento quod ex moris, vel nucum cortice fit. Pura vlcera, ſi præterea caua ſint, myrrha, thure, maſtiche, iride implentur, ſicuti fit rupto anginæ abſceſſu; ſed ferè cum iis ad vſum guaiaci veniendum eſt, neque ſecùs eroſa columella curanda eſt. Gingiuarum quoque vlcera non aliis medicamentis egent; propria tamen quædam ſunt: Hæc initio leniter ſale contrito perfricare oportet, dein eluere aceto ſquillit. in quo trita oleæ folia coxerint, & poſtea imponere quod à Guidone ſic habet.

Aqua diuina, ad vlcera oris & palati maligna.
Celſ. l. 6. c. 15.
Detergentiũ vſus vſui eſcharoticorum interponẽdus.
Idẽ l. 6. c. 11
Pura vlcera ſarcoticis egent.
Idẽ l. 6. c. 12.
Idẽ l. 6. c. 13.

℞ Vtriuſq; aluminis, ſalis combuſtor. gallæ, pſidiæ, calicum glandium, cinamom. caryoph. nucis moſch. ariſtol. ſaluiæ, roſar. oſſium dactylor. tibiar. cancror. vſtar. an. part. i. conterantur, & aceto ac melle cogantur in litûs formam, vel arida infricentur. Hæc ſi parum valent, decurrendum ad aquam fortem. Si ne hæc quidem ſuccurrũt, aduri candente acu debet ſubiectum os, quod vitio & corruptione tenetur, inſpergíque vlcera debent alumine vſto, cui dimidio plus gallæ immaturæ ſit admiſtum.

Linimentum Guidonis ad vlcera oris corroſiua, ex c. 2. doct. 2. tract. 4. Chirurg.
Celſ. l. 6. c. 11.

Neque etiam linguæ vlcera aliis ſanantur. Quæ tamen in eius latere naſcuntur, diutiſſimè durant; & videndum eſt num contrà dens aliquis acutior ſit, qui ſæpe non ſinit vlcus eo loco ſaneſcere, ideóque

Idẽ l. 6. c. 12. poſt Hipp. l. 2. prorrhet. text. 12. diſtinct. Foëſij.

ideóque limandus eſt. Vlcera verò ex inflammatione relicta quomodo curanda, proximo capite dicemus.

CAPVT XLV.

De Linguæ affectibus.

Guſtûs noxa, harúmque cauſa. Gal. c. 4. l. 1. de ſympt. cauſ.

Lingua eximio guſtandi ſenſu prædita rerum ſapores deprehendit ac iudicat, neque vllus exactior eſt ſenſus in nobis, quo ſolo cætera animantia vincimus. Hic tamen nihilominus obſcuratur atque perit mollioribus neruis qui è tertia cerebri coniugatione in ambientem membranam diffunduntur, refrigeratis & obſtructis, aut ea cerebri parte affectâ vnde illi deriuantur. At multò frequentiùs deprauatur a lienis qualitatibus, aut humorum aut vaporum, quos viſcerum impuritas expirat. Lingua enim ſpongiæ non abſimilis, facilè corruptis & vitioſis humoribus imbuitur, & partium ſubiectarum tetris vaporibus inquinatur, qui guſtandi iudicium peruertunt.

Quomodo humores vitioſi guſtum deprauent.

Humor linguæ inſidens modò ſolus ac per ſe guſtum afficit, modò quaſi ſopitus ac deliteſcens tum duntaxat ſenſum ferit, cùm alimentorum liquore diluitur, atque promouetur, quo tanquam vehiculo in neruos & ſuccingentem membranam permeat: Itaque lingua tum alienos ſapores percipit, quos falsò alimentis obiectis ineſſe putat, perinde vt oculis infectis, quidquid cernetur concolor apparebit.

Sapor alius alium humorē ſui cauſam agnoſcit.

At qui ſapor amarus à bile, ſalſus à pituita ſæpiùs è cerebro defluente, acidus à melancholia, atque etiam à cruda pituita; quemadmodum in febrium ardoribus, lingua nigricans, ſcabra, ſicca, lentore obducta, ſapores abſurdos percipit, vel nullo extrinſecùs obiecto.

Curatio.

Indicationes curādi guſtū imminutum & deprauatum.

Guſtandi ſenſus ſi quando minuitur & hebeſcit, iiſdem medicamentis indiget, quibus linguæ reſolutio curatur. Sed hîc neutiquam ceruici, quin potiùs ſincipiti remedia adhiberi debent. Sin deprauatus eſt, remedium eſt exuperantis humoris purgatio, ſicut præcipit Hippocrates. Equidem oris amaror iis euaneſcit quæ iecinoris & ventriculi ardorem attingunt. Ariditas iis quæ cruditatem corrigunt: ſalſa verò pituita è cerebro deſcendens purgatione reuellitur, ac ſiſtitur, vt in deſtillatione comprehenſum eſt.

CAPVT

CAPVT XLVI.

Anhelitus graueolens.

Caussæ fœtoris anhelitus.

SI fœtidus aut teter ſpiritus, ſi neque ex naribus prouenit, neque ex corroſo & corrupto dente, neque ex putridis & malignis oris vlceribus, neque ex pulmonum vlcere per tabem, viſcerum impuritas eſt accuſanda: ſic enim quibus exæſtuat ventriculus, vſtionis quidam nidor exhalat. Sic quibus ex crapulâ, & carnis voracitate corrumpitur alimentum, his putris ſpiritus efflatur. Grauem quoque halitum expirant quibus viſcera, maximéque lien, multâ impuritate ſordeſcunt.

Curatio.

Curationis ſcopi duo: primus causæ fœtoris tollere, alter fœtidum halitũ tegere.

Cauſa ergo primùm, quantùm fieri poteſt, ſuis remediis tollenda, dein quæ halitum ſuauiorem reddunt ore retinenda. Sed ante hæc, os detergentibus commodè colluitur. Hinc exſiccantibus odoratis eſt opus, quæ modo liquidâ, modò ſolidâ formâ imperantur: ſicca enim putredini obſiſtunt. Itaque os ſæpè vino puro eluere, vel etiam, ſi nihil obſtat, aceto in quod fricti ſalis paulum ſit coniectum, aut aquâ roſ. & myrti, aut naphæ, quibus moſchi vel ambræ paulùm inſit.

Collutio oris anhelitum commendans.

℞. Hordei integri aſſi, p. i. rad. cyperi & cortic. citri, an. ℥i. zedoar. ℥ß. caryoph. & cinamom. an. ʒii. roſ. p. i. coq. in aqua pluuiali ad oris collutionem, addendo ſalis ʒii.

Alia.

℞. Rad. cyperi ℥ii. calam. arom. ℥iß. galang. zed. cortic. citri, ana ℥ß. fol. citrij & myrthi, an. m. ß. ſantal: citrin. & caryoph. ana ʒiiß. roſar. part. i. decoq. in aq. pluuiali aut vino generoſo. Sunt qui nardum adiiciant, ſed commodiùs imperatoriæ radix, & iris incoquuntur. Sed & maſtiche aut thus, myrrha, caryoph. cinamom. macer, nux moſch. calamus arom. cyperus, iris florent. myrti folia, gentiana, xyloaloë alipta moſch. & præſtantiſſima radix imperatoriæ, aut citri cortex, aut aniſum, aut troch. moſchati ore continendi, & aromat. roſat. roſata nouella, & quæ iis reſpondent, quotidiè ſumenda Aut ſi ardor potiùs eſt, ſantala, roſæ, ſacch. roſat. tabul. diarrhod. & ſimilia.

Aromatica varia ore continenda.

Trochiſci.

Compoſita ſolida forma ore continenda.

℞. Cinamom. ſantal. moſchati, zedoar. galang. aut imperator. ana ʒß. moſchi, abar. ana ℈ß. ſacchar. albiſſ. in aq. flor. citran-

gul. aut rosar. soluti, quantum satis, fiant trochisci, teneatur ore vnus post collutionem.

Opiata.

℞. Confect. aromatic. rosat. maior. ℥iß. cortic. citri sacchar. conditi, ℥ß. puluer. rosat. nouell. ʒii. calam. aromat. caryoph. ana ʒi. folij, spicæ, an. ʒß. cum vino generoso reduc in formam opiatæ, ex quâ sumat quotidie manè instar castaneæ.

Pilulæ in id efficaces.

℞. Caryoph. galang. ana ʒiii. nucis mosch. macis, cinamom. ana ʒiß. myrrhæ electæ, & aloës, ana ʒii. sampsuch. sicci, & saluiæ, ana ʒi. moschi, ambaris, & caphuræ, ana ℈ß. ex vino formentur pilulæ, deuoret vnam quotidiè manè, atque alteram ore contineat.

Refrigerantia odorata, æstuantibus visceribus vsurpanda.

At verò si ventriculi & hepatis ardore nidor expiratur, ab huiusmodi calidis abstinendum, & ea potiùs imperanda quæ æstuantem ardorem temperant, quale hoc:

Opiata refrigerans.

℞. Conseru. oxalid. & conser. rosar. an. ℥iß. puluer. triasant. ʒiß. pulueris diarrhod. ʒi. cum syr. punici mali, aut limonum, & oxalid. cogantur in formam opiatæ.

Spasmus cynicus.

Cels. l.4.c.2.
Spasmi cynici caussæ remotæ.

Circa faciem verò morbus innascitur, quem Græci Κυνικὸν σπάσμον nominant, interdum per se, interdum ex acutâ febre, aut immodicâ euacuatione oritur; atque illic ferè sine motu, hîc cum motu quodam os peruertitur. Ideóque nihil aliud est quàm oris distensio, quâ id præter voluntatem contorquetur. Si os vtrinque distenditur, risum sardonium efficit, & falsam ridentis speciem refert. At sæpiùs in altero latere contractio est, modò quidem euidens, sed quandóque adeò exigua & obscura, vt non nisi vel loquendo, vel ridendo, vel efflando vel expuendo prodatur & rictum faciat. Similem deformitatem inurit labrorum paralysis, quæ sæpe vel exercitatos conuulsionis specie fallit.

Spasmi cynici definitio.
Risus Sardonicus quid.
Spasmus cynicus modò euidens modò obscurus.
Spasmi cynici causa proxima, vel conuulsio, vel paralysis.

Quanquam enim si paralysis est, labrum in aduersam partem sanam conuertitur; si spasmus, in affectam: Non tamen ex eo minùs operosum hîc est partem affectam internoscere, & à sanâ distinguere, etiamsi id est maximè ad curationem necessarium. Nullus equidem in facie musculus est, cui non & alter illi contrarius habeatur: Estque contrariorum musculorum contentio. Itaque dexterâ parte resolutâ contrahitur sinistra, non minùs quàm hac conuulsâ, altera obsequitur, vix vt

Signa distinctiua partis paralyticæ, & partis conuulsæ.

vt conſtet cui parti remedia adhibere conueniat quæ reuerà ſit affecta, & non alterius occaſione. Hæc ergò ſic diſcernetur. Si reſolutio eſt eâ parte, grauitas ſine dolore, ac ferè tumor eſt. Si conuulſio, ſæpè dolor atque diſtenſio ineſt. Contrà pars reſoluta torpeſcit ac friget, laxa eſt & mollis, quemadmodum etiam membrana palatum ſuccingens è directo ſic affecta deprehenditur. Atque in paralyſi os ſaluiâ continenter madet, & humore circumfluit, minùs in ſpaſmo. In paralyſi quâ parte affectio eſt, os hiat, nec exactè claudi poteſt; in ſpaſmo vbi morbus, ibi exactiùs labra committuntur, & cohærent. In paralyſi, oculus qui è regione eſt, palpebris nimio humore collapſis ita contegitur, vt ſemper inferiora intueri videatur. Denique facilior eſt ad ſitum naturalem reditus eius partis, quæ morbo minimè tentabitur, dum ea vel contrahitur à nobis, vel extenditur. In vniuerſum pars conuulſa extendi non poteſt, reſoluta verò facilè ſequetur quocunque ducas.

Curatio.

Remedia ſpaſmi cynici eadem quæ conuulſionis & paralyſeos.

Expoſuiſſe tantùm genus vitij, & partem affectam diſtinxiſſe ſatis eſt. Neque enim alia ſpaſmus hic remedia deſiderat, quàm quæ in paralyſi & conuulſione præcepta ſunt. Neque ſanguis mitti debet, niſi plenis & turgentibus venis: túmque parcè id & partitè faciendum; & poſt humerariam venæ ſub linguâ ſecandæ, vtique ſi ipſa intumuerit. Aluus tum clyſtere, tum medicamento ducta, ſæpè ſuperiores partes reſoluit. Illa quoque cum cæteris communia ſunt, inferiores partes vehementer perfricare, & fouere decocto acori, ſampſuchi, ſaluiæ, lauri, pulegij, rutæ, abſinthij, ſtœchados, camom. roriſm. ac ſimilium, adiecto etiam vini triente. Cucurbitulas humeris & collo admouere, vel etiam cute inciſâ, ſi ſanguis in vitio eſt. Sternutamenta excitare, errhinis mucum elicere, gargarizare iis quæ ſaliuam mouent, & ſæpè maſticatoriis acerrimis vti. Caput & neruos aſſumptis, & admotis roborare, atque impactum iis humorem diſcutere, partim ſuffitu, & vnguento primis vertebris & circa faciem impoſito, (adhibitâ quoque obſeruatione, vt primùm malacticis vtare, quàm diſcutientibus; ſicut antè præcepimus) partim quoque formulis & decoctis acrioribus in ore retentis, nuce moſchatâ, zinzibere condito, maci, acoro condito, & aliis quæ idem poſſunt, in reſolutione linguæ comprehenſis, quæ eadem in labrorum paralyſi ſunt idonea; ſed & frictione contorta pars in naturalem ſitum, quantùm licet, retrahenda & conuertenda eſt. Interim iuuabit ſæpè in ſpeculum ex chalybe os intueri; vt conſpecta deformitas minorem faciat. Confert etiam inflare tubas. Sunt qui præter alia, calidam ſylueſtrium animalium carnem peraſſatam, oleóque aut coſtino, aut alio eiuſmodi imbutam, conuulſæ parti circumponant.

Venæſectio. Clyſteres. Purgatio. Frictio. Fotus. Cucurbitulæ. Caputpurgia varia.

Probatur quoque. Errhinum hoc.

℞. Auriculæ muris, anagallid. & sampsuch. an. manipul. i. cucumer. asinin. nucis indicæ, nucis mosch. piperis, acori, staphysagr. ana ℥ß. contusa omnia coquantur in vino albo aut mulsa, pro errhino: aut ex succis helenij & ciclæ, adiecto hellebori albi & piperis nigri momento, si post hæc idem incommodum nihilominùs manet, eadem rursus tentanda erunt, repetitâ sæpiùs purgatione: tandémque ad dropaces, sinapismos, & phœnigmos veniendum est. Rhases quoque in consummato & graui malo causticum vel cauterium, ponè aures vel ceruicis initio admouet, vt illac conuulsionis materia deriuetur.

Dropaces & vesicatoria. Pyroticum.

Illa autem oris conuulsio quæ sensim vel in ardentissima febre, vel in phrenitide, vel hæmorrhagiâ corripit inani corpore, non iam medicamentis aggredienda, sed funestis prognosticis relinquenda.

Quis spasmus cynicus incurabilis.

Resolutio linguæ.

Cels. ibid. Causa resolutionis linguæ. Præsidia.

At si lingua sic est resoluta, vt sermo non explicetur, aut ex consummatâ resolutione homo planè obmutescat, quod fit interceptis septimæ coniugationis neruis iuxta spinæ initium, oportet gargarizare, atque os sæpè colluere ex aqua, in qua thymum, hyssopum, sampsuchus, saluia, & similia decocta sint. Caput, & ea quæ sub mento sunt, & ceruicem vehementer perfricare, spinæ initium curiosè perungere, lasere aut castoreo linguam ipsam linere, oxymel squilliticum ore continere, manducare & ore circumuoluere quæ sunt acerrima, id est, macim, nucem mosch. cardam. piper, carpesium, sinapi, allium, zinziber conditum, acorum conditum, pyrethrum quoque conditum diatrium pipereon, diagal. magnâ vi luctari vt verba exprimantur, & exerceri retento spiritu, & in sermonem & iram erumpere, vt lingua concalescat. Præcipuè verò iuuant duo hæc remedia ore contenta.

Gargarisma.

℞. Liquirit. & radic. capparum, ana ℥i. cubebar. & ireos, an. ℥ß. pyrethri, zinziberis, aut sinapi & piperis sicci, aut cinamom. an. ʒiii. folior. hyssop. calament. saluiæ, origan. iuæ artet. puleg. sampsuc. an. m. i. melanthij, sem. sesel. & aneth. an. ʒiij. (aut staphysagr. aut semin. vrric.) flor. stœchad. & rorismarin. an. p. i. fiat decoctio in æquis partibus aquæ & vini albi, sub finem addendo macis & nucis mosch. an. ʒii. in colat. ℔i. dissolue mellis squil. ℥iij. inde os sæpè colluatur. Aut omnia in mulsâ decoquantur, quæ etiam pro errhino esse possunt.

Formulæ.

Formulæ.

℞. Benioin. ℈ij. piper. long. galang. macis, cubebar. zedoar. an. ʒß. zinziberis, pyrethr. nucis mosch. spic. nard. an. ℈i. salis communis ʒi. assæ fœtid. & castorei, an. ʒß. (hæc ingrata quidem, sed efficacissima sunt, proinde in morosis prætermittenda) succi liquirit. & chamæpit. aut saluiæ, an. ʒiß. aut tantundem aquæ vitæ (quæ præstantissima sunt) cogantur omnia cum melle anthos. & concinnentur formulæ hypoglottides. Sunt qui pingues ficûs, exemptis granulis, cum melle anthos. cogunt, & singulis vnciis euphorbij gran. ij. permiscent, quod exiguæ fabæ modo linguæ subiiciendum, aut suppositum retinendum. Vel: *Alia.*

℞. Salis ammoniac. piperis, pyrethr. sinapi, staphys. agr. an. parem modum, & iis in tenuissimum pollinem subactis, linguam diu perfricare oportet, vel theriacâ antiquâ rursus, vel confect. anacard. imbuere, ac deinde eluere os præscriptâ decoctione, & inter hæc hiare donec pituitæ satis profluat. *Puluis linguæ infricandus.*

Sed hæc nonnisi præmissâ totius corporis & capitis prouisione, ac omni reuulsionum genere instituto, facienda sunt. Eadem hebetiorem, & extinctum gustandi sensum restituunt. *Cels. l. 6. c. 13. Vniuersalia particularib. præmittenda.*

De Balbis.

Cæterùm qui balbutiunt, & articulatè sermonem non explicant, aut breuitate linguæ, aut natiuâ eius crassitie, & vitiosâ conformatione, illi nullo artis præsidio loquendi facultatem consequuntur. Lingua verò quibusdam leuiter cum subiectâ parte à primo natali die iuncta est, qui ob id ne loqui quidem possunt. Horum extrema lingua volsellâ prehendenda est, sub eaque membrana incidenda, magnâ curâ habitâ, ne venæ quæ iuxtà sunt, violentur, & profusione sanguinis noceant. Sunt qui filo serico acu traiecto id tenue vinculum arctè vinciunt, quo astricto illud secetur. Et plerique quidem vulnere sanato loquuntur, interdum tamen quod speratur perpetuum non est. Qui autem ex humoris redundantiâ, & assiduo pituitæ confluxu blæsi fiunt, (quod pueris frequens est, ideóque Hippocrates diarrhœam pituitosam balbis dixit familiarem) iis eadem quæ linguæ resolutioni (in quam procliues sunt) auxiliantur, si modò antè humidiori cerebro atque destillationi prospectum sit. Quòd si puer est, lingua crebrò perungenda est, & perfricanda melle in quod salis contriti plurimùm conieceris. At verò cùm lingua siccitate nimiâ exarescens aut semiconuulsa, distinctè, explanatéque sermonem non exprimit, (quod in febrium ardoribus, & ex euidentibus causis quæ corporis substantiam exhauriunt, solet accidere) colli vertebras, & aurium posteriora fouere oportet *Balbutiei caussa. Cels. l. 7. c. 12. Ancyloglossii. Balbuties ex nimio pituitæ affluxu ad linguam. Aphor. 32. lib. 6. Balbutiei à pituita profectæ remedia. Balbutiei à siccitate curatio, per humectantia.*

tepido lacte, & aquâ in quâ liliorum radices, althææ, maluæ, violar. lini & fœnugr. semina, cucurbit. item & lactuc. aliáque humectantia coxerint, tum easdem partes oleo humectante, vt violar. amygdalar. dulcium, è semine lini aut cucurbit. sesamino, susino, leuiter perfricare, & cùm ardor præcessit, oleo nymph. Et demùm quodlibet ex iis, sed præcipuè amygdal. tepefactum ore continere, vel syrupum violac. vel saccharum candum, vel diatrag. vel pilulas bechicas, vel liquiritiæ succum, vel quidpiam aliud ex iis quæ arteriæ, pectorísque asperitatem leniunt, simúlque ardorem extingunt, aut linguæ scabritiem emendant, cuiusmodi est mucilago psyllij, & cydonior. seminis, cum saccharo cando.

SECTIO SEXTA.

Mammarum affectus & symptomata.

Vbera quando sororiari incipiant. *Mammarum natura.*

FOeminis circa pubertatis annos vt ingens accidit corporis mutatio, sic menses erumpunt, corpus libidine titillatur, vbera intumescunt, non obscura formæ muliebris ornamenta. Mammæ glandulis præsertim constant, quæ frequentes mollitie suâ spongiam referunt, laxæ, turgidæque sunt dum præsertim lacte circumfluunt, aliàs verò densiores & contractæ persistunt. In eas autem tertio, quartóve prægnationis mense, cum primùm fœtus moueri, & calcitrare incipit, sanguis vberior admirabili naturæ prouidentiâ effertur, atque edito iam partu, eódem pleniùs affluit, vt pro rerum mutatione in lac conuersus, recèns nato infanti familiare, & conueniens nutrimentum suppeditet. Ita quippe vix editus infans, sine magistro, duce naturâ lac è mammis exsugit, quod & magnâ prouisione reconditum fuerat. Quocirca proxima lactis materia sanguis est in mammas confluens, qui glandularum ingentium ac multiplicium vi mutatus, candore illustratur. Ea enim est lactis confectio dum quæ mammis insunt glandes, nituntur conceptum sanguinem in propriam naturam mutare, sibíque prorsus assimilare.

Lactis generatio in mammis. *Lactis vsus.* *Sanguis lactis proxima est materia.* *Galen. comm. ad aph. 39. lib. 5.*

Quamobrem mammæ, & quæ iis insunt glandes, tracto sanguine aluntur, hunc in suam naturam conuertunt, ac insuper eædem ex redundanti functionis vbertate, lac generant, haud secus ac testes semen, quod optimum iudicatur si album, læue & æquale est, atque vngui instillatum minimè tenuitate diffluens, nec crassitie, nec lentore immodicè cohærens.

Lactis optimi nota.

Cæterùm mammæ lactis inopiâ, aut vitio, aut exuperantia laborant, atque in his lac sæpè concrescit, phlegmone gignitur, scirrhus fit, & maligna erosio, de quibus sigillatim deinde dicendum est.

Mammarum affectus & symptomata.

CAPVT

CAPVT XLVII.

Ad lactis inopiam.

Aëtius tetr.4. serm.4. c. 33.

LActis penuria & corruptela infanti est quàm mulieri grauior, præstátque tum illi nutricis mutatione prospicere: Id si non licet, arte melior conditio procuranda. Lacte mulieres deficiuntur, quibus aut perpaucus adest sanguis, aut vitiatus, nec in mammas concedit. Exiguum est vel ex deiectâ appetitiuâ, malaciâ quâ prægnans emarcuit, vel à partu immodicâ sanguinis profusione, aut labore nimio, quibus lactis materia aliò rapitur, atque discutitur, vel ex parciore victu & cibis exsiccantibus & frigidis, mœrore, prægressâ febri, vel etiam ex ineptâ corporis constitutione. Sic in fœmineis naturis quæ vel calidissimæ sunt, vel frigidissimæ atque siccissimæ, lactis minimum coaceruant: Quæ verò naturæ mediocritatem sunt consecutæ, aut etiam ab hac in calidum, & humidum demergunt, multò maximâ illius copiâ redundant. Quocirca eò redire aut venire consilium est. Sublatis ergò caussis omnibus quæ sanguinem exhauriunt aut minuunt, analeptice est opus in quâ victûs rationem calidam & humentem, sequi oportet, eáque alimenta imperare quæ sanguini gignendo, cumulandóque apta sunt, vt vinum laudatissimum, panem optimum, iuscula, expressos carnium succos, aliáque humida & liquida, quæ celeriùs quàm solida coquuntur, & in omne corpus expeditiùs distribuuntur, nam potu quàm cibo impleri facilius est. Sed & carnes gallinar. pullor. gallinac. columbor. iuuenum, perdicum, veruecinas, hœdor. & vitulor. Quin etiam recentia oua sorbilia prosunt, & lac, & quæcunque ex eo comparata sunt, vt caseus, polenta cum lacte, cremor hordei cum lacte, semen. lactuc. melon. seménque papaueris assum, etiam cremori commistum.

Caussa defectus lactis.
Caussa paucitatis lactis.
Fœminæ intemperatæ parum lactis, temperatæ multũ habẽt.
Victus analepticus lactis prouentum facit.
Aph. 11. l. 2.

Ad hæc nuclei pinei, auellanæ, amygdala, pistacia, vuæ passæ, ficus præpingues, palmulæ, atque etiam, vt summatim complectar, omnia quæ semen augent. Genituram augent probè nutrientes cibi & familiares, neque secùs medicamenta quæ calfaciunt & spiritus excitant.

Semen augentia alimenta ac medicamenta.

Porrò cùm sanguis vitiosus penuriæ causa est, æstimanda erit ipsius cacochymia, atque dignoscenda ex his signis quæ humorum in corpore dominia exprimunt, tum propriè ex lactis substantiâ atque colore. Si bilis exuperat, lac nimiopere diffluit, quodammodo flauescit, & acriusculum atque amarescens est. Ex pituitæ autem redundantiâ crassum & viscosum cernitur, lentè fluit, ac digitis hæret. Aquosum etiam euadit, si seri copiosioris est particeps. Cùm ergo calidus & biliosus est sanguis, aut alioqui corruptionis labem contraxit, quia lacti gignendo ineptus est, primùm erit parcè mittendus, copiâ ac virium ratione

Cacochymiæ dignatio ex signis generalibus, ac peculiaribus, ipso videl. lacte.
Cacochymiæ biliosæ correctio, per auxilia & alimẽta idonea.

ratione susceptâ; dein reliquæ impuritati accommodabitur purgatio ex mannâ, cassiâ, syr. ros. aut violato laxante, aut alio è mitiorum genere, nisi rustica nutrix vehementiora efflagitet, vt diaprun. aut elect. è succo ros. præmittenda nihilominùs purgationi idonea est alteratio, per ea quæ humorum acrimoniam retundunt, abundè in iecoris ardore descripta. Dein calida & humida victûs ratio indicenda, aut mediocriter refrigerans; sic lactuca lactis auget vbertatem, sic sonchus: sic semine melon. cucumer. lactuc. iusculis incocto, mammæ fiunt vberiores. In vniuersum cibi euchymi exhibendi qui cacochymiam emendent. Crudus autem non omninò censetur alienus, cùm concoctione probus effici possit, & in mediocritatem reduci, quod neutræ bili concessum est.

Cacochymia pituitosæ emendatio.

Itaque si cruditatis vitium est, excalfacientia primi aut secundi ordinis efflagitat, quæ tamen minimè desiccent: quin potiùs substantiâ prætenui sanguinis lentorem & crassitiem emendent, & angustas admodum venas facilè subeant. Quanquam autem quæ menses cient, tenuium quoque partium sint oportet; hæc tamen lac creantibus plus excalfaciunt. In menstruâ purgatione venæ magis aperiri, & sanguis fluidior euadere debet, quandoquidem menses in venas vteri pulsi mittuntur, non trahuntur; sanguis autem in vbera & impellitur, & ab eisdem elicitur: Quare vt in mammas feratur, leuiorem medicamenti opem desiderat. Ergò lac augent quæ suo mediocri calore nullam afferunt exsiccationem; eáque vel medicamenta, vel cibi: At præstantiora quæ simul vtriúsque rationem subeunt; talia sunt virentia folia Apij, petros. fœnic. aneth. nasturt. erysimi, smyrnij, origani, iusculis incocta; semen lactucæ acrioribus temperandis accommodatiss. sicca enim lactis prouentum restingunt. Atque vt erúca recens semen auget, arefacta absumit, ita quidem de lacte statuendum, quòd eadem sit ambòrum materia. Præter hæc, omnia dulcia, vt saccharum, mel, lac, & quæ suprà in alimentorum genere recensui, sed inprimis vinum album, aut fuluum tenuissimum.

Hæmazogωn à lac procreantibus discrimen. Gal. 5. simpl. c. 21.

Alimenta medicamentosa lac augentia.

Sicca tam lac, quàm semen absumunt.

Quinetiam zinziber, cinam. crocus, piper, cardam. aliáque aromata condimentis præparcè admista, & aliis humidioribus, vt iusculis, conuenienter temperata, ne siccitate lac absumant, indéque sanguis & parcior & crassior euadat. Itaque opinione suâ longè falluntur, qui crystallo, corallio, arido fœnic. semine; aut viticis, lactis vbertatem procurant, nisi hæc prissanæ incocta sint. At longè meliùs Plinius raphani, aut radic. fœnic. decoctum cum furfure, potum commendauit, aut melanthium ex mulso ℥i. pondere, hoc enim continuis diebus sumptum mammas replet.

Aromatum parcus vsus esse debet, vbi lac augendũ. Quomodo sicca quædam lac augere possint. Plin. lib. 20. c. 4. & 13. Dioscor. l. 3. c. 93. Plin. l. 20. c. 17.

Itidem porri decoctum epotum, eiúsque semen ex melle sumptum; & pastinaca, & ipsius semen; pari modo & cæpæ diligenter excoctæ, dum omnem cacochymiam deposuerint; & hordei tosti aquæ incocti percolatus cremor, cui & butyrum aut lac adieceris. Farina cicerum, fabar.

Varia simplicia lactis vbertatem conciliantia.

fabar. lacti commista, & polentæ in modum cocta, adiecto insuper melle. Nam cicer satiuum, in cibo lac nutricibus auget. Brassica puerperis ad lactis copiam augendam præbetur. Ocymi natura est mulieribus lactis prouentum afferre: Echium etiam in vino vel sorbitione sumptum lac auget. Prodest etiam semen lini cum melle delingere, aut sesamum crudum cum vino dulci. Sunt qui experimento certissimo comprobârunt, vermium terrestrium puluerem ʒi. pondere, ex aqua & vino potum, lactis prouentum efficere. Aëtius septenorum puluerem tribus ouis incoquit, addito fœnicul. aut anethi tantillo, vt mammæ repleantur. Laudant item marini draconis inter pisciculorum quisquilias reperti cinerem ex vino potum. Duo inter cætera notantur, si ita cognita essent, quibus lactis vbertas intermissa restituitur: cytisum aridum in aqua macerari oportet, & cùm tota nocte præmaduerit, postero die expressi succi selibram modico vino permisceri, atque ita potandum dari. Glaux herba coquitur in sorbitione similaginis, aut cum hordacea farina, ad reuocandâm extincti lactis fœcunditatem. Arcenda interim acria omnia & salsa, crudáque olera & frigida alimenta maximè vitanda his, quibus humor in mammis non elactescit.

Diosc. l. 2. c. 126. Aët. tetrab. 1. serm. 4. c. 6.

Colum. lib. 5. c vlt
Plin. l. 27. c. 9. & Dioscor. l 4. c. 141.

Postremò, quoniam ex venarum angustia, & coarctatione mammarum, plerumque sanguis in ipsas non concidit, aut ab iis flaccidis, macilentis, & imbecillioribus non attrahitur, euocandus & eliciendus est fotu tepentis aquæ, maximè si huic auena, aut triticum incoxerit, aut dropace vel sinapismo mitissimo mammis imposito, vel potiùs circumposito, qui attrahat, non discutiat, quam in rem breuissimo temporis interuallo parti inhærescat. Caricæ aqua macerantur, dum extabescant, libræ vni adiicitur exactissimè triti sinapi ℥i. mox adhibetur perfricatâ priùs aliquo modo parte. Eadem dropacis ratio est, ex pice & oleo vnà commistis. Suctione quoque, & frictione lac allicitur, & cucurbit. cum exigua flamma sub clauiculis appositis, quibus sanguis in mammas transfertur. His lac vberiùs increscit.

Topica lac in mammis augentia.

Suctio, frictio, cucurbitula.

CAPVT XLVIII.

Lactis copiam arcentia.

Edito iam partu, plerumque mulieres sanguine plurimo in mammas recurrente, neque exsucto, lactis exuberantiâ premuntur, quod nî exhauriatur, & concrescit, & putrescit, & phlegmonen gignit. Quinetiam quæ deliciis & formæ nimium consulunt, vt nobiliores & ditiores, hanc lactis vbertatem sæpè respuunt, & auersantur, quarum studio interdum cedere cogimur, ac arcent partim admota, partim assumpta: priori genere continentur, tum quæ sangui

Caussa exuberantia lactis, quam Græci σπαργᾶν vocant.

Lac arcentia tam externa, quàm interna.

ſanguinem aliorsùm reuocant, & repellunt, tùm quæ lac in mammis concluſum, & collectum digerunt, & ſine ſenſu diſſipant. Reuellunt cucurbitæ pubi aut inguinibus admotæ, atque ſi venæ ſanguinis copiâ tument, ſecta poplitis aut malleoli vena: Peſſi mox à partu qui menſes cient, ſi ſegniùs reſpondeant; crurum frictiones, vincula, fotûs. Repellunt aſtringentia, ac modicè refrigerantia, non mammis quidem impoſita, ne frigore lædant, & collectum lac periculosè cogant; ſed circunſtantibus partibus impoſita. Vt:

Repellentia mammis circumponenda.

Vnguentum pectori adhibendum. ℞. Boli arm. ℥iß. radic. biſtort. ʒiii. roſ. rubr. puluer. myrtill. ana ʒii. ol. roſ. ℥iii. aceti ℥i. miſtione fiat vnguentum, quo tum axillæ, tum clauiculæ & ſternum perlinantur.

Aut:

Aliud. ℞. Vnguenti roſat. & cerat. ſantal. ana ℥iß. ol. roſ. & myrtin. ana ℥i. acéti ℥ß. miſce, his enim nouus ſanguis in mammas influere prohibetur.

Aut:

Litus pro mammis. ℞. Mucag. ſem. pſyll. ſucci portul. ana ℥iß. farin. fabar. ℥ii. ol. roſ. ℥iii. aceti ℥i. aluminis in puluer. redacti ℥ß. miſce. Iuuabit etiam fæcem vini non vſtam cum aceto illinere.

Topica diſcutientia mammis imponenda. At verò quod iam inhæſit, & collectum eſt, cùm remeare nequeat, non cicutâ aut iuſquiamo, vt nonnulli, aut aliis quæ frigore lac extinguant, imò neque poſcâ egelidâ, neque plantagine, myrtíve decocto, nec alio quod repellat, ſed medicamentis attenuantibus & ſiccantibus, at mediocriter calidis, mammis proximè impoſitis eſt diſcutiendum, quibus leue aſtrictionis veſtigium inſit. Eam facultatem habent menta, & eius ſuccus, chelidonium, abſinth. ruta, apium, ocymum, aſari folia, & lilij, cum oxymelite, & farinâ hordei, aut orobi, aut lupinor. & ſimilia, quæ ſic in vſum conferuntur.

Cataplaſma. ℞. Chelidon. mai. mentæ ſiccæ, abſinth. ana M. i. cumini ʒiii. fol. nymph. & camomill. ana p. i. coquantur, & tuſa cribro tranſmittantur, dein adde farinæ cicerum rubr. aut fabar. aut lupinor. quart. i. oxymel. ℥iii. ol. irini, vel Keirini, vel lilior. ana ℥iß. fiat cataplaſma. Aut:

Aliud. ℞. Farin. fab. & orob. ana quart. i. ſucci chelidon. mai. & ſucci mentæ, ana ℥iii. ol. lilior. & mentæ, ana ℥ii. ol. nymph. vel roſ. ℥i. aceti parum, fiat catapl. mammis imponendum. Vel ex contritis plantis, hoc modo.

Aliud. ℞. Mucag. fœnugr. ℥ii. folior. petroſ. (verum eſt apium) & menthæ contritor. ana M. i. farinæ lentium, aut fabar. ℥iii. ol. roſ. ℥ii. aceti ℥i. puluer. cumin. ʒii. croci ʒß. miſce, fiat catapl. Vel lentes aquâ marinâ coquito, decocto mammas abluito, ipſáſque tunſas ſuperimponito. Sunt qui ſimili effectu chelidon. maioris radicem coctam & tuſam

Dioſc lib. 2. c. 129. & Plin. l. 22. c. 25.

usam papillæ admouent, aut brassicæ, radices eodem modo tusas, toti mammæ imponunt, sed multò plura eandem sortita facultatem, vt fotûs, & cerata, è proximo capite elicias, quæ mammis lacte coagulato turgentibus auxiliantur. Propriè autem, & suaptè naturâ cancrorum marinorum puluis, aut fluuiatilium cinis, mammis ex cerato illitus, lac excutiunt.

Cancrorum marinorum pulnis.

Assumpta.

Cæterum ex assumptorum numero lactis prouentum restringunt sicca, aut frigida, quæ insitâ proprietate lacti creando resistunt. Sed & vehementer calida, idoneam gignendo lacti materiam absumunt & exsiccant, vt ruta, maximè quæ syluestris est, viticis semen, cyminum, semen canabis, & quæcumque genituram extinguunt, siue frigida, siue sicca sint. Quamobrem imperanda primùm omnia, quæ in causarum censu lactis penuriam inferre narrauimus. Insuper hic puluis lactis fœcunditatem coërcet.

Quibus facultatibus prædita sint, quæ assumpta lac abigunt.

℞. Fol. menthæ siccor. & semin. fœnic. ana ℥ß. anis. ʒii. semin. apij, petrol. rutæ & cymini, ana ʒi. corall. rubr. cornu ceru. vsti, ana ℈iiii. flor. nymph. ℈ii. sacch. ad pondus omnium, detur ex aquâ menthæ ʒi. quotidie manè & serò; aut cum saccharo aq. rosar. soluto, fiat electarium

Puluis lac coërcens.

Probatur quoque hæc ratio, primò foueantur mammæ linteo panno obtectæ decocto capite superiore descripto, dein eodem abluantur, mox oleo rosat. omphacin. illinantur, túmque blandissimè ac parcè exugantur, quo suctu lac mammis inclusum & liquatum euocetur, neque sanguis nouus affluat. Postremò emplastrum ex melle, croco terebinth. & ouis imponendum, quod capit terebinth. vino albo & rosaceâ diligenter lotæ, quantum satis, mellis ℥i. ouor. recent. num. iii. croci ℈i. fiat emplastrum, aut adiectâ cerâ in ceratum efformetur, quod linteo aspero & denso impactum vtrinque, admoueatur mammis, centro tamen papillis peruio, & fasciis circumligetur, ac mediocriter constringatur. Hic omnis apparatus bis die, ieiuno ventriculo repetendus, dum lactis copia abscesserit.

Fotus mammarum. Litus. Suctus lenissimus. Emplastrum.

CAPVT XLIX.

De Lactis concretione.

Lac in mammis perniciosè concrescit, & in grumos ita obdurescit, vt nonnisi ægrè dissolui queat, ídque modò sponte, vbi iam diu inhærescens vetustate cogitur, modò alienâ vi, aut caloris

Causa concretionis lactis.

immodicè exſiccantis, & per diſſipationem incraſſantis, aut frigoris aſtringentis. Quin & interdum contuſâ, & compreſsâ mammâ id cogitur. Quod à denſante frigore, aut ſponte coiit, remediis calefacientibus, incidentibus, & exſiccantibus diſcutitur, qualia lactis vbertatem exhaurire diximus. Itaque oleum Keirinum, menthæ, lilior. chamæmel. irinum, è narciſſo, cymininum, ſicyonium, & quæ ex his fiunt cerata, idonea ſunt. Adhæc fotus è decocto menthæ, betæ, (nitroſa enim) chelidon. abſinth. ſiſymb. (qui vulgò balſamita) calamint. abrot. chamæp. fol. aſari, (aſtringunt enim) fol. cici, ſeu ricini, rad. apij, aut lilior. & althææ, ſi concretio nimium obduruit; aut maluæ & acanthi, chamæmel. fœnugr. aut ſemin. althæ. ſi magna diſtentio eſt; ſed præſertim fænicul. aneth. aniſ. cumin. aut apij. Hæc vel decocta fotu iuuant, vel contrita & impoſita, vel ipſarum expreſſo ſucco cum farina coacto.

Remedia pro varietate cauſæ varia eſſe debent. Concretioni lactis à frigore, idonea topica.

Fotus.

℞ Radic. apij & lilior. ana ℥ii. fol. mentæ, M. ii. ſiſymbr. chelid. betæ, ricin. & aſari, ana M. i. ſem. aneth. fœnicul. & apij, ana ℥ß. aut cùm vehementiùs obduruit, ſemin. fœnugr. althæ. parem modum, flor. camomil. melilot. & ſi tum tempus ferat, violæ luteæ, ana p. i. hoc decocto foueantur mammæ per ſpongiam nouam. Decocti magma cum oxymelite & fabaceâ farinâ, aut orobi, aut cicerum rubr. lentium aut orizæ, aut aliorum, quæ diſcutiant, in cataplaſma conferetur. Vel ſequens parabitur.

Cataplaſma ad mammas χονδρειώτας, ex Auicen. fen. 12. lib. 3. c. 4.

℞. Panis ſyncomiſti, farin. ord. erucæ, althæ. ſemin. fœnugr. & lini contriti, ana quantum manu concludi poteſt; concocta in hydromelite, tunſáque imponito, quibus ni malum ceſſet, & myrrham, & cardamomum & cyminum admiſceto. Hoc idem è conuenientium herbarum ſuccis præſtabitur, quo modo ex oxymel. ſucco mentæ, & apij, aut chelidon. aut erucæ, inſperſâ oryzâ, & fabar. farinâ in polentæ ſpeciem, ſuperinfuſo, etiam violæ luteæ oleo, fiat cataplaſm. Mentham ſæpiùs vſurpo, contrita enim ſi mammis familiariter acceſſit, nec coïre, nec denſari lac patitur. Quare lactis potionibus additur, ne huius coagulati potu ſtrangulentur. Nam neque coaleſcere, neque ſpiſſari lac poteſt, quod mentham habuerit. Neque ſecùs coagulum leporis cum aceto, & oleo menthæ illitum concreta diſſoluit. Ad eadem furfur in aceto coquitur, rutæ decocto immiſcetur, & mammis adhibetur. Quòd ſi collectio obdureſcit, vnguentum dialthæa, aut reſumpt. mammis illitum prodeſt, ſuperimpoſito vel acanthi, vel braſſicæ folio. At obortâ diſtenſione Paulus Ægineta panem ex hydrelæo aut mulſo adhibet; Atque ſi grauitatem mulier ferre non poſſit, cataplaſmata arcenda, ne partem grauent, túmque fotu blandiſſimo, & ſuperinfuſione per lanas delicatiores potiùs vtendum. Fotus adhibentur

Aliud cataplaſma ad idem.

Mentha.

Plin. lib. 20. c 14.

Dioſcor. lib. 3. c. 41.

Alia topica. Aët. tetr. 4. ſerm. 4. c. 35.

Lib. 3. c. 35.

tur ex vapore aquæ cui ſuperiora incoxerint, aut muriæ fomentum. Et hæc quidem in lactis concretione ſimplici vſurpanda ſunt.

Concretioni lactis à calore idonea topica.

Cùm autem lac concretum inflammationem accerſit, aut alioqui caloris eſt particeps, non inprimis hæc, ſed quæ vel frigida, vel citra caloris vim leniter extenuent, mammis imponentur. Vtendum ergò per initia eſt his rebus: ſpongia mollis oxycrato imbuta, expreſſaque loco ſuperaccommodabitur, aut linteola quæ roſaceâ & aceto vnà commiſtis madeant, vel palmulæ cum pane & poſcâ contritæ, vel ouo toto vtendum, maximè ſi dolor vrget, cum roſaceo aut mucag. pſyll. aut cataplaſma ex portul. alum. aïzoo, coriandro viridi, ſolano. Vt:

Fotus.
Aët loc. cit. necnon Paul.

Puls ad lactis grumefactionem.

℞. Succi plantag. aïzoi, vel portul. ana ℥iii. ol. roſ. ℥iiß. farin. hord. ℥ii. aceti ℥iß. coquantur in formam pultis, addendo pulu. camomil. ʒiii. aut ſuppone ol. camomil. & roſac. ana ℥iß. Aut vtere eorum & myrti decocto, aut illorum ſuccis, cum fabaceâ, & lentium farinâ, & cerato; vel lapis pyrites tritus cum roſac. imponitur, vel argilla aceto miſta. At verò neque cicutâ, neque iuſquiamo, etſi impoſita, mammis lac extingunt, aut aliò narcotico puerperis vtendum cenſuerim, ne lethali pernicie lac in partes principes retrocedat. Galenus mammas à partu inflammatas thure cum cimoliâ & roſaceo perungit. Ceratum album Galeni aceto ſolutum eadem præſtat. Quin & folia hemerrocallis, aut baccharis mammis tumentibus auxiliantur. Cùm autem fluxionis impetus iam reſederit, ad ea quæ diſcutiunt, antè deſcripta tranſeundum.

Narcoticis topicis temerè hîc vtendum non eſt.
Lib de Euporiſt. c. 124.

CAPVT L.

De inflammatione Mammarum.

Cauſa inflammationis mammarum.
Signa ipſius diagnoſtica.

INflammatio hæc non ſolùm aliarum more ex ſanguine feruido præter naturam in partem confluente accenditur, ſed etiam à partu ex concreto & putreſcente lacte mamma in tumorem diſtenditur, durities ineſt, rubor, atque calor, dolor pulſans qui tactu, vel blandiſſimo incandeſcit: febris quoque frequenter aſſidet. Cauſæ notiores ſunt quàm vt debeant reputari, & inter ſe diſtingui. Curatio non æquè facilis, quâ tamen neglectâ, phlegmone aut in abſceſſum periculoſum, aut malignum vlcus, aut in ſcirrhum; tandémque in cancrum deſinit: In mammas enim, quarum ſubſtantia laxior eſt, & inanis, tum è capite, tum ex vtero facilis eſt humorum decurſus.

Prognoſtica.

Curatio. Sanguinis miſſio, aliáque reuellentia.

Curatur primùm reuulſione, quæ fit ſectâ aut interiore cubiti proximi venâ, aut ſi menſes ſubſtiterint, ſaphænâ è directo apertâ, aut

etiam hæmorrhoïdis, maximè cùm ex ſanguinis copiâ aut feruore gignitur: ſed & cucurbit. friction. vinculis partium infer. Dein topicis opus eſt; quæ initio quidem fluxionem coërceant, ac blandè repellant, in ſtatu autem diſcutiant. Quæ vehementer repellunt & aſtringunt, hîc minùs tuta ſunt, ne vel in partem principem noxius humor recurrat, vel reſpiratio offendatur; quemadmodum neque emplaſtica, ne obturatis ſpiraculis exiguus partis calor præfocetur. Itaque aut mitioribus ſolis eſt locus, aut verè repellentibus, ſed quadam digerentium permiſtione temperatis, atque retuſis, qualia reliquarum inflammationum incrementis accommodantur, quomodo ſuccus plantagin. cum roſaceo, & oui candido; vel ſuccus ſolani, vel aïzoi cum hordeacea farina & aceto, vel oxyrhod. tutò imponitur; aut lithargyrum in oleo roſ. & aceto nutritum cum ſucco plantag. Sic etiam Hippocrates rubi fructum hydrelæo incoquit, & cataplaſmate facto mammas integere iubet, ac betæ folia ſuperponere. Vtendum ergò per initia his rebus quæ fluxionem blandè cohibere, ac reprimere poſſint: deinde ardoris impetu ſedato, ad ea quæ diſcutiunt, iam deſcripta tranſeundum, cuiuſmodi althæam, maluam, chamæm melil. fœnugr. ſemen, lini & aneth. excipiunt; aut quæ ex his parantur olea, & maximè irinum, admiſtis vitellis ouorum; aut cataplaſma ex iiſdem addito cumino, aut rutâ, & vuis paſſis; aut melle ac farinâ fabar. vel cicerum. Aut quod ex farina oryzæ, vel orobi, vel cicerum paratur in oxymelite aut ſapâ. Cataplaſma Auicennæ imponendum.

Topica qualia eſſe debeant. — *Repellentia mitiora ſolùm vſurpanda initio mali.* — *Lib. 2. de morb. mulier.* — *Diſcutientia ſedatâ fluxione vſurpanda.* — *Lib 3. fen. 12. cap. 6.*

♃. Micæ panis ℥iii. farin. fabar. & radic. althææ, ana ℥iß. farin. fœnugr. ℥i. vitell. ouorum, num. iii. myrrhæ & aſſæ fœtid. ana ʒi. croci ℈i. ſed efficaciùs, adiectâ pulueris cumini ʒß. hoc etiam diſcutit. At ſi tumor in abſceſſum vertitur, fluxione cohibita, maturatio, atque ſuppuratio iuuabitur fotu ex hydrelæo tepido, aut ex eorum decocto, quæ emolliunt, maturant, leniunt, calorem obtundunt. Protinus à fotu iuuabit illitus facultatis eiuſdem, qualis è dialthea, aut vnguento reſumptiuo, móxque cataplaſma quod ſubiiciam.

Tumore in abſceſſum abeunte, maturantia adhibenda. — *Fotus, & litus.*

♃. Radic. althææ, & liliorum, aut ſi validiora maturantia velis, radic. bryon. & cepar. ana ℥iii. maluarum acanti, ana M. i. caricar. ping. par. x. flor. chamæmel. & melilot. ana p. i. coq. & cribro cernantur: Dein adde farinæ tritici & fœnugr. ana ℥iß. butyri recentis, axung. gallin. vel anſeris, ana ℥ii. vitell. ouorum ii. fiat cataplaſma: atque ſi minùs calida eſt phlegmone, & ægrè ſuppurat, admiſceto ſtercoris caprini ℥iii. Maturatâ phlegmone, aperienda vomica decliuiore partis eminentioris ſitu, & maximè cauendum à grandioribus venis, quibus præciſis lactis fœcunditas in poſterum adimitur: Dein abſceſſu rupto, pus eluendum & expurgandum plantaginis, apij, & roſar. decocto ex melle, vel ſacchar. vel terebinth. aut ſi craſſius eſt pus, vel aloë, vel myrrhâ, vel vnguento, quod ex illorum ſuccis comparatur, cum melle roſ. farinâ hord. & lupinor. vel fœnugr. concoctis,

Cataplaſma ſuppurationem iuuans. — *Apertio vomica.* — *Abſceſsûs deterſio.*

ctis, adiectâ insuper terebinth. vel vnguento aureo, & similibus: & si dolor excruciat, admistis ouorum luteis.

Tumor scirrescens emolliendus. Cùm autem tumor obdurescit, & nimiâ caloris, aut frigoris vi in scirrhum vertitur, qui diuturnitate doloris est expers, emplastris pugnandum est malactricis, atque emolliendum. Initium ab humido fotu ducendum.

Fotus humidus. ℞. Radic. althææ & liliorum, (atque si magis obduruit, cucumeris agrestis) an. quart. i. maluar. viol. acanthi, ana M. i. anethi (nam quædam digerentia adiici debent) calamint. vel puleg. & origan. ana M. ß. semin. lini & fœnugr. ana ℥i caricar. ping. num. viii. passul. mundat. par. xx. flor. camæmel. melilot. sambuc. ana p. i. decoq. addendo olei lilior. & violar. (si calore humor concreuerit) aut lini, ℥iii. foueatur pars. Mox à fotu vnguentis emollientibus vtendum, & resumptiuo, dialth emplastro de mucilag. aut diachyl. quæ oleo liliorum, aut irino liquata sint. *Vnguenta emollientia.* Quinetiam cataplasma commodè adhibetur ex fæce præscriptæ decoctionis, tusâ, cretáque, addito adipis anserini, & gallinac. quart. i. & farin. semin. lini & fœnugr. ana ℥i. *Cataplasmata.* Aut fiat cataplasma pultis specie, ex oriza quæ in vino dulci, oleo liliorum, aut iure pinguissimo coxerit, admisto oui luteo, aut medullâ cruris vituli. *Emplastra.* Emplastrum etiam emolliendi vim habens obduratæ mammæ imponitur, diúque circunferri potest, quale est diachylon magnum, è mucilag. permistâ etiam ammoniaci, aut opopan. aut sagap. aut bdellij, oleo liliorum, vel sesamino, aut amygdal. dulcium soluti ℥i. *Suffitus mammæ.* Si ne his quidem adhuc emollescat, aceti suffitu ex lapide pyrite vti conueniet, móxque ad eadem fiet reditus, dum sensim, otióque multo discutiatur. Difficilè enim mammarum, & testium scirrhi molliri possunt, quòd & excrementa promptissimè excipiant, & pertinacissimè retineant. *Scirrhi mammarum καρκινώδεις non attingendi.* Qui tumor est durus, rotundus, venis turgentibus, ac liuidis circunscriptus, & dolore, ardoréque feriens, hunc equidem (cùm curari non possit) melius est non attingere: nisi fortè cùm tumor exoritur, obscura ipsius rudimenta ferro & igne extirpentur.

CAPVT LI.

Depascentia Mammarum vlcera, & maligna erosio.

Vlcera mammarum quare maligna. Mammarum vlcera, quòd illarum substantia mollior excrementis pateat, & nimio humore diffluat, sæpè maligna euadunt, & difficili cicatrice obducuntur. *Curatio.* Hæc autem purgato iam corpore, atque viscerum intemperie sublatâ, externis remediis validè & sine morsu exsiccantibus, curantur, *Topicorum quæ dotes esse debeant.* quæ reprimant quod influit, & astrictione coërceant; quod autem parti insidet, discutiant, aut potiùs absorbeant. *Materia horum topicorum.* Id autem eximiè præstant malicorium, myrtus, plantago,

tago, solanum, thus, rosa, balaust. galla, nux cupress. &c. in repellentibus crassæ & terrenæ substantiæ. Adhæc metallica omnia vsta & elota, cerusa, tutia, litharg. cadmia, plumbum vstum & elotum, stibium, alumen, scoria ferri & plumbi, squamma æris, ærugo æris, omnia (inquam) vsta & elota; quibus adiungas lapidem hæmatit. calaminarem, terram lemniam, & armenam. Primùm itaque vlcus abluendum, & fouendum aquâ alum. aut decocto astringentium ex vino, in quo aluminis tantillum sit incoctum, mox concerpta linamenta, vnguento albo caphurato, è minio, vel ex plumbo, vel è cerusâ, vel vnguento diapomphol. delibuta, parti imponenda.

Vnguentum ad mammarum nomas.

℞. Litharg. & ceruf. ana ℥i. tutiæ præpar. malicor. ana ℥ß. lapidis calam. plumbi vsti & eloti, ana ʒiii. caphuræ ʒß. succi plantag. & solan. ana ℥ii. ol. rosat. aut myrtin. q.s. agitentur diu in mortario plumb. fiat vnguentum. Hoc autem quod ex Paulo subiiciam, cumprimis vtile est mammillis exesis, & auribus suppuratis, & gingiuis humore turgidis.

Lib. 3. c. 35.

Aliud vnguentum Archigenis.

℞. Vini rubri astringentis optimi ℔. ii. rhoïs coriariorum, nucis cupress. ana ℔. ß. gallar. immatur. cassiæ, vel cinamom. crassi, ana quart. i. contusa diebus decem vino commadescant, dein agitata cupressi rudiculâ ad dimidias ferè coquantur: reliquis aliis secretis & abiectis, succus coquatur ad mellis crassitiem, deinde vitreo vase recondatur. Adiice si præstantius exoptes, litharg. ℥iii. cerusæ, molybd. ana ℥iß. myrrhæ, thuris, ana ℥i. in vlceribus depascentibus solo vtitor. Cùm autem crassius fuerit medicamentum, vino liquandum: Idem verò dolores lenit, lacte dilutum. Fissuras autem & vlcuscula in papillæ ambitu rimulis dehiscentia curant eadem quæ ad ani rhagadas præscribemus. Ita quidem vlcera sanantur, sed interim præcipiendum, ne altera mamma lac infanti suggerat.

Fissuræ circa papillas vt curandæ.

CAPVT LII.

Quæ venustam Mammarum formam seruent, aut restituant.

Mammarum nimia moles, eiúsque caussæ.

MAmmæ frequenter vltra modum luxuriant & excrescunt, tum maximè cùm corporis incrementum sistitur, iis potissimùm quæ aut naturæ propensione, aut viuendi modo pinguiores euaserunt, & quibus antequàm menses erumpant, multus sanguis eò confertur, & quæ alimentis flatulentis, vt castaneis, rapis præcipuè vescuntur, quibus ideò molles & flaccidæ fiunt. Quocircà arte decor & species mammis idonea comparatur. Remediorum alia virginum mammas cohibent, ac conseruant, alia supra modum auctas minuunt.

Conser

Conſeruantur mammæ iis quæ comprimunt, & ipſarum ſubſtantiam coarctant, atque influentem humorem retrudunt, qualia ſunt frigida & aſtringentia. Sic ſpongia poſcâ madens adhibetur, & faſciâ pectus obſtringitur. Et conſtat mammas à virginitate ſucco cicutæ illitas, ſemper eſſe ſtaturas: neque tum metus ſit remeantis ſanguinis, vt qui laudatus, mediæ parti non niſi paucus hæreat. Quin & Naxiæ cotis detrimentum oui candido exceptum, aut cimolia creta pari ratione adhibita virginum mammis, exquiſitè conſeruat. Hoc quidem etiam præſtari poteſt aquâ myrtillorum, calycum roſar. nucum cupreſſi, pinearum, quibus paulùm aceti, & aluminis acceſſerit. His imbuta linteola inſternuntur, faſciis arctè inuoluuntur, neque triduo dimouentur, quibus ſummotis, ſimilia denuò imponentur. Aut.

Remedia mãmas conſeruantia, ne plus iuſto excreſcant.

Paul. loc. cit.

Oribaſ l. 4. de loc aff cur. ad Eunap. c. 82.

Fotus ad coërcendas virginum mammas.

℞. Ceruſ. cretæ cimoliæ, aut raſuræ cotis dum acuuntur gladij collectæ, an. ℥ß. excip. aquâ myrtill. vel cicutæ ſucco, aut iuſquiami, aut cremore pſyllij. Idem & acacia, aut thuris cortex præſtat, aut terra lemnia, aut armena, aut immaturæ gallæ puluis, & ex gland. cum melle, & aceto, addito hyoſcyami ſucco pauco.

Alius fotus, ad idem.

Aqua mammas coarctans, & molliores firmans.

℞. Gallar. immatur. calyc. gland. fol. quercus, nucum cupreſſ. an. ℔. i. baccar. & fol. myrti, an. ℔. ß. vel cytinor. ℥iiii. cicutæ & menthæ, an. M. i. alum. ℥iii. ſem. pap. ℥iß. contuſa omnia in vino aſtringente madeant biduo; dein vitreo vaporario aqua eliciatur, cui immerſa lintea mammis ſæpè coaptentur. Ad hæc cataplaſmata ex pyris agreſtibus, meſpilis, ſorbis, prunellis, acacia, balauſt. roſis, alumine, mentha viridi, cumino. Atque ſi vis:

Cataplaſma ad idem.

Epithema laxiores mammas coërcens.

℞. Malicorij, hypocyſt. malicor. plumbi vſti, alum. ceruſ. lentium torrefactar. an. ℥ß. ſulph. ʒii. caphuræ ʒi. omnia ſucco aut aq. plantag. coacta mammis imponantur. Probatur à quibuſdam teſtudinis aut veſpertil. ſanguine mammas delinire.

Mammas autem vaſtiores minuunt, ſoluto iam pleniore corporis habitu, aut venæ ſectione, aut purgatione, aut menſium prouocatione, atque inediâ, extenuant (inquam) & inauctam mammarum molem deprimunt, medicamenta extrinſecùs adhibita, quæ digerendi, exſiccandique vim habent, qualia iam lac abſumere, & diſcutere diximus, exemptis relaxantibus, & adiectis ſale, ſulphure, cumino, & alumine. Quibus poſtquàm emarcuerunt, ac flaccidiores euaſerunt, mox frigidis & aſtringentib. ſoliditas cõparanda. Ita quippe cyminũ cum aqua tritum mammis illinitur, dein ſpõgia extrinſecùs ex poſca pectus cinctura ſtringitur exactè triduo, cyminum deponitur & mãmis non radix lilior. vt pleriq;

Remedia mammas vaſtiores minuentia.

Topica initio diſcutientia & exiccantia eſſe debent: poſteà frigida & aſtringentia.

Rhaſ. 15. contin. Auic. l. 3. fen. 12. c. 11.

existimant, sed bulborum flos qui etiam digerit, cum melle inducitur, & deligatum rursus triduum finitur, idque ter mense facito. Vel.

Vnguentum mammas extenuans. ℞. Vnguenti ceruſ. aut diapomphol. ℥iiii. ſalis communis, alum an. ℥ii. ſulph. cymini, an ʒi. cum exiguâ olei myrtill. portione miſceantur, & imponantur, depreſſâ mole, quò firmiores, & ſolidiores euadant: aut deraſa cotis farina, admiſtâ maſtiche, thuris cortice, oui candido, & aceto excepta; aut cicuta in pollinem detrita ad nouem dies imponitur, ſpongiáque extrinſecùs poſcâ imbuta, ſicut comprehenſum eſt, ſuperaccommodatur. Paucis diebus interiectis idem fit.

CAPVT LIII.

Ad fœdum axillarum odorem, & ſudationes.

Curatio graueolentia axillarum. SVnt quibus ſupra modum ſudor graueolet, & quibus alæ aut pedes tetrum odorem expirant, iis emiſſo ſanguine, aut purgatâ bile, atque temperatis humoribus graueolentiam abolent, quæ validè ſiccant, & aſtringunt quadam odoris ſuauitate prædita, tum quæ amarore putredinem arcent. Quocircà nitroſis & aluminoſis thermis id vitium eluitur. *Materia topicorum.* Itidem nitrum ex aqua, aut alumen, quotidiano fotu confert. Cyperus ex roſaceo, aut myrtino oleo illitus, admiſtâ etiam iride. Quin & cupreſſi, aut tamariſci decoctum ex vino aſtringente, cui alumen inſit. Id quod pedum etiam fœtorem reſtringit. Sed præſentius auxilium hæc afferunt quæ Paulus præſcripſit: Aluminis liquidi partes duæ, myrrhæ pars vna, vino diſſolutis vtitor. *lib. 3. c. 36. poſt Dioſcor. l. 1. c. 77.*

Aliud.

Molybdænam (quæ plumbago dicitur, valentiùs refrigerans & aſtringens quàm lithargyros) combuſtam, vinóque odorato extinctam, ex vino terito, myrrhæ momentum iniiciens, quoad ſordium lentor adſciſcatur: hac vtitor. Aliud, litharg. ʒiiß. myrrhæ ʒij. amomi, myrrhæ, ſpicæ, an. ℥ß. vino læuigatis vtitor. Alumen aquâ ſoluitur, & igne liqueſcit. Aliud, litharg. ℥j. aq. roſaceæ vehementi agitatione commiſceto, dein tutiæ aquâ ſalsâ elotæ ʒiij. alum. ʒij. ſpic. myrrh. & roſar. an. ʒj. trochiſc. caphur. ʒß. omnia ex aq. roſar. coacta concinnentur in trochiſcos, quorum vnus cum res expoſcet, vino craſſo & odoro ſolutus, adhibeatur ad ʒß. & pulueris roſar. ʒj. inſpergito.

FRANCISCI FEYNEI, PRACTICÆ MEDICINÆ LIBER TERTIVS.

De Morbis Thoracis.

SECTIO PRIMA.

De Partium respirationi inseruientium morbis, tum cognoscendis, tum curandis.

CAPVT I.

De Angina.

ANGINA inflammatio est faucium, quâ gulæ & gutturis transitus magno suffocationis metu intercluduntur. Huius signa hæc sunt, præ obstruentis tumoris magnitudine, æger non cibum vorare, non potionem potest, nihílque ne minimum nec conatu maximo deglutire licet. Et quando introitus omnis coarctatur, potus in nares resilit: interceptâ spiritus viâ, summa spirandi difficultas angit; nec nisi hianti ore, vel erectâ ceruice anima duci potest. Vehemens dolor fauces excruciat: lingua tumet, atque exerta est, vox non vt antè, sonora, sed per summam narem loquuntur; caput, oculi, & labra ferè intumescunt. Denique febris adest, quæ omnem veram anginam assiduè comitatur, hæc omnia tantò acerbiora, quantò fuerit angina ferocior. Anginæ exquisitæ genera quatuor habentur. Prima recondita, omnium quidem grauissima nihil neque in ceruice, neque in faucibus tumoris, ruborísque ostentat, vnde præceps suffocatio. Altera non multò superiore mitior, ad intimas oris partes rubore se prodit, & loci dolore conspicuo. Tertia in vtramque partem vergit; ac tum exteriores laryngis, tum externos ceruicis musculos manifesta phlegmone obsidet, quasi foràs proferatur, atque promineat, ex quo tutior iudicanda. Postrema curatu facilior, externas

Angina definitio.

Anginæ omnis communia signa.

Cels l.4.c.4.

Angina aut vera, aut notha.

Angina vera seu exquisita, differentiæ 4.

Gal. 4. loc. aff. cap. 4.

ceruicis partes amplificat, & solas in tumorem attollit, visu tactúque conspicuum, internis faucium musculis minimè inflammatis, sed duntaxat ab incumbente mole pressis.

Causæ anginæ vera & notha.

Angina fit tenui feruidóque sanguine è iugularibus venis in faucium, ceruicísque musculos vberiùs prorumpente. Existit porrò alia minùs exquisita, quæ nec inflammatio est, nec febrem habet comitem. Hanc tenuis, acris, multáque destillatio, aut alioquin pituitosa materia, è capite in fauces, aut ceruicis musculos illapsa proferre solet; hîc tumor, dolórque premit, & degluttiendi labor, atque etiam respirandi difficultas, sed sine vlla febre & inflammatione, nisi fortassis defluxione vi doloris aliunde accersita. Quandam anginæ speciem repræsentant luxatæ ceruicis vertebræ, si intrò procidant; tunc quippe œsophagi, & asperæ arteriæ coarctatio subest, ex premente vertebra: quibus angustiis ægrè tum spiritus ducitur, tum cibus voratur. At sinus illic inest, & vitiata spinæ figura; dimoto nimirum articulo ab ictu, casu, aut aliis euidentibus causis, quæ signorum vim habent.

Signa nothæ anginæ.

Angina à dentis lordosi.

Signa huius speciei.

Curatio.

Causa priùs tollēda quàm effectus.

Omnis causa priusquàm effectus, rationali medendi viâ, exterminanda est, primum enim quod fieri potest, futurúmve est, inhiberi debet, ídque efficiente eius causa sublata; deinde quod morbi factum iam est, submoueri ac propriè curari.

Vniuersalia remedia particularibus præmittenda.

Inprimis ergò quæ antecedentem causam extirpent, ac demoliantur vacuantia, reuellentia, atque acrium humorum impetum sedantia remedia, omnia ferè vniuersalia, exponamus; particularia & topica deinceps tradituri, quæ morbum propiùs attingant ac persanent.

Periculum in medēdi mora.

Venæsectio.

Immunis & importunus morbus nulla præparatione, nulláque cunctatione festinare cogit, atque vt præceps est, ita compendiarium & præceps auxilium magna sollicitudine requirit. Quare in suffocante angina fluxionis impetus quàm mox, secta è directo humeraria cubiti vena inhibendus: (alioqui enim iam aucta inflammatione frustrà succurritur.) Qúmque validæ vires tolerando sunt, sanguis vniuersè & affatim emittendus; si minùs firmæ, Archigenis consilio, partitione vtendum, leipothymiæ aut suffocationis metu. At si ætas fractæque vires venæ sectionem non admittant, cucurbit. cruribus, natibúsque cum scarificatu admotæ, illius vices tempestiuè suppleant. Deinde frictionibus extremorum, calentis aquæ fotu, arctissimis vinculis, validísque cucurbitulis, & humerorum scarificatu humoris incursus arcendus. Sed & increscente malo, sæpiùs tum cucurbitulæ, tum hirudines collo affixæ prosunt, & ab impendente suffocatione vindicant, patefacto cibi, spiritúsque introitu. Conuenienter autem ex virium ratione, emisso sanguine, (vberiùs quidem in phlegmone, restrictiùs in erysipelate, parciùs etiam si œdematodes est angina) aluus deinde clystere proluenda, quem

Aretæus l. 1. de curat. acut. morb. c. 7.

Cucurbitulæ

Reuulsoria omnifaria. vigente fluxione.

quem primo quouis tempore imperare licet, si morbi clementia sinit.

℞. Maluar. violar. helxines, mercurialis & acanthi, an. M.i. quatuor. sem. frigid. maior. an. ʒiii. anisi ʒi. prunor. dulcium, passul. mund. an. p.x. sem. lini ℥i. flor. trium com. & nymphææ, an. p.i. coquantur: & in colaturæ ℔.i. dissolue cassiæ fistulæ, aut catholici ℥i. diaprun. simpl. ℥ß. olei viol. ℥iii. mellis violati ℥ii. fiat clyster, qui alternis diebus subiici potest. Acrioribus clysteribus sollicitanda aluus, vbi anginam pituitosam defluxio excitarit. Acriores efficies dissolutis hieræ picræ, (cuius in hoc morbo summa vis est) vel diacolocynt. ʒiii. Alioqui mitioribus satisfit. *Clyster.*

Reuulsione præmissâ vt fluxionis impetus iam resedit, atque vbi astringentibus proximè subscriptis illius ardor aliquantulùm repressus est, tum deriuatio opportunè administrabitur, apertis venis quæ sub lingua extant: has tamen peruerso medendi ordine primas secare tutum non est: quemadmodum neque cucurbitulas affigere, nisi vniuersali euacuatione peractâ; hirudines iisdem locis quibus cucurbitulæ coaptari possunt, illarúmque vulneri insuper aliæ cucurbitulæ inducuntur. Perendiè à phlebotomia purgatio instituenda, mitioribus quidem medicamentis, vt manna, cassia, prunis, thamarindis, ac cæteris quæ leniente vi aluum subducant, ferocientémque bilem retundant. *Deriuantia sedata fluxione. Ranularum apertio. Cucurbitulæ. Hirudines. Cathartica benigna veris anginis idonea.*

℞. Pulpæ thamarind. elect. ℥ß. passul. mundat. prunor. dulc. ana par. iiii. myrobal. citrinarum ʒii. sem. melon. & cucurbitæ, ana ʒiß. anisi ℈i. glycyrrh. recentis ʒß. trium flor. com. ana p.i. fiat decoctio in aqua hordei: in colaturæ quart. i. dissolue cassiæ recenter extractæ, vel mannæ recentis ℥i. syrupi rosar. laxatiui, quart. ß. fiat potio. Cui interdum rhab. sesquidrachma pro rei necessitate adiici potest. Huius medicamenti loco diaprun. simpl. vsurpare conueniet ex aqua endiuiæ. Nec temerè ad vehementiora progrediendum, siquidem angina aut phlegmones, aut erysipelatis sit species. At verò si ex pituitæ confluxu emersit, validioribus catharticis erit locus. Itaque confestim diacarth. aut elect. è citro laxantis semuncia imperetur, ex aqua betonicæ. His itaque deiectiones opus est moliri, quæ noxium humorem ad inferiora deturbent. *Potio purgans. Alia. Angina notha validioribus catharticis opus habent.*

Ipso autem curationis decursu æstuantem sanguinem temperare oportet, refrigerante ac leniente, aut syrupo, aut apozemate, si modo deglutire liceat.

℞. Syrup. viol. vel de iuiub. ℥ii. syr. nymphææ & de agresta, vel de papauere, ana ℥iß. decoct. hordei & glycyrr. ℔. i. pulueris diatrag. frigidi ʒi. fiat syrupus clarificatus & aromatisatus, ad doses. *Iulep. refrigerãs ac leniẽs.*

At si pituitosa è capite defluxio in fauces derepentè irruens anginæ dederit originem, erit protinùs illa intercipienda, & retinenda, modis in catarrho anteà definitis, atque syrupis in tussi pituitosa subscribendis præparanda. *Particularia remedia anginæ, tam interna quàm externa.*

His vniuersalium ratio expleta iam est. Deinceps particularium

& propriorum remediorum enarratio subnectenda: horum alia extrinsecùs admouentur, alia in os immittuntur; sæpiùs liquidiore gargarismi forma agitata, retentávè, interdum etiam in puluerem redacta, & intrò exsufflata: de quibus primo loco dicendum.

Particularia ista remedia, fluxionis initio repellentia esse debent.

Qualis morborum per sua tempora, talis instituenda remediorum mutatio: fluxionis initio astringentia quæ hanc repellant, sola sunt in vsu: in statu aut veriùs, declinationis initio, cùm iam planè fluxio consistit, digerentia; in cremento, vtraque sunt conuenientiora.

Repellentia duplicis generis, alia aqueæ substantiæ, alia terreæ.

Repellit & influentem humorem cohibet, quod frigidum est, aliàs quidem aquea, aliàs crassâ terrenáque substantiâ constans, priore vehementius. Illis, erysipelatis ardor potiùs deferuescit, & bilis ignea vtraque qualitate refrænatur: his exquisita phlegmone cohibetur, & validè reprimitur. Quanquam horum, atque illorum vsus etiam cuilibet inflammationi quodammodo aptari possit. Primo genere continentur lactuca, portulaca, vmbilicus veneris, psyllium. Validiùs retrudunt & reprimunt posteriora, qualis rosa, eiúsque semen, myrtus, & eius baccæ, rubus, balaust. cytinus, malicorium, rhus, ac vt summatim dicam, omnia quæ acerbo, austero, astringentíque sapore notantur; siue è fructuum, seu plantarum, aut seminum, florúmve genere decerpantur: è quorum modò succis, modò stillatiis aquis, modò etiam decoctis gargarismi aptè componi possunt, addito syrupo aut myrtino, aut cydoniorum, aut è rosis siccis, aut malorum punicorum: quibus detergentium nonnihil admisceri par est, vt mellis, sacchari, aut decocti hordei, maximè quidem increscente inflammatione, è qua halitûs specie, quippiam semper resudat. Quin etiam in acerrimo dolore, ac tenui fluxione syrup. ex pap. vel dicodion vtiliter gargarismis inseruntur quemadmodum & psyllium, & pap. semen. Repellenti auxilio vis efficacior inest, si quid tenuium partium, vel natura insitum, vel arte commixtum est, quo altiùs feratur. Simplex enim medicamentum plerumque sponte sua pluribus tum substantiis, tum facultatibus præditum est: tenui, qua penetret, crassa & terrena qua astringat, sistátque: quod in virentium nucum succo est euidentissimum. Hoc si desit, arte, operáque nostra tale efficiendum. Industria in hôc consistit, vt acida, quorum velox est transitus, acerbis, austerísque commisceas, ita namque inflammatio omni ex parte astringentium contactu restinguitur. Cæterùm à gargarismorum compositione arceantur nimium ingrata, & horrendo sapore infensa: palato enim saporis gratia nonnihil concedendum. Fœtida item, venenata, quòd in subiectos pulmones & ventriculum procliuior via sit: oleosa, quemadmodum in oris vlceribus curandis, metallica. Particulatim ex loci naturâ & conditione, repellentia, & digerentia leniora seligito; membrana enim quæ omnem oris, fauciúmque regionem succingit, laxior est reliqua corporis cute. His statutis legibus nunc præscriptionum formas explicemus, à primis, ac simplicissimis repel

Repellentibus nonnihil detergentium admiscendũ.

Repellentia quædam partium tenuitate prædita, efficaciora.

Acida acerbis commiscenda.

Gargarismi palato blandiri debent.

Leuiora repellentia & digerentia vsurpanda.

repellentibus auſpicati; quibus primo quouis tempore vtendum, modò venam eliſeris; oxymelle enim aptè colluitur os, aut hydromelite, plus minúſve diluto, in quo roſæ præcoxerint, aut roſacea cui rhus coriarium immaceratum ſit.

Gargariſma, anginæ principio accommodatum.

℞. Aquæ pluuiæ ℔.i. aceti, & ſucci mali punici acidi, an. ℥ii. miſceto, paratu facile. Cuius ſucci vice cydonior. ſorbor. meſpilor. ſuccum ſubſtituito, aut etiam rhois, qui præſtantiſſimus eſt.

Aliud ex aquis paratu facile.

Aliud.

℞. Aquarum plantag. roſar. & ſolani, aut centinodiæ, ribis vulgaris, an. ℥v. aceti & diamoron, an. ℥iii. miſceto. Ex eorundem ſuccis ferè pari modo efficias.

℞. Decocti hordei ℔, i. ſucci corticum exteriorum nucis virentis ℥iii. mellis roſ. ℥iß. miſce. Hoc licèt minùs gratum, defluxionis impetum validè ſiſtit. Præſtantiſſimo etiam remedio lactis vſtulati gargariſma incipientes anginas reſtinguit.

Aliud ex decocto efficax, valdeque reprimens.

Aliud.

℞. Plantag. ſummitatum, rubi & ſolani, an. M.i. ſummitatum lentiſci & caprifolij, an. M.ß. hordei integri & lentium integrarum, an. p.ß. roſarum rubr. p.i. decoque in aqua pluuia ad ℔. i. in qua percolata diſſolue dianucum & ſyr. roſar. vel ſucci punici mali; vel in eryſipalate ſyrup. ex papau. ℥ii. mellis roſat. colati, quart. ß. fiat gargar.

Vel in plantarum penuriâ.

℞. Gallarum virentium, balauſtiorum, granor. ſumach, calycum glandium, ana ℥ß. baccarum myrti & ſeminis plantag. ſem. papau. albi, ana ʒii. roſar. rubr. ʒi. fiat decoctio, in cuius ℔. i. diſſolue diacaryon ℥iii. mucilag. ſeminis pſyllij extractæ cum aqua roſarum ℥i. pro gargariſmo. Tria ergo præclariſſima remedia, vſúque trita exiſtunt; ſuccus corticum nucis, ſuccus mori, & mali punici; ex quibus melle concoctis diacaryon, diamorum, & diarhœon parantur.

Dianucum. Diamoron. Diarhœon.

Iam verò ſi non è tenui ac feruido, ſed craſſo & pituitoſo humore angina extiterit, repellentibus nonnihil eorum quæ humoris qualitati aduerſentur, conuenit adiicere: quædam enim ſunt quæ ſine frigore repellunt, anginæ ſpuriæ conſentanea, qualia nux cupreſſi, alumen, maſtiche, rhus, ac reſoluentium quippiam, vt origan. ſchænanth. fœnic. braſſ. calamenth. hyſſopus, quæ liberaliore manu in augmento & vigore

Quæ conueniant principio anginæ ſpuriæ.

Quæ conueniant in augmento & ſtatu ipſius.

vigore tutiùs vſurpabis. In vniuerſum, quæcunque feruentis & ſanguineæ anginæ incremento ac ſtatu rectè imperantur : eadem pituitoſorum initiis ritè præſcribi poſſunt; quemadmodum quæ declinantibus illis, eadem vigentibus iis adhiberi debent.

Gargariſmi initio anginæ cur ſuſpecti quibuſdam.

Contendunt plerique gargariſmis initio parciùs, aut nullâ ex parte vtendum, agitationem faucium veriti quâ fluxio concitetur, introitus coarctetur exaſperante aſtringentum facultate, reſpiratio difficilior euadat, haud ſecùs atque affecto pulmone vel thorace, quibus lenientia conferunt. Verùm nihil iſtiuſmodi, niſi ſubductâ materiæ copiâ imperandum, atque primum ore ſolùm continendum, aut non vehementi gargarizatu verſandum; quo nomine puluis repellens excogitatus eſt, qui efflatu immittatur.

Puluis.

℞. Spodij, ſantal. omn. ſem. papau. albi, gallæ omphacitidis, boli armeni, an. ʒi. roſar. rubr. ℈ii. glycirr. ℈i. caphuræ gran. ii. puluerentur, & pennâ anſerinâ exſufflentur. Loco ſem. papau. ſemen plantag. aut portulacæ licebit inſerere, quæmadmodum in pituitoſâ, aluminis ʒi. fol. menthæ, granor. myrti, calami arom. & maſtich. an. ʒß. glycirr. ℈i. fiat puluis.

Hæc ſunt quæ oris vlcera, gingiuas, tonſillas, vuæ inflammationes, & faucium ardores gargarizatu reprimunt, & fluxiones cohibent, anginæ initio vſurpanda. Quo tempore ægro quàm optimè proſpicietur, ſi is identidem bechicon nonnihil ore contineat, veluti hypoglottides, aut bechicas pilulas, aut penidia, aut electuarium diatrag. frigidi, aut etiam conuenientiſſimè ſaccharum roſatum; vel in maximo ardore, ſyrupum è papauere, vel diacodion cochlearis menſurâ.

Bechica identidem ore cõtinenda.

Nunc quæ phlegmones incremento aptentur deſcribenda, ſi priùs monuerimus, increſcente malo, ſæpiùs tum cucurbitulas, tum hirudines collo inculcandas, ac interdum etiam mento affigendas, quò laborans, patefacto cibi ſpiritúſque introitu, ab impendente ſuffocatione vindicetur. In id etiam ſpectant apertæ iterum ſub linguâ venæ, quæ incrementum arcent, & tumore obſeptas oris partes expediunt ac liberant. Nec deſunt, qui phœnigmo ceruici admoto præfocantis anginæ vim, grauioráque incrementa inhibeant, quale eſt epithema ex melle anacardino, vbi præſertim malum longiùs prorogatur.

In anginæ incremento cucurbitul. hirudines, ranularum apertio.

Veſicatorium ceruici admotum.

Quum angina incrementum attigerit, eóque iam manifeſtè appulerit, ſuperioribus repellentibus digerentium, detergentiúmque triens coaptetur, qualia habentur glycyrrh. ficûs, vuæ paſſ. dactyli, ſemen althææ, hyſſopus, calament. origan. flos chamæmel. melilot. lac, mel roſat. oxymel, ſpica, crocus, & ſimilia, quæ in ſequentem modum compones.

Gargarismus in augmento repellens, partimque digerens, & detergens.

℞. Folior. plantaginis, ceterac, summitatum myrthi aut vitis an.m.ß. glycyrrh. ℥i. passularum integrarum, p. vi. caricarum pinguium p. iii. rosar. rubr. balaustiorum, an.p. i. fiat decoctio in aquâ hordei, cape ex colaturâ ℔i. in qua dissolue diamoron ℥iij. mellis rosati colati ℥iß. aut in doloris acerbitate, lactis caprini vel asinæ, quod faucium asperitatem lenit, ℥ii. fiat gargarisma. Sensim ergò vt inflammatio progreditur, extollenda pro incrementi ratione, digerentium vis, paulatimque quantitas augenda, dum proximè ad statum aduentante malo, par modus sit omnibus. In quo vbi iam planè constiterit, cæteris digerentia quantitate, viribúsque antecellant.

Proportio digerentium & repellentium vt varianda pro morbi tempore.

Gargarismus in statu digerens ac modicè repellens.

℞. Glycyrrh. mundæ ℥i. passul. mundat. p. x. dactylorum mundat. & caricarum pinguium, an.p. iiij. seminis althææ, & fœnugr. an.ʒii. hordei pugillum i. rosʃ. flor. chamæmel. atque (in erysipelate) violarum, p.ß. fiat decoctio, cuius colaturæ adde diamoron, & mellis rosati colati, an.℥iß. nidi hirundinum siccati, & in puluerem redacti, ʒii. croci ʒß. fiat Gargarismus: cui addita cassiæ semuncia mirum in modum iuuat, ac dolorem demulcet. Dolorem etiam blandè sedat, gutturísque asperitatem lenit, aquâ cui panis albissimi mica incoxerit. Cremor item è pingui tritici furfure, mucilago seminis cydoniorum, althææ, psyllij, hordeatum, lac amygdalarum dulc. eodem modo lac: sed efficacissimè stillatitius althææ liquor, aut è maluar. floribus vaporario stillata aqua, cui laxantis cassiæ sextans adiicitur. Vel hoc modo:

Gargarismi anodyni.

℞. Medull. cassiæ ℥i. decocti rosar. & plantag. ℥iiij. Misce pro gargar. statûs vehementiâ mitescente, ipsáque declinatione præsente, digerentia sola vsurpentur: quibus obiter tantillum roborantis admiscere expedit.

In declinatione sola digerentia.

Gargarismus in declinatione digerens.

℞. Præscriptæ decoctionis ℔i. addendo origani, calamenthi, hyssopi, pulegij. an.m.i.ß. fœnig. ʒß. in colaturâ dissolue pulueris hirundinum, aut nidi hirundinum siccati, & in puluerem redacti, ʒii. piperis, cinnamomi, an. ʒi. croci ℈ii. mellis rosati colati ℥ii. myrrhæ ʒß. fiat gargar. myrrham, vt nimiùm ingratam, parciùs admitto, tametsi alioqui efficax. Idem gargarismus pituitosæ anginæ vigenti

rectè accomodabitur, quam etiam declinantem potentiùs discutiet adiecto pyrethro, zinzibere, sinapi, nitro, spicâ, iride, hunc in modum.

Alius potentius discutiēs, ad anginas spurias declinantes.

℞. Rad. raphan. ℥i. irid. glycyrrh. an. ℥ß. nitri, sem. fœniculi, sinapi; aluminis, spicæ, piperis, an. ʒi. fiat decoctio in aquâ & vino, in colat. dissolue fimi hirundinum ʒii. diamor. ℥iß. oxymel. & syr. de hyss. ana ℥ß. syr. de glycyrr. ℥ii. fiat gargar. qui pituitosas anginas validè resoluit.

In iis autem meminisse oportet, ligneo specillo, bombace obducto, & inuoluto adhærescentem mucum & lentorem faucium transitûs obsidentem sæpiùs esse abstergendum. Ita quippe interceptas vias liberabis, ex quo fauces leuatæ faciliùs & cibum, & spiritum capient.

Porrò ad faucium inflammationem consentanea sunt, non solùm quæ contrariâ temperamenti qualitate ardorem restingunt. Vel quæ materiæ conditione agunt, per quam aut crassâ, terrenáque substantiâ comprimunt, & impellunt, aut partium tenuitate in penitiores corporis recessus adacta, humores digerunt, sed quædam prætereà extant, quæ peculiari dote præcellunt, ac reconditâ proprietate vigent. Anginæ siquidem, hirundinum vstarum cinis, & albi canis stercus triduo ossibus enutriti, proprietate succurrit, cuius vim stercus lupi exæquare credimus; ex quibus sequens puluis componitur in frequentes vsûs asseruandus, vigente potiùs atque inclinante anginâ, quàm augescente.

Specificâ proprietate anginas iuuantia.

Puluis in fauces insufflandus.

℞. Cineris hirund. stercoris eiusdem, & stercoris canis albi triduo solis ossibus enutriti, an. ʒiij. pulueris glycyrrh. ʒij. cinnamomi ʒß. sacchari cand. ʒiß. fiat puluis, cuius ʒi. insuffletur in fauces. Validiùs digeret, si quidem pituitosus est tumor, aucto cinnamomo, adiectâque piperis, myrrhæ, succi cyrenaici, & cubebar. semidragmâ.

Eclegma.

℞. Præscripti pulueris ʒij. penidiorum, pil. sub lingua, ana ℥ß. fiat eclegma, cum syrup. myrtino, circa principia, aut cum syrup. capillor. veneris, aut violaceo, insequentibus temporibus: hoc enim toto morbi progressu opportunum est, cui iam inclinante morbo, vt diximus, cinnamomi ʒi. pup. ℈ij croci ʒß. adiicere iuuat.

Lib. 9. c. 54. de angina.

Rhases faucibus subsequentem puluerem inspirare iubet, qui accipit sinapis, salis ammoniaci, pyrethri, nitri, succi cyrenaici, piperis, menthastri pares portiones: hæc in puluerem detrita, faucibus insufflato, aut cum hydromelite gargarizationis loco porrigito.

Extrinsecùs adhibita, euocantia ac dissipantia anginas.

Interim autem meminisse oportet, vbi pituitosa est angina, procurandum diligentissimè, vt extrinsecùs adhibitis eandem foràs euoce

euocemus, ac dissipemus: Erysipelas enim ad exteriora verti, bonum. Itaque nulli, vel incipiente malo, repellenti medicamento extrinsecùs est locus, ne intrò retrusus humor, inflammationis auctor, in partem principem recurrat, & lethali pernicie respirationis instrumenta obsidens, aëris introitum præcludat. Præstabit igitur quouis morbi tempore anodynis, relaxantibus, ac digerentibus nonnihil conclusæ materiæ resoluere. Initio quidem mitioribus; deinceps verò paulo validioribus, sensim ordinatímque ad vehementiora facto progressu. Ergò in vsum veniant oleum amygdal. dul. liliorum, chamæmel. irinum, Keyrinum, aliáque anodyna. Item axungia gallinæ, anseris, anatis, butyrum recens, œsipus, puluer. irid. crocus, flos chamæmeli, meliloti, cinis hirund. nidus earundem, farina lupinorum, aut fabar. multipedæ, fel testudinis cum melle illitum. Composita autem subnectamus.

Simplicia anodyna, chalastica, ac digerentia, foris admouenda.

Lenissimum.

Litus iuguli.

℞. Olei liliorum, & chamæmel. vel amygdal. dulc. ana ℥ij. misceto, ac iuguli partes illinito, subinde bombax, aut succida lana insternatur.

Mediocre.

℞. Olei irini, vel keirini ℥ii. vnguenti dialthæos, vel resumptiui ℥iiij. croci ℈ij. misceantur, & inungantur collum ac faucium regio.

Vehemens.

℞. Butyri recentis, aut axung. gallinæ ℥ii. mucilaginis seminis lini vel fœnigr. ℥i. pulu. hirund. ℥i. vel nidi hirund. vel columbini ℥iß. Iris ʒiii. croci ʒij. olei lilior. q.s. Misce, vngatur. Validius reddes, si fel testudinis, & piperis semidragmam addideris. Aut:

℞. Cineris hirund. ℥iij. flor. chamæmel. siccor ʒiß. croci, & spicæ nard. ana ʒi. trita excipiantur melle, & linatur gutturis regio.

Postremis iis ac vehementioribus opportunè liceat vti, cùm pituitosa inflammatio est, atque œdematodes angina: tum quippe humor crassus parti tenacissimè impactus, validè extenuari debet: Id quod etiam hunc in modum præstari potest.

Vehementioribus vtendū in anginis pituitosis.

℞. Succi ocymi, ac succi porri, vel cepæ, an. ℥ß. olei lilior. ℥iß. ladani puri, aut succi cyrenaici, (quam assam vocant) aut ammoniaci, dissolue in prædicto oleo, an. ʒiß. nidi hirundinum in vino excocti ℥ß. cineris cochlearum crematarum ʒii. azungiæ gallinæ ℥ß. misceantur.

Emplastra & vnguenta ceruici adhibenda.

Eundem effectum exhibent martiatum, diachylon magnum, emplastrum filij Zachariæ, ceroneum de meliloto, quæ oleis superioribus liquata sint. Lacustres ranæ oleo incoctæ, collóque impositæ anginis auxiliantur. Quemadmodum acu vulneratarum cochlearum succus pinnâ illitus: atque multipedæ, siue onisci ex melle inuncti. Et pisciculorum salitorum capitula concremata, tum indita, tum admota anginas minuunt. Item stercus caninum aridum, contusum, & cum melle perunctum, præstantissimum est remedium, ídque album maximè.

Empirica varia foris admouenda, aut etiam appendenda.

Gal. l. 10. simpl.

Plerique etsi vtiliter, fœdissimè tamen easdem partes, pueri stercore circumliniunt, quod efficacius futurum est, illo antè lupinis enutrito.

Idem lib. 6. simpl. cap. de pœonia.

Mirabili quodam modo anginis & tonsillis opitulari filum lanæ purpurâ marinâ infectæ, quod viperæ collo circundatum, ipsam strangulauerit, deinde laborantis collo suspensum, atque amuleto esse, auctor est Galenus.

Ibidem.

Idem succum cyrenaicum columellam inflammatam peculiari dote iuuare ait, etiam collo appensum.

Cùm angina discutientib. finiri nequit, suppuratio molienda.

Hæc sunt quæ opportunè anginas discutiunt, ac sine sensu euocant, quæ optima quidem est medendi ratio, eadémque semper optanda si morbi natura finit. At si is digeri minimè posse videatur, sique ab aliis remediis desperatio est, tum eius suppuratio procuranda; tametsi in faucium & pectoris affectibus suspecta sit, inprimísque pertimescenda. procurabis autem partim gargarismis, partim admotis medicamentis, & quæ collo circumposita naturæ coctionem accelerant, Primum ergo gargarismi suppurantes proponantur.

Gargarismus suppurans.

℞. Glycyrr. ℥ß. irid. ʒii. summitatum maluarum, m. i. lini & fœnigr. an. ʒiij. passular. mundat. ficuum, dactylor. mundat. num. iiij. flor. chamomill. part. i. fiat decoctio, & in colaturâ dissolue cassiæ ℥i. lactis ℥iß. aut mellis parem modum, si non ita ardoris incendio flagret, fiat gargarismus, quo dum os, faucésque colluentur, extrinsecùs etiam medicamenta quæ puri mouendo sunt, imponi debent, vt celerrimè maturescant, & aperiantur.

Cataplasma.

℞. radic. althææ & liliorum, an. ℥i. cardui benedicti ʒß. decoquantur, contundantur; deinde adde axungiæ porci sine sale, vel butyri recentis ℥i. farinæ seminis lini & fœnigr. an. ʒiij. olei chamomillæ, quart. ß. croci ʒß. incorporentur, siue misceantur, dum in vnum corpus coalescant, ad cataplasmatis formam. Vel:

℞. mas

℞. massæ emplastri diachylonis ℥iiij. liquescat in vnciis duabus olei lilior. vngatur his tantisper vtendum dum materia ad suppurationem spectans eruptionem ostentet. Confecto iam pure, cùm phlegmone non sponte rumpitur, vel medicamentis vel ferro, vt loci natura fert, aperienda est, alioqui serpit sanies, & cuniculos agens, plerunque in pulmones, cor, subiectáque præcordia decumbit. Itaque rumpendus abscessus acriori gargarismo. *Vomicæ apertio.*

Gargarismus abscessum rumpens.

℞. Acori vulgaris ℥i. ficus præpingues, & passas vuas exemptis vinaceis, Numer. x. coquantur & percolentur, deinde in colaturæ ℔i. insperge pulueris nitri, myrrhæ, piperis, an. ʒi. stercoris hirundinum, vel columbini, semen. raphani & sinapis, an. ℈i. mellis despumati ʒii. fiat Gargarismus. Eandem vim præstat radix lilij tusa, cui fermentum adiieceris, hanc panno lineo exprimito, ac inde manantem liquorem lacte suillo diluito, vbi simul aliquantisper efferbuerit ore versentur. *Alius.*

At si medicamentis suppurans tumor disrumpi non possit, hiante ore linguam deprimito, scalpello, aut ligneo cultello acutiore, tumoris eminentiorem partem, si conspicua sit, incidito: tum prono capite sanies repurgabitur. *Chirurgia, ferro.*

Nonnulli vnguibus manifestum faucium tumorem vellicant, ac disrumpunt; alij spongiæ partem instar auellanæ serico filo alligatam ægro deuorandam offerunt, ita in os demissam, atque ampliùs intumescentem vi dein retrahunt, quæ faucium angustias duriùs affricans, phlegmonen rumpit. *Vnguibus. Spõgia frusto.*

Sunt etiam qui idem experiantur frustulo salitæ carnis, quod è filo propendeat, vorato ac violentiùs retracto; aut panis durioris, ac minimè præmansi vorato cibo. Abscessu rupto vlcus manet, idque sordidum, quod sedulò expurgabitur decocto hordei, & melle rosato vnà commixtis, aut hydromelite. Indere etiam leniter digitum quandoque oportet, quo fauces diducantur, specillóque melle largiùs oblito tumorem defricare, aut proximo auxilio vti. *Carnis, aut panis frustulo. Abscessus rupti detersio.*

Gargarismus detergens.

℞. Glycyrrh. & radicum iridis, an. ℥ß. rosar. ʒiii. myrrhæ ʒi. in vino coquantur, & in colaturæ ℔i. dissolue myrrhæ ʒi. succi glycyrr. ʒiß. mellis rosati colati ℥iii. fiat Gargarismus.

Si verò aliqua adhuc restet inflammationis suspicio, ex hordei decocto vtiliùs parabitur, cui tum plantag. agrimon. aut solani folia, tum glycyrrh. & rosæ incoxerint, insuper affuso melle. Sin minùs omnis

Agglutinatio.

ardor planè sit repressus, colluatur os mero, aut œnomelite, in quo aristol. iris, thus, myrrha, aloë, aliáque agglutinantia, aut sarcotica efferbuerint. Deterso pure, quod inibi coïerat vlcus purum remediis exsiccantibus anginæ principio iam coaptatis ad sanitatem perducetur: aut sequens vsurpabitur gargarisma glutinans.

Gargarisma glutinans.

℞. Radic. consol. maior. ℥iß. folior. millefol. bursæ past. saluiæ, syderitid. ana manipul. i. baccarum myrti, gran. rhois, ana ʒiß. summitatum rubi, & fol. pilosellæ, an. part. i. rosar. rubr. & balaust. an. p. ß. fiat decoctio ad ℔i. in colatura dissolue syrup. myrt. ℥iij. fiat gargarismus, quo vtatur frequenter, addendo boli arm. ℥ß. thuris ʒiij. progressu temporis.

Quòd si in exteriorem partem decumbat eruptio, púsque per externa deferatur, huic non aliâ ratione, quàm aliis externis tumoribus, vlceribúsque succurrendum.

Bronchotomia extremũ anginæ suffocantis auxilium.

Vbi morbo cessisse laborantem, ad vltimáque ventum esse constat, quòd introitus omnis sit planè coarctatus, tum aperto transuersim summo asperæ arteriæ orbe quà foràs spectat, atque in hiantem plagam plumbeâ, aut argenteâ inditâ fistulâ, spiritum duxisse interdum profuit. Atque ea primùm Asclepiadis sententia, & experientia fuit, quam paulus sectatur, Aretæus improbat. Sed id nisi desperatis rebus omnibus vix vsquam aggrediendum. Atque tum fortè tentandum, vbi priùs admonueris in difficili rem esse, ne si ars victa malo fuerit iugulásse videaris.

Paul. l.6.c 33. Aret. l.1. de curat.acut. cap.7. Cels.l.5.c.26.

CAPVT II.

De Syncope.

Syncope quid sit. Gal.c.5. l.12. meth. med. Pars affecta, cor.

Syncope est subitus omnium facultatum casus, vt apoplexia animalium. Hoc proprium & idem grauissimum cordis, principísque facultatis symptoma; atque vt nulla febris, ita neque syncope, nisi affecto corde vitæ principio queat proferri. Quamdiu enim vitale robur corporis partes non illustrat, reliquæ quoque facultates omnes pariter intermissionem faciunt. Hanc solet præcedere lipothymia, siue animi defectio, quæ leuior est syncope, interdum tamen causarum magna vis tantâ celeritate caloris substantiam vel extinguit, vel obruit, vt protinus exolutis viribus syncope vera appareat. Huius insultu æger quasi extinctus iacet, cum pulsu obscuro, paruóque eatenùs vt ne percipi quidem possit, pallens faciei color adest, frigidi sudores ex ceruice ac thorace diffluunt; extrema algent, sensuum mentísque functiones intercipiuntur: tandémque vitæ consequitur euersio.

Lipothymia quid sit.

Syncopes signa.

Syncopes caussa.

Huius causa duplex: vna quæ vel sensim, vel repentè caloris, viriúmque substantiam dissoluit, ac dissipat. Altera quæ vel copiâ illam obruit,

vel

vel pernicie extinguit. Facultatum ſubſtantia diſſoluitur,ac imminuitur per dolores, vigilias,labores, inediam , voluptatem maximam , omnésque immoderatas,& repentinas,etiam inutilis recrementi euacuationes. Huc accedunt ardentiſſimæ febres , quæ corpus liquant: Et diuturni morbi, quibus exhauſtæ vires langueſcunt. Harum cauſarum magna vis eſt, ſi tenuis & diſſipabilis ſubſtantia in corpore calido , raro , laxóque concluditur, vt proinde ſuo impetu & ſponte digeratur ac diffluat. Hinc horrenda mortis imago obtenditur , & facies Hippocratica celerrimè apparet. Virium autem ſubſtantia aliàs non ipſa per ſe conſumitur , aut diſſipatur , ſed vel maximâ obſtructione, vel tumore præter naturam,vel rupto abſceſſu , vel inopinato humorum influxu , vel repentino metu, quaſi preſſa & obrupta ſuccumbit. Quinetiam interdum pernicie extinguitur,vt peſtilentis febris malignitate,ſcorpij ictu, vel rabidi canis, aut alterius venenatæ beſtiæ morſu,quo acceptum virus ſpiritûs inficit. Sed & corruptus humor quauis corporis ſede concluſus , vt cohibitum , putreſcénſque ſemen, ſanguinis grumus,lac concretum, computreſcentes lumbrici,quæ mole quidem minima,maximas ſolo contactu alterationes inducunt. Ex iis quippe ſublatus teter vapor in arterias prorepens , aut etiam ventriculi os attingens, cordis arcem expugnat. Omnis denique oris ventriculi,(quod exquiſitiſſimo ſenſu præditum,& magnâ affinitate cordi coniunctum,illi ſua vitia communicat)aut ab ardentiore bile vellicatio,aut vehementior ab acidâ , vitreáque pituitâ perfrictio, ſæpè graues ſyncopas inuexit , quas ex partis conſenſu ſtomachicas dixerunt. Quibus vitale cordis robur,aut naturâ,vt timidis,aut morbo languet,& quibus os ventriculi imbecillum,vel nimioperè ſentiens facilè dolitat,ij ex leuiſſimâ occaſione , vel lipothymiâ, vel ſyncope tentantur, ad internecionis periculum.

Quinam ſyncopæ maximè obnoxij.

Syncope per accid. aliquando fit.

Syncope à cauſa malignâ, aut venenatâ.

Syncope ſtomachica.

Curatio.

Quoniam ſyncope mortis eſt imago, quæ aſtantes perterret,& ægrum in maximum vitæ diſcrimen adducit;cùm primum lipothymia obrepſit, & vires manifeſtè vacillant, quaſi initium patiantur defectionis : tunc in viribus roborandis, confirmandíſque ſtudium collocari debet , antequàm in illam ſyncopen veram præcipitetur æger, à quâ vix inſtauratio fiat. In id enim quod grauiſſimum eſt ſummâ curâ incũbendum, morbo tantiſper omiſſo,omníque ratione recreãdus laborãs,& vires fulciendæ, ac reficiendæ ſunt. Recreandi multæ ſunt rationes. Decumbẽte ægro in maximâ corporis tranquillitate, & æquabili partiũ omniũ ſtatu,os atque faciẽ frigidâ conſpergere,aut etiã roſaceâ perfundere,cui vini tantillum inſit, aut ſantalorũ & caphuræ portio acceſſerit: acetum, vinum,roſam, caphuram,moſchũ, ambram,galliam moſch. aliptam moſchatam, ídque genus aromatica naribus admouère,& fructus odoris ſuauitate fragrãtes circũponere;panẽ aſsũ vino optimo imbutũ tẽporibus & carpis,qua parte micant arteriæ linteolo circunligare; extrema validè fricare, fouere , ac vinculis

ψυχαγωγία, ſeu virium corroboratio, ad præcauendam & curandam ſyncopes acceſſionem.

Faciei aſperſio.

Odoratorum naribus admotio.

Extremorum frictiones.

vinculis constringere. Si ne sic quidem releuetur æger, pili auellantur, aures vellicentur, nares comprimantur; vomitus excitetur, insertis in os vel digitis vel plumis, aut immisso oleo, quandoquidem is impetus stomachi, cordísque tædia discutit, suscitatque robur. Denique sternutamento nonnunquam inducto ac glande inditâ sopitus calor excitatur. Et si quæ in extremis partibus nimium frigent, asperiore linteo perfricentur, aut folio ficulneo, aut pumice, aut osse sepiæ, aut aliis quæ asperitate ruborem trahant. Si necdum calor infertur illis, vsque ad inguina & alas sinapi, vel pyrethrum, vel piper, vel zinziber, interdum etiam thapsiæ, aut euphorbij momentum, aut mel. scill. aut anacardinum imponendum, vel qui ex iis fiunt sinapismi, vel phœnigmi, dum partes recalescant: alioqui desperatio est. Ab iis præstantissimum sit loco non calido ea insternere, quæ iucundum odorem expirant; cúmque dissipatur calor ac exhalat, frigida, vt rosas, violas, nymphæam, mala odoratiora, cucumeres, santala, caphuram, capreolos vitis, rosaceam, acetum, ídque genus alia inspergere. Aut si frigore obsessum cor est, calidis circumfusum aërem immutare, vt vino, moscho, garyophillis, croco, citriis, styrace, benioino, melissophyllo, rosmarino, pulegio, ocymo, ac similibus. Externus huiusmodi apparatus vt plurimùm, sæpiúsque præmitti solet; quem tamen distinctis causis, certiùs instítues. Orta enim ex vteri strangulatu animi defectione, fœtida naribus, odoratiora muliebribus locis imponenda sunt, & crura vincienda, inguinibúsque cucurbit. affigendæ. At in mensibus immoderatè prorumpentibus, aut fluente aluo, superiores artûs plurimùm fricandi sunt, calfaciendi ac ligandi. Vbi autem corpus sudoribus hac & illac diffluit, nihil eorum quæ foràs euocant iuuare potest: quemadmodum neque oppressis viribus quicquam eorum quæ intrò compellunt, vsui esse: sed natiuum calorem sopitum & torpescentem excitare, & diffundere confert. Nec si frigoris immoderatâ vi lipothymia acciderit, faciem frigidâ irrigare, nec solutâ aluo, cutis spiracula constringere, sed laxare, & in hanc ex intimis allicere. Sic etiam vbi ventriculi offensio, imbecillitas, sensúsque eximius in syncopen præcipitat, os ventriculi muniendum corroborantibus calidis, frigidísve pro causæ naturâ. In summâ nunc exiguus vitæ calor foràs erumpens, ac propè dispersus moderato & æquabili frigore colligendus, continendúsque est; nunc vaporum malignitate, aut humorum concursu oppressum cor liberandum, obrutúsque calor suscitandus, & diffundendus est. Neque verò vt reuocatur æger, illi continuò indormiendum, ne aut languidior calor extinguatur, aut obruantur imminuti spiritûs. Idcircò vigilans conquiescat, taceat, omnísque absit tum animi tum corporis contentio. Sic ergo quamprimum recreabitur æger, mox vires instaurentur partim cardiacis, partim boni succi alimentis modicè & sæpiùs offerendis, vt nutriant, non onerent.

Varia sensûs irritamenta.

Extremorum calor languens vt suscitandus.

Aëris cubiculi alteratio in syncopticis.

Pro variis syncopes causis, eligenda hæc aut illa ψυχαγωγικὰ.

Psychagogicon alia intrò pellunt, alia foràs euocant.

Virium instauratio finito paroxysmo, alimentis, & cardiacis.

In alimentorum genere vinum primas tenet; hoc enim quàm celerrimè

rimè benigni ſucci copiam exaggerat, & quoquo verſum ſpirante vapore ſpiritûs, facultatéſque erigit. Proinde non modò diſſolutis, ſed etiam oppreſſis viribus conuenientiſſimum: niſi viſceris cuiuſdam inflammatio, aut maximus capitis dolor, aut ardentiſſima febris cum morbo crudo id vetent, ſuccúmque mali punici conuenientiùs admittant. Vinum enim incommodi plurimum iis adfert. Nihilominùs ſi quando illorum vehementiâ & immanitate vires iam ſunt exolutæ, ac proſtratæ, vino penitus abſtinendum non eſt, ſed tenui & oligophoro, ac benè diluto, progreſſæ imbecillitati occurrendum; alioquin generoſum & meracum detur, cùm febris non reclamat, & aromatites, & id cui moſchi grana duo triáve ſunt iniecta; aut id in quo vel auri, vel argenti candens lamina ſæpiùs extincta ſit, quod diffluentem ſubſtantiam cohibet. Itaque panis optimi momentum vino intinctum mox conferetur, ſuperaſperſo interdum ducis puluere. Quinetiam ſi languidæ vires non oppreſſæ fuerint, iure carnium reficiantur, atque earum expreſſo ſucco; recentiſſimorum ouorum luteis ſorbilibus, teſticulis gallinaceorum nondum coëuntium, deſtillatis, & inſtaurantibus, qualia deinceps proponemus. Nunc cardiacorum medicamentorum vim exequamur.

Vini eximiæ vires in ſyncopticis recreandis.

Alimenta varia analeptica ſyncopticis exhibenda.

Cardiaca ſunt quæcunque vitalem cordis vim roborant, omnémque illius offenſionem depellunt, temperie natiui caloris, inſitíque ſpiritûs, vel ſeruatâ, vel reſtitutâ. Horum enim alia quidquid vel qualitatum exuperantiâ, vel latente, ac venenatâ pernicie cordi eſt infenſum, immutant, obterunt, & exterminant; alia ſpiritûs vel nimioperè diffluentes conſeruant, & à diſſipatione tutantur, vel oppreſſos, torpeſcentéſque excitant, & erigunt. Quæ omnia cordi robur conferre dicimus, & in vnoquoque genere alia frigida, alia calida ſunt. In frigidis notantur violæ, roſæ, oxalidis tum folia, tum ſemen, bugloſſum vtrumque temperatis proximum, mali citrei ſuccus atque punici, limonum, arancij, & pomorum redolentium; quibus omnibus feruentior ſpiritus miteſcit, & peſtilentis febris pernicies arcetur: vnde caloris intemperie repreſsâ, vires erigi contingit. Quinetiam è frigidorum ordine alia ſunt, quæ euidentiùs cordi robur addunt, & ſpiritus intrò colligunt, caloríſque ſubſtantiam ſiccitate coërcent, vt cornu vnicornis, os è corde cerui, cornu ceruinum, ebur, ſpodium, corallium, electrum, margaritæ, quæ ſpiritûs colluſtrant, purioréſque reddunt, & ſapphirus, item ſmaragdus, hyacinthus, carbunculus, quem rubinum appellant, terra lemnia, bolus armen. quæ omnia non ſolùm exſiccando ac refrigerando ſpiritûs cohibent, ſed etiam leui aſtrictione confirmant, & totius ſubſtantiæ proprietate, venenorum vires extingunt. Huc quoque accedit caphura, celerrimum eorum vehiculum, & ſantala tum hepaticis, tum cardiacis aptiſſima: atque auri & argenti folia, quodam amico ſplendore naturæ iucundiſſima.

Cardiaca medicamenta quæ ſint.

Cardiaca frigida, eáque ſimplicia.

Calida autem cardiaca ſunt coccos baphica, meliſſophyllon, doronicum, dictamni radix, betonica quæ tunicis herba dicitur, tormentilla temperato calore prædita, imperatoria, gentiana, angelica, zedoaria, carduus

Cardiaca ſimplicia calida.

duus benedictus, ſcabioſa, pimpinella, ocymi odoratioris ſemen, ſpica nardi, cyperus. Quæ tum maximè conſentanea ſunt, cùm crudorum humorum vi caloris, & ſpiritûs ſubſtantia refrigeſcit, & infringitur: quæ eadem veneni labem diſcutiunt. Sed manifeſtiſſimè corroborant, atque ſimul aromaticâ vi oppreſſum calorem excitant & ſpiritûs halitu fouent, quæ nunc ſequuntur. Cortex citri, cinnamomum, nux moſchata, macis, amomum, caryophylli, crocus, ſericum crudum, atque id etiam quod cocco legitimè ſit infectum: agallochum (ſi quidem verum habeatur) moſchus, ambra, & quæcunque odoris ſuauitate ſpiritûs reficiunt. In purgantibus autem rhabarb. agaricus, lapis cyanæus, armenus, myrobalani, ſuccus roſarum, fumaria, lupulus, & quidquid ſanguinem melancholicum ferè repurgat, atrúmque vaporem à ſpiritu dirimit. Hæc ſimplicia cardiacas affectiones, ac ſyncopas excutiunt, cor exhilarant & firmant, illuſtrántque ſpiritus alienâ vaporum permiſtione inquinatos. Ex his autem paratæ compoſitiones aſſeruantur frigidæ, vt ſyrup. violar. nymphææ, oxalidis, limonum, acetoſitatis citri, è pomis redolentibus, è bugloſſo, qui temperatiſſimus eſt. Conſeru. violar. nymph. acetoſæ, roſarum, radicis bugloſſi, flor. borraginis, diamarg. frigidum, trochiſci è caphurâ.

Aromatica.

Cardiaca purgantia.

Compoſit. cardiaca frigida.

Compoſit. cardiaca calida.

Calidæ, ſyrup. capill. veneris, ſyrup. ſcolopendriæ, ſyrup. conſeru. myrobalan. corticum citri, & quæ ex iis fiunt conſeruæ, maximè flor. citranguli, cortex citri ſaccharo conditus, myrobal. Kebuli, & emblici ſacchar. conditi, & nux myriſtca condita, nobiliſſima confectio alkermes, quâ parciùs vtendum, vbi cita eſt aluus, diacameron, electuarium lætificans deſcriptione Rhaſis, vel Meſuæi, puluis lætitiæ, puluis è gemmis, confectio ex hyacyntho Auicennæ, diamoſchum, diambra, quæ duo cerebrum luculenter roborant. Sed & diarhod. & aromaticum roſatum, quæ veriùs ſtomachicam ſyncopen tollunt. Atque ſi aliqua peſtilentis malignitatis ſuſpicio ineſt pulucr. elect. de bolo, bezeardicus: denique vniuerſalia illa antidota, theriaca & mithridat.

Compoſit. cardiaca magiſtrales.

Porrò ex iis, illíſque non erit difficile in rem præſentem quamplurimas remediorum formas cardiacis ſalutares expromere; vt potiones, electuaria, pulueres, condîta, opiatas: & in admotis ſacculos, atque epithemata, omnia, inquam, efficientibus lipothymiæ cauſis propriè accommodata. Ita autem in compoſitionem debent conferri, vt frigidis cordis affectibus, vnde animi defectio obrepit, cardiaca calida præſcribantur; quibus interim refrigetantium nonnihil ſit annexum; ne tum cordis, tum medicamentorum vis calore fuſa præproperè diſſipetur, & exoleſcat. Sic etiam calidis cauſis frigida opponantur cardiaca, calefaciente quodam temperata, vt huius permiſtione in partem longinquam deduci queant; eáque calidorum perexiguâ adiectione igneus cordis vigor communiri poſſit. In vniuerſum tutior eſt calidorum quàm frigidorum vſus: ſed in omnibus modus quidam

dam esto. Interim ergò cùm externo apparatu suscitatur æger, cardiaca nunc frigida, nunc calida pro rei necessitate imperentur. Horum alia assumuntur, alia admouentur. Atque ex assumptis, potionis forma expeditissima est.

Cardiaca vel interna, vel externa.

Potio cardiaca refrigerans.

Interna refrigerantia.

℞. Pul.diamarg frig.ʒi.pulu.diarhod.abbatis ʒß. syr.de pomis redolentibus,vel viol.℥i.aquarum buglossi & acetosæ,an.℥iß.misce Aut:

℞. Confect.alkermes ℈i.pul.diamarg frigidi ℈ii.pulu.triasant.ʒß. syr.de limonib.vel de acetositate citri ℥i.aquæ borraginis,& endiuiæ vel rosarum,vel violar.an.quartar.ß.misce.

Potio cardiaca calfaciens.

℞. Pulu. electuarij diambræ, & diacameron,an.ʒß.pulu.electuar.de gemmis,& pulu.exhilarantis,ana ℈i.syrupi de buglosso ℥i.aquarum scabiosæ, & borraginis, an. ℥iß. misce. Aut:

℞. Confect alkermes:vel si lienteria vires eneruat,confect.de hyacintho ℈ii.pulu.diamoschi dulcis ℈i.pulueris lætificantis, aut si stomachica sit,aromatici rosati ℈ß.syrup.cons.corticum citri ℥i.aquæ buglossi q.s. misce, fiat potio. In iis igitur componendis, affectuum quibus syncope implicatur ratio habenda,num immoderata euacuatio,an pectoris oppressio insit. Illic namque parciùs confectione alkermes vti oportet, in cuius vicem confectio ex hyacintho, aut diacameron opportunè substituetur.Hîc verò contrà,vbi non ita tutò astringentes pulueres, & exsiccantes præscribas,nisi diatragacanthi,aut alterius mistione leniantur. Eadem obseruatio arctè,accuratéque in syrupis & aquis tenenda. Fluxui enim quæ leniunt, pectori quæ astringunt, & acida minùs idonea sunt; eáque ratione nunc hæc,nunc illa sunt inserenda:quemadmodum si malignâ pestis qualitate cor obteritur,admiscenda quædam erunt,quæ pestilentium morborum virus foràs excludere possunt.

Affectuum quibus syncope complicatur, habenda ratio.

Potio cardiaca pesti obsistens.

℞.Theriacæ electæ ʒi.pulu.elect.è bolo,vel bezeard.ʒß.pulu.diamarg. frigid.℈ß.syr.de acetositate citri ℥i.aquæ scabiosæ, q.s. misce,fiat potio.

Per hæc si consequi potuimus vt vires aliquantulùm reuocentur, & quasi reuiuiscant;eas pleniùs firmare oportebit electuariis, pulueribus, conditis, quæ nunc percurrenda sunt.

Puluis.

℞. Marg.electar.rasuræ eboris,cornu cerui,ana ʒß.semin.acetosæ.co-

rallij rubri,& ſem. citri minutiſſimè conciſi, ana ℈i. cinnamomi ℈ß. fiat puluis, detur ʒß. aut ℈ii. ex aquâ bugloſſi, aut acetoſæ; vel totus ſaccharo aquâ roſar. diſſoluto exceptus in electuarium conformetur: cuius vice diamargar. eſſe poteſt, aut quod ſequitur efficaciſſimum.

Electuarium Cardiacum temperatum melancholiæ aptum.

℞. Conſeruæ radicis bugloſſi, & violarum, ana ℥i. conſeru flor. borraginis, & acetoſæ, vel nymphææ, ana ℥ß. ſantal. omnium, ſem. acetoſæ, corallij rubri, & fragmentorum lapidum pretioſorum, ana ℈i. pulu. diamarg. frigid. ʒß. foliola auri exiliter conciſa, num. vi. ſacch. ſolidi q. ſ. fiat condîtum auro coopertum. Aut cum ſyrupo violarum, vel de pomis redolentibus, reducantur in formam opiatæ. Detur inſtar caſtaneæ, ſuperbibendo parum aquæ bugloſſi & acetoſæ.

Opiata.

℞. Succi pomorum odoratorum, ſucci bugloſſ. ana ℥i. aquæ roſar. ℥ii. pulu. granor. tinctor. ʒi. ſacchar. albiſſimi quart. i. tantiſper coquantur, dum lentorem contrahant; deinde ſequentem puluerem inſpergito, qui accipit ſantal. omnium, ʒi. fragmentorum lapidum pretioſorum, & margarit. ſplendidarum, ana ʒß. oſſis è corde cerui, num. i. ſem. citri mund. ſemin. portul. acetoſæ, & raſuræ eboris, ana ℈i. ſerici crudi minutim inciſi ℈ß. croci gran. iii. ambræ gran. ii. foliorum auri minutatim conciſorum num. vi. miſceantur, fiat in modum opiatæ. His licebit addere, dum ſoluta aluus, aut ſanguis immodicè erumpens ſyncopen infert, vel ſuccinum, vel corall. vel cornu ceruinum, vel lemnium ſigillum, vel bolum armen. ſapphiri, & ſmaragdi fragmenta, ſpodium. Hæc in refrigerantibus, nunc calida perſtringamus.

Puluis cor corroborans, & calorem ſopitum ſuſcitans.

Interna calefacientia.

℞. Caryophyl. cinnamomi interioris, macis, corticis citri ſicci, ana ʒß. cubebar. cardamom. doronici, grani tinctorij, zedoar. & folior. meliſſæ, ana ℈i. ligni aloës (ſi non deſit) margar. ſplendidar. raſuræ eboris, ana ℈ß. croci gran. vi. ambræ, gran. iii. fiat puluis. Detur ſemidragmæ pondere, vino aromatico dilutus: qui ſi minùs gratus ſit, ſacchari vnciis duabus condîri poteſt.

Opiata

Opiata calfaciens.

℞. Confectionis alkermes ʒii. conseru. radicis buglosſ. & conseru. rosar. ana ℥iß. corticis citri saccharo conditi, & carnium myrobal. emblicar. saccharo conditarum, ana ʒiii. pulueris electuarij de gemmis & lætificantis, descriptione Mesuéi, ana ℈ii. puluer. diarhod. abbat. & diamosch. dulcis, ana ʒß. cinnamomi ℈i. cum syrupo conseru. corticum citri, reducantur in opiatæ formam. Vel confectionis alkermes ℥i. pulueris diamarg. frigidi, & electuarij de gemmis, ana ʒi. misce, detur magnitudine auellanæ maioris.

Electuarium.

℞. Pulu. diamoschi dulc. vel diambræ ʒi. margarit. electar. doronici, cinnamom. interioris, macis, ana ʒß. santali muscatellini, semin. ocymi, folior. meliſſophylli, ana ℈i. flor. buglosſi, & ligni aloës (si verum habeatur) ana ℈ß. corticis citri saccharo conditi, & conseruæ florum borraginis, ana ʒiß. sacchari albi aquâ meliſſæ vel scabiosæ dissoluti, q.s. fiat electarium in tessellas quadrangulas pondere ʒiii. Conditum eâdem arte parari potest, sumptâ conseruâ rorismarini, radicis buglosſi, capill. veneris, ad singulor. ℥i. & pulueribus minùs ingratis sesquidragmæ pondo, adiectáque sacchari quantitate idoneâ.

Conditum.

Destillatis quoque instaurantibus, cùm vires omnino labant, expeditiſſimè recreantur ac reficiuntur.

Destillatio instaurans in affectu calido.

℞. Conseru. rosar. radicis buglosſi, nymphææ & violar. ana ℥i. pulu. diamarg. frig. ʒiß. pulu. triasant. ʒiß. acetosæ, portulacæ & endiuiæ, ana ʒß. pulpam capi pelle & adipe detractis minutatim diſſectam, & aquâ acetosæ ablutam, omnia miſceantur, adiectâ ſucci pomorum redolentium, & aquæ rosarum sescunciâ. In duplici vase destillentur, vt artis est; huiúsque liquoris duo cochlearia propinentur.

Destillatio Cardiaca, frigidis affectibus destinata.

℞. Pulpam capi exempto adipe & pelle, quæ exiliter incidatur, & vino albo (aut etiam si frigidior est affectus) maluatico abluatur, deinde adde conseruæ flor. rorismarin. borragin. & capill. veneris, ana ℥i. corticis citri saccharo conditi & minutim incisi ʒvi. pulu. elect. diambræ, & diamoschi dulc. ana ʒi. folior. auri, num. x. misceantur omnia diligenter, affusâ aquæ borraginis & meliſſæ, ana ℥i. &

in duplici vase inclusa destillentur. Iis vires quàm celerrimè erigun-tur: quorum si desit facultas, insperguntur cardiaci pulueres, aut formulæ hac formâ paratæ.

℞. Puluer. diamarg. frigid. ʒiß. acetosæ & portulacæ, ana ʒii. corallij rubri ℈ii. puluer. electuarij de gemmis ℈i. misceantur in puluerem redacta, & serico rubro, aut panno lineo inuoluta; formentur in globulos instar auellanæ; immergatur vnus iusculis. Eædem affectibus frigidioribus accommodari poterunt addito cinnamomo, maci, pipere longo, & croci exiguâ portione. Neque alienum est, si vires aliquantulùm releuentur in aluum iniicere capi ius, aut ptisanæ cremorem, cui tum mellis, tum sacchari vis insit, atque vitelli ouorum recentium accesserint, siquidem id quoque vires tuetur.

Clysteres nutrientes. Cels. l. 3. c 19.

Admota.

Externa cardiaca.

Vltimum iam restat auxilium in iis quæ extrinsecùs admouentur, qualia sunt epithemata & sacculi. Illa ex aquis stillatitiis, & pulueribus comparantur, eâ mensurâ vt libræ vni liquorum permisceantur ʒiii. puluerum, quibus vt artiùs penetrent, acetum, aut vinum album adiicitur. Nunc exempla subnectamus.

Epithema cardiacum, cordis æstum restinguens.

℞. Rosar. rubr. flor. trium communium & florum œnanthæ, ana p. i. puluer. diamarg. frigid. ℈iiii. santal. omnium, semin. acetosæ & portulacæ, ana ʒi. granor. tinctor. & folior. melissophylli siccorum, ana ʒß. trochisc. è caphura ℈i. aquarum oxalidis, rosar. & nymphææ; vel vt parciùs refrigeres, buglossi, ana ℥v. aceti, vini albi, ana ℥iß. misceantur simul, & panni cocco baphico tincti, liquore illo imbuti, expressíque cordis regioni tepidè admoueantur. Nonnunquam pulueres sacculis includuntur, qui tepentibus aquis immersi, parti superimponuntur. Sunt tamen epithemata sacculis aptiora, vbi affectio calida est.

Epithema calfaciens.

℞. Aquar. melissophylli, buglossi, scabiosæ, ana ℥iiii. aquæ cardui benedicti ℥ii. vini albi generosi, vel maluatici ℥iii. caryophyll. corticis citri sicci, zedoariæ, semin. ocymi, ana ʒi. folior. melissæ siccor, & gran. tinctor. ana ℈ii. croci ℈i. puluer. elect. de gemmis, & lætificantes, ana ʒß. ambræ gran. iiii. misce, & fiat epithema cordi imponendum. Præstantior tamen sacculus videri potest, cuius adhæsu cor concalescat, ipsiúsque robur suscitetur. Cardia-

corum

corum materia ſicca teritur ad ℥i. aut ſeſcunciam, carptóque bombace excepta, ac ſerico, vel linteolo raro inuoluta tranſmittitur in ſacculi explanati formam.

Sacculus corroborans & calfaciens.

℞. Puluer. diamarg. calidi, vel lætitiæ Galeni, ana ℈iiii. radic. cyperi, calami odorati, galangæ craſſæ, radic. dictamni, folior. meliſſophyl. ſiccor. & ſemin. ocymi odorati, ana ʒi. grani tinctorij, garyophyll. corticis citri ſicci, macis & cinnamomi, ana ℈ii. puluer. electuar. de gemmis ʒß. croci & galliæ moſchatæ, ana ℈i. flor. ſtæchad. roriſmarin. ana p. i. roſar. rubr. & flor. bugloſſi, ana p. ß. puluerentur, & ſerico rubro excipiantur, interiectoque bombace fiat ſacculus tranſſutus figurâ rotundâ, qui vapore vini aromatici perfuſus admoueatur regioni cordis.

Quin & gallinacei pulli aut columbini per medium diſſecti, ac proprio calore tepentes cordi identidem ſuperimponuntur, præſertim ſi cardiaco puluere reſperſeris. *Pulli gallinacei cordi admouendi.*

Poſſunt quoque ſuffitus & odoramenta imperari ad ſpiritûs reficiendos, quòd inſpiratione hauſti vnà cum aëre odores, cor lætitiâ & hilaritate perfundant.

Parantur ex materia cuique cordis intemperantiæ idoneâ, ídque modò pulueris, modò trochiſci formâ.

Suffitus Cardiacus.

℞. Styracis, benjoini, maſtich. ana ℥ß. calami odorati, caryophyl. nucis moſch. an. ʒii. folior. meliſſæ & ſampſuchi ſiccor. ana ʒii. flor. ſtæch. roriſmar. & roſar. rubr. an. ʒiß. ambræ & moſchi (ſi ditior ſit) ana ℈ß. in puluerem redacta excipiantur aquâ roſar. vel aquâ naphæ, factâ infuſione gummi tragacanthi, & fiant trochiſci prunis candentibus imponendi, pro ſuffitu. In eoſdem vſus poma odorata circunferri ſolent, parata ex garyophyllis, maſtiche, aridâ iride, calamo aromatico, ſed præcipuè ambrâ, moſcho, zibeto, omnibus ladano exceptis, affuſâ ſubinde florum citrei mali aquâ, aut roſarum. Ita vires halitu odorato reficientur, maximè ſi frigida cauſa eſt. *Poma odorata.*

Et hæc quidem ſunt præcipua auxiliorum genera, quibus lipothymia confeſtim excutiatur, & ſyncope inſiliens arceatur; ne imbecillitas progreſſa, vel mortem inferat, vel iacturam, quæ nullo modo reſarciri poſſit. Quòd ſi iis vires recreari, ac refici contingat, tum idonea afferetur cuiuſque antecedentis affectûs curatio, ne ad eandem imbecillitatem æger citò recidat, etiamſi nunc in tuto eſſe videatur. Cùm igitur totum corpus ſudore digeritur, curatio prima eſt ſudorem prohibere. Id præſtat acerbum oleum, vel roſaceum, vel melinum, aut myrteum, quorum *Sudor immodicus quomodo reprimendus. Celſ. l. 3. c. 19.*

quorum aliquo corpus leuiter perungendum, ceratúmque ex aliquo horum tum imponendum eſt, aut oui candidum roſaceæ aquæ commiſtum. Si ſudor vincit, ad ea recurrendum, quæ in febrium ſymptomatis ſudorem reprimere diximus. Super hæc verò, quominùs corpus inſudet, leui veſte debet eſſe contectum, loco non calido, feneſtris patentibus, ſic vt perflatus aëris quoque aliquis accedat. Quòd ſi immoderatus alui fluxus, aut vomitus ſyncopen minatur, ſummâ curâ profluuium coërcebitur, remediis ſuo loco expoſitis: quemadmodum in ſyncope ſtomachicâ, ventriculi præcipua eſt habenda ratio, per illa quæ os ipſius muniunt, ſuo cuique intemperantiæ, & humorum impuritati obiecto contrario. Si concretus ſanguinis grumus; hic diſſoluendus oxymelite, aut ea potione quam in hæmoptoicis diximus, maximè ſi vel in pectore, vel in ventriculo, vel inteſtinis computreſcat. At ſi in veſicâ retentus, vrinam ſupprimit; comminuetur iniectione attenuante, in iſchuriâ expoſita. Si à concreto computreſcentéque lacte; quæ id diſſoluant, imperanda. Quæ à venenatorum demorſu, aut venenatâ potione inuritur, protinus alexiteriis, quæ veteres ſingulis aptârunt, veneni pernicies extingui, ac retundi debet. Sed fruſtrà ſuccurritur obſeſſis iam viſceribus. Sic impendentem ex cordis palpitatione ſyncopen auertes, efficiente palpitationis causâ, vt ſequitur, ſummotâ.

Alui fluxus & vomitus vt coërcendus. *Syncopes ſtomachicæ cu ratio.* *Syncopes à ſanguinis grumo curatio.* *A lacte corrupto.* *A veneno.* *A cordis palmo.*

CAPVT III.

De Cordis Palpitatione.

Palpitatio omnes eas partes exercet, quæ ſubſtantiam minùs ſolidam nactæ, intimis ſpatiis, flatulento ſpiritu concluſo diſtendi, ac ſummitti poſſunt. Itaque motus quidam eſt deprauatus, totus morboſæ cauſæ vi concitatus, nihil ad ipſius effectionem conferente naturâ. Non ſic autem cordis palpitatio. Hæc enim violenta eſt concuſſio, quâ cor vehementiùs pulſans, rei aduerſæ iniuriam expellere contendit, haud ſecùs quàm cerebrum in epilepſia. Interdum enim cor offenſionis vehementiâ laceſſitum, ab omni functione prorsùs vacat, vt in ſyncope. Interdum ſeipſum immoderatè concutiens & palpitans, adnititur offenſionem auertere. Excitatur autem, corde aliàs humorum copiâ grauato, vel pondere preſſo; aliàs acrimoniâ aut venenatâ qualitate violentiù laceſſito, vt peſtilentis febris malignitate. In vniuerſum, palpitationis cauſa eſt aliena ſubſtantia cordi infenſa, cuius expulſionem molitur. Particulatim autem cor premunt, ác degrauant ſanguinis exuperantia repentino concurſu id ferè obruens; humor aquoſus pericardio ſupra modum incluſus, & cor circunſidens, quod ſæpè in puellis cachexiâ ſqualidis & pallore fœdatis animaduerſum eſt. Craſſus flatulentúſque

Palpitatio in genere quid. *Palpitatio cordis quid.* *Cauſæ palpitationis cordis, tam generales quàm particulares, & quidem internæ.*

lentúſque ſpiritus capſulâ circunſeptus, quo melancholici abundant. Hydatides puſtulæ, quibus ſæpè inuolucrum hoc ſcatere deprehenſum eſt. Tumor præter naturam, id quod rariſſimum, vt & lapilli, tuberculum læuibus pulmonum arteriis cordi vicinis adnatum, aut alia quæuis obſtruens cauſa, tam altè penetrans, vt cordis vias coarctet, per quas ſpiritus euadit; quod ingraueſcente aſthmate frequentiſſimum eſt. At multò frequentiùs ſubiectorum viſcerum, maximéque lienis & hepatis conſenſu fit; in quibus retorrida bilis, aut melancholia diu, vt in hypochondriacis, ictericis & lienoſis coërcita, atrum de ſe vaporem, aut exuſtam fuliginem in cordis arcem ex interuallis emittit. Quandiu enim cauſa conquieſcit, rarò cor exagitat. Cùm verò impetu commouetur, id variè impellit, affligítque. Hac enim inſiliente, cor mœrore obſtringitur, concutitur, & inopinato terrore perculſum pugnat, certátque in ea quæ moleſta ſunt, donec offenſio remiſerit. Et hæ quidem interiores cauſæ ſunt; Externæ verò quæ acceſſionem cient, ſunt immoderati omnes corporis motûs, animíque perturbationes, & quæcunque humores violentiùs exagitant, ac ſpiritûs conturbant. Ab iis ergò cauſis neceſſitate quadam ſtimulata incitatáque cordis facultas, quidquid præter naturam eſt ſibi infenſum, magno laborantis metu excutere nititur.

Cauſſæ externa.

Cauſam ſi in corde reſideat, aut non facilè deprehendes, aut ſeriùs quàm mederi poſſis. Nam cordis affectûs præter intemperiem, incipientes quidem nôſſe difficillimum, firmatos verò facile; ſed qui tum vel mortem inferant, vel iacturam, quæ omnem curationem aſpernetur. Tuberculum altâ inſpiratione detegitur, percepto in pectore offendiculo, & quadã reſpirandi anguſtiâ, pulſu inæquali intermittente & interciſo, cui palpitatio ſuccedit. At flatulentam & aquoſam materiam cor obſidétem, & ex ſanguinis copiâ, aut melancholiæ caligine, aut exuſtæ bilis ardore illatam palpitationem non erit difficile intelligere ex propriis cuiuſque redundantis humoris indiciis, & antecedente victu. At quæ ſanguinea, nullâ prægreſsâ corporis inæqualitate, aut neutro ſtatu, tota repentè præhendit. Ita minimè obſcurum eſt, eam quæ hypochondriorum ſympathiâ concitatur, diſcernere, quòd ſigna oſtendat affectæ eius partis quæ mali fomitem continet, vt lienis, iecinoris, vteri.

Dignotio cauſarum palpitationis cordis.

Signa tuberculi in læuib. pulmonis arteriis.

Signa flatûs aut humorum palpitationem inferentium.

Signa ſympathiæ hypochõdriorum.

Curatio.

Cordis palpitatio aliquandiu perſeuerans non ſolùm animi defectionem, ſed etiam ſyncopen accerſit, oppreſſo iam corde, neque facilè cùm inueterauerit euincitur. Cùm igitur aſſiduo cauſarum incremento, vel repentina mors impendeat, vel firmata affectio inexpugnabilis euadat, ingis cura adhiberi debet, quæ primùm cauſas excindat illius effectrices; deinde cor firmet, vt irruenti iniuriæ magis obſiſtat, minúſque offendatur. In his duobus tota vis eſt curationis. Quamobrem vt certior inſtituatur medendi ratio, animaduertere primùm oportet quid ſit in quo labo

Prognoſis.

Scopi duo curationis palpitationis cordis.

laboretur,& causam eius attendere. Causæ aliæ curatu summouentur,aliæ omnem medendi rationem respuunt. Nam neque pulmonis tuberculum cordi vicinum (nisi fortè asthmatis remediis quippiam tentes) neque tumores cor obsidentes,neque lapilli illic concreti, nec facilè hydatides pustulæ remediis abigi possunt. In iis igitur vix vllum curationis genus tentandum. Quæ porrò curationem admittunt,aliæ sanguinis missione, aliæ medicamento potiùs cacochymiæ accommodato sanantur. Vtræque alterantibus cardiacis calidis frigidísve, quibus humores intemperati, tum substantiæ,tum qualitatum mediocritatem assequantur. Primũ ergò vehementes cordis palpitationes, quas sanguinis copia aut feruor excitauerit,venæsectio intermissionis tempore instituta commodè arcet: præsertim sectâ axilari sinistrâ, aut malleoli venâ, si mensium suppressio naturæ pondus est. Ea verò palpitatio, quam retorridæ bilis vsta fuligo,ac æstuans vapor in cordis sedem sublatus profert,venæ sectione etiam,sed perexiguâ iuuari solet, quæ tantùm refrigeret, & vapori calido exitum patefaciat; vnde reseratis spiraculis insitus spiritus liberaliùs ventiletur. Quinimò omnes cordis affectûs calidi, spiritúsque pleni venæ sectionem ex loci naturâ facilè ferunt, eáque remitti solent. Adhibenda tamen est purgatio,quæ,vt proprium remedium,bilem sinceram seorsum detrahat,illius acrimoniâ priùs repressâ, atque refrigerantibus syrupis edomitâ: Ita quippe eius perturbatione sedatâ, facilior in aluum deductio futura est. Huiusmodi sunt syrupus violatus, è pomis,è nymphæa,è limonibus,syrupus oxalidis,punici mali,rosatus simplex,de ribes,de berberis; quibus accedit syrupus endiuiæ,qui hepar tanquã mali seminarium respicit. Iis ergò accedente aquarum,violarum,rosarum,cichorij,nymph. oxalidis,lupuli,vtriusque buglossi,quantitate duplâ, bilis acrimonia atque subsultus retunditur. Compositionis hoc sit exemplum.

Causæ palpitationis cordis aliæ curabiles, aliæ incurabiles.

Palpitationis cordis à sanguinis copiâ aut feruore profectæ curatio.

Ab atrâ bile ortæ curatio. Phlebotome.

Catharsis. Bilis præparatio.

Syrupus bilem frænans.

℞. Syrupi rosati simplicis, & de limonibus, an. ℥ij. syrup. violati, vel de pomis redolentibus, ℥iß. aquarum oxalidis,endiuiæ & buglossi, an. ℥iiij. Misce, fiat syrupus, aromatisatus cum ʒi. pulueris diamarg. frigidi.

Syrupus hic pro iulepo sumitur.

Alius.

℞. Radicis gramin. & asparagi, an. ℥i. (bilis enim tametsi feruida, sæpiùs tamen in hoc affectu tenax & crassa est,velut in proprio folliculo) oxalidis cum toto,vtriusque cichorij,vtriusque buglossi cum radicibus, rostri porcini,summitatum lupuli,agrimoniæ,hepaticæ, adianti, an.m.i. pomorum redolentium frustulatim dissectorum,N. ij. prunor. dulc. p. xij. tamarind. elector. ℥i. seminum quatuor frigid. an. ʒii. sem. acetosæ & endiuiæ an. ʒi. anisi ʒß. florum trium communium & nenupharis, an. p. i. decoquantur, & in colaturæ ℔iß. dissolue sacch. q. s. succi pomorum, & succi rosarum, si tum suppetat, aut si qua fortè malignitatis sit suspicio, succi limonum aut mali punici, an. ℥iij. fiat syrupus mediæ deco-

ctionis,

ctionis, clarificatus, & aromatisatus cum ℈iiij. pulu. triasant. in quatuor doses.

Potio bilem purgans.

℞. Rhabarb. electi ʒiß. cinnamomi interior. gr. viij. infundantur, in ℥iiij. aquæ endiuiæ, (vel in decocto prunorum, tamarind. myrobal. citrinarum, viol. & florum borraginis) deinde expresso liquori adde elect. de succo rosar. ℈iiij. syrupi rosati laxatiui ℥ii. fiat potio: aut si infirmior sit cordis vis, electarij vice subnectatur mannæ ℥i. aut cassiæ semuncia. Catharticorum enim aliena qualitas cor infringit & debilitat. Quamobrem affecto corde, neque vniuersim sed partitè; neque venenatis pharmacis purgatio institui debet. Quumque malignitatis particeps est medicamentum, sacchari, aromatis, aut rei cuiuspiam suauioris permistione condiendum, & cardiacorum portione moderandum erit. Quinetiam posthac præstantissimum fuerit cordis vim plenius firmare cardiacis assumptis, & admotis, refrigerantibus, amplissimè in syncope comprehensis, necnon hepatis intemperiem calidam remittere topicis in id idoneis.

Affecto corde epicrasticè solùm purgandum.

Post epicrasin, cardiaca nonnulla sunt vsurpanda.

At si melancholici humoris ater vapor è liene per arterias in cor ascendens palpitationem incutit, (quod frequentissimum) non venæ sectione, sed tum syrupis & decoctis humectantibus, modicè attenuantibus, lenientibúsque tum medicamentis purgantibus humori aptis curatur. Huiusmodi plurima cuiusque generis medicamenta in melancholicis, ac sine febre desipientibus curandis sigillatim recensuimus. Exemplo tamen apposito res euadet illustrior. Primùm clyster illic descriptus iniiciatur, à quo sequentia imperentur.

Palpitatio ab atris vaporibus, curatur humectãtibus & melanagogis.

Syrupus melancholiam præparans.

℞. Syrupi violarum, & de buglosso, an. ℥ii. syrup. capill. vener. ℥iß. aquarum fumariæ, lupuli, & borrag. vel melissoph. an. ℥iiij. pulu. diamarg. frigid. & elect. de gemmis, an. ʒß. fiat syrupus clarificatus per triduum partiendus.

℞. Radic. rusci, asparagi, graminis infusorum in vino albo, an. ℥i. corticis mediani tamaricis, & radicis capparis eodem modo temperatorum, an. ʒvi. corticis citri sicci ℥ß. buglossi cum radicibus, borrag. summitatũ lupuli, fumariæ, herbar. capillarium recentium mercurialis, scabiosæ, melissoph. an. m. i. prunor. dulc. passular. mund. iuiubar. & sebesten, an. p. viij. pomorũ odoratorum per frusta diuisorum, N ii. sem. citri, sem. cuscutæ & melonum, an. ʒiij. anisi & fœniculi, an. ʒii. (flatus enim abundant) foliorum senæ mundatorum, polypodij quercini, an ℥iß. epithymi cretensis, myrobal. citrinorum & indorum oleo amygd. dulc. perfricat. ana ʒii. glycyrr. recentis ℥i. flor. tamaricis, & trium

Apozema melancholiã præparans & purgans.

communium, an. p. j. fiat decoctio, & in colaturæ ℔ii. diſſolue ſucci bugloſſi, & pomorum redolentium, an. ℥iij. pulu. lætitiæ Galeni, ℥i. cinnamomi interioris ℈ij. fiat apozema in ſex doſes diſpenſandum, aut ſaltem in quinque: humor enim terreus non facilè medicamentis paret. Syrupus hic pro materiæ conditione, detractis laxantibus, humoris tantùm præparationi deſtinari poteſt, ſic vt ſuâ leui ſubſtantiâ contumacem ac fœculentam melancholiæ materiam temperet, & demulceat. Cui ſi feruor quiſpiam inſit, vt eſt, cùm ex præaſſatis aliis humoribus tanquam cinis relinquitur: tum his illa miſceantur, quæ flauæ bilis acrimoniam conſopiunt, vt endiuia & alia intybi genera, quæ atræ perinde ac flauæ bilis ſymptomata lenient.

Si melăcholia fuerit aduſta, bilem temperantia adhibenda.

Potio melanagoga.

℞. Paſſ. exemptis vinaceis, par. x. glycyrr. raſæ ℥ß. ſemin. aniſi & fœniculi, ana ʒiß. folliculorum ſenæ mundatorum, & epithymi cretenſis, an. ʒij. trium flor. communium, an. p. j. fiat decoctio, & in colaturæ ℥iiij. diſſolue rhabarb. cum ſuo cinnamomo, in aquâ endiuiæ infuſi, & expreſſi, ℈iiij. diaſenæ laxatiui ʒij. ſyrup. viol. ℥i. Miſce. Sunt enim eiuſmodi exſiccantia lenientium permiſtione temperanda. Hûc quoque ſpectant potiones illæ laxantes ex ſero lactis, & quæ ex galli decrepiti iure in melancholia parantur. Non enim humor hic, fæci quàm ſimilis, vni vel iteratæ purgationi cedit. Purgato iam corpore, ad ea recurſus fiat, quæ è calidorum claſſe ſyncopen diſcutiunt: Nunc enim purgantibus, nunc cardiacis, quadam viciſſitudine, & alternato vſu curatio complenda, minimè prætermiſſis iis, quæ extrinſecùs impoſita cordi opem ferunt. Nec etiam omiſſis linimentis & fomentis, quæ lieni, aut hypochondriacis opitulari ſolent.

Serum lactis medicatum.
Ius galli decrepiti.
Alternatim cardiacis & purgantibus vtendum.

Cùm autem flatus plurimus cor obſidet ac diſtendit, toto etiam corpore præter cardiacam, palpitationes quædam euagantur, multíque inanes ſpiritûs hac atque illac tranſcurrunt, & nouæ cruditates gignuntur. Quapropter expurganda primùm eſt ventriculi & inteſtinorum pituita, tanquam antecedens morbi materia, ex quâ flatûs erumpunt. Deinde hi erunt diſcutiendi. Vtrumque autem iis auxiliis peragendum, quæ ventriculi cruditates, & colicos dolores tollunt. Neque hîc nouo eſt opus conſilio, ſed quamprimùm ventriculo proſpiciendum: deinde cor roborandum calidis, quibus flatus eximitur. At ſi maior pituitæ crudorúmque humorum copia ineſt; primùm noxiæ materiæ portio vacuanda erit; reliqua dein ſyrupis incidentibus, & detergentibus, cordis infirmitati aptis, præparanda. Cúmque illorum vſu iam ſatis & viæ patefactæ, & materia eductioni præparata videbitur, pleniùs euacuanda, ac prorſus medicamento extirpanda: quod non ſolùm hîc, ſed in cæteris etiam partium morbis arctè ſeruandum. Sed hæc nonnullis remediorum præſcriptionibus confirmentur.

Palpitationis cordis à flatibus, curatio.

Præſentibus crudis humoribus multis, eorum portio vacuanda, reliquum autem præparădum, tandémque funditus extirpandum.

℞. Pulu.

℞. Pulu. hieræ picræ simpl. ʒij. diaphœn. ʒi. syrup. rosat. laxat. ℥i. aquæ hyssop. aut melissæ, quantum satis, fiat potio; cuius amarorem cùm quis veretur, pilulæ parentur ex rhabarb. agar. & pil. de hiera, aut assaieret, singul. ℈i. simul coactis aquâ betonicæ, aut absinthij: mitissimæ quidem sunt, sed initio lenioribus res transigenda. *Potio purgãs.* *Pilula.*

℞. Syrupi de hyssopo,& mellis rosati colati,an. ℥ii.syr. conseru. cortic.citri,& de buglosso, an. ℥i. aquarum melissæ,rorism.& betonicæ, vel sampsuchi, an. ℥iiij.pulu.aromatici rosati, vel diagalang.ʒi.fiat syrupus ad tres doses. Vel: *Iulepus præparans.*

℞. Galangæ crassioris, cyperi, calami odorati, an. ℥i. corticis citri ℥ß. zedoariæ, doronici, ana ʒiij. betonicæ, melissæ, origani, calaminthæ, pulegij, chamædryos, chamæpit. an. M. i. serpilli, hyssopi, sampsuchi, an.m.ß. sem. ocymi ʒii. anisi, fœniculi, seseleos, an. ʒiß. flor. stœchad. rorismar. & florum leucoij citrini, an. part. i. fiat decoctio, & in colaturæ ℔ij. dissolue mellis rosati colati q. s. pulu. diagalang. & cinnam. interior.an. ʒi.fiat apozema clarificatum,quinque diebus assumendum. *Apozema etiam præparans.*

℞. Præscripti apozem. ℥iiij. in quibus infunde agaric. recent. trochisc. ʒi. zinziberis gran. iij. & factâ expressione dissolue diaphœnic. ʒiiß. syrupi capill. vener. ℥i. Misce: Cùm autem peruicacius malum est, nec vni purgationi cessurum arbitramur, apozema laxans, vtcunque iam præparato humore, præscribi potest. Tale id euadet, quod iam præfiximus,si sem.cnici mundat. & folior. senæ,an.℥iß. polypod.℥i. agaric. recenter trochiscati linteolo raro inuoluti ℥ß. adieceris plus minúsve pro virium statu,& laborantis naturâ. Quemadmodum si mensium suppressio cordis palpitationi annexa sit,vtilissimum erit detractis laxantibus radices diureticas,& semina inserere, & cinnam. nardo, ac croco condire. Postridie à medicamento, theriacæ antiquæ aut mithridatij ʒi. cum ℈ii. conseruæ roris.addito saccharo in bolum conformetur. Dein progressus ad ea fiat, quibus frigidos cordis affectûs, atque ex algore syncopas discuti prædiximus: Pulueres dico, opiatas, condîta,electaria, sacculos,epithemata, omnia calida, adiectis insuper quæ flatûs validiùs dissipent,vt aniso,fœniculo,cumino,viticis semine, cardamomo, carpesio,cinnam.nardo,spicâ celticâ,lauendulâ, foliis lauri tenellis, sampsucho,calamo odorato, stœchade, flore roris. aut chamomillæ, & caphuræ tantillo quæ sacculis ac fotibus commodè inseri possunt,vt & flatûs, & aquosos humores illic comprehensos absumant. *Potio purgãs.* *Apozema laxans.* *Palpitationis cordis à mensium suppressione, curatio.* *Carminãtia.*

Quum verò serosus humor pericardio conceptus exuperat, & circumfluit, motúque agitatus cor submergit; imperanda primò erunt quæ aquas & serosos humores è venis ducant. Etenim aquosus humor,aut ex improbo victu,aut ex viscerum prauâ affectione,in venis collectus,ex iis redundans, in cor sensim penetrauit. Quocircà exhauriendæ inprimis venæ,atque ante has illa corporis regio quæ cæteris mali initium dedit. *Palpitationis, à sero in pericardio contento, curanda ratio.*

Hydragoga, quomodo vsurpanda.

In id consentanea sunt, quæ hydropicorum, & cachexiæ curationi destinauimus hydragoga, modò è mitiorum ordine selecta, cordi minùs sint infensa. Sic mediano cortice ebuli, & sambuci, iride florem purpureum gerente, humoris exuperantiam minuemus, adiecto cnico, agarico, polypodio, succo rosarum, aut syrupo rosato laxante, immixtísque cardiacis quibusdam, vt cinnamomo, maci, aliísve id genus. Neque temerè ad vehementiora & maligna progrediendum, qualia notantur, esula, cucumer agrestis, lathyridis grana, brassica marina, thymælæa, chamælæa, quòd cordi maximè ac visceribus vim inferant. His in ascite pleniore formâ descriptis, vbi iam aquas in venis altè immersas eduximus, deinceps quidquid seri cordis inuolucro comprehensum immodicè exuperat, & molestissimè fluctuat, sedulò extrahendum, absumendúmque est. Absumitur autem partim assumptis, vt puluere, opiatâ, tabellis, condîto, calfacientibus in syncope expositis, detractâ interim conseruâ rosar. violar. buglossi, adiectâque conseruâ stœchados, roris. ac iridis: partim admotis sacculis exsiccantibus, quales iampridem diximus flatûs discutere, adiectâ caphurâ. Vix enim vsquam potest solus flatus citra humoris permixtionem in parte colligi. Rariùs epithematis illic etiam comprehensis, quæ eadem cor imbecillum roborant. His subinde repetitis, si malum non vincitur, ad priora fiat recursus, sensim, & partitè subducto humore, aut alioqui absumpto: quam in rem mirificè probantur catapotia, quæ accipiunt massæ pilularum de aromatis, & de hiera, cuiusque ℥ß. castorei ℈ß. malaxentur cum aquâ betonicæ, vel absinthij, & formentur pilulæ septé. Neque prætereundum est, hanc aquosi humoris inueteratam congestionem pariter absumi institutâ diætâ è ligno guaiacino, aut chinæ radice, cùm illud saporis insuauitate respuitur. Ita pertinacissimi mali causa oppugnabitur. Iam verò cùm hic morbus certis horis conciteтur vehementiùs & exasperetur, accessionis quoque habenda est summa ratio. In accessionibus ea fiant, & diligentissimè administrentur, quæ irrepente syncope excitandis, recreandísque viribus aptari diximus.

Vehementiora hydragoga cauenda.

Quomodo serum ex pericardio extrahendum, assumptis, & admotis.

Catapotia serosos humores sensim exhaurientia.

Diæta exiccans, aut decoctum ligni sancti.

SECTIO SECVNDA.

De Pulmonum affectibus.

CAPVT IV.

De Tussi.

Morbos qui pulmonibus negotium exhibent, priusquàm hinc nata symptomata, tum exponere, tum summouere fuerat consentaneum, nî exprimendæ curationis expeditior forma alium doctrinæ ordinem sectari coëgisset. Non enim eadem est cognoscen-

gnoſcendorum ac curandorum morborum methodus,nec eadem medicinæ faciendæ,atque docendæ ratio. Quod iam exemplo fiet illuſtrius.

Quarum partium ſymptoma ſit tuſſis.
Tuſſis quid.

Pulmonum non modò ſimplicem intemperiem, ſed etiam obſtructionem,atque alios tum ipſorum affectûs, tum cæterarum partium quæ reſpirationi inſeruiunt,tuſſis comitatur. Hæc enim vehemens eſt efflatio, ſeu expiratio,quâ quidquid reſpirandi inſtrumenta premit, irritátve,natura expellere conatur. Pulmonibus infenſi ſunt humores præter naturam,tum deſtillatione,tum peculiari vitio congeſti, qui ferè humidam tuſſim promouent. Interdum etiam alij affectûs,vt refrigeratio, ſiccitáſque aſperitatem inuehens,exulceratio,tuberculum,præter hæc diaphragmatis à ſubiectarum partium mole compreſſio, aut eiuſdem affectio à multâ exhalatione eò ſublatâ; vnde tuſſis ſicca infeſtat, quæ nihil planè emolitur. Quemadmodum vix quidquam excutitur dum tuſſis hauſto puluere concepta peruaſit,aut liquoris,cibíque inuſitatâ portione irritatur.At non hanc,ſed eam quæ humorum copiam,lentorem,aut acrimoniam comitatur,tuſſim hoc loco perquirimus. Hæc ſæpiùs ex irruente deſtillatione proficiſcitur.Quum enim è cerebro in fauces,& in aſperam arteriam fertur deſtillatio, interiorémque illius membranam exaſperat, raucitatem parit.Humor verò illinc in pulmones irruens, tuſſim excitat. Qui ſi quando aut copioſior,aut craſſior & viſcoſior, ſpiritûs vias obſepiat,reſpirandi difficultatem infert, eámque obſtructionis magnitudini proportione reſpondentem. Verùm non ſemper inde pulmonis ſubſtãtia labefactatur;ſed ipſa plerumque,obſeſſis ductibus illæſa perſiſtit.Humor autem calidúſne ſit an frigidus,diſtinguendum ex acrimoniâ quâ guttur ardet & irritatur,ex antecedentibus cauſis,atque ex iis ſignis quæ humorum in capite dominium exprimunt. Quin etiam tenuis,an craſſus,lentúſque pulmonibus inſideat, accuratè diſquirendum. Sputorum enim quæ mediocri ſunt ſubſtantiâ, facilior eſt excreatio: Nam pulmonibus contenta materia ſupra modum tenuis, impellentis ſpiritûs vi tuſſiendo non facilè in arteriam efferri,exſcrearíque poteſt: ſed tenuitate ſuâ facilè relabitur in pulmones,impetúmque eludit: craſſa verò ac lenta,nec abſtergi,nec ſubleuari facilè poteſt; ſed contentioni pertinaciùs renititur. Illam diſcernes recenti ferè deſtillatione; hanc inueteratâ. In tenui, ſæpius oculorum, facieíque rubor adeſt, gutturis titillatio, & proritantis acrimoniæ ſenſus. In craſsâ ac lentâ, pectoris oppreſſio potiùs ac grauitas,magnáque reſpirandi difficultas cum ſtercore & ſibilo.Humor enim pulmonum arteriis contumaciùs inhæreſcens aëri viam intercludit: Quamobrem ægrè ſpiritus eliditur,& quaſi per anguſtias euadens,laborantem angit.

Tuſſis vel eſt humida, vel ſicca.
Tuſſis cauſſæ.
Deſtillatio, frequẽtiſſima cauſa tuſſis.
Signa calidæ aut frigidæ deſtillationis.
Sputorum ſubſtantia tenuis aut craſſa.
Celſ. l. 4 c. 4.

Curatio.

Solet quidem tuſſis, vt & reſpirandi difficultas, multis modis contrahi, ac grauiores pectoris affectûs comitari; verùm reſtitutis illis, morbíſque, vt exponemus, perſanatis, ipſa finitur.

Celſ. ibid.

Quæ

Prognosis.

Quæ autem per se malè habet, propriam quoque sibi curationem vendicat. Recens tussis ac mitior, qualem sola intemperies mouet, celeriter sanatur: Quæ verò grauiùs premit, & contentiùs infestat, lenienda protinus est, & discutienda: ne dum acri humore lacessita acerbiùs infestat, concussu subinde pulmonem rumpat, collidátve, ex quo sanguinis sputum, atque tabes; vel humoris crassitie, & lentore iamdiu inueterata, contumacem materiam in pulmone relinquat, à quâ tandem fit asthma. Lenietur autem, discutietúrque, si perpensâ conclusæ materiæ conditione, per quam aut acrimoniâ, aut obstructione est infensa, eam conuenienter tussi educamus, quæ propria est curatio. Id fiet commodissimè purgato iam corpore, atque destillatione sedatâ, si bechicis excludendo humori aptis pulmones leuentur. Itaque primum est, vt antecedentem materiam, si quidem multa sit, educas. Secundò destillationem sistas; postremò vitia quæ tum pulmoni, tum pectori inhærescunt, vel leniendo, vel detergendo, extenuandóque tollas. Purgandum ergo corpus, si necessitas vocat, ídque medicamentis non supra modum violentis, nisi humor nimium viscosus sit; nec ita blandis, vt minimè iuuent; diligenti priùs adhibitâ præparatione, quæ humores tenues, ac fluxionem minantes quodammodo incrasset; crassos verò & lentos extenuet ac detergat. Hæc autem exemplo illustriora faciamus, à tussi ex tenui materiâ auspicati.

A vehementi tussi aliàs hæmoptysis, aliàs asthma oritur.

Scopi tres tussim curaturo præfigendi.

Purgationi præmittenda humorum præparatio.

In materiâ tenui vniuersalia.

Decoctum.

Iulepus leniter incrassãs.

℞. Radicis bechij & glycyrr. an. ℥i. folior. adianti, M. i. passul. exemptis vinaceis, iuiubar. & sebesten, an. par. viij. prunor. dulc N. vi. semin. melonum, citrulli, cucumeris, an. ʒiij. sem. bomb. maluæ mundati, & papaueris albi, an. ʒii. florum violar. buglossi, & nenupharis, an. part. i. fiat decoctio in aqua hordei perfectè coctâ, & in colaturæ lib. j. dissolue sacchari albissimi q. s. pulu. diatrag. frigidi recentis ʒiß. fiat syrupus clarificatus, detur triduo. Vel:

Syrupus.

Alius iulepus.

℞. Syrupi violati, & nymphææ, ana ℥iij. aquæ stillatitiæ capill. veneris lib. j. vel aquarum buglossi & violarum, ana lib. ß. Misce, ad tres doses.

Medicamentum.

Potio cathartica blanda.

℞. Prunor. dulc. Num. vj. sem. melonum, bombacis & maluæ, an. ʒii. tamarind. recentium ℥ß. glycyrr. contusæ, ʒiii. flor violar. buglossi, & nym

& nymphææ, an. p.i. fiat decoctio, & in colaturæ ℥iiij. diſſolue mannæ recentis, & electæ ℥i. vel caſſiæ recenter extractæ ℥ß. rhabarb. electi, in aqua capill. veneris infuſi & expreſſi ʒiß. ſpicæ nardi eodem modo præparatæ, grana v. ſyrupi violati ex nouem violarum infuſionibus (ſi haberi poſſit) ℥i. aut illius penuriâ, violacei ſimpl. ℥iß. miſce, fiat potio, cuius vice ſubſcripta catapotia imperentur.

Pilulæ.

℞. Agarici recenter trochiſc. & rhabarb. electi, an. ℈i. maſſæ pilul. aggregat. maior. ʒß. malaxentur cum pulpa tamarind. vel cum aqua violar. fiant pilulæ ſeptem, quas deuoret poſt mediam noctem.

Decoctio laxans, delicatioribus accommodata.

℞. Folior. bechij, bugloſſi cum toto, ana M. ß. medullæ ſem. carthami contuſi ʒvi. florum violar. & bugloſſi, ana p. i. fiat decoctio in iure galli decrepiti ſine ſale : & diligenti facta expreſſione, cape ex colatura ℥v. in quibus diſſolue ſyrupi viol. ex nouem infuſionibus, ℥ii. fiat potio.

Cæterùm alterantia illa decocta, non ſolùm præmitti purgationibus iure poſſunt, ſed etiam peracta purgatione rurſum vſurpari. Quinimò ſi materia purgationi quamprimùm apta fuerit, vt tenuis ferè eſt, primo quouis tempore purgatio inſtitui, & tutò præmitti poteſt, à qua lenientibus decoctis, & expectorantibus vti conueniet, vt præſentis rei neceſſitas, varietáſque expoſtulabit. Craſſus verò atque glutinoſus humor, quoniam non niſi vi & perturbatione è corpore deduci poteſt, neceſſariò ante exactam purgationem præparandus erit. *[In materia tenui interdũ ſtatim purgandum, citra aliam præparationem: ſecùs in craſſa]*

His dum ita purgatur corpus, defluxionem ſiſtere par eſt. Inhibebis autem theriaca recenti ; ſyrupo è papauere, diacodio: Item ſuffitu aſtringente, puluere cephalico, aut emplaſtro. Et nimiùm premente malo, cauſticis ſyncipiti, vel ceruici admotis. Denique modis omnibus in catarrho pleniſſimè expoſitis ſi quidem illinc mali eſt origo. *[Catarrhos ſiſtentia.]*

Bechica remedia pulmonum, thoracíſque vitiis propria;
Ac primùm, quæ tenues fluxóſque humores incraſſant & educunt.

Iam tempeſtiuum eſt coniunctam, & quæ tuſſim proximè incitat, cauſam excindere bechicis ; quibus ſolis nulla præmiſſa ita purgatione, vti expediet, ſi quando reliquum corpus non ita

Anacatharsis propria est pulmonum expurgatio.

recrementis sit confertum. Pulmones interioráque thoracis sola exscreatione leuantur, bechicísque propriè expurgantur. Quanquam enim ex iis locis quippiam detrahi potest in aluum, id tamen perexiguum est, ac maximam humorum partem in pulmonum substantia aut bronchiis collectam, necesse est tussis impetu reiici. In id autem conferunt quæ destinata pulmonibus, modò tenuiorem pituitam incrassant, modò lentam detergunt, crassámque attenuant, ídque quadam lenitudine. Nam exasperantia, vt salsa, acida, & acria tussim plerumque frustrà cient. Cùm igitur, vt dictum iam est, sputorum mediocrium expeditior sit eductio, in tenui ac liquidiore materia, quæ ferè titillationem, asperitatem, & gutturis ardorem adfert, lenientia, simúlque calorem extinguentia sunt vsui, quæ quodammodo inspissent, & acrem materiam obtundant. In crassa verò ac lenta pulmonibus impacta, quæ citra insignem aut caloris, aut siccitatis vim leniendo detergunt, & extenuant, aptissima sunt. Prioris quidem classis sunt è simplicibus, cremor hordei, cuius lubricitas leuis est, ac mediocriter humens; lac amygd. dulc. ipsæque amygdalæ, recentes pineorum nuclei, pistacia, auellanæ, glycyrrh. capill. veneris, tussilaginis & radix, & folia virentia; quæ tria temperatis proxima sunt. Ad hæc pruna dulcia, vuæ passæ acinis expurgatæ; quæ iam in calidis notantur; myxa, zizipha, semen cucumeris, melonum, & citrulli, quæ acres humores temperant; semen bombacis, maluæ & cydoniorum, quæ exasperatas vias oblinunt. Atque si feruidior est humor, summáque tenuitate in pulmones decumbit, semen papaueris albi, semen psyllij non tusum, ipsorúmque mucilago. Iis accedunt gummi arabicum, tragacantha, quæ asperitates læuigant, atque amylum, & oui candidum. Postremò saccharum suauissimè detergens: atque id magis quod candum nominant. In compositis extant syrupi, violatus, adiantinus, & de iuiubis, atque interdum myrtinus, quo irruentem destillationem retineas. Item syrup. de nymphæa, de papauere, diacodion cum sapa, qui acres, calidásque fluxiones inhibent, & validè compescunt; præsertim cochlearis mensurâ laborantibus horâ somni exhibiti. Narcoticis enim aliquando vtimur, vbi tussis fera est, & vrgentior, pertinacésque vigiliæ: quo vsu pilulas è cinoglosso quidam imperant semiscrupuli pondere. Verùm nihil eorum vsurpari tutò potest, nisi purgato iam corpore, & minùs grauato pulmone. In compositis prætereà sunt elect. diatragacanth. frig. sacchar. violatum, pilulæ bechicæ, pil. sub lingua, penidia, & puluis diapenidion sine aromatibus. Omnia hæc ita leniunt, vt illorum permistione tenuis quiuis humor crassescens promptiùs excludatur. Horum tamen alia feruidis humoribus frigida qualitate compescendis, vt gummi arabicum, & violæ, alia aquosæ pituitæ incrassandæ sunt accommodatiora, vt zizipha, thus, mastiche, nux cupressi, gummi iuniperi. Ab iis plurima in rem præsentem remedia parantur;

Bechica duplicis generis, alia incrassantia, alia attenuantia.

Bechica incrassantia simplicia.

Bechica incrassantia composita.

Narcotica quãdo vsurpãda in tussi.

rantur; vt ſunt decocta lenientia,cuiuſmodi iam præſcripſimus,ſyrupi, eclegmata,electuaria,placentæ,formulæ,& alia quæcunque ſenſim lambendo & deglutiendo illabuntur in arteriam;minimè verò,quæ ore accepta in ventrem ſtatim deuorantur.Cõmodè autem beçhica in lentam ac craſſam medicamenti formam aptantur, qualis eclegmatum eſt, aut craſſioris ſyrupi, ne liquidior præproperè illabatur in ventrem. His enim quæ ore accepta ſtatim deuorantur, immutandorum pulmonum exigua vis ineſt.At quàm maxima iis quæ ſenſim lambendo, blandéque deglutiendo maiore ſui parte in arteriam demittuntur, atque ita deerrant, vt thoraci, pulmonibúſque impertiri poſſint.

Quæ forma bechicis conuenientior.

Bechica ſenſim lãbenda, vt eorũ portio in arteriam deerret.

Fiunt autem eclegmata ſæpius ex fructibus, cuiuſmodi ſunt nuclei pinei,amygd.piſtacia,vuæ paſſæ,iuiubæ,ex tragacant.gummi arab.ex ſeminibus minutatim inciſis: horum igitur quædam tuſa ſyrupo idoneo comprehenduntur, dum mellis lentorem aſciſcant. Fiunt quoque ex conſeruis,ſyrupo quodam ſolutis,aut etiam expeditiùs ex electuariorum puluere,ſaccharo cando, pilulis albis, penidiis, quæ pari modo ſyrupis ita excepta ſint, vt delingi poſſint. Iam compoſitionum noſtrarum formas explicemus.

Eclegmatũ materia.

Syrupus.

℞. Syrup. violat. ℥iij. ſyrupi è iuiubis, aut (violentiùs infeſtante tuſſi (ſyrup.de papau. ℥ij.miſceto,& ore frequenter tantillum contineatur, ſenſim deglutiendo.

Eclegma 1.

℞. Conſeruæ viol.℥i.conſ.capill.ven.℥ß. pilul.bechicar.ʒvi. pulu. diatrag.frig.ʒij.ſyrup.violacei q.ſ. fiat linctus mediocris lentoris,capiat ſæpè cum baculo glycyrr. lambendo.

Eclegma 2.

℞. Penidiarum recentium.& pil.ſublingual.an.℥iß.ſacch. candi ℥i. pulu.diatrag. frig. ʒiij. cum ſyrupo iuiubarum fiat lohoch, vtatur lambendo.

Mucilago incraſſans in ſpeciem Eclegmatis.

℞. Sem. cydonior. & gummi tragacanthæ, an. ʒiij. ſacchari candi, quart ß. inuoluantur linteo raro, & infundantur in aquæ roſaceæ ℔. ß. fiat mucilago,iis exigua expreſſione percolatis, ſæpè ſenſímque deglutiat. Hoc cùm magna, grauíſque deſtillatio impetu ruit, auxilio eſt. Quod verò ſequitur exaſperata oblinit, atque blandè pulmonem liberat, & tuſſim mulcet.

Oleum amygdal. dulc.

℞. Olei amygd. dulc. solâ expressione profusi ℥iiij. detur cochlearis mensurâ, insperso sacchari candi puluere, si expuitio iuuanda; aut puluere diatrag. frig. vt tussis remittatur. Aut.

℞. Sacchari candi ℥i. amyli, boli arm. an. ʒij. pulu. diatrag. frig. ʒi. cum oleo amyg. dulc. recèns extracto fiat eclegma. Quin etiam cùm tenuis & acris est humor qui influit, ac tussis effera, præstantissimum est, ad eius impetum sedandum, aquæ tantillum sæpè assumere, atque etiam ore continere. Hoc leui & simplici remedio, sæpe multorum vel doctissimorum opinionem vici, cùm cætera parum iuuissent.

Aqua frigida ore detenta, ad tussim ferinã optima.

Eclegma acrem humorem refrænans.

℞. Pulp. iuiubarum, ℥i. pulp. sebesten diligenter extractæ ℥ß. pulueris diapenid. sine aromatibus, & pulu. diatrag. frig. an. ʒiß. cum syrup. de papauere, fiat illinctus. Loco pulpæ passul. & sebesten, licet amygd. dulc. mund. & infusarum in aqua hordei ℥ij. nucleorum pini ʒvj. apponere. Quod si vehementiùs incrassare, & quasi agglutinare velis disiunctas partes humoris, tenuitate nimiâ defluentes, adiicies aut tragacant. aut gummi arab. aut amylon, aut bolum armenam, aut semina maluæ ac bombacis tenuissimè concisa.

De Placentis.

Eclegma & Pandaleon quid differãt.

Gratior meo quidem iudicio, & suauior est medicamenti expectorantis forma, quam pandaleon appellant, ad placentæ similitudinem planè expressa. Non vsu, non materiâ, sed solâ specie ab Eclegmate distincta, hoc enim necessariâ syrupi permistione paulò liquidius; pandaleon ex saccharo aquâ idoneâ soluto firmius effingitur, hunc in modum.

Pandaleon incrassans.

℞. Amygd. dulc. mund. & infusar. in aqua hordei, ℥iij. granor. pini recent. eodem modo infusorum ℥i. pistaciorum non rancidor. ℥ß. pulu. diatrag. frig. ʒij. sacchari candi, penidiarum, an. ℥iß. sacchari albissimi, aquâ vngul. caballinæ, vel violar. factâ infusione gummi tragac. q. s. fiat pandaleon, quo vtatur frequenter. Quod sequitur efficax, sed minùs iucundum.

Aliud.

℞. Pulu. diatrag. frig. ʒij. pulu. diapenidion ʒiß. penidior. ℥iiij. sacchari candi, & pilul. bechicarum, an. ℥i. sacchari solidi in aqua violar. parum gummatâ dissoluti, q. s. fiat pandaleon. Atque hæc auxilia mediam inter expectorantia substantiæ conditionem nanciscuntur.

Tabellæ, formulæ, & pilulæ bechicæ.

Solidioris formæ sunt tabellæ ac formulæ, quas in officinis asseruari diximus: maximè quidem electuar. diatrag. frigid. penidia, pilulæ hypoglotti

poglotti

poglottides, & omnium præstantissimæ bechicæ ad calidas tenuésque fluxiones, ad arteriæ asperitatem & siccam tussim comparatæ.

Harum imitatione liceat & alias in rem præsentem describere, ex pulueribus tussi idoneis, cum saccharo liquato, aut mucilagine, aut tragacant. aut arabic. gummi; aut qui oui candido, aut denique expectorante syrupo sit exceptus.

Formulæ incrassantes.

℞. Gummi tragacant. & arabici, an. ʒiß. sem. papau. albi & amyli, an. ʒß. succi glycyrr. ℈i. penidior. ℥i. sacchari candi ℥ß. cum syrupo è iuiubis, vel mucagine tragac. extractâ in aqua rosarum, parentur formulæ: contineat vnam in ore. Si tenuissimus sit humor, boli armenici ʒß. addere iuuat, & psyllij mucagine excipere, quæ ardorem extinguat. Iisdem per somnum ore retentis fluxio subsistet, si excipiantur syrupo myrtino; aut vsurpentur illæ quas in phthisi ad cohibendam destillationem describemus.

Formulæ expectorantes, quæ tussim & gutturis asperitatem leniunt.

℞. Penidiorum ℥ij. sacchari candi ℥i. pulu. diatrag. frig. ʒij. sacchari albissimi dissoluti aquâ hordei, factâ infusione gummi tragac. q. s. fiant formulæ seu orbiculi explanati. In iis autem præscribendis etiam atque etiam considerandum, quàm tenuis & acer sit humor. Initio enim cùm nihil tenue expuitur; quæ magis inspissent: deinceps vt tussis progreditur, quæ mediocriter detergendo ac leniendo expectorent, aptiora fuerint; quòd tunc crassiusculum quippiam ex imo pectore erumpat.

Admota.

Prætereà pulmonum, thoracísque interiori vitio succurrunt quæ foris pectori imponuntur chalastica; cuiusmodi existunt oleum violatum, amygd. dulc. chamæmeli, lilior. axungiæ gallinæ, anseris, anatis, œsypus, butyrum, crocus. Et in compositis, vnguentum resumptiuum, dialthæa, emplastrum filij Zachariæ.

Varia chalastica pectori imponenda ad tussim.

Vnguentum.

℞. Vnguenti resumptiui ℥iij. olei viol. & amygd. dulc. an. ℥i. croci ℈i. fiat vnguentum. Et si partes pectoris nimium incaluerint, adde mucag. psyllij extractæ in aqua violarum, ℥ß. His similia in pleuritico dolore sedando à nobis descripta comperies.

Atque vt expeditior haberi medendi ratio poſſit, quæcumque hoc capite protulimus, eadem pleuritidi, & peripneumoniæ maximam opem ferunt. Nunc tuſſes ex craſſo humore ſubortas diſcutiamus.

Tuſſis à craſſa, lentáque pituita.

Tuſſis à craſſo humore, præſidia.

Eandem ferè curandi methodum tuſſis expoſtulat, quam craſſa, lentáque pulmonem obſtruens materia ſuſcitauit. Cauſam enim antecedentem excindere, fluxionémque, ſi quæ ſit, intercipere, humorem pulmonum bronchiis impactum bechicis excludere, atque omnem hinc ortam intemperiem delere oportet.

Primùm igitur antecedentis materiæ portio euacuanda: reliqua dein naturæ imitatione præparanda. Cúmque iam illius beneficio cocta, aut arte apparata fuerit; validiore medicamento prorſus extirpanda eſt. Hic ergo progreſſus fiat.

Pilulæ.

℞. Maſſæ pilul. de agaric. ℈ij. pil. cochiar. (aut ſi mitiores velis) de hiera ℈i. malaxentur cum melle roſato colato: fiant pilul. ſeptem, capiat à primo ſomno.

Iulepus.

Syrupus.

Alius.

℞. Syrupi de hyſſopo, & capilli veneris, an. ℥iij. aquarum betonicæ & ſcabioſæ, an. ℔ß. pulu. diaireos ſimplicis ℈iiij. fiat iuleb clarificatum pro tribus doſibus. Vel hoc modo.

℞. Syrupi de praſſio, & de liquiritia, an. ℥ij. oxymelitis ſcill. ℥iß. aquæ bechij & hyſſop. an. ℔ß. radicis iridis, ʒi. fiat iuleb clarificatum. Aut.

Apozema extenuans, & abſtergens pituitam.

℞. Radicis vngul. caball. radicis apij, fœniculi, iridis & enulæ, an. ℥i. foliorum cardui benedicti, hyſſopi, ſcabioſæ, betonicæ, herbarum capill. recentium, marrubij, bugloſſi cum toto, an. M. i. glycyrr. contuſæ ʒx. caricarum pinguium, paſſular. mundat. iuiubar. & ſebeſten, an. par. x. dactylor. pinguium ab internis tunicis mundatorum, num. iij. ſem. fœnic. petroſelini, an. ʒij. ſem. maluæ & lini, an. ʒiij. ſem. fœnigr. ʒiß. florum, ſtœchad. & roriſmarini, an. p. i. decoquantur, & in quart. v. diſſolue mellis optimi

optimi despumati ℥vij. vel illius loco mellis rosati colati, & oxymel. scillitici, an.℥iiiß. pulu. diaireos Salomonis ʒi. cinnamomi interioris & electi ʒß. fiat apozema clarific. & aromatizat. pro quatuor aut quinque dosibus.

Catapotia post humoris præparationem.

℞. Massæ pil. cochiar. ℈ij. pil. aggreg. maior. ℈i. malaxentur cum oxymelite simplici, vel scillitico, & astrictâ magis aluo adde trochisc. alhandal, g̃.ij. formentur pil. vij. auro coopertæ, quas sumat horâ secundâ post mediam noctem. Aut

Potionis forma.

℞. Glycyrr. cont. ℥ß. ficuum pinguium, passularum exemptis vinaceis, iuiubar. & sebest. an. par. iiii. anisi & fœniculi, an. ʒii. florum buglossi & rorismar. an. p. i. agarici recenter trochisc. ʒiß. fiat decoctio in aqua capill. veneris, & in colaturæ ℥iiii. dissolue cathol. ℥ß. misce, fiat potio, exhibeatur horâ quintâ matutinâ. Deinde cùm postera dies illuxerit ab assumptione medicamenti, aut pilul. iuuabit sequens remedium.

Bolus.

℞. aureæ Alexand. benè fermentatæ ʒi. conseru. radicis buglossæ ℈i. cum saccharo fiat bolus ∸ detur quatuor horis ante cibum. Huius loco mithridatis antidotum, aut theriacam antiquam dare expediet, quæ reliquias humorum absumant, sudoréque resoluant. Huiuscemodi ergò purgationis est progressus.

Intercipientia & reuellentia fluxionis, in tussi grauissima.

Cùm porrò magna, grauisque destillatio impetu ruit, hanc intercipere, aut aliò euocare necesse est cucurbitulis, vinculis, suffitu, emplastris, pulueribus, ac errhinis, potiùs quàm masticatoriis, denique causticis in catarrho expressis: tum verò propriè syrupo myrtino, cui myrrhæ, croci, ac pulmonis vulpis ex arte præparati portionem adieceris: quæ remedia sistendæ fluxioni apta in asthmate etiam vsurpari debent.

Bechica expectorandæ crassæ materiæ apta.

Bechica attenuantia, qualia sint.

Pulmonum infarctûs liberant, & crassos tenacésq; humores illinc tussis impetu eruunt, quæcunq; ex aperientiũ numero incidendi ac detergẽdi vim

vim ſortita, nec vehementer calfaciunt, ſiccántve, nec exaſperant, ſed leniunt,& quadamtenus humectant. Nam exaſperantia, vt acria, acida, ſalſa inutilem ſæpè tuſſim mouent, nec ex vſu ſunt, niſi cùm pigriorem vel imbecilliorem expultricem vim ſtimulare oportet; velut nonnunquam in aſthmate; in quo acriora etiam dantur, ſed quæ lenientibus temperata ſint, & humectante quodam liquore repreſſa. Alioqui acria ipſa ſola, vt diuretica, quidquid in ſubſidente ac tenaci materiâ humoris ineſt aquei, quanquam perexiguum id ſit, præproperè abſumunt & exſiccant. Vnde quod reliquum eſt magis craſſeſcens difficiliùs expuitur,immotúmque manet, & inconcuſſum. Itaque non temerè hîc, ſed iudicio multo agendum,atque ex ampliſſima expectorantium ſylua, quod optimum fuerit,& materiæ conditioni inprimis conueniens,prudenter ſeligendum. Horum alia ſimplicia,alia compoſita ſunt.Simplicia nŏtantur helenium,iris,bechij tum radix,tum folia ſicca; capill. vener. hyſſop. betonica,ſcabioſa, praſſium, origanum, pulegium, calamintha, thymus, ſatureïa, ſtœchas, ſerpillum, chamædrys, abrotanum, braſſicæ caulis, vuæ paſſæ detractis arillis, ficus præpingues, dactyli exemptis interioribus fibris, ſemen vrticæ, ſemen naſturtij oleo amygd. dulc. infuſum, ſeſeleos,lini,fœnugr. orobi,fœniculi, petroſelini, apij,quæ ſe mutuò temperent. Ad hæc crocus pulmonum, pectoriſque affectibus familiaris,& ad concoctionem humoris aptiſſimus:oleum amygdal.etiam hauſtum, & ſeſaminum; terebinthina pellucida deterſione pollens: mel aliis condiendis aptiſſimum,& quod paſſulatum per ſe multò conuenientius, ſaccharum candum.Sunt prætereà quædam iis vehementiora,aſthmaticis,& inueteratæ tuſſi peculiaria,vt cepa,ſcilla,eriſymum,ariſtolochia, centaurij magni radix, laurus, eiúſque baccæ, zinziber, gentiana: quibus adde lignum ſanctum, quod incidit, ac terget craſſa pulmones obſidentia; ſed quæ lenientium, ac humectantium permiſtione diluta, mitigatáque ſint; vt iuiubis, paſſulis, glycyrrh. ſemine bombacis ac maluæ. Myrrham nòn ita probo, galbanum, caſtoreum, nec alia ori maximè ingrata: Quemadmodum neque piper, ſinapi, cardamomum; quæ rariùs & periculoſiùs in vſum veniunt.

Sylua ſimplicium bechicorum attenuantium.

Compoſita officinalia.

E compoſitorum ordine ſunt ſyrupus capill. veneris, de liquiritia, de hyſſopo, de praſſio. Interdum etiam oxymel ſimplex aut ſcilliticum, vbi tenaciſſimorum expulſionem accelerare,aut ſopitam facultatem excitare, vt in aſthmate neceſſum eſt, electuar. diairis ſimplex & compoſitum, diamoſchum vtrumque corroborandis viribus efficax, conſ. capill. veneris, enulæ, iridis, zinziber conditum, lohoch de pino, de amygd. lohoch ſanum, lohoch de ſcilla, quæ in officinis parata habentur, & præſentiſſima aſſeruantur. Sed quia plerumque iam vetuſtate illorum ſubſtantia ranceſcit, aut vires obliterantur, ſatius fuerit pro re nata efficaciora ac iucundiora parare. Horum alia decocti, alia eclegmatis, alia placentæ, quædam etiam tabellarum, & formularum ſpecie componantur, Cùm tamen altè eorum ſub-

Compoſita magiſtralia officinalibus cur potiora.

ſtantiam

ſtantiam in pulmones demitti volumus, liquidior ſeligatur medicamenti forma, quæ ſubſtantiæ tenuitate in partes penitiores ſeſe inſinuet. Decocta & ſyrupi iam ſuprà deſcripti, ſi ſenſim, ac lentè deglutiantur, eximiè conuenient. Aut hoc decernatur.

℞. Hyſſopi, marrubij, capilli veneris, & calaminthæ, ana M. i. glycyrrh. ℥i. tuſſilag. ſiccæ ℥ß. paſſularum, iuiubarum, ana paria xij. ficuum pinguium, & dactylorum ab interaneis mundatorum, ana num. vi. ſemin. althææ, ſeſeleos, & vrticæ, ana ʒij. ſemin. fœnicul. ʒiß. fiat decoctio, & in ℔ i ß. diſſolue ſacchari candi, quantum ſatis, fiat ſyrupus clarificatus, & aromat. cum ℈ij. pulueris diaireos ſimpl. & ʒß. croci: ſumat interuallis cochlear vnum, & quotidie manè ℥iiij.

Syrupus magiſtralis.

Caſſiæ ſolutiuæ pulpa ex decocto hyſſopi ſumpta, exaſperata lenit, & pectoris anguſtias blandè expedit.

Pulpa caſſiæ ex decocto hyſſopi.

Syrupus.

℞. Syrupi de hyſſopo ℥iij. ſyrup. capill. veneris ℥ij. miſce: detur ſæpè cochlear vnum ſenſim demittendo. Vel ſyrupi de glycyrr. ℥iij. oxym. ſimplicis, (vbi ignauior eſt tuſſis impetus) aut etiam ſcillitici ℥ij. miſce.

Eclegma mediocriter extenuans, ac detergens.

℞. Pineolorum recentium mund. & infuſorum in aquâ hordei ʒx. amygdalar. dulc. mundatar. & infuſar. ℥ij. piſtacior. recentium, ℥ß. conſ. capill. veneris ʒvi. puluer. diairis ſimpl. ʒiß. ſacchari candi ℥iß. cum ſyrupo de glycyrrh. fiat eclegma, quo vtatur lambendo.

Eclegma vehementiùs expectorans.

℞. Lohoch de ſcilla, lohoch de pino, ana ℥i. piſtaciorum mundatorum ʒvi. puluer. diairis ſimplicis, & diapenidion ſine aromatibus, ana ʒiß. ſucci glycyrrh. ʒiß. ſyrupi de hyſſopo, q. ſ. fiat eclegma.

Eclegma minùs ſuaue, ſed efficaciſſimum, craſſa è pectore educens.

℞. Terebinth. ℥iß. butyri recentis ℥i. mellis cocti ℥iij. ſyrupi capill. veneris, & glycyrrh. ana, quantum ſatis, fiat eclegma. Eclegmatis proximè ſuccedit pandaleon, mediam inter illa & formulas ſortitum conditionem ac ſoliditatem.

Pandaleon incidens.

℞. Pulu. diairis Salomonis, & diairis simplicis, ana ℥ij. penidiorum ℥iß. amygdal. dulc. infusarum in aqua hordei ℥ij. sacchari candi ℥i. sacchari solidi in aqua scabiosæ, aut vngulæ caballinæ factâ infusione gummi tragacant. dissoluti, quantum satis, fiat pandaleon, cuius tantillum frequenter in ore contineat. Quibusdam placuit conseruas iis placentis inserere. Formulæ autem vt cæteris solidiores, ita huic tussi minùs accommodatæ sunt. Interdum tamen in laborantis gratiam describendæ hoc modo.

Formulæ huic tussi minùs aptæ sunt.

Formulæ.

℞. Sacchari candi ℥ij. puluer. diaireos, succi glycyrr. ana ℈ij. syrupo de hyssopo excipiantur, & fiant formulæ: concludat vnam ore. Eodem spectant nuclei pinei, melle aut sacchato excepti. In leuiore tussi tanta remediorum varietas minimè necessaria, sed tussiculosis sapa dulcissima, aut recenti butyro sacchari præsertim candi puluere obdurato, aut caulium decocto, leuioribúsque aliis satisfit. At in grauiore tussis impetu maior remediorum delectus habendus, quo pulmonum caua liberè expurgentur.

Leuior tussis minorē, grauior maiorem remediorum varietatem requirit.

Quòd si tussis ipso curationis progressu molestissimè infestet, atque vigiliis laborantem angat, tunc immerso & præpostero ordine symptomata hæc vrgentiora philonio Romano compescere oportet, aut etiam globulis è styrace, hoc modo paratis.

In tussis ferocia narcotica exhibenda.

℞. Styracis liquidæ, thuris, mastiches, myrrhæ, opij, croci, succi glycyrrhizæ, ana parem modum, formentur pilulæ instar ciceris: detur vna, aut ad summum duæ. Adiecto castoreo magis calfacient. Non tamen antè iis vtendum, quàm corpore, & pulmone expurgato.

Pilulæ è styrace.

Quanquam autem dum hæc vsurpantur, humor in pulmone conceptus crassior euadat, cuius dein difficilior sit futura expulsio: hoc tamen optabilius est, quàm tussis ferociâ, & vigiliarum diuturnitate prosterni ægrotantis vires. Sedatis verò illis, protinus ad intermissa expectorantia recurrendum.

Narcotici leuior noxa maiore emolumento pensatur.

Cæterùm pulmonis, & thoracis vitia corrigunt, & immutant etiam auxilia quæ foris adhibentur, paulò quàm in tenuiore materiâ calidiora; cuiusmodi est oleum liliorum, irinum, keirinum, sicyonium, laurinum, anethinum, rutaceum, de croco, axungiæ omnes, puluis ireos, hyssopi arefacti, bechij sicci, flor. chamomill. croci, & interdum sulphuris, ex quibus ad tusses inueteratas, pectoris distensiones, atque frigidos dolores aptè parantur vnguenta. Sed & vnguentum dialthæa aptissimum, atque martiatum

Topica in tussi à crassa materiâ, pectori admouenda.

martiatum, aut aregon; modò mitioribus aliis quadantenùs sint remissa.

Vnguentum.

℞. Olei liliorum & irini, ana ℥ij. radicis enulæ arefactæ & tritæ ʒiij. foliorum bechij siccorum ʒij. hyssopi sicci ʒiß. croci ℈ij. axungiæ gallinæ ℥iß. œsypi ℥ß. ceræ, q. s. fiat vnguentum, quo vngatur pectoris regio calidè.

Suffituum in tussi vtilitas, & quando ipsis vtendum.

Conueniunt prætereà firmatis pulmonum affectibus ea quæ vaporis specie vnà cum spiritu hauriuntur. At non priùs quàm aut sublatâ, aut saltem imminutâ capitis plenitudine, & pulmone iam depleto. Crassâ enim & multâ pituitâ arterias occupante, nihil ista iuuant, sed duntaxat cùm iam & detracta copia, & reliquiæ extenuatæ fuerint; aut humor per se liquidus fluidúsque sit, accommodata sunt. His quippe destillatio supprimitur; intemperies in pulmone relicta, & imbecillitas corrigitur; atque humorum reliquiæ absumuntur, aut gigni prohibentur. Paretur ergo suffitus in hanc formam.

Suffitus.

Formula pro suffitu in tussi.

℞. Thur. mastic. cortic. thur. gummi hederæ calefacti, nigellæ Romanæ torrefactæ, ana ℥i. flor. stœchad. & anthos, ana ℥i. calami aromatici, aristoloch. rotundæ, auripigmenti rubri, ana ʒiij. (si ditior fuerit æger, adde benzoini ʒij. aut ladani puri tantundem) cum terebinthina, fiant formulæ similes lupinis, ponderis ʒij. quarum vapore alteretur conclusus aër, & suffiantur capitis velamina.

Sulph. ἀντιβαλλόμενον sandaracha.

Hæc validè si quid humoris adhuc residet, planè consumunt: In quibus si auripigmentum suspectum sit, illius loco sulphur commodè substituitur.

Alij suffitus.

Suffitus quoque ex bechij radice aridâ, & orbiculatim sectâ pulmones veteri malo implicatos eximiè afficit; quemadmodum acori decocti vapor ore per fistulam acceptus. Vniuersalem & particularem materiam quæ destillationes arceat, iam suprà expressimus.

Atque huiusmodi est forma remediorum, quæ non solùm tussim & gutturis asperitatem leniunt, sed etiam diuturnis ex destillatione pulmonum obstructionibus, asthmati, & orthopnœæ opitulantur. Iam, si quid aliud propriam horum curationem compleat, animaduertamus.

CAPVT V.

De Asthmate, Orthopnæâ, & spirandi difficultate.

Celf. l 4. c. 4.
Asthma quid.
Signa asthmatis.
Celf. ibidem.

CVm quis spirare sine sono, & anhelatione non potest, crebróque sine febri spiritum ducit, suspirium nostris, ἆσθμα Græcis appellatur. Ita quippe asthmaticos, atque eos spirare cernimus, qui concitatiùs procurrere coacti sunt. In hoc præfocans respirandi difficultas angit, quâ thorax & scapulæ plurimùm quidem attolluntur, sed paucus aër attrahitur. Hac vehementiùs correpti in suffocationis metum incidunt, si decumbant. Hinc quia spiritus non nisi erectâ ceruice trahitur, malum orthopnæa vocari consueuit, excandescenti asthmati non minùs quàm anginæ succedens. Grauitas summa sternum, dorsúmque contrahit, auido spiritu, altáque spiratione exiguus aër inducitur, quo tamen plurimo cor indiget: móxque is cum stertore prorumpit, & per angustias euadens sibilum elidit: Tussis exercet, sed quâ vix aliud nisi spumosum, & albicans magnâ contentione profertur. Concussione enim spumæ mouentur, & à coërcito intus flatu, continuâque aëris reciprocatione tenax humor bullat, quo pulmones distenduntur. Causa est crassa & glutinosa pituita pulmonis cauernulis tenaciter impacta, eásque ita obstruens vt summâ spiritus contentione vix possit euelli. Hæc enim illic aut destillatione, aut peculiari vitio primùm cumulari, coaceruaríque solet: Deinde pulmoni firmiùs inhærescens, nec tempestiuè expurgata, caloris vi, cordísque vicinitate sensim crassescit, & parte tenui dissipatâ, dissolutáque, in gypseam pituitam degenerat, quæ frequenti fluxione, tandem in grandinem concrescit, & calculi duritiem assequitur. Porrò is humor quamdiu conquiescit, nec causæ alicuius impulsu exasperatur, mitiora profert symptomata. Cùm verò aut constitutione austrinâ, aut cruditate & crapulâ humescit, aut motu & clamoribus agitatur, aut nouâ destillatione augescit, & amplificatur; tum vehementi angustiâ fatigat, & nouâ dyspnœæ accessione laborantem angit, maximo suffocationis metu. Signorum plurima cernuntur in crudo tuberculo pulmonum arteriis adnato, eásque obstruente; at citra stertorem, nulláque prægressâ destillatione.

Causa asthmatis.
Modus generationis asthmatis.
Asthmatis tranquillitas, & paroxysmus, vnde.
Crudi tuberculi pulmonum arteriis adnati signa.
Prognostica asthmatis.

Qui frequenti destillatione, & vetere tussi tentantur, qui depressum obtinent pectus, arctúmque sub hoc spatium, vt naturâ crassi, & gibbi ante pubertatem, hi asthmati sunt obnoxij: maximè verò senes pituitosi, & quibus hydrargyri aut arsenici vapor vnà cum spiritu haustus, pulmonem inficit, vt aurifices.

Curatio.

Pulmonum obstructio dum modica & adhuc recens est, neque ita arctè spiritum contrahit, facilè extenuantibus, detergentibúsque bechicis soluitur. Cùm autem iamdiu confirmata in asthma verum degenerauit, ægrè admodum remediis discutitur; sæpiúsque omnem curationis modum respuit. Quædam tamen experiri conueniet auxilia. Cùm igitur asthma solâ duntaxat magnitudine distet à superiore tussi & pulmonum obstructione, quam humor crassus, lentúsque excitauit, hoc non nouis, sed iisdem planè auxiliis erit oppugnandum, maiore tamen adhibitâ diligentiâ. Ipsa namque morbi tranquillitate, ac remissione, cùm scilicet dyspnœa minùs infestat, superuacui humoris portionem phlegmagogis per interualla repetitis, detrahere oportet. Non enim humor crassus in longinquas partes disiectus citra insignem perturbationem, iacturámque naturæ, potest vllius medicamenti vi, vniuersus in aluum confluere. Nec vlla huiusmodi vacuatio excandescenti, sed mitescenti morbo afferenda. Ergò cùm morbus minùs fatigat, & collectæ vires meliùs constant, purgationes decernantur; subinde tamen repetendæ quales superiore capite descripsimus. Aut hoc modo, à clystere ducto medicamentis initio.

Recens & modica dyspnœa facilè, inueterata ægrè sanescit.

Asthmatis eadem remedia quæ tussis.

Purgatio in asthmatis tranquillitate suscipienda.

Clyster.

℞. Maluæ, parietar. mercurialis, betæ, & calament. ana M. i. centaurij minoris, M. ß. furfuris p. i. semin. cartami, & polypodij querc. ana ℥ß. anisi, fœniculi, epithymi, ana ʒij. ficuum pinguium, & passular. mund. ana par. x. florum stœchad. & rorismarin. ana p. i. decoquantur, & in colatura dissolue catholici ℥i. hieræ picræ, & diaphœnici, ana ʒii. olei chamæmel. ℥iij. mellis anthosati, ℥ii. fiat clyster, quo sollicitabitur aluus ex interuallis.

Syrupus.

℞. Syrup. de glycyrr. & de hyssopo, ana ℥iiß. syrupi de prassio, aut oxymelitis simpl. aut scillitici ℥i. aquæ stillatitiæ radicum helenij, & capill. veneris, ana ℥v. aut decocti glycyrrh. ficuum, passular. & dactylor. ℥x. puluer. diaireos simplicis ʒi. fiat syrupus per triduum distribuendus. Aut vtatur superiore apozemate, aut hoc decocto.

Iulepus.

Decoctum.

℞. Radic. iridis, glycyrr. recentis, radic. asparagi, fœniculi & enulæ, ana ℥i. calaminthæ, prassij, hyssopi, melissæ, satureiæ, capill.

Alius.

capill. veneris, ana M. i. passul. mundat. par. xv. ficuum, paria iiij. dactylorum num. iij. anisi, fœniculi, seminis vrticæ, nasturtij, & althææ, ana ʒij. violarum p. i. fiat decoctio, & in colat. ℔iß. dissolue syrup. de glycyrr. & oxymelitis scillitici, ana ℥iij. fiat syrupus mediæ decoctionis clarificatus, & aromatizatus, cum ℈i. zinziberis, & ʒß. pulueris diaireos.

Medicamentum.

Potio phlegmagoga. ℞. Agaric. albissimi ℈iiij. zinzib. gran. iij salis gemmei gran. i. infundantur in ℥iij. aquæ hyssopi, & sescuncia mellis rosati colati, factâ expressione dissolue electuarij indi maioris ʒij. misce fiat potio.

Aut.

Alia. ℞. Hyssop. & capill. veneris, ana M. ß. glycyrrh. ʒiij. passul. & ficuum, ana par. iij. anisi & epithymi, ana ʒiß. carth. & agarici trochisc. in panno positi, ana ℈iiij. florum trium communium, ana p. i. fiat decoctio: & in colaturæ ℥iiij. dissolu. electuarij Indi maioris, vel diacarthami ʒiij. syrupi capill. veneris, vel de hyssopo ℥i. misce, fiat potio.

Pilula. Pilulæ iam priori capite descriptæ, hîc etiam conuenientissimæ sunt, aut pil. de hiera compositâ, qualis est hiera diacolocynthidos, aut Ruphi, adiecto agarici triente.

Decoctum laxans, imbecillioribus accommodatum in frequentes vsus.

℞. Folior. betæ & mercurialis, ana M. i. glycyrrh. ℥i. passul. ℥ß. hyssopi sicci ʒiij. cubebarum & semin. vrticæ, ana ʒij. semin. fœnig. ℥ß. carthami contusi, polypodij recentis, ana ʒvi. epithymi ʒij. anisi ʒi. fiat decoctio in iure galli veteris: cape de colatura ℔ß. in quâ infunde croci puluerizati ℈ß. fiat potio quâ frequenter vti licet, dum aluus non respondet.

Pilulæ ex interuallis vsurpandæ.

℞. Pulu. hieræ Galeni ʒiß. agar. recenter trochiscati ʒi. sarcocollæ electæ ℈i. epithymi & hyssopi, ana ℈ß. croci gran. ij. cum succo calamenth. aut satureiæ, aut hyssopi, formetur massa: ex cuius ʒi. fiant pilulæ vi. dentur bis in mense, & perendie aut à medicamento, aut ab harum assumptione detur theriacæ, aut mithridatij, aut aureæ Alexand. aut conf. diamosch. dulcis ʒi. hæc enim cerebrum, pulmones & latera firmant: atque si quid à purgatione reliquum est, halitu aut sudore digerunt.

Roborantia cerebrum & pulmones.

His

His ita circuitu quodam, & ordinatâ ſerie frequentiùs repetitis, morbi curatio inſtituitur; Atque vt morbus hic pertinaciſſimè hæret, ita in eo curando per multa & varia eiuſdem generis remedia euagari licet ne vni aſſueſcens natura, illius vim aſpernetur & contemnat. Cæterùm haud quaquam venæ ſectione, niſi maximè turgentibus venis, atque aliâ quauis ex cauſa corpus inanire par eſt. Nam detracto ſanguine impurus humor, quauis ſede derelictus ſit, efferatur, & pituita in pulmonibus imminuto calore, exolutiſque viribus grauiora profert ſymptomata. Neque præterea facilè ac tutò hîc vomitio cieri poteſt, ſed violenter & periculosè vomunt aſthmatici; quemadmodum etiam tabidi. In illis enim ſuffocationis, in his ruptionis metus impendet. At longè præſtabilius fuerit capiti, vnde mali ſæpè eſt origo, inprimis proſpicere, & pulueribus, ſacculis, emplaſtris, errhinis, interdum etiam vſtione opitulari: ne deinceps tot recrementis impleatur, aut ea in thoracem demittat.

Varianda eiuſdem generis remedia.

Cautio in vena ſecanda.

Syrmaiſmus in aſthmaticis ſuſpectus.

Hipp. aph. 8. lib 4.

Capiti in aſthmate proſpiciendum.

Nunc verò expurgato corpore, fluxionéque, ſi recèns illa ingruit, vt ſuprà dictum eſt, ſedatâ; demùm liberandus pulmo erit eâ materiâ, quæ iam inhæſit, & pertinaciter impacta eſt. Itaque extenuantibus, & abſtergentibus medicamentis pulmoni aptis ex acriorum ordine, ſed quæ lenientium perfuſione temperata ſint, curatio complenda. Etenim mitioribus humor diffunditur, & augeſcens pulmonem inflat: vehementioribus contrà præproperè ſicceſcit, & tenui parte diſſipatâ, reliquum ita obfirmatur, vt nulla deinceps curatione molliri poſſit. Quocircà eâ lege temperanda erunt omnia, vt mitioribus & lenientibus acriora retundantur, atque ex vtriſque compoſita conſtent. Ita quippe ſyrupus praſſij ſorbitione humectante & oblinente, aut ſyrupo capillorum veneris, quemadmodum oxymel ſimplex vel ſcilliticum ſyrupo glycyrr. temperandus, ac conuenienter mitigandus eſt Omnium autem conuenientiſſimus ſyrupus de hyſſopo cenſeri poteſt. Quòd ſi aſthmati pulmonum vlcus implicetur, quæ ex bechicωn ordine acriora ſunt arceto, mitiora ſeligito.

Cauſa coniuncta aſthmatis bechicis extenuantibus & abſtergentibus expugnanda.

Qualia bechica hîc eligenda.

Aſthmatis cum vlcere pulmonum curatio.

Aſthmati ergò eadem quæ inueteratæ tuſſi, bechica decernantur, ſuperadiectis tamen quibuſdam quæ flatus diſcutiant, vt aniſi, aut dulcis fœniculi ſemine, vel ſeſeleos, dauci, ac melanthij, quòd hîc non modò viſcoſa, ſed etiam ſpumans pituita concepto ſpiritu ſubſit. Additis inſuper quibuſdam quæ proprietate ſubſtantiæ aſthmati ſuccurrant, vt ſunt vulpeculæ pulmones arefacti, aut echini, aut muſtelæ, aut hirci, item aſellorum qui ſub hydriis agunt, in fictili vaſe vſtorum puluis, & vermiculorum ſerici, aut limacum cinis. Itaque præter ſuperiora remedia, quibus vt probatis, ſpectatiſque in omni grauiori pulmonum obſtructione, & in aſthmate vti licet, multa alia ab infarctu liberantia ſubiunximus; non quòd præcedentia virium imbecillitate damnemus, ſed quò maior habeatur remediorum ſupellex, faciliúſque ſibi Medicus copiam vendicet, & ad vſum poſſit comparare.

In aſthmate curando bechicis carminantia, necnon proprietate ſubſtantiæ iuuantia, admiſcenda.

Syrupus.

Syrupus.

℞. Oxymel. ſcillit. & ſyrupi de liquiritia, ana ℥iij. miſce, & tantillum ſæpè ſenſímque deglutiat. Aut:

℞. Syrup. de hyſſopo, & de praſſio, ana ℥iiß. miſce.

Eclegma.

℞. Pulmonis vulpis ex arte præparati ʒiß. puluer. diairis ſimpl. vel compoſ. ʒij ſucci glycyrrh. ʒi. ſacchari candi ℥ß. ſyr. capill. veneris & de hyſſopo, an. q. ſ. reducantur ad conſiſtentiam mellis, vtatur lambendo cum baculo glycyrrh. Aut hoc minùs gratum, ſed efficax.

Aliud.

℞. Pulu. diaireos ſimpl. ʒiß. puluer. enulæ, gentianæ, & glycyrrh. ana ʒi. hyſſopi ʒß. croci gran. iij. excipiantur melle aut ſimpl. aut ſcillitico, ſi vehementius eſſe volueris. Nonnullis cnici medulla ſaccharo aut melle eclegmatis in modum excepta probatur quammaximè. Aut ſic: Medullæ illius ℥ß. amygd. dulc. ʒij. ſtrobil. ʒi. cum melle ſcillitico, fiat eclegma.

Aliud.

℞. Amygd. dulc. granor. pini mundator. & infuſorum in aqua hyſſopi, aut enulæ, an. ℥i. conſeru. radic. iridis, & conſeru. helenij, ana ʒiij. pulmonis vulpis ex arte præparati ʒiß. pulueris glycyrrh. & ſucci eiuſdem, ana ʒi. electuar. diairis ſimplicis, & ſacch. candi, ana. ʒij. croci gran. ij. cum ſyrupo de hyſſopo, vel de glycyrrh. miſceantur dum lentorem eclegmatis aſciſcant. Quod etiam ſuprà ex eclegmate ſcillitico parauimus, efficaciſſimum eſt; quemadmodum & pandaleon adiectâ ʒi. pulmonis vulpis, & formulæ illic inſertæ.

Tabellæ.

℞. Pulueris diairis Salomonis ʒiß. pulu. diamoſchi dulc. ʒi. pulu. diapenid. ℈ij. conſeru. enulæ ʒij. ſacch. ſolidi aquâ hyſſopi, aut fœniculi diſſoluti, q. ſ. fiat electuarium in tabellis.

Opiata.

℞. Succi praſſij, vel hyſſopi, & ſucci ſcillæ, ſi haberi poſſit, ana ℥i. mellis optimi ℥ß. vnà coquantur dum lentorem contrahant: Deinde adde ſemin. vrticæ, maluæ & fœnic. ana ʒi. puluer. iridis, glycyrrh. & puluer. vulpis

vulpis ex arte præparat. an.℈iiij. zinziberis ʒi.conſeru.capil.veneris ℥i. conſeru. enulæ ʒvi. miſceantur in modum opiatæ, aut loco ſuccorum cum ſyrupo de hyſſopo conficiantur,detúrque quotidie inſtar caſtaneæ. Decoctum ſuperiori capite deſcriptum, & id etiam quod huius initio conſcripſimus, iuſtâ portione quotidie ieiuno dari, atque ex interuallis vſurpari debet. Pauperes hyſſopi decocto,inſperſo croco aut hyſſopo ex melle iuuandi,aut cæpa elixâ,vel ſub prunis toſtâ, & cum ſaccharo, vel cum butyri recentis momento deuoratâ;aut porro cocto & ex melle delincto. Dracunculi minoris radix,aut ari cocta, toſtaque cum melle,anhelatoribus & orthopnoicis mirè facit. *Dioſcor.l. 2. c. 196. & 197.*

Puluis pro ferculis.

℞. Pulmonis vulpis ſecundum artem præparat. ʒiß. glycyrrh. ʒiii. pulu.hyſſopi ſicci ʒii.pulu.iridis,& aniſi an.ʒiß.croci ʒß.ſacch. albiſſimi ℥i.fiat puluis tenuiſſimus, cuius ʒii. aut iij.eduliis inſpergat,aut vtatur in iuſculis. Interim ſi nimium vrgente tuſſi, aut quauis aliâ ex cauſâ ſomnus obrepere non poſſit,vt præmonuimus,philonio ſymptomati occurrendum, quamuis in materiam coniunctam quippiam pecces, quod erit deinceps ſyrupo extenuante,& detergente corrigendum. *Narcotici leniuſculi præbendi occaſio in aſthmate.*

Licet prætereà remediis externis oppreſſas pectoris partes non obſcurè leuare, quorum materiam ſuperiori capite indicauimus. Itaque paretur hoc modo. *Topica pectoris in aſthmate adhibenda.*

Vnguentum.

℞. Olei keirini ℥i.olei laurini & anethini,an.℥ß.mucaginis ſem.lini & fœnigr.tantundem, butyri recentis,vel medullæ cruris vituli ʒiij.ſtyracis calamitæ ʒiß. pulu.iridis,& ariſtoloch.rotund.an.ʒi.croci ʒß.ceræ parum,fiat vnguentum, quo partes pectoris calidè illinantur multâ frictione. Emplaſtra & ſacculi hîc minimè probantur, quòd pectus onuſtum magis grauent. *Emplaſtra & ſacculi improbantur.*

Poſtremò iis quæ ſuffitu intrò ſubeunt, corrigendorum pulmonum maxima vis ineſt; ſeruatis arctiſſimè legibus, quas priori capite dedimus: Materiâ enim repurgatâ, ſiccantibus vtendum, quæ quod reliquum eſt abſumant. Itaque ſuffitus ille imperandus. Aut paretur ex ſtyrace,myrrhâ,maſtiche,ariſtolochiâ rotundâ,galbano, caſtoreo, & auripigmento,aut(minùs firmis viribus)ſulphure,omnibus æquo pondere,terebinthinâ,aut butyro exceptis:vel terebinthinâ ſubigantur,iiſque ligni iuniperi fruſtula illinantur, quæ ſiccata, pro ſuffitu reſeruentur. Licet prætereà iis quæ ore ſumuntur,idem aſſequi, vt ſtyrace,aut opopanace, aut etiam myrrhâ ex ouo vel melle accepta. Quo fine quidam non minore ſucceſſu quàm periculo, ſulphur cum oui luteo exhibent. Si fortè experiri cogeris,leue id eſto, & perexiguum à quo initium ducas *Suffitus. Materia ſuffituum. Quædam ore ſumenda. Sulfur.*

 ſenſim,

ſenſim ordinatímque cauto pondere, dum quidem vires ferant, ne fiat in re ancipiti iactura grauis. Multò equidem tutius ac præſtantius è ſulphureis, nitroſíſque naturalium thermarum aquis remedium aſthmaticis comparatur; quos enim frigida, non autem ſalſa deſtillatio infeſtat, & quibus pituitoſi humoris lenta ac diuturna fluxio, ex conſuetudine in pulmones fertur, iis ſunt aquæ naturales, etiam potæ, perquàm vtiles. At quibus ex calida intemperie ſalſa deſtillatio frequens ruit, aduerſiſſimæ. Vtriſque autem cauſtico brachiis aut ceruici admoto, vel potiùs candente ferro ſyncipiti impreſſo ſuccurritur: quòd inducto vlcere diuturnus, conſuetúſque humorum curſus eò ſenſim deriuetur.

Aquæ naturales ſulfureæ & nitroſæ, aſthmaticis vtiles.

Cauteria.

Paroxyſmus.

Hæc ſunt quæ maiore morbi tranquillitate tutò agi poſſunt: At in ipsâ morbi excandeſcentiâ, & nouâ dyſpnœæ acceſſione, cùm ferè oppreſſo ſpiritu ſuffocationis periculum inſtat, tunc nouo conſilio opus eſt. Inprimis puro ac libero aëre, lucidiore loco, & temperato, ægrum contineto; blandè illum flabello ventilato, quò lenior aſpiret aura; minimè concutito; ſomnum prohibeto; erecto corporis, aut ſaltem thoracis & colli ſitu laborantem diſponito: ita quippe dum reſpirandi inſtrumenta in directum extenduntur, minúſque in ſeſe concidunt, liberiùs aër intrò fertur, & expirat. Aut nullo, aut leui cibatu eundem contineto, vt expreſſo pulli, aut laudatæ alterius carnis liquore, cui croci vis inſit. Largâ potione arceto, præſertim acceſſionis impetu, quo tempore vino interdicito. Atque huius vice ſit ptiſana, cui paſſulæ, ficus ac glycyrrh. incoxerint, aſperſo croci tantillo. Alioqui extra paroxyſmum vinò oligophoro & dulciuſculo, mellitíſque alimentis locus eſt: maximéque furfuris expreſſo cremore, coctóque & ſaccharo condîto æger recreari poteſt: At in acceſſione nihil iſtiuſmodi iuuat; ſed tum blandiendum potiùs morbo, ac inſtanti præfocationis periculo modis omnibus occurrendum, extremorum frictionibus, vinculis, cucurbit. Primùm natibus, deinde dorſo cui coſtæ innituntur, breui morâ affixis. Glande ano inditâ, aluus excitanda. Quibus nî cedat exacto triduo mali acerbitas, nec iteratis illis, ex paroxyſmo æger ſe recipit, tum cucurbitulæ ampliores, impreſſo priùs ſcarificatu, ſcapulis affigendæ. In vehementi ſpiritûs anguſtiâ non exiguam opem adfert gutta vna atque altera ammoniaci puri, oxymelitis ſimplicis vnciâ vnâ diſſoluti. Si nihil iſta etiam proficiunt; quoniam extremis morbis, extrema remedia; aut ſinapiſmo, aut phœnigmo pectori impoſito calorem excitare, & materiam foràs euocare oportet. Sinapiſmum ex caricis aquâ hordei præmaceratis, tuſíſque, & ſinapis ſubtiliſſimè læuigati ſubduplo parabis. Phœnigmum verò qui rubore facto veſiculas mouet, & exulcerat, ex anacardino melle, aut ex naſturtio, pipere, radice enulæ, columbino fimo, vrticâ, & ſcillâ trita. Horum quibuſdam, aut omnibus, anthoſato vel ſimplici melle vel

Agenda in aſthmatis paroxyſmo. Victûs ratio.

Auxilia, tam chirurgica quàm pharmaceutica.

Veſicantia, pectori admouenda.

vel resinâ exceptis, tantisper admoueto, dum erubescente parte bullæ excitentur. In extremis cantharides phœnigmis admiscentur, aut thapsia quæ illitu tussim discutit. Quod subscribitur, Paulo commendatissimum habetur ad suspiriosos.

Lib. 3. c. 29.

♃. Punicis partem i. fœcis vini combustæ part. iiij. auripigmenti part. i. schœnanthi part. ij. alcyonij part. i. aphronitri (aut illius loco) nitri part. ij. contusa incernuntur, vnguentísque excepta thoraci infricantur.

Hæc sunt quæ asthmati, orthopnææ & tussi veteri opitulantur; atque pulmonē crassis, lentísque humoribus infarctum commodiùs expurgant.

CAPVT VI.

De cruento sputo.

DE hæmoptoicis consequenter post tussim & asthma disserimus, siquidem ab illius vehementiâ succussus pulmo rumpitur, & sanguinem effundit. Cruentâ expuitione sanguis è diuersis partibus redditur, quas excernendi modus patefacit. Sanguis enim vomitionis impetu reiectus, è ventriculo prodit; præsertim si vel cibo, vel potui, vel pituitæ permistus sit, ac concretione nigrescens. Si verò screatu solo; è faucibus aut palato. Si tussi; ex arteriâ. Si è pulmonibus, aut thorace; verâ tussi ex imo pectore erumpente. Atque qui è pulmone est, tenuis, splendens, flauus, & spumans, nullo sensu doloris excreatur: è thorace contrà; quòd pulmo tenuissimam constitutionem nactus, & vernaculo spiritu confertus sit. Sanguis autem quo imbuitur, continuo motu spumosus bullat. Pulmonum vena hunc eructat rupta, aut aperta, aut exesa: quæ hoc modo distingues.

Hæmoptysis è variis partibus oriri potest.

Signa singularum, iuxta Gal. l. 4. de loc. aff. c. 6.

Tribus modis sanguis è pulmonib. prodit.

Violenter disrupta vena magnam sanguinis copiam affatim excreatione profundit, ex casu, attritu, vehementi frigore, intercluso ac distendente flatu, concitatiore motu, graui sublato pondere, clamoribus immodicis, vehementissimâ aut tussis aut vomitûs contentione. Quinetiam nimiâ plenitudine, quâ aut plenior victus, aut consueta aliqua euacuatio suppressa, imminutáve cumulauit. Itaque aucta hæc posteà confestim & concitatiùs erūpit, inusitatam sibi viam parans, quâ dimanet. Si verò exesa vena est, sanguis parcè ac sensim, & lāguidiùs quasi ex interuallis effertur; nisi tandem magis serpente vlcere erosa amplior vena copiosū effundat, diu prægressis exigui sanguinis sputis. Ergo primū sanguis obscurè, sensimque effluit ortâ erosione, ex cuiusuis humoris acrimoniâ, quam vel mordax, & salsa destillatio è capite procūbens, vel acer & exedēs humor è corde in pulmones effusus, vel pus in thoracis capacitate conclusū, vel victûs ratio calidis, acrioribúsque humorib. gignēdis idonea, protulerit. Quòd si prætereà cū sanguine aut ramēta, aut putris & exesa pulmonum

Ῥῆξις, aut ῥηγμοχασμὸς venæ in pulmone, eiúsque causa, & signa.

Διάβρωσις venæ, eiúsque signa ac causa.

Ἀναστόμωσις venæ, eiúsque signa ac causa. substantia exierit, certiùs causa prodetur. Aperta autem & reserata, quamuis nec derepentè, nec copiosum sanguinem effundat: attamen citra vllam (exceptâ plenitudine) priorum causarum significationem, ab æstu, à balneis, vini potu, cibísque calidioribus, eruptionis impetûs habuit originem, atque ab aliis causis, quæ aut sanguinem multo sero diluunt, aut humores ita extenuant, vel quouis modo exagitant, vt promptè venarum ora sanguis patefaciat, profluátque à venarum tunicis rarioribus atque laxis. Itaque præter excreationis copiam & modum, diligens etiam causarum antecedentium obseruatio affectum luculentiùs declarabit. Euidentes enim cruentæ excreationis causæ magnam signorum vim habent.

Curatio.

Prognostica. Hoc vitium incipiens quidem medicamentis vinci potest: sed si morbus iam inueterauerit, suppurationem creat, ac tabem infert; vtque pure pulmonem infersit, & vlcus impressit, difficulter abigitur, vixque remediis est locus. Sanguinis sputum, incipiénsque tabes venæ sectione arcetur, nisi acerrima destillatio hæmorrhagiam promouerit. At qui disruptis spiritûs receptaculis, aut oris patefactis & dehiscentibus sanguinem expuunt, venam iis secare conuenit, eámque interiorem cubiti. Imò verò citra plenitudinem, atque in ipsa penuriâ nonnunquam vena inciditur, quoties grauior casus, aut contusio eruptionem concitârit. At si mensium sursum confluentium multitudine reserata pulmonis vena cruentam expuitionem mouit; sanguinis impetum cæsa in malleolo saphæna deorsum conuertet. Cucurbitulæ, vincula, frictiones summarum partium, reuulsionis vi, sanguinem etiam reuocant. Reuulsione præmissâ, astringentibus remediis, vel assumptis, vel topicis vtendum, nisi concreti, ac retenti sanguinis grumi suspicio adsit. Tum quippe primo quouis tempore quæ grumum dissoluant imperanda, ne frigidos sudores, lipothymias, & sincopas extra vasa corruptus sanguis inferat. Concretus autem sanguis abstergentibus, & expectorantibus educitur, vt hordei decocto, & glycyrrh. addito tamen syrupo acetoso, aut oxymelite, qui quod coïerat incîdant.

Reuulsio per phlebotomen.

Qua vena secanda.

Alia reuellentia.

Astringentia, dissolutis priùs, si adsint, grumis.

Sanguinis grumos dissoluentia.

Potio sanguinis grumum dissoluens.

℞. Aquæ fontis ℥iij. sacch. ℥iß. oxymel. simpl. ℥i. coaguli leporis, aut hædi ℈i. Misce, detur tepidum.

In casu, atque attritu graui, potio.

℞. mumiæ ʒß. boli arm. rhabarb. torrefacti, an. ℈i. seminis plantag. ℈ß. rubiæ tinctorum, gran. viij. syrupi myrtini ℥i. aquæ plantag. q. s.

q. s. Misce, fiat potio, quæ sæpiùs exhibeatur. Vbi quis ab edito loco prouolutus est, comparentur medicamenta ex astringentibus, agglutinantibus, & exsiccantibus, iam in hæmorrhagiâ seorsim definitis. Sic tamen inuicem coaptanda sunt, vt agglutinantia magis ruptis & exesis, alia verò apertis potiùs destinentur. Atque vt è multis pauca referam huic affectioni accommodatiora. In astringentibus primas tenent portulaca, plantago, bursa pastoris, symphytum, polygonon, oleæ folia, baccæ & folia myrti, semen plantag. & portulacæ, ac rosæ ipsæ: quibus adduntur nux cupressi, galla, hypocistis, balaustia, acini vuæ, & mali punici. Ex agglutinantibus electiora sunt bolus armenius, terra lemnia, lapis hæmatites, tragacantha, gummi arabicum, amylon, mumia, thus, mucago cydoniorum, & psyllij, semen maluæ, althææ, bombacis, papaueris albi, mastiche, candidus oui liquor. E resiccantium numero cæteris præcellunt corallium, electrum, cornu cerui vstum, margaritæ: Quibus adduntur alia singulari & abstrusâ facultate insignita, vt ocymum minus, partium tenuitate pollens, succus porri, menthæ, & succus vrticæ, & centaurium minus inprimis efficax, quo non temerè, sed delectu maximo vtendum ad ʒii. ex aqua: puluis item florum nucis, aut florum cucurbitæ ex ouo datus, aut cannarum vstarum cinis. Atque hæc quidem simplicia; nunc composita exponamus.

Astringentia, agglutinãtia, & exsiccãtia venis ruptis, exesis, apertis conueniunt.

Astringẽtium sylua.

Agglutinantium.

Exsiccantiũ.

In compositione hæ leges sanciendæ, primùm maximè caueto ne nimiùm astringas, vnde dyspnæa exasperetur, & lacessitâ tussi acerbiùs infestet. Multa hæmoptoicis remedia complures literarum monimentis prodiderunt, sed aut inutilia, aut noxia, quòd nimiùm arteriam contrahant, viásque exasperent, per quas spiritus euadit. Tradunt enim aliqui sanguinis sputa sisti gallâ, glande, suberis corticis cinere, internâ castanearum tunicâ, mespilorum foliis, cornis, sorbis, & similibus, quæ sanguinem aliunde manantem efficacissimè cohibent. At è pulmonibus erumpentem periculosè supprimunt. Itaque astringentia glutinantibus, ac quibusdam lenientibus temperanda; quibusne in transitu hæreant, nonnihil tenuium partium commiscendum, vt nardus, schænanthos, cinnam. aut aliud simile, quo, tanquam vehiculo, in partem affectam ducantur, & liberiùs permeent: Longior quippe via est per viscera, partésque multas directa in pulmones. Quinetiam vbi tussis vehementiùs fatigat, & concutit, ad narcotica descendendum, horúmque tantillum prædictis inserendum, quibus acquiescat tussis, fluxionis impetus cohibeatur, & somnus furtim obrepat: huiusmodi sunt opium, semen papaueris albi, semen hyoscyami albi; & in compositis diacodiωn. syrup. de papau. philonium Romanum, theriaca recens, diaspermatωn Galeni, quinto methodi. Syrupi vsurpentur myrtinus, de rosis siccis, cydoniorum, de ribes, & de iuiubis cum aliis mixtus: trochisci de spodio, de terra sigill. de carabe. Conseruæ rosarum, symphyti, caro cydoniorum.

Leges in compositionib. ad hæmoptoicos obseruanda.

Nimis astringẽtia vitãda.

Astringentia lenientibus temperanda, additis leptomeriá prædictis, quæ sint aliis instar vehiculi.

Narcotica prædictis interdum admiscenda.

Paul. l. 7. cap. 12.

Iam verò componendorum medicamentorum, ac præscribendorum

ratio ſubnectenda. Primò aſſumptorum, quæ gemina ſunt; horum enim alia ore accepta in ventrem ſtatim deuorantur; alia ſenſim lambendo & deglutiendo illabuntur in arteriam, de quibus poſteà.

Apozema.

Primũ genus medicamentorum ore ſumendorum, quæ ſcil ſtatim deglutiuntur.

℞. Radicis ſymphyti maioris ℥i. equiſeti, centinodiæ, plantaginis, verbenæ, millefolij, portulacæ, burſæ paſtoris, an. M.i. iuiubar. ſebeſten, an. p.x. Dactylor. immatur. N.iiij. ſem. cydonior. papau. albi & acetoſæ, an. ʒiij. ſumach, granor. mali punici exſiccator. & hypociſtidos, an. ʒii. ſem. fœnic. ʒi. roſar. rubr. folior. & baccar. myrti, an. ʒiß. florum œnanthæ, florum cucurbitæ aut ſalicis, an. p. i. fiat decoctio in aquâ pluuiâ, in qua elixum fuerit corallium vtrumque in puluerem redactum, & panno lineo ligatum: cape de colaturâ quart. quinque: In quibus diſſolue ſyrupi myrtini, & de roſis ſiccis, an. ℥iij. ſyrupi de papauere ℥i. pulu. ſantali citrini, & ad penetrationem cinnam. interioris, an. ʒi. aut trochiſcor. de ſpodio tantundem. fiat ſyrupus clarificatus, & aromatizatus pro quatuor doſibus. Althææ decoctum potum auxilio eſt.

Decoctum althææ.

Syrupus.

℞. Syrupi de roſis ſiccis, & myrtini, vel cydonior. an. ℥ii. aquor. plantag. & portulacæ, (vel ſublimationis nucum cupreſſi, & burſæ paſtoris) an. ℥v. pulu. diamarg. frig. & trochiſc. de carabe, an. ʒß. Miſce, fiat ſyrupus clarificatus pro triplici doſi, vrticæ ſuccus ℥iiij. pondere, ieiuno ventriculo per triduum hauſtus, admirabili præſidio ſanguinem ſiſtit.

Succus vrticæ.

Opiata.

℞. Conſeru. roſar. antiquæ, & conſeru. ſymphyti, an. ℥i. conſeruæ violarum ʒvi. myrobal. emblicarum ſacch. condit. N.i. lapidis hæmatitis in cote diligenter attriti, & pulueris diamarg. frig. an. ℈iiij. corall. rubri vſti, & aquâ roſar. loti, trochiſc. de carabe, & boli arm. præparati, an. ʒi. minæ cydoniorum ſine aromatibus, q. ſ. fiat in modum opiatæ, ex quâ quotidie manè ſumat ad quantitatem nucis, bibendo poſteà cochlearia duo aquarum portulacæ, & calicum roſarum. Ex eadem opiatâ fieri poteſt conditum cum ſaccharo roſato tabulato, loco ſyrupi, & imminutâ quantitate puluerum.

Conditum ad idem.

Potio.

℞. Pulu. trochiſc. diacorallij, trochiſc. de Karabe, & boli arm. loti, an. ℈i. trochiſc. de terra ſigillata, aut loco horum, de ſpodio, ℈ß.

ſyrupi

ſyrupi myrtini ℥i. ſyrupi de papauere ℥ß. aquarum arnogloſſæ, & peculi roſarum, an. q.ſ. Miſce, fiat potio: detur horis quatuor poſt cœnam, vel etiam manè.

Electuarium.

℞. Pulu. diacorallij ʒi. pulu. diacydoniten ſine aromatibus, & boli armeni loti, vt artis eſt, an. ℈ij. pulu. diamargar. frig. trochiſc. de ſpodio, & cornu cerui vſti, an. ℈i. ſpicæ nardi ℈ß. conſeruæ ſymphyti. & roſar. antiquæ, an. ʒiß. ſacch. ſolidi in aqua burſæ paſtoris diſſoluti, quantum ſatis, fiat electuar. in tabell. pondere ʒiij. capiat vnam tribus horis ante cibum.

Puluis.

℞. gummi arab. & tragacant. boli armenæ, an. ʒiß. radicis ſymphyti ℈iiij. ſem. plantag. cornu cerui vſti & loti, corallij rubri, eodem modo præparati, lapidis hæmatitis exactiſſimè pulurizati, & margarit. electarum, an. ʒi. glycyrrh. electri, an. ℈ii. ſem papaueris albi, portulacæ ſem.cydon.maluæ,& hyoſcyani albi,an. ʒß.cinnam. ℈ß. fiat puluis: capiat ℈ii. cum albumine oui diutiùs agitato, aut ouo ſorbili, aut iuſculo cui portulaca incoxerit, aut cum aqua chalybeata, aut in quâ gummi arabicum & tragacanthum præbullierint: ſæpiùs vtatur.

Confectio mollis, in eroſa vena.

℞. Rad. ſymph. recentis ℥i.gummi tragacanthi & arabici, boli arm. præparat. amyli torrefacti, lapidis hæmatitis exactiſſimè triti, an. ʒii. corallij rubri, cornu cerui vſti & loti, ſuccini, margar.ſplendid.roſar. rubr.an.ʒiß. papau. albi, ſem. portul. plantag. maluæ, ſem. roſ. & ſucci glycyrrh. an. ℈iiij. penidiorum, aut ſacch. roſacei ℥iiij. philonis antidoti ℥ß. ſyrup.de roſis ſiccis, aut de papauere,q.ſ. foliorum auri,N.x.fiat electuarium molle; ſumat quotidie manè ad quantitatem caſtaneæ cum aquâ plantaginis. Eandem confectionem frequenter ore continere, & ſenſim deglutire conueniet.

Si ne iis quidem ſanguinis ſputum conquieſcat,valentioribus narcoticis acerbior tuſſis impetus placandus, ac ſomno arctiore ſanguis inhibendus: ne per tuſſim inflatus, ſpiritúque turgens pulmo agitatione venas dilaceret,atque diſrumpat. Ergo ſyrupi ex papauere aut diacodion cum ſapa ℥i. dormituro propinetur, ſenſim deglutienda, aut philonij Romani,vel perſici à Meſuë deſcripti,aut Athanaſiæ,aut theriacæ recentis ʒi.aut pulueris requiei ʒß. exiguo rhodoſacch. mixta. Eodem ſpectant trochiſci ſequentes.

Neceſſitate vrgente, ad valentiora confugiendū narcotica.

Trochiſci

Trochisci Rhasis.

℞. Lapidis hæmatitis, terræ sigillatæ, aut loco illius, boli arm. an. ʒv. succini ʒiiß. thuris, sang. drac. balaust. an. ʒiß. aluminis, rhabarb. an. ʒi. opij. ℈ii. Ex iis portulacæ succo aspersis informentur quinque aut sex pastilli, quorum quotidie vnum succo ocymi maioris aut portulacæ læuigatum propinabis.

At si vires labant, in iis reficiendis & instaurandis omne tum studii, collocari debet: Idque alimentis boni succi, quæ cacochymiam emẽdent ac morbo sint aduersa; Atque inprimis instaurante destillatione ex pulu. caponum, perdicum, cum prædictis conseruis, ac pulueribus præparatâ, eâ formâ quam proximo capite dabimus, aut subscriptâ confectione.

Confectio in forma manus Christi, vires reficiens.

℞. Boli arm. corallij rubri, electri, lapidis hæmatitis, gummi arab. & tragacant. an. ʒi. sem. plantag. sem portul. & bombacis, an. ʒß. amygd. dulc. mund. & infusar. in aqua ros. ℥ij. gran. pini recentium, eodem modò infusorum ℥i. pulu. elect. diatrag. frigidi ʒi. pulu. diacodion ʒß. pulpæ caponis decoctæ in aqua extinctionis chalybis, ℔ß. sacch. in aqua rosar. dissoluti, q. s. fiat confectio solida ad formam manus Christi. Cæterùm iis quæ ore accepta sensim lambendo & deglutiendo in asperam arteriam demittuntur, sistendi è pulmone sanguinis maxima vis inest. Vtilissimè verò lentâ ac crassiore medicamenti formâ concinnantur: qualis eclegmatis est, aut crassioris syrupi, aut tabellarum; lenta quippe, quoniam diutiùs subsistit, hærétque faucibus, maiore portione subit in asperam arteriam: hîc autem lenientia perpetuò miscenda erunt astringentibus.

Alterum genus medicamentorum ore sumendorum, quæ scil sensim delinguntur.

Eclegma.

℞. Cornu cerui vsti & diligenter loti, rasuræ eboris, an. ʒiß. lapidis hæmatitis, corallij rubri vsti & aquâ rosar. loti, an. ℈iiij. sem. maluæ & bombacis mund. an. ℥iß. plantag. & acetosæ torrefacti, an. ℈iiij. gummi tragacanth. ʒii. pulpæ sebesten ℥i. mellis optimè despumati, quantum satis, ad incorpor. donec reducantur ad formam eclegmatis: capiat frequenter, sensim deglutiendo.

Aliud.

℞. Conseru. rosarum antiquæ, & conseru. symph. an. ℥i. gelatinæ cydoniorum sacch. condit. ℥ß. boli arm. lotæ ʒiß. amyli & gummi tragac.

tragac. an.℈iiij. ſem.portul.pulu. diatragacant. frigidi, aut diapenidion ſine aromatibus,an.ʒi. trochiſc.de Karabe ℈ij.ſyrup. myrtini,vel de papauere,q.ſ. donec ad conſiſtentiam eclegmatis perueniant.

Aliud ex candido oui.

℞. Boli arm. ſang. drac. an.ʒiß. portulacæ,ſeminis papaueris albi, an.ʒi. amyli, tragacant. an.℈ij. margar. lapidis hæmatit. corallij rubri, an.ʒß. roſarum rubr.℈i. pulueri zentur exactiſſimè, demùm albumine oui diutiùs agitati excipiantur,ad lentorem eclegmatis. Eadem poſſunt etiam mucag. ſem. cydonior. aut pſyllij excipi, aut ſyrupo conueniente.

Syrupus.

℞. Syrupi de iuiubis, myrtillorum, & roſarum,an.℥iij. miſce, aſſumat cochlearia duo lentè demittendo.

Syrupus.

℞. Aquarum burſæ paſtoris, portulacæ & plantaginis, an.℔ß. trochiſc. de Karabe ʒi. cornu cerui vſti, gummi arabici, & tragacant. lapidis hæmatitis, an.℈ij. boli armen. ʒß. modicè efferueſcant, & colo transfundantur: deinde fiat leuis ebullitio; & colaturâ factâ, adde ſyrupi cydoniorum ℥iiij. miſce,capiat frequenter.

Formulæ, & pandaleon.

℞. Boli arm. aquâ roſarum lotæ ʒii. gummi tragacanthi, arabici, & amyli, an. ʒi. ſem. papaueris albi, ſem. portulacæ, an.℈ii. roſarum rubrarum, corticis mali punici, & pulu. oſſium myrobal. an. ʒß. ſem. naſturtij torrefacti, & cinnamomi craſſi, an.℈i. cum ſyrupo de roſis ſiccis,aut myrtino, fiant formulæ; ore contineat vnam, præſertim ſomni tempore. Aut addendo penidiorum ℥ij. ſacchari ſolidi in aqua roſarum infuſionis gummi arabici,q.ſ. fiat pandaleon, capiat frequenter, in ore continendo. *Pandaleon.*

Aliæ.

℞. Pilul. bechicarum ℥iiij. aut penidiorum tantundem, contineat ore,aut bolum armenam, aut conſeruam roſarum; aut ſaccharum roſatum; præſertim cum puluere corallij rubri, & margarit. præparatarum. Idem præſtat portulaca præmanſa,aut ore retenta.

Admota.

Remedia externa, iecori & pectori admouẽda, in sputo cruẽto.

Confert præterea ruentis sanguinis impetum cohibere externis, quæ tum iecori admouentur, vnde fluxionis origo, & vbi sanguinis fons; tum iis quæ foris pectori imponuntur. Admouenda autem thoraci, non quæ vehementer astringunt, neque protinus. His enim pectus offenditur, sanguis in pulmones coniicitur ac concrescit, tussis proritatur, difficiliórque respiratio euadit. Sed iam exhausta copia, mitiora astringentia atque emplastica locum habent; vt oui candidum, astringenti puluere conspersum, quibus tantillum aceti admisceatur; siquidem carnosior sit homo, & neruorum robore constans, æstate, nec admodum premente tussi.

Cautio in vsu astringentium circa thoracem.

Vnguentum hepaticum.

♃. Cerati santalini & vnguenti rosat. descriptione Mesuei, diligenter loti aqua endiuiæ, an. ℥ii. olei cydoniorum, & olei myrtini, an. ℥iß. pulu. nasturtij, ʒii. sem. portulacæ, & endiuiæ, an. ʒi spicæ nardi, & schœnant. an. ℈i. misce, fiat vnguentum, quo vngatur tepidè regio hepatis, addendo tempore vnctionis, aceti vini albi parum.

Vnguentum pectorale.

♃. Olei melini, myrtei, vel rosacei omphacini, an. ℥iii. olei amygdal. dulc. ℥iß. aceti vini albi ℥ß. (Si obesus sit & benè carnosus, sin minùs, vini tantundem) sang. drac. boli arm. corticis thuris, an. ʒiß. santali citrini, gummi arabici ℈iiij. ceræ q. s. fiat vnguentum, quo vngatur regio pectoris.

Remedia therapeutica sunt etiã prophylactica.

His ita sanguinis sputo & præsenti & imminenti succurritur. Eadem enim est præsentium & futurorum communis indicatio, & quæcunque morbis præsentibus rectè peraguntur, eadem imminentibus illis, agi possunt. Quum autem sanguis per circuitûs emittitur, & interuallis quibusdam concitatur vehementiùs; non in ipsa eruptionis accessione, siquidem vehemens est, sed duntaxat cùm eius est aut intermissio, aut pauca sanguinis expuitio, acres humores expurgare conuenit medicamento mitiore, cuius facultas corpus minimè exagitet.

In intermissione solùm sputi cruenti periodici, purgandum.

Medicamentum purgans.

Bolus purgans.

♃. Medullæ cassiæ recenter extractæ ʒvi. rhabarb. electi ℈iiij. misce, fiat bolus, capiat per se, vel in decoctione pectorali dissolutum, Aut.

Alius.

♃. Cassiæ recenter extractæ ℥i. pulpæ sebesten ʒiii. cum saccharo fiat bolus. Aut.

Potio purgãs.

♃. Prunorum & iuiubarum, ana par. v. passul. mundat. & liqui-

ritiæ recentis, ana ʒii. florum trium communium, nenuphar. & rosarum, ana p. i. tamarind. ʒvi. fiat decoctio. In quartario vno colaturæ dissolue mannæ granatæ recentis ℥i. corticis myrobal. citrinorum ʒiß. rhabarb. puluerizati ℈iiij. syrupi rosati laxatiui ℥i. aut violati, misce, fiat potio: detur. Vbi verò à capite in pulmones exedens, & acrior, humor illapsus, erosa vena, sanguinis profusionem concitarit: inhibeatur fluxio suffitu & emplastris, quæ tum cap. de catarrho, tum de phthisi præscripsimus. Quinetiam auertenda est & deriuanda admoto cauterio ex Vigonij capitello vtrique brachiorum internæ parti, quatuor aut quinque digitorum mensura, ab humore distanti. Quum verò crustæ decident, vlcus diu apertum ac manans prorogetur, idque aut cicere, aut ceræ viridis globulo. Idem fiet si supremo ceruicis loco adhibeatur. His quippe fluxio lenta & diuturna, in tractum nouæ viæ conuersa, sensim à pristino desciscit. Si verò ex longa consuetudine fluentes hæmorrhoides repentè cohibitæ plenitudinem inuexerint, atque sanguinis sputum; illas multiplici hirudine euocare conuenit. Quemadmodum si plenitudo ex suppressis mensibus coagmentata, quibusdam circuitibus cruentam expuitionem promoueat, congruenter inhibebitur inferiorum venarum sectione, ac reliquis externis præsidiis, quæ menses exciunt.

Curatio hæmoptyseos ab erosa vena pulmonis.

Cauterium brachio inurendum.

Curatio hæmoptyseos à suppressis seu hæmorrhoidibus seu mensibus.

Victus.

Os silentio continere; spiritum frigidum cum potu introducere; leniter respirare; conquiescere; perturbationibus vacare; fluxionem sistere; figura sublimi residere; loco frigidiore contineri; vires reficere alimentis boni succi, refrigerantibus, incrassantibus, & lentis, quæ humorum acrimoniam tenuitatémque emendent, ac morbo sint aduersa. Id genus maximè habentur cochleæ elixæ, oua sorbilia, alica, oryza, simila vocata, pulticula ex similagine, aut mundata lente; amylon amygdalino temperatum, cui sacchari rosati, ac rosaceæ aquæ vis insit. Animalium extrema, eorúmque iuscula, quibus portulaca, oxalis, vrticæ folia, rhois semina, aut symphyti radix orbiculatim dissecta, ac similia incoxerint; nonnunquam etiam ptisanæ cremor vsui erit. E fructibus, cydonia, pira, poma deligito; pane vti conuenit, cui præparatum coriandri semen insit plurimum. Vino abstinere, chalybeatam, aut eam in qua tragacant. aut gummi arab. momentum, & rhois, aut baccarum myrti tantillum maduerit. In summa, omnibus flatulentis, amaris, salsis, acribus, acidis, aperientibus, & extenuantibus abstinere consentaneum.

Neque æger vt primùm sanguis substitit, ad consueta munia properet, neque celeriùs inambulet. Neque vllo exercitationis genere se fatiget, neque vtatur venere, neque in balneum descendat, quandoquidem sanguis & spiritûs vehementiùs incitati, ne dissipentur aut incalescant, sedandi, reprimendíque sunt.

CAPVT VII.

De Phthisi.

Pthisis quid.

PHthisis pulmonum exulceratio appellatur, quâ corpus ſenſim exareſcit,& comite lenta febre abſumitur. Quam enim propriè nominant φθόω Græci, hanc Hippocrates Φθίσιν dixit; quæ pulmonis vlcera conſequitur, & totius corporis cum febre extenuationem. Eſt quidem tabes omnis corporis conſumptio, à principe aliquo viſcere profecta, cuius vitium naturalem calorem proterit, & in atrophiam præcipitat. Sed propriè ea eſt quæ pulmonis vitio, atque exulceratione infertur.

Signa vlceris pulmonum. *Excreta vlceris pulmonum.*

Pulmonum vlcus neque dolore neque acrimonia conſpicuum eſt: ac proinde diu ſæpe latet incomprehenſum, ſenſímque ſerpit dum planè ſordeſcat,exedatque tenellam carnem & vaſorum ſubſtantiam. Ac cùm recens eſt noſcitur,quòd ſanguinis nonnihil frequenter eructet, & tuſſi extundat.Tempore vlcus magis,magíſque progreditur, è quo tum ſordeſcente,purulentum ſputum tuſſis impetu educitur, lentáque ſemper comitante febre,quæ in hecticam faceſſit.Vlcere dein penetrante & depaſcente,ipſa caro,propriáque pulmonis ſubſtantia putris & exexa nonnunquam reiicitur, miſcentúrque interdum ramenta, tanquam deſectæ bronchiorum partes.Atque licèt illud cruſtula aliqua obducatur;tamen deinceps tuſſis impetu eruitur,refricatúrque vlcus,modò cruentam,modò purulentam ſaniem circuitu quodam eructans,quâ ſputum inquinatur. Id enim carbonibus iniectum, fœtorem exhalat,& in aquam coniectum,ſæpiùs ima petit,ac fundo ſubſidet, omni ſpiritu quo ſuſtentatum innatet,iam deſtitutum. Laborans tetri ſpiritûs contagione vicinis moleſtus eſt & grauis: corpus atrophia elangueſcit, & miſerè conſumitur; dum tandem aridum & ſtrigoſum in ſceleton deſinat.Hinc pili defluunt; hinc periculoſa lienteria,hinc ſudores ſymptomatici,quibus ſolidæ partes colliqueſcunt: hinc præcordia ſurſum reuelluntur, vngues curuantur,nares acutæ fiunt, oculi concaui, liuidæ genæ,collapſa tempora; & tandem corrupto vapore,in cor,vitæ fontem, inſpirato,mors.

Habitus corporis pthiſicorum. *Signa phthiſis epigenomena.*

Cauſa phthiſis.

Pulmonum exulceratio cauſam habet acrem & exedentem humorem, qui tenellam illorum ſubſtantiam labefactat.Sic enim mordax,ſalſáque pituita è cerebro,aut bilis ſanguíſque feruidior è corde in pulmones illapſus, aut pus è peripneumonia vel pleuritide non expurgata relictum,atque in thoracis capacitate ſubſidens pulmonem flaccidum ſenſim corrumpit,exedit,& exulcerat,haud ſecùs quàm acria medicamenta. Quinetiam ex rupta vel eroſa vena per hæmoptoicas affectiones plerumque tabes inſequitur. Ita namque ſcripſit Hippocrates. A ſanguinis ſputo, puris ſputum.

Aph.15. l.7. *Pthiſici naturâ qui ſint.*

Phthſis ergò modò per ſe oritur, modò ſanguinis ſputo, aut empye-

miati

mati ſuccedit. In illam maximè propenſi ſunt, quibus ceruix gracilis & oblonga,& quibus preſſum,anguſtúmque pectus. Hi ſunt quorum natura vergit in phthiſim, quos Hippocrates πτερυγώδεις appellat, quia coarctato pectore à prima conformatione, iis ſcapulæ alarum inſtar prominent; frequens autem deſtillatio in corpore tenui, longóque tabem minatur.

Curatio.

Prognoſis.

Cur pulmonum vlcera duriora.

Pulmonum vlcus vix vllis paret remediis,niſi confeſtim occurratur, feréque manet immedicabile, ob perennem motum, ob multiplicium vaſorum tunicas craſſas,ob tenellam & corruptioni paratam pulmonum ſubſtantiam, ob collecti puris diuturnam moram, parte ſpongioſa id combibente,quod interim retentum cohærentes partes erodit,& ſerpente putredine vitiat.Præter hæc,pulmonis ſiue compoſitionem,ſiue calidum,bilioſúmque temperamentum,& alimentum,ſiue cordis vicinitatem, & adhæſionem reſpicias, mox conſpicuum erit illius vlcera, aut nuſquam,aut difficillimè agglutinari.Quin etiam ab inducto aëre frigido;ab irruente aſſidua deſtillatione,atque omninò à propriis excrementis,quibus vlcus continenter abluitur;denique à difficili & tardo remediorum tranſitu,& à ſymptomatum implexu,quæ vlceri curando aduerſantur,curandi difficultas oritur. Calida enim febrem intendunt; frigida ſputum retinent, tuſſim irritant,dyſpnœam augent. Sicca, expuitionem quoque præpediunt,atque hecticæ & atrophiæ non parum obſunt; humida, vlceri, vnde magis ſordeſcit, cuius colluuies non niſi tuſſi expurgari poteſt:quanquam ipſo tuſſis impetu magis & magis refricetur. Quare vix pulmonis vlcera coaleſcunt, & rariſſimè cicatrice obducuntur. Quædam tamen experiri conueniet auxilia quibus æger aliquantulum ſubleuari poſſit, ac faciliùs morbum ferre. Horum alia vlceri erunt, alia atrophiæ aptanda,atque etiam lentæ febri, & reliquis ſymptomatis quibus vlcus ſtipatum progreditur.

Indicationes.

Cauſæ antecedētis ablatio,quæ varia eſt pro varietate cauſæ.

Vlcere incipiente, illius cauſam antecedentem inprimis excindere oportet,alioqui hac perſiſtente, nequeat vlceris ſanatio compleri. Primùm igitur omnem corporis cacochymiam expurgare cōuenit, ſanguinis humorumque acrimoniam temperare,atque reſtinguere;fluxionem acrem & ſalſam ſiſtere,auxiliis in deſtillatione notatis, ſiquidem illa vlcus intulit. At ſi empyema non expurgatum pulmonem labefactat, & exedit;illud bechicis quib. aſthmati,& inueteratæ tuſſi ſucurritur,protinùs erit repurgandum. Quemadmodum vbi ex ſanguinis ſputo tabes inſequitur, hæmorrhagiam quamprimùm compeſcere neceſſe eſt, venæ ſectione,ſi vlcus nondum altè impreſſum eſt; alioqui cucurbitulis, frictionibus, vinculis ſatisfit, atque hæmorrhoide incitata, aut menſium fluxu renouato,& auxiliis omnibus iam expoſitis,quibus ſanguinis ſputum ſubſiſtit; incipiénſque tabes arcetur. Itaque ad cauſam primò venire oportet,& cauſæ occaſionem, ſic demùm vlceris curam habere,tum

Hipp.lib.2. Epid.ſect.4.

Catharsis, eáque blāda, instituenda, ad cacochymiam demēdam: necnon alteratio conueniens humorum.

detergentibus, tum agglutinantibus. Inprimis ergò corporis impuritas, si morbo originem dedit, blande expurgetur manna, cassia, syrupo rosato, aut alio quouis è benignorum ordine. Acrimonia quoque humorum temperetur, & alterantibus frigidis pulmoni aptis mitescat. Iam remediorum formas subnectamus.

Clyster.

℞. Emollientium herbarum, & borrag. an. M.i. hordei integri, p.i. passular.mundat.prunor.dulc.an. par.xx. quatuor sem. frigid. maior. an. ʒii.anisi ʒi.trium flor.comm.an.p.i. fiat decoctio in iure pulli, aut capitis & interaneorum veruecis, vel agni, vel hædi, & in colatura dissolue facchari rubri, & mellis rosati colati, an.℥iß.olei amygd. dulc. & violar. an.℥ii.cassiæ recenter extractæ ℥i.fiat clyster. Iniiciatur ante omnia: quo dum pigrior fuerit aluus, licebit deinceps ventrem mouere, aut demptâ cassiâ; immixtísque ouorum luteis, corpus refouere.

Syrupus.

Iulep.pectoralis.

℞. Syrupi viol. ℥iiij. syrupi capill. vener. aut de iuiubis & endiuiæ simplicis, an.℥iß.decoctionis glycyrrh.seminum frigid.passular.iuiubar. & sebesten, ℔.i.fiat syrupus clarific.& aromatiz.cum ʒi.pulueris diatrag. frig. pro quatuor dosibus. Aut vsurpentur qui ad tenuem & calidam tussim iam sunt descripti.

Medicamentum.

Potio purgās perquàm blanda.

℞. Decocti pectoralis, quart. i. in quo dissolue mannæ recentis ℥i. cassiæ recenter extractæ ℥ß. syrupi violati ex nouem infusionibus (aut illius defectu, syrupi rosati) ℥iß. misce. At si vires meliùs constent, nec ita corpus emarcuit, adiicito rhabarb. in prædicta decoctione infusi & expressi ʒi. spicæ nardi g. v. Minùs constante robore, galli antiqui ius lenissimè aluum laxabit; incoctis vnà passulis, prunis, ziziphis, myxariis, glycyrrh. strobilis, violis, atque harum syrupo sorbitioni adiecto. At si facultates desint, diaprunum simplex & catholicum, ex decocto pulli, aut hordei mundati, addito sacchāro, purgationi sufficient. Neque temerè ad vehementiora progrediendum. Macilenti enim acriter feriuntur praua medicamenti qualitate & acrimonia. Quibus etiam partes ad vmbilicum, & imum ventrem extenuatæ sunt, ad inferiores purgationes tuti non sunt, multóque minùs ad superiores.

Decoctum galli veteris. Purgatio pro pauperibus.

Aph. 35. l. 2.

Vlceris cura propria.

Detergentia.

Iam verò ita leniter expurgato corpore, fluxionéque tum causticis & candente ferro, tum emplastris, modísque anteà narratis, suppresfâ; mox

vlceris

vlceris curam instituere, & habere oportet. Dum ergò cruentum sputum eiicitur, sanguisque erumpit, medicamentis superiori capite explicatis sanguinem reprimere par est. Vlcus autem sordidum hinc derelictum abstergendum, atque tantisper bechicis à pure repurgandum erit, dum purulenti nihil, sordidúmve proferat. Id vbi iam purum videbitur, agglutinandum sedulò fuerit, & cicatrice obducendum. Detergemus quidem hydrosaccharo, mulsæ potione, cicerum decocto & hyssopi, quod in vehementioribus est, prisanæ sorbitione cum saccharo, asinini, caprinive lactis vsu, vt dicetur, moderato.

Detergentiū sylua.

Quinetiam syrupo capill.vener.syrupo glycyrrh. melle rosato, atque si magis sordet, syr. de hyssopo, adiecto iridis illyricæ tantillo. Denique eclegmatis in tussi & asthmate, citra morsum leniter detergentibus; nisi pus crassum, lentúmque sit, & glutini persimile: tum quippe maiore vi detergentium est opus: quemadmodum etiam in empyemate. Alioqui mitioribus satisfit, neque temerè ad acriora descendendum; quæ enim vehementiùs expurgant, absterso pure, irritatóque vlcere, cruentam excretionem renouant; atque febrim magis intendunt. Itaque tum mitioribus est locus, cuiusmodi sunt quæ subiecimus.

Detergentia vel leniora sūt, vel acriora.

Eclegma detergens.

℞. Butyri recentis sine sale ℥iij.terebint.abietis pellucidæ,℥iß. pari mellis quantitate excepta, in eclegmatis formam redigantur,quo vtatur frequenter,lentè deglutiendo.

Aliud.

℞. Pistaciorum, nucleorum pini infusorum in aqua rosar.aut hordei, (quum potiùs detergendum) an. ℥i.amygdal. dulc. eodem modo infus. ℥iß. pulmonis vulpis ex arte præparati ʒii. conseru.capill.vener. ℥iß. sem. bombacis & maluæ parum torrefacti, an. ʒiß. pulu. electuar. diatrag. frig. & diairis simplicis, an. ʒii. syrup. capill. vener. q.s. fiat eclegma lentoris mediocris. Quòd si nos pulmo vulpis defecerit; vice huius pulmo ericij, aut mustelæ arefactus, aut syluestris anseris supponatur.

Pulmonis vulpis succedanea.

Aliud.

℞. Succi glycyrrh. & pulu. eiusdem, ana ʒi. pulmonis vulpis secundum artem exsiccati ℈iiij. sem. cydonior. & melon. mundati, ana ℈ii. pulueris diatrag. frig. aut diairis, vbi plus expurgandum, ʒi. conseru. bugloss. & sacch. candi, an.℥ß. gran. pini mundat.ʒvi.cum syrupo è iuiubis aut capill. vener. reducantur in formam eclegmatis. Eódem referri

referri possunt quæcunque in tussi atque asthmate notantur eclegmata, placentæ, electuaria, formulæ, pulueres in ferculis, addito penidiorum æquali pondere loco sacchari. Denique quod primi capitis initio scripsimus decoctum; aut quod hîc ad tersionem subiecimus.

Syrupus detergens.

℞. Hordei integri, p.i. glycyrrh. radicis bechij, an.℥i. radicis enul. campan. & iridis, an.℥ß. capill. vener. bugloss. & pimpinellæ, an.M.i. hyssopi & endiuiæ, an. M.ß. sem. melonum, cucurbitæ, & sem.lini assi, an.ʒiij. sem.bombacis, maluæ, & cydonior. an.ʒij. sem. orobi, fœnugr. & fœniculi (cuius vi aliorum facultas in distantiorem partem dirigatur) an.ʒiß. passul.mundat.& iuiubarum,an.par.xij.caricarum pinguium,par. iiij. dactylorum num.iiij. nucleorum pineorum,& pistaciorum, an.ʒiij. pulu.cancror. fluuiatil.℥ß. coquantur omnia simul ad ℔iß. percolentur, deinde adiectâ penidiorum & sacchari quantitate idoneâ, aut mellis, cùm maiore opus est detersione, fiat syrupus, cuius ℥vi. quotidie dentur. Neque prætereà silendum, quod Galeno habetur commendatissimum ad pulmonum languorem & dissolutionem.

℞. Pulmonis vulpis arefacti, succi glyycrrh.capill.vener.semi. fœnic. an. pares modos, subacta myrtino syrupo, aut alio accommodato, dentur.

Glutinantia.

Vlcus non glutinandum nisi post detersionem.

Cùm vlcus iam satis detersum, purúmque est, agglutinari debet, & cicatrice obtegi. Alioqui enim impactâ sorde, nec priùs repurgatâ, frustrà id tentes. Agglutinatur autem & coalescit tutissimè medicamentis sarcoticis, iam superiori capite expositis: Iisdem enim & erumpens sanguis cohibetur, & deinceps vlcus iam purum agglutinabitur. Quocircà vix nouis remediis sit opus. Sed vt nunc cruentum, nunc purulentum tussis emolitur: ita diuersorum quadam remediorum serie curatio complenda. Opportunè enim gerit omnia, qui vlceris mutationi remedia nunc expurgantia, nunc sarcotica, seu epulotica confert.

Glutinantiũ materia.

Huiusmodi existunt bolus armena, terra sigillata, tragacanth. gummi arabicum, lapis hæmatites, amylum, thus, mastiche, myrti baccæ, rosa, eiúsque semen, electrum, corallium, cornu ceruinum, sem. plantag. maluæ, althææ torrefactum; sem. portulacæ assum, vitellus oui, candidus oui liquor, præsertim saccharo cando inspersus: syrupus myrtinus, è rosis siccis; sacchar. rosatum, quibus alia excipiantur: & quæcunque alia in hæmoptoicis modicè siccantia recensuimus, siue simplicia, seu composita notentur. Atque vt omnia fiant illustriora, compositorum nonnulla exprimamus.

Eclegma agglutinans.

℞. Conseru. rosar. antiquæ ℥i. conseru. symph. ℥ß. boli arm. ʒiß. tragacant. ℈iiiij. semin. portulac. assi, amyli tosti, & semin. plantagin. pariter assi, ana ʒi. rosar. rubr. & seminum earundem, ana ℈ij. cineris testarum cancr. fluuiat. vstar. & aquâ rosaceâ lotarum ʒiij. syr. myrtini, q. s. fiat in modum Eclegmatis.

Formulæ agglutinantes, quibus etiam destillatio sistitur.

℞. Boli armen. ℥ß. sacchar. candi ℥iß. rosar. rubr. & semin. papauer. albi, ana ℈ij. gummi tragacant. & arabici torrefacti, ana ʒß. gran. sumach, & myrti, ana ℈i. spicæ nardi, & seminis nasturtij assi, ana ℈ß. terantur subtilissimè, & cum syrupo myrtino, aut saccharo aquâ rosarum dissoluto, fiant pilulæ planæ, quarum vna sub lingua continenda somni tempore. Aut bolus armen. ex arte præparata, & psyllij mucagine, vel candido oui liquore excepta, ore concludatur. In vehementissimis habentur pilulæ narcoticæ è cynoglosso. At tutiùs datur diacodion cum sapa cochlear vnum, sensim deglutiendum, quò somnus incitetur, tussísque mitescat.

Narcotica benigniora vnáque glutinantia.

Aut.

℞. Syrupi è papauer. & myrtini, ana ℥iij. misce, detur ℥i. dormituro; his quippe somnus obrepit, vlcus exsiccatur, ac fluxio sistitur. Verùm cùm sequens dies illuxerit, expectorante aliquo syrupo, id quod hæsit pulmonibus repurgetur, vt delinctum syrupi capill. vener. glycyrr. & similium. In maximis auxiliis habetur theriaca recens ad ʒi. aut ℈iiij. sumpta bis térve in mense, horis quinque ante prandium; cuius vices æquare possit philonium persicum aut Romanum, à ʒß. ad ʒi. Horum enim vi fluxiones subsistunt, vlcus resiccatur, tussis conquiescit; cuius contentione vlceris labra dehiscunt, lacerantur, & amplificantur.

Neque eorum sententiæ standum esse puto, qui antiqua theriaca, mithridaticâ confectione, ambrosiâ, aliísque antidotis vehementer exsiccantibus, & calfacientibus vlceris curationem moliuntur; minimè atrophiam seu maiorem corporis extenuationem veriti, febrem, aut humorum acrimoniam, vnde vlceri sæpiùs est origo. Itaque præstat lenientibus, & minùs exsiccantibus efficienti causæ, ac depascenti febri obsistere, nec ea quæ in thorace sunt, acriora reddere. Nam etsi vlcus hinc tardiùs siccescere videatur, reuerà tamen acri humorum qualitate represſâ, erosione cohibitâ, tussis impetu sedato, vlcus minùs serpit, minúsque

Damnatur vsus antidotorum impẽsè calfacientiũ, & exiccantium in curatione vlceris pulmonum.

excauatur, & promptiùs coalescit. At quos frigida destillatio, non autem salsa infestat, quique frigidiorem intemperiem sortiti, tussi diuexantur, iis innoxiè medicamentum è viperis detur, quò phthisis futura præcaueri, arcerique possit. Sed de his satis; nunc ad institutum redeamus.

Electuarium agglutinans.

℞. Electri, margarit. splendidarum, & boli armen. ana ʒij. corallij rubr. cornu cerui, semin. melonum incisi, & bombacis, ana ʒi. amyli, puluer. glycyrrh. gummi arab. tragacant. ana ʒß. cinnamomi, croci & opij, ana ℈i. conseru. rosarum antiquæ ʒiij. sacchari rosati veteris in aqua rosar. rursus dissoluti, quantum satis, fiat electuarium in tabellis pondere ʒiij. detur vna quotidie manè, bibendóque quàm mox parum aquæ hordei, aut ore retenta sensim liquescat, aut huiusce pulueris partem mediam, additâ conseru. symphyti, & capill. vener. in opiatæ formam redigito cum syrupo myrtino.

Opiata.

Rosarum conserua & sacchar rosati vtilitas.

Hoc loco prima laus meritò conseru. rosarum & saccharo rosato, maximè è succo ros. parato, tribuenda; horum enim quodlibet tum detergendi, tum vlceris exsiccandi, atque glutinandi vim nactum, eximiè iuuat ore sæpius retentum, & statim deuoratum. Itaque non inexpurgato corpore, sed cùm vlcus iam aliquatenùs detersum est; hæc recentiora; cùm verò magis purum, antiquiora probantur. Cùm enim cruore, puréque simul sputum inquinatur, non detergentia sola, aut glutinantia, sed vtraque permixta, sunt conuenientiora; aut nunc horum, nunc illorum alternatus vsus fuerit necessarius. Ita quippe syrupum de rosis siccis, vel syrupum myrtinum, syrupo iuiubino, aut capil. veneris, aut saccharo cando, aut penidiis, aut diatragacant. aut saccharo rosato permiscere licet, ea mensurâ quam vlceris conditio exposcit, vtque plus minúsve detergendum fuerit. Quòd si horum vsu sputum subsistat, respiratióque difficilior euadat, iis aliquantisper intermissis protinus leniente aut syrupo, aut delinctu oppressæ pectoris partes expediri debent: vt syrupo violar. capill. veneris, glycyrrh. iuiubino, saccharo violato, pilulis albis, & pilulis bechicis, vel aliis simili facultate præditis; quibus etiam tussis obtemperat. At liberatis illis & faciliùs spirantibus, mox idonea atque interrupta perficitur curatio. Itaque videndum ne circa initia nimium ficces: cúmque exsiccantibus vti licet, leniente quodam perpetuò diluantur, aut quadam vicissitudine, nunc hæc, nunc illa vsurpentur.

Detergentia glutinantibus iungẽda, quãdiu sputa cruenta, aut purulenta.

Lenientia interponenda, si sputa non satis procedant.

Licet prætereà (etsi paulò obscuriùs) medicamentis quæ in ventriculum illabuntur, vlceris agglutinationem tentare, & experiri; vt trochiscis è terra sigillata, è spodio, è succino, aliísque in cruento sputo declaratis, qui ex lacte vstulato dentur, aut sequentia imperato.

Medicamẽta in ventriculum demissa, vlcus pulmonum glutinantia.

Syrupus

Syrupus agglutinans.

℞. Bechij cum toto, plantaginis & equiſeti, ana M.i. capill.veneris M.ß. glycyrrh. ℥ß. quatuor ſeminum frigidorum maiorum,ana ʒiij. ſemin. portulac. papaueris albi, & plantag. ana ʒij. ſemin. bombacis & maluæ, ana ʒiß.ſemin.fœnic.ʒi. gran.rhois, baccarum myrti,ſantal.omnium, balauſtiorum,ana ʒij. paſſularum & iuiub. ana par.viij. roſarum rubrarum, & florum nymphææ, ana p. i. fiat decoctio in aqua cœleſti,& in colaturæ ℔iß. diſſolue ſacchari, q. ſ. fiat ſyrupus mediæ decoctionis aromatizatus cum ʒi. pulueris diatrag.frigid.& ʒß.cinnamomi electi ad quatuor doſes. Sunt qui paſtorum experientiâ atque imitatione, pulmonariam vtramque herbam pulmonum vlceribus, & cruentis ſputis mirificè opitulari dicant, eáque mirabili ſucceſſu ad tabem vtantur,modò ſuccum ſaccharo conſperſum, modò decoctum, interdum etiam puluerem cum ſyrupo, aut ſaccharo roſato exhibentes. Omnium tamen præſtantiſſimus eſt flos viuus ſaccharo condîtus.

Pulmonariæ facultas ad pulmonum vlcera.

Puluis vlceri exſiccando aptiſſimus.

℞. Pulmonis vulpis ex artis præſcripto arefacti,ſucci glycyrrh.ſpodij, quatuor ſemin.frigid.maior.mundatorum,ſemin. portulacæ, cydoniorum, & ſemin. maluæ mundati, ana ʒiß. amyli, gummi tragacant. & arabici, & lapidis hæmatitis, ana ʒi. boli armen.& ſemin papauer.albi, ana ʒij.ſemin. fœnic. ℈ij. penidiorum ad pondus omnium, fiat puluis, cuius ʒi.ſingulis diebus manè detur è ſyrupo myrtino, vel de iuiubis, aut ſi vigiliis diuturnis cruciatur, ex ſyrupo de papauere.

Trochiſci agglutinantes, & tuſſim ſedantes.

℞. Semin. papaueris albi, ſem. cucum. & citruli mundat.ana ʒiij. amyli, gummi tragacant. & arabici, boli armen. ſucci glycyrrh.ana ʒiß. thuris & electri,lapidis hæmat.ana ℈ij. myrrhæ, cinnamomi,ana ℈i.croci ℈ß. fiant trochiſci pondere ʒiß. detur vnus cum ſyrupo è papauere; vbi ſomnum conciliare, fluxionémque ſiſtere volumus; aut cum ſyrupo myrtino, ſi agglutinatione eſt opus.

At dum medicamenta pertinaciter reſpuit æger, iuuandus nihilominùs erit potione vini odorati, in quo lapidis hæmatitis tenuiſſimè attritus puluis, pannóque lineo inuolutus nocte vnâ præmaduerit.Huius ſi non datur poteſtas, lapis armenius, aut lemnia terra,ſi fortè vera ſit,illius vices ſuppleat.

Quinetiam iis quæ vnà cum inſpirando aëre intrò feruntur, hauſtóque vapore exſiccant, ſumma vis ineſt. Ita namque ſuffitu arido, aut decocti exſiccantis vapore, vlceris agglutinatio tentari poteſt.

Suffitus ad Vlceris exſiccationem, & ſiſtendam fluxionem.

℞. Thuris, maſtich. ſtyrac. calamitæ, & nigellæ Roman. ana ℥ß. gummi hederæ, gummi iuniperi, ana ʒij.ß. baccar. myrti & coriandri, ana ʒij. ladani puri, & benjoini, ana ʒiß. roſar.rubr.℈iiij. auripigmenti rubri ʒiij.in puluerem redacta excipiantur aquâ roſar.infuſione gummi tragac. & formentur trochiſci pondere ʒij. coniectóque vno in carbones,ſuffiantur capitis velamina, alteretúrque inſpirandus aër. Idem nigellâ Romanâ aceto infusâ, ac in candentem laterem iniectâ, efficias: aut ſequentis decocti vapore.

Decocti Suffitus.

℞. Radicis bechij & glycyrrh. ana ℥i. ſummitatum myrti, M. ij. baccharum myrti & rhois, ana ℥iij. ſemin.althææ & bombacis, ana ʒiij. roſarum p. i. fiat decoctio in aqua pluuia, cuius vapore per infundibulum excepto ſuffiatur, priùs tamen purgato vlcere.

Admouenda pectori. Interim autem admotis laſſatæ pectoris partes commodè iuuari poſſunt, ſputúmque facilius reddi, depromptâ remediorum materiâ ex iis, quæ in tuſſi irritante ac calidâ prædiximus.

Vnguentum.

℞. Mucilag. ſemin. cydonior. ℥ij. butyri recentis ℥iß. puluer. iridis flor. ʒiij. foliorum bechij ſiccorum ʒij. lactis mulieris puellam enixæ ℥i.olei violati ℥iij. croci ℈i.ceræ albæ parum : fiat linimentum tepidè pectori admouendum.

Aliud.

℞. Olei keirini & amyd.dulc.ana ℥iß.mucilag.ſem.lini,ʒvi.lactis mulieris,& aquæ ſublimationis limacum,ana ℥i.croci ℈i.ceræ albæ, q.ſ. fiat vnguentum. Neque phœnigmo,neque dropaci pectori impoſito auxilij vis ineſt. Multóque minùs cauterio, niſi empyema ſit, viréſque ferant.

Atrophia.

Atrophia remedia, ſeu analeptica. Hactenùs quæ vlceris ratione fiant expoſuimus,nunc quæ atrophiam corrigant, ſeu corporis colliquationem præpediant, ac vires inſtaurent, proponamus. Virium enim obſeruatio cùm ſit omnium præſtantiſſima, hîc toto morbi decurſu omne Medici officium in illis reficiendis collocari debet.

Conditum

Conditum refrigerans, ac vires reficiens.

℞. Conseru.rosar.& radic.bugloss.ana ℥i.conseru.violar.(modò alui fluor non adsit, alioqui conseru. symph.) ʒvi. conseru.flor.nenuph. ʒiij.pulueris diatrag.frigidi ʒiß.pulu.elect.resumptiui, aut eius defectu pulueris diapenidion sine aromatibus ℈ij. pulueris diamarg. frigidi ʒß. sacch. solidi, q.s. fiat conditum auro coopertum: cuius vice frequenter vti licet rosato saccharo, aut conseruâ ipsâ rosarum; quæ fluxionem sistunt, corpus alunt, vlcus detergent & exsiccant.

Morselli.

℞. Carnium testudinum nemoralium secundum artem præparatarum ℥iiij. nucleorum pineorum mund. & infusorum in aqua hordei (si tersione, aut rosarum, si exsiccatione vlcus indiget) ℥i. amygdalar.dulcium simili modo infusarum ℥ij. pistaciorum recentium ℥vi.sem.papau. albi, & portulacæ, ana ℈ij. semin. bombacis & maluæ mundati, ana ʒi. seminum melonum, & cucurbit. mundatorum minutissimè incisorum, ana ʒiß. pulueris diapenidion sine aromatibus, & pulueris elect.resumptiui,ana ʒi. sacchari albissimi in aqua rosar.dissoluti, q.s. fiat confectio solida per morsellos auro coopertos.

Aut hoc modo.

℞. Carnium cancrorum fluuiatil. si haberi possint,vel coxarum ranarum secundum artem præparatar.℥iij. gran. pini recentium aquâ hordei infusorum ʒx. amygdalar. dulc. ℥ij. puluer. electuarij diatragacant. frigid. ʒiß. conseru. scolopend. & capill. veneris, & radicis buglossi, ana ℥ß. semin. melonum minutim incisi, ʒij. sacchari solidi in aquis rosarum & bugloss. dissoluti, ℔. i. fiat confectio instar manus Christi. Longè quidem iucundior palato, sed minùs vtilis hæc futura est, si detractis conseruis,imminutáque puluerum quantitate paretur. Cùm autem maiore vlceris exsiccatione & agglutinatione est opus,confectionem in sanguinis sputo descriptam vsurpabis.

Huiusmodi autem remedia, mihi memoriam refricare videntur eius suauissimæ compositionis, quam vulgus pignolatum appellat, tabescentibus & asthmaticis maximè accommodatæ: quemadmodum & earum placentarum quas conficiunt mundatis, tusísque amygdalis, strobilis, & pistaciis, saccharo albissimo & aquâ rosarum exceptis, coctísque rursus eodémque saccharo incrustatis, quod aquâ rosarum factâ tragacant. infusione sit eliquatum. Nos verò tabidis ita propiùs aptabimus.

Pineolatum.

Placenta.

℞. Amygd. dulcium mund.& infuſ. in aqua roſar.vel hordei, ℔ß. gran.pini ℥iij. piſtaciorum quart. ß. ſacchari ſolidi ℔i. penid. ℥ij. farinæ cicerum alborum incerniculo denſo mundatæ ℥iß.fiant placentæ, vt artis eſt, duæ vel tres: vtatur poſteriore menſa, & interdiu vt videbitur. At ſi vigiliis conficitur æger, licebit tum adiicere ſem papau.albi mund. ℥ij. & ſomni tempore duas tréſve vncias exhibere.

Carnium deſtillata, expreſſa, gelatina.

Quinetiam deſtillatis carnium, expreſſionibus, gelatinis extenuatum corpus reficere oportet, præſertim cùm iam vires fatiſcunt, & exoluuntur.

Sublimatio inſtaurans.

℞. Pulpam vnius caponis detractâ pinguedine & pelle,aut pulpam duarum teſtudinum nemoralium, quæ minutim incidatur, & aquis bugloſſi & roſarum abluatur. Deinde adde conſeru.roſar. & radic. bugloſſ. ana ℥i. conſeru. violarum ʒvi. conſeruæ florum borraginis ℥ß. puluer. diamarg. frigid. ℈iiij. puluer. elect. reſumptiui & diatragacant. frigid. ana ʒi. puluer. triaſant.ʒß. aut in mitiore febre pulu.electuarij de gemmis, parem modum, foliorum auri, num. vi. miſceantur omnia, & in duplici vaſe deſtillentur; exhibeantur liquoris cochlearia duo per certa interualla, per ſe, vel cum iuſculo diſſoluantur. Si ſomnum conciliare oporteat, non erit alienum ſemin. papauer. & lactucæ ʒi. cuiuſque & ſemin. recentis melonum mundati atque inciſi ʒiij. huic ſublimationi inſerere; quemadmodum vbi expurgandum vlcus & expectorandum, puluer. glycyrrh. ʒij. ſemin. bombacis & maluæ, ana ʒi. cinnamomi electi, & ſemin. fœnicul. ana ʒß. croci ℈i. conſeru. capillor. veneris ℥i. aquæ pimpinellæ aut enulæ quart. ß. At ſi pauper eſt, caponum loco è cochleis teſtâ liberatis, vnà cum hyſſopo, tuſſilagine, ficubus, paſſulis, glycyrrh. cucurbitæ ſemine, deſtillationis vi extractus liquor proderit.

Non igitur omnia in omnibus, ſed certa in certis, quæ Medici prudentiâ & conſilio diſtinguenda, aptandáque ſunt. Etenim vt vniuersè rem complectar, in omnibus his medicamentis componendis, ſymptomatum implicationem animaduertere neceſſe eſt, quibus ſedandis,hæc vel illa medicamenta ſunt conuenientiora.Detergentia quippe impuro, glutinantia expurgato,atque etiam cruento vlceri,lenientia pectoris oppreſſioni, aut ſtrictæ aluo, vt violæ;aſtringentia deſtillationi,atque ventris fluxui,vt roſa, myrtus, & qui ex iis fiunt ſyrupi aut conſeruæ: refrigerantia febrili ardori: hypnotica agrypniæ ita decernantur, vt in compoſitione non obſcuros effectus edant,atque vrgentiori ſymptomati inprimis deſtinentur.Ita ergò aſſumptis medicamentis viribus conſulitur.

Symptomatũ implicatio medicamẽta variare cogit.

Externa atrophiæ auxilia.

Neque verò prætereundum,iis quæ extrinſecùs occurſant,vt tepentis

aquæ balneo, iuuari corpus poſſe. Balneum enim dulcis aquæ vtile & accommodatum iis deprehenditur, qui ſqualidi, extenuatíque ſunt, & quibus ex colliquante febris ardore, iam magna partium ſolidarum ineſt ariditas.

Balneum humectans & refrigerans.

℞. Radicis althææ ℔.iiij. maluar. violar. branch. vrſinæ, lenticulæ aquat. folior. lactucæ, cucurbitæ, ana M. iiij. ſemin. frigid. maior ana ℥iij. ſemin. lini & althææ, ana ℥ij. flor. violarum bugloſſi & nymphææ, ana p. iij. hordei contuſi p. iiij. fiat decoctio in aqua dulci pro balneo, adiecto iure capitis & pedum veruecis; in quo tepente reſideat ſemihoræ ſpatio ante cibum ad voluptatem. Cauendum enim ſummoperè ne morâ ſudor vllus erumpat.

Vnguentum.

℞. Olei roſati omphacin. & olei myrtini, ana ℔.ß. ceræ albæ, q. ſ. fiat linimentum, illinantur partes externæ, & præſertim tota ſpinæ regio in balnei exitu. Vel vt pleniùs humectes, paretur hoc modo.

℞. Olei violacei ℥ij. olei amygdal. dulc. & roſati, ana ℥i. axungiæ gallinæ ℥i. ceræ parum, fiat linimentum, quo vngantur partes externæ, potiſſimúmque thorax.

Alimenta.

Alimentorũ phthiſicis offerendorum ſubſtantia & qualitates.

Quemadmodum autem medicamentis vires eriguntur, corpúſque reficitur, hic etiam & euidentiùs id inſtauratur alimentis boni ſucci, & facilis concoctionis, quibus inſit facultas morbo aduerſa, atque ſubſtantia lenta, aut aliquantum compacta. Quæ enim ſunt huiuſmodi hectico calori, partes ſolidas obſidenti diutius reluctantur, ſéque à celeri diſſipatione contumaciùs, aut propriâ mateiia, aut repugnante qualitate vindicant. Inter hæc primas tenent teſtudinum nemoralium carnes, quarum etiam ſanguis proprio calore tepens inſperſo rhodo-ſaccharo hauſtus iuuat. Cancri fluuiatiles in aqua hordei cocti, ranarum coxæ, cochleæ à mucagine repurgatæ, & ex lacte bubulo coctæ vnà cum tuſſilagine, & cibi loco propinatæ. Nec interim aſpernanda oua recentia, & teſticuli gallinaceorum nondum coëuntium; extrema animalium, carnes hædi aut vituli, atque aliorum quæ euchyma iudicantur. Cicerum ius ex aqua hordei factum, vlceris deterſioni accommodatur. Ad hæc, pulticula è farina fabarum, farina cicerum, & amylo ſimul in lacte vaccino coctis, adiecto ſaccharo roſato, atque roſaceæ aquæ momento. Quòd ſi vehementior febris adſit, ſatius in aqua hordei concoquentur, aut in expreſſo eiuſdem ſucco, affusâ ſubinde olei amygdalarum dulcium portione, aut lacte amygdalino.

Alimentorũ idoneorum præcipua ſpecies.

Euchyma.

Vbi

Vbi deterſioni eſt incumbendum, præſtantiſſimum id ferculum eſſe puto, quod è furfuris colaturâ lento igne conçoctâ, cum ſaccharo atque oleo amygd. dulcium parari ſolet. Aut ſi agglutinandum eſt, ex amylo & ſaccharo parata polenta.

Cæterùm ſi omnia, ſiue è medicamentorum, ſeu alimentorum genere animo perluſtres, facilè prima laus erit lacti, & ptiſanæ cremori concedenda. Illud enim vt tribus ſubſtantiis inſignitum eſt, ita tres obtinuit facultates; butyrum quippe nutriendi, ſerum detergendi, craſſa verò & terrena, quæ caſei eſt ſubſtantia, agglutinandi vim ſortitur. Verùm id immutatâ iam, ſubductâque cacochymiâ, & remiſſiore febris ardore dari oportet. In quo delectus eſt habendus. Aſinino & caprino (vtpote ſeroſo) vti conuenit, cùm detergendi conſilium eſt: ouillo, vaccino, aut muliebri ab vbere ſucto, cùm alendum fuerit, vſtulato, vel pluuiali aquâ incocto, ſi quidem glutinandum, aut lubrica aluus ſupprimenda. Lactis enim vſum intempeſtiuè turbata aluus, aut ventriculi dolor, cruditáſque, aut acida fumidáve eructatio nonnunquam interrumpit. Quamobrem pro rei neceſſitate, vel mellis tantillo, vel rhodoſacchari ſemunciâ condiendum, ne in ventriculo concreſcat, corrumpatur, aut aceſcat. Lac autem qualecunque ſit, proprio calore tepens, ieiuno dandum, certáque proportione metiendum, quâ ſenſim ventriculus potioni aſſueſcat, minúſque vſu grauetur. Itaque primo die vnciarum iiij. menſura eſt ſatis, deinde quinque, demùm ſex, poſtremò ſeptem, octóve. Hinc verò ſubſequutis diebus lactis quantitas ſenſim, ordinatimque minuenda, dum pari dierum numero, in priſtinam doſim detractione aſſiduâ, factus ſit recurſus: vt qualis progreſſus fuerat incrementi, talis ſeruetur imminutionis regreſſus. Aſſumpto lacte neque protinus indormiendum, neque violentiùs agitandum corpus, ſed conquieſcendum: Neque mox cibus capeſſendus, ſed tantùm moræ interponi debet, quantum ſatis eſt ad illius concoctionem. Nec parum refert, quónam pabuli genere pecus alatur. Siquidem vbi corporis maciem lacte reficere oportet, tum pane, hordeo, auenâ, aut farinâ depaſcendum animal. Vbi verò agglutinare expedit, cymis rubi, plantagine, ſalice, quæ etiam lac frigidiuſculum efficiunt, vnde febris temperetur; præſertim obiectâ ſimul lactucâ & arundinis foliis. At ſi deterſione opus eſt, vnà cum hordeo hyſſopum, thymum, fœnicul. apium, & ſimiles herbas animali porriges. Iam ſi lienteria impendeat, aut alioqui pulmonum vlcus agglutinandum eſt, lactis libra tribus vnciis aquæ pluuiæ, in qua roſæ, aut myrti baccæ præmaduerint, commiſceri debet, vnáque tantiſper incoqui: aut immerſo candente ferro vel chalybe efferueſcere, dum aqua ſit exhauſta. Quòd ſi ne tum quidem hæc ceſſent, aut in ventriculo id coaceſcat, edátve ructûs nidoroſos, protinus lacte omninò erit temperandum, & hordei cremore vtendum: præſertim dum febris acriùs incurſans, aut vis putredinis illius vſum non admittit.

Lactis commendatio ad phthiſin.

Lactis differentia.

Quæ lactis vſum interrumpant.

Modus galactopoſiæ.

Curatura pecudis lactiferæ.

Quomodo aſtrictio lacti comparetur.

Hordeata.

Quocircà

Quocircà hordeatis aut auenatis cum saccharo & amygdalino lacte opportunè æger aletur, dum lubrica aluus non sit; alioqui his abstinendum, aut ex asso mundatóque hordeo parentur. Quum autem venter homini benè respondet, nec immodicè fluit; vires quotidie reficiantur hordeo mundo, in quo aut pullus, aut testudinis caro, aut cancri fluuiatiles, aut veruecini pedes coxerint, adiecto saccharo rosato ac rosaceâ. Cancros aquâ hordei incoctos ac lacte maceratos aptè ægro porriges: Atque strobilis pistaciis, vuis passis, ficubus, dactylis recreabis, & cæteris quæ pectori apta benigni succi copiam exaggerant, ad partium nutritionem: siti minimè crucietur æger; quam restinguere licebit ptisanâ, syrupo violato, myrtino, conseruâ rof. violarum, saccharo rosato, præscripto condito, aut alio pro rei necessitate: & dum vires labant, exiguo odorati, ac dulciusculi vini potu.

Potus phthisicorum.

Omnium autem maxima vis est inspirati aëris, ad exsiccanda, sanandáque pulmonum vlcera; in quo actiuarum qualitatum temperies, siccitásque optanda, siue à regione, siue à situ, siue ab anni tẽpore, siue à cœli statu talis existit. Interdũ tamẽ calidior, frigidiórve symptomatũ præsentium ratione cõmendatur. Sed ad morbi curationem locus siccus, editus, apricus, in orientem expositus, primæ sit commendationi. Quin & omnis loci mutatio, & in aërem salubriorem longinqua traductio sæpè tabidis adiumento fuit.

Aër quis phthisicis eligendus.

Loci mutatio phthisicis commoda.

Porrò siquando cita alui deiectio perseuerans vires resoluit, quàm mox huius potu supprimatur.

Alui fluxus quomodo supprimendus.

℞. Gummi arabici, spodij, boli arm. sem. myrti, lapid. hæmatit. in cote fricati, an. partes æquales, fiat puluis, cuius ʒiij. dentur cum syrupo myrt. & de papauere. Vt gratior palato occurrat, adde sacch. rosati tabulati mediam totius partem; ac per se sumat. Tussi enim ac solutæ aluo strenuè opitulatur, quam maximè hîc vereri oportet, & protinùs cohibere topicis, clysteribúsque in lienteriâ, ac diarrhœâ conscriptis. In vniuersum tutiùs, vtiliúsque imminenti quàm præsenti pulmonum vlceri, hincque natis symptomatis succurritur. His tamen remediis tum præcautio, tum curatio, quæcunque sperari potest, comprehensa esse videtur.

Puluis astringens.

Præcauere phthisin quàm curare, tutius

CAPVT VIII.

De Pleuritide, aliisque lateris doloribus.

Pleuritis est inflammatio membranæ costas succingentis. Vera quidem & legitima lateris inflammatio sedem habet inter costas, & membranam quæ intus illis subtenditur; aut etiam in musculis mesopleuriis. Notha verò ex situ pleuritis in iis est musculis, qui thoraci extrinsecùs incumbunt, & foris sparsi sunt. Alterius tamen in alteram sæpè fit transitus.

Pleuritis quid.

Pleuritis alia vera, alia notha.

Pleuritidis causa cōtinēs. Pleuritidis causa interior quidem duplex est; proxima quam continentem vocant, & antecedens. Continens est sanguis, aut alius quiuis humor cum sanguine lateri impactus, illícque putrescens, inflammatus & febrem accendens; sæpè quidem biliosus; at rarissimè pituitosus, aut melancholicus, nam qui acidum eructant, raró pleuritide tentantur. *Aph 33.l.6.* *Pleuritidis causa antecedens.* Causa verò antecedens, non vnica est, sed quæcunque in corpore sita fluxionem promouet. Cùm enim sanguis ipse, vel exuperantiâ, vel tenuitate, vel feruore & acrimoniâ è propriis costarum venis, ab eâ quæ est azygos deriuatis, immoderatiùs inter còstarum membranas aut musculos effunditur, pleuritidem committit. Quæ externa est inflammatio, sanguinis impetum eruptionémque subit, ab eo venæ cauæ ramo, qui ad axillas decurrens, in externos thoracis musculos multiplici propagine dispergitur. *Pleuritidis causa externa.* Cæterùm in externis & euidentibus causis sunt, quæcunque sanguinem & humores calfaciunt, exagitant, ac ita diffundunt, vix vt propriis receptaculis cohibeantur, sed turgentes in thoracem abundantiùs irruant. Huiusmodi habentur ambientis feruor, balneæ, immodica exercitatio, ira vehemens, ictus, attritúsque grauis, vini meracioris, calidorúmque alimentorum exuperantia. Quinetiam frigidum venas rumpere solet: *Hipp. 6. Epid. s. 3. text. 14.* Quum enim vis frigoris, siue ab aquilonio flatu, siue à frigidæ potione violenter affatímque æstuanti corpori occurrit, omnium maximè pleuritides concitat, quòd calfactum in pectore agitatúmque sanguinem extra vasa depellat, atque facilè lateris venas infirmet, & disrumpat, tanquam inimicissimum. *Aph. 24. l. 5.*

Pleuritidis Signa pathognomonica. Quod ad signorum rationem attinet, pleuritidis essentiam comitantur, propriæque illius notæ sunt respirandi difficultas, febris assidua, dolor pungens atque distendens, tussis incipiente quidem malo sicca, deinde verò humida, quâ maximè cruentum expuitur. Hæc tamen nonnunquam initio latitat, ac sæpe imprudentes fallit; dum pars doloris acerbitate pressa, tussim veretur, quam dein necessitatis vi manifestè prodit. Hæc sunt quæ propriè morbi speciem declarant, atque in demonstratiuis signis primas tenent: *Pleuritidis signa epigenomena.* Accidentia verò illius magnitudinem, aut differentias ostendunt. Si dolor ad iugulum pertingit, tum thorax parte superiore inflammatur; aut ad hypochondrion deuergit, vbi inferiores costæ obsidentur; aut in vtramque partem inclinat, si insignis; aut in neutram, si perexigua est inflammatio.

Signa distinctiua pleuritidis internæ, & externæ. Ita facilis vel difficilis in affectam partem decubitus internam pleuritidem ab exteriore distinguunt: In illâ enim aduerso decubitu suspensa materies ac congeries membranam diuellens, spiritûs difficultatem, dolorem, tussim, aliáque symptomata exasperat, quæ in affectam partem, aut supino potiùs decumbente ægro mitescunt. Externa verò inflammatio tactu, presśúque exacuitur, in quam decubitus grauis est & laboriosus: facilior in aduersam. Sed & membranam costis prætensam inflammatione teneri arguit pulsus durus atque serrinus. Externis autem musculis inflammatione obsessis, febrilis quidem

quidem pulſus ineſt, at minimè durus. Quinetiam ſputum internæ atque veræ pleuritidis, & efficientis materiæ ſeu concluſi humoris certum eſt indicium. Nam rubrum à ſanguine, flauum à bile, album & ſpumans à pituita, nigrum autem à melancholiâ, aut graui incendio, aut natiui caloris extinctione proficiſcitur.

Sputum pleuriticorum.

In quo excreationis tempus, multiplices tum ſubſtantiæ, tum colorum differentias, expeditum aut difficilem excernendi modum conſiderare, atque impreſſa vel concoctionis vel cruditatis veſtigia, & quaſi victricis aut victæ naturæ characteres obſeruare, notaréque oportet: Quod ad inflammationis tempora dignoſcenda, & ad incertos morbi euentus, exitúſque pronunciandos magni eſt momenti. Abſoluitur enim æger, promptiúſque euadit, ſi inflammatio celeriter cocoquatur, & conceptus humor facilè tuſſi expurgetur, quandoquidem hanc vnicam viam & accommodatam natura expurgando thoraci deſtinauit. Nam toto morbi decurſu quidquid in pectoris capacitatem halitûs ſpecie per membranam rariorem factam reſudauit, aut purulentum per eandem exeſam, ruptámve confluxit, id facilè tenui membranâ obductus pulmo excipit, & quaſi ſuctum combibit: Quod dein per exiguas arteriarum fiſtulas erumpentis ſpiritûs impetu ad maiores própulſum, tandémque ad aſperam arteriam euectum continuâ tuſſi pellitur.

Quæ in ſputo obſeruanda.

Anacatharſis, vnica via & maximè idonea expurgando thoraci.

Porrò hepatis inflammatio ſæpè pleuritidis quadam ſpecie incautos eludit, ac plurima eius ſigna exhibet, dyſpnœam, tuſſim, febrem, & dolorem ad clauiculas productum.

Gal. 5. de loc. aff. cap. 7.

Diſtingues tamen dolore graui; tumoris doloríſque ſitu; tuſſi perpetuò ſiccâ, quæ nihil planè emolitur; pulſu minùs duro; citrino faciei colore; propriíſque aliis inflammati iecoris accidentibus.

Diſtinctio pleuritidis à iecoris inflãmatione.

Iam verò permulti extant alij lateris dolores, qui in falſam pleuritidis ſuſpicionem adducunt: cuiuſmodi ſunt quos aut frigida pituitoſáque deſtillatio, à capite in thoracem prolapſa, aut craſſior flatus inter ipſius membranas coërcitus, eáſque diſtendens ac diuellens profert. Ac tum quidem reſpirandi difficultas angit, & interdum tuſſicula fatigat; ſed ſine febre. Cúmque flatulentus dolor eſt, in varias thoracis partes vagus tranſcurrit, fomentíſque ſæpiùs diſcutitur, & à frigore, aliíſque flatulentis cauſis habuit originem. Illum autem deſtillationis ſigna anteceſſerunt, qui etſi fixus & ſtabilis manet, grauis tamen eſt, non pungenti ſimilis.

Pſeudo pleuritides, à deſtillatione, & à flatu.

Diſtinctio illius quæ ex flatibus oritur, ab illâ quam parit deſtillatio.

Quocircà dolores laterum & pectoris quantum præualeant, differántve conſiderandum. Horum animaduerſione tum affectûs, tum ſedis affectæ, tum cauſæ cuiúſque interioris certior cognitio haberi poteſt. Dolor ſiquidem acerrimus eſt à bile, mitior à ſanguine, hebes à pituita, aut melancholia, niſi cùm copiâ vehementiùs diſtendunt, ſic à bile & eryſipelate febris ardentiori incendio flagrat. In vniuerſum pleuritidis magnitudinem ſignorum, ſymptomatúmque impetus declarabit.

Aph. 5. l. 6.

Doloris proprietas.

Hæc cauſarum & ſignorum vim explicant. Nunc curationem proponamus.

Curatio.

Pleuritidis principiis obſtandum. Indicationes.

Pleuritis frequentiſſima eſt, & acutis annumeratur morbis. Itaque vt remediis inter initia occurratur neceſſe eſt: ne aucto obfirmatóque dolore, in latere maximus & lethalis abſceſſus exoriatur. Occurremus autem, ſi efficientes cauſas omnes eo excindamus ordine quo ſibi mutuò ſuccedunt, ab antecedentibus ad coniunctam facto progreſſu, non neglecto tamen interim dolore, cuius acerbitas plerumque hîc æſtimanda, ne fluxionem renouet.

Venæſectio cur mox celebranda in pleuritide.

Primùm igitur fluxionem intercipies ſectâ quàm mox è directo interiore cubiti venâ, & ſanguine pro virium ratione, & inflammationis magnitudine copiosè detracto. Hoc enim pacto quidquid morbi in poſterum gignendum eſt prohibetur: quod verò genitum iam eſt, faciliùs natura concoquet, ac profligabit. Quocircà interiores inflammationes acceleratum hoc remedium radicitùs exſtirpat. Idem tamen ſi prætermiſſum fuerat, etiam deinceps quacunque diei noctiſve horâ appuleris, erit adhibendum, quandiu cruditatis ſigna permanebunt, modò vires ferant, neque ſint dierum numero collapſæ. At ſi per virium imbecillitatem nequit vniuerſa euacuatio compleri, partitione vti cogimur, & quod deficit, iteratione ſupplemus. Quemadmodum ſi vel ambientis æſtus, vel bilis feruor ſæuit, ac eryſipelas creat, parciores quidem eſſe debemus in ſanguine mittendo, non tamen hoc remedium omittere. Quibus ex ſuppreſſis menſibus cumulata plenitudo grauem pleuritidem inuexit, iis ſecta è regione poplitis, aut malleoli vena fluxionem reuellet. Quinimò fluxionis impetus reuelli, & cohiberi poteſt cucurbitulis ad inguina fixis, extremorum frictionibus, crurúmque vinculis, ac calente fotu; quæ etiam fracto robore loco phlebotomiæ tutò decernuntur. Et ſi ætas venæ ſectionem non admittit, in prominentiorem cubiti venam defixa hirudo illius vim explet. Cùm tamen vehementiores morbi premunt, vix vlla eſt prouectior ætas, aut prægnantis conditio, quæ non aliquem vacuationis modum ferat. A venæ ſectione, clyſteribus alui deiectionem molimur, quorum formam anginæ curatio declarabit: Quibus, ex interuallis, vti expediet, tum præſertim cùm maior eſt morbi tranquillitas, quæ diebus paribus intercidit. Nam clyſter inferiora expurgans ſuperiora conſecutione exoluit, tetróſque vapores in vniuerſum corpus effuſos deorſum reuellit: Itaque preſſas thoracis partes liberat, & præcordia meliùs ſpirantia reddit. Neque tum medicamentis, niſi fortè eccoproticis & leniente vi fœces deturbantibus vtimur, etiamſi ad hypochondrium deſcendat dolor. Catharticum enim tum calore, tum trahendi facultate humores exagitans, perturbánsque

Viribus minùs firmis vtendũ epaphæreſi.

In pleuritide ex ſuppreſſione menſium, ſectio ſaphenæ, aliáque antiſpaſtica remedia.

Hirudines phlebotomiæ vicariæ in iunioribus.

Clyſteres.

Initio pleuritidis abſtinẽdum à catharticis.

que plethoricum corpus in grauius discrimen adducit. Neque quicquam à parte inflammatâ educit, cùm non cedat quæ adhuc cruda est affectio, & cuius concoctio non nisi quiete perficienda erat. Quamobrem præstat blandis in pleuritide pharmacis antecedentis materiæ portionem detrahere, quàm temerè vehementioribus vniuersam impetere, & totum corpus violenter exagitare. Sed & vitiosus humor leni medicamento magnâ plerumque ventris perturbatione immoderatus profunditur: Etenim à pleuritide & peripneumoniâ fluxus alui superueniens malum. Non ergò vehementer mouenda aluus, cùm etiam, si per se mota est, sedulò comprimenda sit.

Hip. l. de vict. acut. s. 4. text. 22.

Periculum etiam à lenib. pharmacis.

Aph. 16. l. 6.

Neque tamen iis quæ astringendo purgant, vt myrobalanis, rhabarbari substantiâ, syrupo rosato, humores subducere fas est. Hæc enim impresso astrictionis vestigio pectori officiunt, sputúmque retardant. Si quid fortè huiusmodi vsurpetur, id incipiente duntaxat pleuritide concedendum, atque tum lenientium quadam permistione temperandum, vt cassiâ, mannâ, violaceo syrupo, & decocto hordei, passular. prunor. iuiubar. sebesten, violarum, aut alio pectori idoneo, hunc ferè in modum.

Astringendo purgantium noxa in pleuritide.

Lenientium permistione illa noxa præcauetur.

℞. Passul. mundat. iuiubar. & sebesten, an. part. viii. glycyrrh. rasæ ℥i. quatuor semin. frig. maior. ana ʒi. semin. bombacis mundati, & althææ, an. ʒiß. trium flor. communium, an. p. i. fiat decoctio in aquâ hordei perfectè cocti, & in colaturæ ℥iiij. infunde rhabarb. electi ℈iiij. spicæ nardi g. v. & factâ expressione dissolue cassiæ recenter extractæ ʒvi. vel mannæ ℥i. syrup. viol. ℥iß. Misce, fiat potio, detur.

Potio purgãs.

Ita quippe rhabarb. infusi astrictio metuenda non est. Quocircà medicamentum anginæ veræ dicatum, exemptis myrobal. aut biliosæ tussi præscriptum, bilem aptè expurgabit, cuius tenuitate & efferuescentiâ concitatus sanguis in partem prosilit. Conuenientius tamen purgante medicamento planè relicto, mitioribus clysteribus aluum ducere: neque vtquam venenatis pharmacis, quæ Hippocratis sæculum vsurpabat; neque etiam paulò mitioribus inuentis purgatio instituenda. Interdum tamen mitior dolor, & aliena pertináxque ægri opinio à phlebotomiâ purgationis consilium auget, tutiúsque remedium mutat. Hactenùs vniuersales euacuationes peregimus.

Ab iis optimum fuerit tum febri acutæ, tum adhuc antecedenti causæ prospicere, syrupis decoctísque alterantibus, & lenientibus pectori aptis. Cuiusmodi existunt quæ vel temperata sunt, vel si vehementior inflammatio, febrísque ardentior fuerit, quæ mediocriter refrigerant humectántque, simul & detergunt, vt semina frigida maior. glycyrrh. vuæ passæ, zizipha, mixaria, violæ, semen bombac. & maluæ in aquâ hordei concocta; demùm percolato iuri syrupus violac. aut iuiubinus infundatur, accedente insuper diatragacant. puluere. Prospicies igitur vsu eorum quæ in acriore & calidâ tussi

Post euacuantia alterantibus pugnandum, iísque pectoralibus.

Vehementiùs refrigerantia vitanda.

iam expoſuimus. Neque meliora quærenda, neque vehementiùs frigida vſurpanda, quæ expuitionem remorantur, cuiuſmodi ſunt quæ ex lactuca & portulaca parantur. Endiuiam non admodum improbo, præſertim thoracicis coniunctam, multóque minùs illius ſemen; refrigerat enim moderatè & abſtergit. Semen etiam papaueris albi, quoties acerrima fluxio eſt, & phlegmone eryſipelatodes, vſui eſſe poterit, non minùs quàm eiuſdem ſyrupus, aut ex nymphæâ, aut mucilago pſyllij.

Acetum ablegandum.

Dulcia temperata & ἄδηκτα pectori conueniunt.

Ab acidis & acerbis abſtinendum.

Neque ea imperanda quæ acetum excipiunt, quod pectori eſt inimicum. In ſummâ, quæcunque pectori accommodantur, dulcia eſſe debent: ita tamen vt neque manifeſtò excalfaciant, neque refrigerent, & magnâ ex parte morſu careant. A reliquis verò aliâ qualitate notatis medicamentis abſtinere oportet, ſiue in ventriculum protinùs deuorentur; ſiue lambendo ſenſim demittantur in pulmones. Maximè verò ab acidis & acerbis, ne ſanies púſve ex affecto latere in pulmonum cauis accumulatum, eáque obſepiens, ac ſpiritûs vias præcludens, ſuffocationis periculum inuehat.

Quæ offeruntur, calida actu eſſe debent.

In pleuritide pituitoſa potiùs purgandum quàm phlebotomandum.

Quæ offeruntur, omnia actu ſint calida: nam quæ calida non ſunt, etſi alioqui expedire videantur, attamen ſuâ in contactu frigiditate, ea quæ educi expuíque debent, quaſi conſtipant; at calidis patefacto aditu, humor promptiùs excluditur. Cæterùm ſi quando pituitoſus lateris dolor negotium exhibet, (quod rarum certè eſt) niſi ex deſtillatione accerſita materiâ, tunc medicamento potiùs quàm venæ ſectione curatur; maximè ſi febris expers eſt. At nihilominùs in hoc interdum ſanguis conuenienter mittitur, cùm aut venæ copiâ turgent, aut dolor acriùs vrget, qui perſeuerans veram pleuritim nonnunquam inuehit. Itaque ſic venæſectio non tam præſentis morbi neceſſitate, quàm impendentis metu, parcè inſtitui poteſt. Quod ſi nihil horum premit, citra venæ ſectionem, & purgatione, & ſyrupis in peripneumoniâ pituitosâ notatis, mali cauſa eximitur, deſtillatione nihilominùs inprimis ſedatâ.

Loco affecto ſuccurrentia interna, ſeu expectorãtia.

Iam verò in exquiſitâ pleuritide, vbi ſatis ſanguinis fluxiſſe videbitur, tunc loco affecto ſuccurrendum erit internis & externis præſidiis. Itaque reliquum eſt medicamentis quæ ore retenta ſenſim demittuntur, errantque in aſperam arteriam, coniunctæ materiæ concoctionem, eductionémque iuuare; & quæ in pus conuerſa ſunt, per ſputa vacuare: Eò quippe natura commodè dirigit.

Tuſſim moderantia, aut ipſam promouentia.

Naturæ autem aut vi oppreſſæ, aut imbecillitate languenti adiutrix medicina ſuccurrit, quæ tuſſis impetum moderetur. Nunc enim vbi acerbiùs infeſtat, hanc lenire conuenit, ne contentione nimiâ quidpiam in pulmone vel pectore rumpat, collidátve, vnde ingens ſanguinis ſputum, aut noua fluxio incitetur. Aliàs verò vbi tuſſis ignaua eſt, & quaſi ſopita, eam ita incitare atque mouere, vt ſputum liberè trahat. Opportunè autem gerit omnia, qui pleuritidis temporibus remedia confert. Initio enim cùm ſputum aut nullum,

Bechica iuxta pleuritidis tempora, variari debent.

aut

aut liquidum & album redditur, hoc eſt, crudum, bechica, quæ quadam lenitudine tenues humores & fluxioni paratiſſimos incraſſant, conuenientiſſima ſunt; quorum ampliſſimam ſyluam calida tuſſis ſuggeret. Incremento, cùm ſanies quædam ex affecto latere reſudat, flauúmque reiicitur, & priore paulò craſſius; illis detergentium & attenuantium triens commiſceri debet, ſenſímque horum quantitas intendi; dum magis ac magis augeſcente inflammatione, par ſit modus omnibus. In ſtatu, cùm vel cruentum, vel purulentum facilè & copioſiſſimè extrahitur, coctúmque verè eſt, detergentia ipſa & attenuantia primas in permiſtione obtineant, quibus incraſſantium nonnihil ſit admiſtum. In declinatione verò, vbi ſymptomatum vehementiâ miteſcente, ſputum multum procedit, quæ detergunt & attenuant, ſola ſunt ex vſu: qualia iam ad pulmonum obſtructiones & antiquas tuſſes præſcripſimus: hoc enim commune eſt omnibus morbis, quos vitioſus ſuccus creat, vt in fine calfacientibus & exſiccantibus, quod parti inhæſit, impactúmque eſt, deriuetur & diſcutiatur, dum nihil fiat reliqui. Cùm igitur hîc non minùs quàm in cæteris inflammationibus internis, quæ membranâ tenui concluſæ, & cordi vicinæ ſunt, nonnihil habitûs ſpecie continenter reſudet, ac roris modo in thoracis ſpatium ſenſim influat; cúmque collectus ſanguis, non ſtatim vniuerſus, ſed eius pars citiùs, alia tardiùs & putreſcat & ſuppuret; eâ lege metienda erunt & commiſcenda incraſſantibus extenuantia ac detergentia, vt à morbi principio ſenſim, ordinatímque per media tempora ab illis ad hæc fiat progreſſus, dum ad declinationem peruentum ſit. Hoc autem certiſſimè diſces, ſputorum mutationi illorúmque ſubſtantiæ animum ita adhibens, vt tenui ſputo incraſſantia, craſſo extenuantia, inæquali proportione vtraque permiſta aptè decernas. Sed hæc perſpicuis exemplis illuſtranda ſunt.

In principio. *In augmẽto.* *In ſtatu.* *In declinatione.* *Incraſſantiũ ac extenuantium permiſcendorũ proportio vnde hauriatur.*

Bechica pleuritidis initio atque incremento vſurpanda.

℞. Syrup. viol. ℥iij. ſyrupi ziziph. ℥ii. Miſce, ac lentè demittantur. Quos torquent vigiliæ, quóſque eryſipelas acriùs compungit, aut ſicca tuſſis, & inanis contentiùs infeſtat, ij ſyrupum ex papauere, aut diacodion, cum ſapa ſalubriter delingunt.

Syrup. vſualis. *Syrupo papauer. quando vtendum.*

℞. Elect. diatrag. frigid. & pilul. albarum, vel penidiorum, ana ℥iß. contineat ore; Aut ſacchari violati, & pilul. bechicarum, ana parem modum.

Tabellæ, & hypoglottides.

Eclegma.

℞. Pulu. electuarij diatragac. frig. ʒiß. pulueris diapenidion ſine

ſine aromatibus ʒi. pilul.ſub lingua ʒvi.conſeru.capill. veneris ℥i. cum ſyrupo violat. reducantur in formam eclegmatis, frequenter vtatur, lambendo cum baculo glycyrrh. Vt morbus magis progreditur & augeſcit, adde ſacchari candi ℥ß. aut excipiantur ſyrupo adianthino vel è glycyrrh.qui euidentiùs deterget,& ſputum promouebit; quemadmodum ea quæ ex oleo amygd. & ſaccharo componuntur, ac reliquis quæ leniunt, & promptè humores educunt.

Pandaleon incraſſans crudæ pleuritidi aptum.

℞. Amygd. dulc. excempto cortice infuſarum in aquâ hordei ℥ii. gran. pini recentium ʒvi. pulu. diatrag. frig. recenter præparati ʒiij. penidiorum, & pilul. ſub lingua, an. quart. ß. ſacchar.albiſſimi in aqua hordei, vel capill. veneris, (vel ſcabioſæ, ſi hyems eſt) diſſoluti, factâ infuſione gummi tragac. q. ſ. fiat pandaleon, capiat frequenter ſenſim deglutiendo. Sic etiam butyrum recens ſaccharo cando obduratum, coquendo, leniendo, ac blandiſſimè detergendo iuuat; cui, ſi libet, nunc puluerem diatragac. frig.nunc diaireos ſimplicis admiſcebis, vt vel incraſſandum, vel attenuandum fuerit. Horum animaduerſione euidentiſſimum eſt, tum delinctûs, tum mucilagines, tum placentas, tum formulas, omnia denique in tuſſi calidiore deſcripta bechica, horum morborum initiis, atque incrementis eſſe accommodatiſſima. Quæ eadem in ſtatu magnam vim ſunt habitura, aucto extenuantium modo, vt ſyrupo capillorum veneris, glycyrr. puluere diairæos,& aliis attenuantibus, quæcunque anteà è mitiorum ordine notauimus; ſeruatâ perpetuò eâ lege quæ febri vehementiori calidiora dari vetat.

Butyrum recens.

Bechica omnia tuſſi calidæ conuenientia, pleuritidis principio & incremēto apta ſunt.

Expectorantia in ſtatu & declinatione, maturatâ iam phlegmone, apta; quæ eadem pituitoſæ pleuritidis initio accommodari poſſunt.

℞. Syrupi capill.veneris,& de glycyrrh.an.℥iij. Miſce.
℞. Electuarij diaireos ſimplicis, & ſacchari candi,an.℥ii.

Eclegma.

℞. Pulu. electuarij diaireos ſimplicis, ʒii. ſacchari candi ℥ß. conſeru.capill. veneris ʒvi. ſyrupi de glycyrrh. quantum ſatis, reducantur in lentorem mellis, vtatur vt dictum eſt. Vehementiora fient adiectâ paſſularum pulpâ, melle violato, glycyrrh. ſucco, iridis puluere ſemine vrticæ, ſyrupo de hyſſopo; & cùm pigriorem vim expultricem excitare oportet, oxymeli ſimplici, vel ſcillitico, modò ſyrupo violato commiſta, temperatáque ſint. denique aliis antè ad pulmonis infar

Vehementiora, tuſſim ignauiorem excitantia.

infarctûs expediendos fusissimè commemoratis. Quibus etiam pituitosas pleuritides licet discutere, atque pus in pectoris capacitate per suppurationem pleuritidis vel alios affectûs congestum extrahere. Hæc in assumptis tum antecedentem, tum coniunctam inflammationis causam excindunt, morbúmque discutiunt. Sunt qui ad pleuritidis curationem, spretis aut ignoratis hisce remediis, conuenientia quædam amuleta, selectásque antidotos exhibeant, quas non empiricorum more, sine iudicio, sine arte, & vt cunque sors tulerit, sed ratione ac methodo ad curationem proferemus. Horum enim auxiliorum alia morbi initio, alia inclinante iam morbo, quodam delectu adhibemus.

Specificâ virtute pleuritidi conferētia, cum delectu adhibenda.

Amuleta pleuritidis initio.

℞. Florum papau. rubri, p.ij. aquæ scabiosæ ℔ß. aquæ pimpinellæ, quart. i. leniter efferuescant, percolentur, & saccharo insperso fiat syrupus, cuius ℥iiij. dentur manè: vel floris illius arefacti ℈i. cum ℥iij. aquæ pimpinellæ.

Aliud.

℞. Rasuræ dentis apri ℥iß. detur ex vino albo, aut si vehementior febris est, ex aquâ hordei. Siccando fluxionem intercipit & absumit.

Aliud.

℞. Cineris priapi tauri ℥i. detur pari modo, aut ex aquâ capill. veneris.

Aliud.

℞. Germina ouorum recentium, N. IX. dentur ex vino albo, vt in partem perueniant. Aut:

℞. Corticum auellan. rubr. & membranæ iuglandis nucleum diuidentis, an. ʒi. detur ex mulsa, vel aquâ hordei.

Amuleta factâ defluxione.

℞. Aquæ cardui benedicti ℥iiij. vel visci quercini ʒi. detur ex eadem aquâ. Possunt hæc quidem tentari, aliis tamen neutiquam prætermissis.

Topica.

Loco affecto succurrentia externa: vt primùm anodyna & chalastica.

Nunc topicis dolori consulamus. Ergò vt primùm sanguis detractus

 est,

eſt, laterum vitio ſuccurrunt, quæ foris admouentur præſidia, relaxantia omnia & anodyna, quibus oppreſſum latus ſubleuetur, dolor miteſcat, ſputum maturetur, reſpiratio liberior euadat, nonnihil denique rarefactâ cute ſine ſenſu diſſipetur, ac foras exhalet. Neque hîc vſquam repellentibus, vel etiam in principio locus eſſe poteſt: frigidum enim pectori aduerſiſſimum, & quæ aſtringunt dyſpnœam, tuſſim, dolorémque augent: vnde fluxione, vi doloris renouatâ, phlegmone increſcat. Quin etiam repellentibus abſtinere veteri lege cautum eſt, vbi materiam in partem principem recurſuram putes. Quamobrem longè præſtabilius fuerit, Hippocratis imitatione, linimentis & fomentis, doloris vehementiam demulcere, neque dolorem veriti, neque fluxionem nouam, præſertim iam detractâ copiâ exinanitíſque venis. Verùm eâ prudentiâ adminiſtrentur omnia, vt pleuritidis initio mitiora vſurpentur, quale violaceum, amygdalinum, aut chamæmelinum, cum lini, aut cydoniorum mucilagine extractâ in aqua violarum, aut mucagine hordei perfectè cocti, aut in maximo æſtu, mucagine pſyllij. Deinde vt morbus procedit, vehementiora, cuiuſmodi eſt oleum liliorum, anethinum, irinum, Keirinum, cum fœnigr. aut althææ mucilagine extractâ in aquâ vngulæ caball. aut hyſſopi, addito croco ac iridis puluere: illa ex tuſſis calidæ, hæc ex frigidæ curatione vberrimè depromenda.

Repellentia pectori inimica.

Lib. de vict. acut. ſ. 2. t. 1.

A mitioribus ad vehementiora progrediendum prouit ipſe morbus procedit.

Vnguentum.

℞. Vnguenti reſumptiui recentis ℥iiij. olei violati & amygd. dulc. ana ℥i. croci ℈i. Miſce. Aut butyri recentis ℥ij. axungiæ gallinæ ℥i. mucilag. ſemin. lini ℥ß. olei violati & camomillæ, ana ℥i. fiat linimentum; cui procedente morbo, iridis ʒi. addere conueniet.

Si per hæc non fuerit æger adiutus, vehementiùs premente dolore, hunc calidis fomentis diſcutere tentandum.

Fotus.

℞. Althææ cum radicibus, maluar. violariæ & parietariæ, ana m.i. ſem. lini & fœnigr. an. quart. ß. radicis iridis contuſæ ℥i. florum chamomill. meliloti, & ſummitatum anethi, an. part. ij. fiat decoctio, quæ vel vtre concluſa, vel ampliore veſicâ admoueatur lateri, vel poſita in vaſculo, aut æreo aut teſtaceo linteolis inuoluto, vel etiam per ſpongiam panno lineo conueſtitam foueatur pars. Deinde vngatur præſcriptis. Aut emplaſtro filij Zachariæ oleo amygdal. dulc. eliquato, aut vnguento dialthææ, oleo chamæmelino vel liliorum diſſoluto: quo tempore iuuat braſſicæ folium ad ignem arefactum, hincque butyro vel liliorum oleo perlitum vncto lateri apponere.

Litus.

Braſſicæ folium.

Parie

Parietaria quoque oleo incocta, vel in sartagine frixa vtiliter adhibetur. *Parietaria.*

Ex præscriptæ decoctionis magmate adiectâ hordei farinâ, & fœnigr. ad singulorum ℥iij. affusóque insuper oleo liliorum, & adipe anserino, pari mensurâ, aut gallinaceo; aut butyro recenti, & croci ℥i. fiat malagma dolori sedando accommodatum. Quo tutiùs vtintur, si in suppurationem vergat pleuritis, additis præterea liliorum radicibus, brassicæ foliis, ficubus, & nasturtij semine, necnon terebinthinæ & mellis sescunciâ. Eo namque concoctionem accelerabis, cuius vim æmulatur cataplasma suppurans anginæ dicatum. Verùm nihil istiusmodi vsurpandum, si prioribus auxiliis digeri pleuritis citra suppurationem possit. In iis autem administrandis diligenter cauendum, ne quæ calida admota sunt, tempore refrigescant. Neque verò temerè ad vehementiora progrediare, nisi aut iam inclinante inflammatione, aut vbi ex pituitâ dolor est: tum quippe non solùm iride, sed etiam aristolochiâ rotundâ, sem. vrticæ, ac sulphure, & sulphureâ lanâ vti expediet: omnibus denique in vetere tussi expositis, vt reliquias extirpent. Quibus dum non finitur dolor, inuictúsque permanet, sinapismis, dropace, & phœnigmis vti necesse est, qualia in asthmate apposuimus: Cucurbitulâ etiam parti impositâ, quæ foràs euocet. Sed & scarificatûs nonnunquam imprimendi, maximè cùm in suppurationem vergit abscessus, & parte externâ tumor, rubórque apparet, ac locus affectus tactu vel blandissimo indolescit. Hæc extrema habentur, per quæ si parum adhuc proficitur; desperatis ferè rebus, vltimum erit libratâ manu locum scalpello aut candente ferro aperire. Quandoquidem interdum suppuratio, aut abscessus pleuritidis aperto latere foràs deriuatur, modò vires annuant. Raró tamen eò nos morbi necessitas cogit, quòd non sæpe abscessus foràs proferatur, raróque tumorem ostentet. Sæpiùs autem intrò declinat, atque confecto iam pure rumpitur, aliàs facilè & sponte; aliàs vi, vt tussis impetu, clamoribus, vomitu, sternutamento, & quauis aliâ corporis violentâ concussione. In id etiam confert, si descripto cataplasmati suppuranti, fimi columborum, aut fermenti ℥iß. accesserit. Iuuat etiam hoc modo compositum, quocunque vergat eruptio.

Cataplasma quod tū præferendum, quando suppurationis spes est.

Ad vehementiora non temerè progrediendum.

Metasyncritica in doloris pertinaciâ.

Scarificatio lateris.

Apertio lateris scalpello, aut candente ferro, rarissimè tentanda.

♃. Magmatis radicum liliorum coctarum, aut radicum althææ, ℔ß. ficuum pinguium tusarum ℥iij. fermenti acerrimi ℥ij. fimi columbini, ℥i. mellis quart. i. terebinthinæ quart. ß. reducantur in malagmatis speciem. *Cataplasma vomicæ ruptionem iuuans.*

Rupto tandem abscessu, pus tussi benè repurgandum. Postremò vlcus & tergendum, & glutinandum est, remediis in tabe amplissimè descriptis: maximéque eclegmatis, quibus ficuum pinguium mucilago, aut terebinthinæ portio sit adiecta: tum scilicet cùm in empyema factus est transitus.

Symptomata.

Hactenùs morbo atque hinc orto dolori prospeximus : Nunc maiora symptomata quæ hinc emergunt, ac sæpè grauiùs vrgent, reprimamus. Ea ferè sunt vigiliæ, sitis inexpleta, fluxa ac lubrica aluus,& virium imbecillitas, quas labantes primò firmare necesse est :

Vigiliæ.

Vigiliarum causa.

Si tussis dolórque implacabilis somnum prohibent ; aut calidus, acérque vapor in cerebrum efflatus vigilias atque delirium infert, somno dolorem leuabis ; tussímque vbi acerbiùs premit, inducto sopore lenies. Narcotica id genus medicamenta vocant, quibus vti, nisi nimia necessitas vrget, alienum est : sputum enim retardant. Quapropter si quando est excernendus humor, aut crisis impendet, narcoticis prorsus abstinendum. Opportunè tamen concessa, non solùm occurrunt dolori per quietem, sed etiam acres fluxiones inhibent, ac fluxos humores incrassant, ex quo faciliùs tussi repurgentur : erysipelatis ardorem extinguunt : spiritûs substantiâ tenuissimos à dissipatione tutantur. Ex iis maximè probari solent syrup. de papau. diacodion cum sapa ad vnciam vnam, aut sescunciam, vel propinatur subscripta potio.

Narcotica.

Potio narcotica.

℞. Syrupi de papau. ℥i. syrupi viol. ℥ß. pulu. diatragac. frig. ʒß. confectionis alkermes ℈i. aquæ buglossi & nymphææ, ana quart. ß. Misce, fiat potio, exhibeatur horâ nonâ vel decimâ noctis. Et soluto somno, expectorantium quædam offerantur : Huiusmodi plurima narcotica in phrenitide conscripsimus. Túmque oxyrhodino caput perfundere, aut frontali quodam soporifero quietem aduocare licet : modò nulla ex capitis plenitudine destillationis suspicio adsit: quibus etiam vehementior delirij perturbatio, vbi pleuriticum exercet, solabitur ; veluti cucurbitulis, frictionibus, vinculis.

Soluto somno, expectorantia danda.

Topica somnifica.

At si aliqua vel minima futuri catarrhi comminatio intendatur, tum non oxyrhodino, nec alio quouis è capite humorem repellente vti oportet, quemadmodum neque in aliâ oppressione pectoris. Neque præterea cardiacos pulueres exsiccantes, aut confectiones astringentes, nisi parcissimè, ac minimâ quantitate remediis admiscere, ne sputum pleniore vsu coarctent. Et cùm illis virium necessitas vti cogit, lenientium perfusione erunt moderanda.

Topicis huiusmodi abstinendum in suspicione catarrhi.

Cardiaca astringentia parcè, idque lenientibus mixta vsurpanda.

Sitis.

Syrupi sitim compescentes.

Sitim verò explebis syrupo violato, iuiubino, ex aquâ hordei aut syrupo punici mali dulcis, siquidem extet ; aut si fluxio constiterit,

terit, & extenuatione opus est, syrupo capill. veneris, aquâ saccharata. Syrupi loco, pauperibus aqua cui hordeum, glycyrrhiza, & passulæ, & iuiubæ incoxerint, vtiliter in potu accommodabitur. Si pituitosa est pleuritis, melicratum tribuetur. Ditioribus, si tum sitis sedanda, tum viribus consulendum est, conditum cardiacum erit imperandum.

Decoctum ἄδιψον. Melicratum in pituitosa pleuritide.

Condîtum.

℞. Conseru. rad. bugloss. ℥i. florum borrag. & violarum, ana ʒvi. conseru. capill. veneris, ℥ß. pulu. diarrh. abbatis, & diatragac. frigidi, an. ʒß. sacchari albissimi ad pondus omnium, fiat conditum auro coopertum; quo vtatur cum aquâ hordei, sitis tempore. Saccharum quoque violatum non obscurè siti auxiliabitur. Manifestissimè etiam sitim extinguit mucilago psyllij aquâ hordei extracta, inspersóque saccharo, aut penidiis; vel formulæ parentur, quas in phrenitide priùs scripsimus; modò non aquâ rosaceâ, sed aquâ hordei, aut violæ macerentur.

Saccharum violatum. Mucilago psyllij.

Alui Fluxus.

At si aluus immodicè soluta sit, quod inprimis verendum vbi vires ægrè ferunt, remediis coërceatur admotis, ne iis sputi excretio cunctetur, ac subsistat. Illa plenissimè è diarrhœa depromentur, vnguenta, emplastra, atque si libet clysteres. Ore verò non ita tutò quodquam astringens liceat assumere; atque si myrtinum syrupum & puluerem in tabe conscriptum excipias, vix aliud occurret quod vtrique affectui æquè possit accommodari. Ac tum violaceo syrupo, qui lubricat, & hordei aquâ aliísque detergentibus, aut abstinendum, aut parciùs vtendum, adiectâ interim tragacanth. aut gummi arabico, ex mundati hordei & glycyrr. decocto. Virium autem robori consulimus expresso gallinarum succo, gelatinis, sed propriè ac celerrimè destillationibus instaurantibus, affectui hunc in modum destinatis.

Admota alui fluxum coërcentia. Assumpta parum tutò hic vsurpantur. Vires tuenda idoneis alimentis.

Liquor stillatitius vires reficiens.

℞. Pulpam caponis, detractâ pinguedine & pelle, quæ abluatur aquâ buglossi, & minutatim incidatur; Deinde adde conseru. florum borraginis, & capill. veneris, an. ℥iß. pulueris diatragac. frig. ʒiß. pulu. diamargarit. frig. ℈iiij. (quem hîc admitto quòd non substantia, sed vis duntaxat in liquore asseruetur) pulu. diarhod. abbat. ʒi. Destillentur omnia in balneo Mariæ, & liquoris huius cochlearia duo, ex interuallis dentur; aut iusculo sumendo immisceantur.

Diuturni thoracis dolores sine febri.

Causa. Remedia.

Iam contumaces & inueterati sine febri laterum dolores, quos aut pituita aut crassior spiritus arctè conclusus mouet, discutientur cucurbitulis, vnguentis illis calidioribus in asthmate iam præscriptis; fomentis quoque & sacculis ex milio, sale ac furfure adhibitis, quibus cumini semen, aut rutæ, aut viticis, lauri baccas, hyssopum, origanum, calaminthan, rosmarinum, ac similia miscere licet. Sed si vetustior dolor consuetis remediis vel iteratis non cedit, sequens emplastrum opitulabitur.

Emplastrum.

℞. Galbani, sagapeni, resinæ pini, & picis, an. ℥i. aristolochiæ rotundæ, acori, iridis, & cineris caulium brassicæ, an. ℥ß. sulphuris viui ʒiij. seminis vrticæ, hyssopi sicci, & fol. bechij siccor. an. ʒii. florum chamomillæ, meliloti, & anethi, an. ʒi. croci ℈i. terebinthinæ ℥iß. fimi caprini, ℥i. olei rutacei, & ceræ, an.q.s. fiat massa emplastri: hoc parti impositum iuuat. Vel pauperibus paretur ex diachylonis ireati ℥iij. picis naualis ℥ii. olei chamæmelini, aut amygd. amar. aut liliorum, q.s. fiat emplastrum: lateri imponatur. Quo tempore decoctis calfacientibus, & attenuantibus expugnanda materia est doloris effectrix: Qualis ex acoro vulgari, centaurij magni radice, aristolochiâ rotundâ, radice phu, aut peucedani, aut ireos, origano, calaminthâ, hyssopo, prassio, sem. vrticæ, stœchade, horum quibusdam vel omnibus affuso melle, efficacissimè comparari possunt, & in syrupum redigi.

Aliud pro pauperibus.

Decoctæ calfacientia & attenuantia, in syrupos redigenda.

CAPVT IX.

De Peripneumonia.

CVrationis affinitas, summaque morborum cognatio ordinem partium transgredi nos compellit, atque in pulmonem recurrere, cuius in acutissimis malis peripneumonia habetur: hæc enim pulmonis est vel erysipelas, vel inflammatio, quâ ille totus afficitur. Hunc eius casum subsequitur spiritûs difficultas, tussis biliosum, vel purulentum trahens, magnæ febres, pectoris grauitas atque distensio sæpè scapulas conuellens, sitis implacabilis, quæ frigidâ non potione, sed inspiratione iuuatur, incredibilis meri appetentia, vultus turgidus, genæ rubore suffunduntur, quasi inflammationem sentiant; vtrumque oculum insolens tumor afficit, ceratoïdisque nitor obscuratur.

Peripneumonia quid.

Signa peripneumoniæ. Cels. l.4.c.7.

Et ſi quando eryſipelas eſt, ſternum quidem minùs quàm in inflammatione diſtenditur; ſed flagrantior pectoris æſtus, igneum quid expirat, febriſque ardentior, & typhodes laborantem vrit, & tuſſi flauum potiùs quàm cruentum educitur. Peripneumonia aliàs ex ſeſe trahit originem, aliàs quadam commutatione, ex anginâ aut pleuritide relinquitur; contrahitúrque cùm vitioſus humor priore derelictâ ſede pulmonem inuadit, atque eò transfertur. Quæ primò ac per ſe fit, cauſam habet ſanguinis bilioſi, qualis pulmones alit, fluxionem è dextro cordis ventriculo, copioſiùs & concitatiùs in propriam illorum ſubſtantiam irruentem: illic quippe collectus ſanguis putreſcit & inflammatur, ſi non ſit perflabilis. At bilioſus tenuíſque humor in laxo & ſpongioſo viſcere non facilè coarctatur, nec collectione circumſcribitur; ſed latè diſperſus hauſto ſpiritu liberè ventilatur, nec facilè putredinem concipit: itaque peſſima eſt vera peripneumonia, quæ omnis à bilioſo & feruido ſanguine gignitur. At notha, quæ illius ſpeciem quandam gerit, frequentior eſt, ſenibúſque familiaris: hæc enim fit cùm acrior è capite, multáque deſtillatio in pulmones collapſa, aut peculiari vitio, vt ex aſthmate congeſta, illic computreſcit, febrem pituitoſam adfert, ſoporem, reſpirandi difficultatem, oppreſſionem, ac tuſſim, ſed quæ album citat: Quocircà in pleuritide ſæpiùs flauum, in peripneumonia pituitoſum effertur, quanquam pulmo tenui ac bilioſo, thorax craſſo nutriatur ſanguine.

Signa eius quæ eryſipelatodes.

Peripneumonia vel per ſe oritur, vel aliis morbis ſuccedit.

Cauſæ vtriuſque.

Peripneumonia vel vera, vel notha.

Peripneumoniæ nothæ cauſa.

Curatio.

Hoc genus morbi plus periculi quàm doloris habet, ſæpiúſque ad perniciem procedit: maximè ſi exquiſita eſt pulmonia, quod vis mali, & celeritas, concoctionis tempus anteuertat. Auxilia ergò maturè adferenda. Auxilium eſt, niſi quid prohibet, in ſanguinis detractione; quæ pulmonum inflammationem reuellit, paritérque deriuat ex interiore cubiti ſiniſtri potiùs quàm dextri. Itaque à ſanguinis miſſione ducendum curationis exordium, modò ipſa inflammatio, affectûs ſit origo.

Celſ ibid.

Prognoſtica.

Sanguinis miſſio, in peripneumonia per ſe orta, ſaluberrima.

Alioqui ex pleuritide aut anginâ ſuborta phlegmone venæſectionem prorsùs reſpuit; maximè ſi vel per illorum initia ſanguinem detraxeris, vel ſint morbi diuturnitate vires proſtratæ: Tum quippe minoribus auxiliis, vt cucurbitulis & bechicis, curatio, ſi vlla ſperari poteſt, tentatur. Etenim pulmo, debilitatâ iam facultate, veluti nouo facto principio noxam excipiens, aut nihil, aut perexiguum, & ægerrimè poteſt excutere, ægro iam ob cõtinuas expuitiones, vehementer fatigato. Quare peripneumonia quæ primaria eſt, venæ ſectione; at quæ aliis affectibus ſuccedit, cucurbitulis primò inhibenda. Vtraque deinceps ſyrupis, decoctis, lenientibus bechicis, & topicis curanda; omnibus denique præſidiis in pleuritide & calidâ tuſſi

In peripneumonia morbis aliis ſuccedente ſanguis mittendus nõ eſt, ſed cucurbitulæ admouendæ. Paul. l.3. c. 30.

Alterantia quibus vtendum poſt venæſectionem, aut ſicyaſin.

ampliſ

amplissimè descriptis: hîc tamen paulò frigidioribus pugnandum est, (tum maximè cùm erysipelas est) & assumptis & admotis, quibus ingens præcordiorum æstus restinguatur. Quòd si notha & pituitosa peripneumonia negotium exhibet, iam tum aliis remediis est opus, quibus etiam pituitosam pleuritidem cures. Primum sanguis parcè demittendus, si ætas perferat: sin minùs, cucurbitulis, ac modis aliis fluxio intercipienda. Neque id satis est; sed cùm postera dies illuxerit, venter medicamento soluendus. Neque tunc prudentis est Medici concoctionem expectare in morbo ancipiti, in quo metus impendet ne laborantem ante statum iugulet. Cùm ergo humor in motu sit iam transfluens, non difficilè medicamento cedet, medicamentum in id deligito, quod frigidæ tussi addiximus; aut quod iam proximè insequitur.

Notha peripneumonia eadem poscit remedia, ac pleuritis pituitosa.

In peripneumonia notha purgandum ante pe-paſmum.

Medicamentum in peripneumonia notha, & pituitosa pleuritide.

℞. Decocti expectorantis ℥iiij. in quo dissolue agarici albi fœminini in melle rosato colato infusi, ʒi. zinziberis eodem modo infusi, grana vi. diaphœn. ʒii. syr. rosat. laxatiui, ℥iß. aut syrup. viol. Misce, fiat potio. In cuius vicem, præsertim cùm in summo incremento morbus est, clystere mitiore liquanda aluus, interdum etiam acriore, ducenda. Ab iis transitus est ad syrupos, qui detergentibus, non item manifestè incidentibus constent, ne fluxio inde concitata, maiore impetu ruat, quam potiùs, detractâ iam copiâ, sedare oportet.

Clysteres in morbi incremento.

Syrupi detergentes.

Syrupus detergens, ad nothas peripneumonias, & pituitosos lateris dolores.

℞. Glycyrrh. recentis, & radic. bechij recentis, an. ℥i. herbar. capillar. recentium, folior. buglossi, an. manipul. i. fol. hyssopi, & prassij viridis, (si viscidus sit humor, atque frigida ambientis constitutio) an. tertiam partem manipul. i. scabiosæ & melissæ, an. m. ß. ficuum pinguium par. v. passul. mundatar. ℥i. semin. melonum ʒiij. semin. viticæ & anisi, an. ʒi. florum buglossi & violar. an. p. i. florum stœchados & rorismarini, an. p. ß. fiat decoctio in aqua hordei. Et in colaturæ ℔iß. dissolue mellis optimi ac perfectè despumati, & sacchari albissimi an. ℥iiij. pulu. diairis simpl. ʒiß. fiat syrupus mediæ decoctionis, clarificatus, ad quatuor doses.

Quibus exhaustis, si pigrior sit aluus, clystere citetur in pituitosa angina descri-

defcripto, aut etiam fi diutius prorogatur morbus, ac fegniùs cum hebetiori febre mouetur, non alienum fuerit repetita purgatione, antecedentem morbi materiam pleniùs detrahere.

Morbo perseuerãte iterãda purgatio.

Sed hæc dum fiunt, concepta in pulmone humoris illuuies, crassa ea quidem & copiofa repurgetur, tum fyrupis primùm mediocriter incidentibus & detergentibus. Tum eclegmatis iam ad decrefcentes pleuritides confcriptis. Hinc ex ratione aucti mali paulò vehementioribus vti expediet. Poftremò inclinante morbo ad ea fiat aditus, quæ pulmonum obftructiones expediunt. Præter hæc circumponere extrinfecùs pectori oportet quæ concoctionem inclufi humoris adiuuant, ac illius nonnihil digerunt, altéque penetrant, qualia habentur in tuffi ftertente, atque in afthmate, vnguenta quàmplurima, quibus hoc quoque accedit.

Assumpta, & admota, anacatharsin iuuantia.

Vnguentum.

℞. Succi marrubij depurati ℥iiß. olei irini & amygd. dulc. ana ℥ii. medullæ cruris vituli, ℥i. butyri recentis ℥iß. fimul ferueſcant, ad fucci confumptionem: & dum percolata fuerint, adde terebinthinæ & refinæ pini, ana ℥ß. pulu. radicis iridis ʒiij. rad. bechij arefactæ ʒii. folior. hyffopi ficcorum ʒiß. croci ʒß. mifce, fiat vnguentum, quo illinatur vniuerfa pectoris regio. His peripneumoniæ fpuriæ, qualis ferè omnis eft, fimúlque pituitofæ pleuritidis curatio completur.

CAPVT X.

De Empyemate.

PLeuritidem, & peripneumoniam, atque etiam fuppurantem angi-nam interdum comitatur empyema; cùm illis per fputa minimè repurgatis, pus, rupto abfceffu, in thoracis fpatium confluit, illícque infigni copia colligitur. Ea autem ipfius fub pectore collectio, angufta nominis ratione, empyema nuncupatur. Ita enim fcriptum ab Hippocrate: quicunque pleuritici in quatuordecim diebus non repurgantur, ij ad fuppurationem vertuntur. Non expurgantur autem aut virium imbecillitate, aut loci denfitate, aut inepta puris conditione, qua id tuffiendo impulfum, vel tenuitate relabitur in pulmones, vel craffitie & lentore pertinaciter inhæret. Itaque in empyema, hoc eft, puris congeftionem degenerat, quæ pure multo in thoracis fpatio fluitante, pulmonem obfidet.

Empyematis causa.

Empyema quid.

Aph. 8. l. 5.

Causa frustrata anacatharseos.

Porrò hæc figna pus collectum certiffimè produnt: conclufa nec

Empyematis signa.

Vide Hippoc. 2. progn. 60. tempeſtiuè expurgata pleuritis; rigores inſoliti, cùm pus interiore abſceſſu collectum, exeſa aut diſciſſa continente membrana, irrumpit in ſpatium thoracis. Quo tempore ſymptomata quidem priora remittuntur; ipſéque prioris morbi ardor deferueſcit; vires tamen languent; grauitas pectoris relinquitur, erecto potiùs quàm decumbente ægro percepta, & moleſti ponderis ſenſus diaphragma premit. Spiritus difficultas, tuſſis vehemens ſæpiùs vrget, quæ nihil ferè emolitur. Febriculæ per initia languidæ, inordinatæ, noctu maximè excandeſcentes, *Aph. 15. l. 5.* quæ tandem in hecticam deſinunt. Tabes enim non expurgato empyemati ſuccedit, pure acerrimo pulmones imbuente, inquinante, & tenellam illorum ſubſtantiam erodente. Nam cùm pus exitum nullum habens diu coërcetur ac intus ſubſidit, proxima quæque & adhuc ſana contactu aſſiduo corrumpit, & exulcerat. Ac tum genæ nunc liuent, nunc rubore ſuffunduntur; vngues adunci fiunt; ſummæ digitorum partes calent; inutilis ſudor oritur; pedes intumeſcunt, puſtulæ toto corpore erumpunt; appetentia proſternitur; corpúſque ſenſim emarceſcit.

Empyematis ſedes. Iam verò thoracis capacitas medio quodam quaſi ſepto dirempta, interdum vtroque, vt ex angina & peripneumonia, ſæpiùs altero ſinu, vt ex pleuritide purulentam colluuiem excipit & continet. *Signa quibus dignoſcitur quâ thoracis parte lateat Empyema.* Diſtingues vtrùm ſinus incommodum acceperit, ex prægreſſi morbi ſitu, loci calore, grauitate, facili in affectam partem decubitu; quòd in latus ſanum decumbente ægro, pus accumulatum ponderis ſenſum infert, ex quo ſymptomata omnia ingraueſcunt.

Hydrops pectoris. Empyemati finitima eſt ſeroſi humoris in thoracis capacitate ingens collectio, qualem ex hydrope, aut cachexia per inuſitatam viam eò ferri, diúque illic, nulla vel antecedente, vel ſubſequuta febri, aſſeruari compertum eſt. Hanc à ſuperiori euidentiùs diſcernes, quàm vt explicari mereatur.

Curatio.

Prognoſticon, ex Aph. 15. lib. 5. Tabes ſubit, ſi in lateris dolore orta ſuppuratio in quadrageſimum diem purgari non potuit. Vt ergo phthiſim impendentem arceas, *Indicationes in empyemate.* expurganda protinus puris colluuies remediis omnibus quæ tergendo pulmonum vlceri, iam adſcripta ſunt; & ſimul puris concoctio adiuuanda fomentis per ſpongias, ac cataplaſmate ſuppurante in pleuritide expoſito.

Empyemati conferunt ea, quæ pulmonis obſtructiones & aſthma oppugnant. Quòd ſi exquiſitè purgari non potuit; ad vehementiora, quæ purulentam, craſsámque pulmonis materiam pectore expellant, progrediendum: qualia iam pulmonis obſtructiones explicare, & aſthma perſanare diximus, tum aſſumpta, tum ore retenta,

tenta, & vaporis specie inspirata. Quinimò præsens hoc habetur.

Eclegma, quod crassa, & purulenta expectorat.

℞. Mucilag. ficuum extractæ cum aqua hordei, ℥i. sacch. candi, ℥ß. succi glycyrrh. ʒii. pulueris diairis simpl. ʒiß. syr. de hyssopo, & oxymelitis scillitici, ana q. s. reducantur in lentorem eclegmatis.

Vel.

℞. Radicis iridis præcoctæ & contusæ ℥ii. sacch. albissimi in aqua hyssopi dissoluti ℔. i. coquantur simul, deinde adde amygd. dulc. mundat. & infus. in aqua hordei ℥i. gran. pini eodem modo infusorum ℥ß. pulmonis vulpis arefacti, & farinæ orobi, ana ʒii. sem. vrticæ & hyssopi sicci, ana ʒiß. succi glycyrrh. & pulu. eiusdem, & sem. fœniculi contriti, ana ʒi. croci ʒß. fiat pandaleon, contineat frequenter ore.

Pandaleon. Metasyncritica.

Quin etiam inueterascente malo, foràs euocanda materia cucurbitulis, phœnigmo, scarificatu, vt iam plenè in pleuritide curanda docuimus. At si ne tum etiam vindicari æger potest, nec quicquam his auxiliis proficitur, ac neque febricula, neque tussis quiescit, tenuarique corpus apparet, scire licet malo victum esse, nisi vratur, aut secetur.

Secandus autem æger, aut vrendus, antequàm contabescat, & lethali pernicie vlcus pulmoni inferatur. Sectionis vstionisve locus is designabitur, qui superimposita madente charta, aut filo madido circundato ocyùs exarescet, vel creta cimolia, aut bolo totum locum illinemus; & siccari patiemur, quâ parte minùs humor perseuerauerit, ibi maximè pus subest, eáque aperiri debebit.

Empyematis chirurgia.

Itaque vel scalpello, vel candente ferro angustior fiet loci apertio per media costarum interualla; sic tamen vt proximè ad superiorem costæ subiectæ regionem impellatur mucro; id est, in inferiorem potiùs, quàm in superiorem costam vulnus inclinet, ne quæ imo costæ sinu vasa & nerui delitescunt, sectione lædantur.

Modus operandi.

Ferrum autem in suppurationis locum est admouendum librata manu, ita vt in pectoris quidem cauum subeat, sed non penitùs adigatur, aut altè nimis insidens pulmonem

Pus non ἀθρόως educendum.

feriat. Cúmque pus non vniuersè, ſed ſenſim & partitè iam ſatis profluxerit, interiora thoracis exquiſitè detergenda, aut œnomelite, aut hordei decocto, cum ſaccharo, aut mulſa ſimplici, vel cui glycyrrh. iris, myrrha incoxerit, aut terebinthinæ vis inſit. Et tandem finita tuſſi vlcus arte agglutinandum erit. Interim vires recreentur cardiacis & odoratis, inſtaurentúrque cibis euchymis, qui facilè coquuntur, & maximè alunt. Sunt qui metu deterriti, penetrante huiuſmodi ſectione, aut vſtione derelicta, candenti ferro quampluribus pectori locis cruſtas excitant, ſic ne ſaneſcere vlcera ſinant niſi tuſſi finita. Id cùm idoneos authores habeat, atque minùs periculi habere, videatur, aut ferro aut cauſtico medicamento, vbi neceſſitas premit, tentari poteſt. Admodum raró, & inuſitata, aut incomperta via è purulentis pulmonibus atque thoracis ſpatio, materia vel in aluum, vel per vrinas deriuatur: Túmque naturæ motus, & inclinatio arte iuuanda erit diureticis, commiſta thorachicorum portione, vt decocto ad pulmonis obſtructiones parato, cui radices apij, petroſelini, aut ariſtolochiæ, & cicera rubra acceſſerint, vel aluum ducentibus, vt decocto galli decrepiti, carthamo, polypodio, & epithymo infarcti.

Victus ratio analeptica.

Eſcharotica, pectori appoſita.

Paul. l. 6. c. 44.

Criſis empyematis per aluum, aut per mictum.

Paul. l. 3. cap. 32.

Curatio hydropis pectoris.

Serum autem vel pituita iis locis concluſa, non aliter, nec aliis quàm in aſthmate remediis extrahi debet.

FRAN

FRANCISCI FEYNEI, PRACTICÆ MEDICINÆ LIBER QVARTVS.

De affectibus Ventris inferioris.

SECTIO PRIMA.

De affectibus Ventriculi.

CAPVT I.

Ventriculi intemperies & imbecillitas, cruditas & dolor.

Imbecillitas ventriculi frequentissimè ab ipsius intemperie oritur.

VT cuiusque partis integritas & temperies, tum ipsius, tum facultatis robur tuetur, ita intemperies parti cuiuis, maximéque ventriculo inuehunt imbecillitatem, qua qui tenentur, ex leuissima occasione, ex inedia, ira, timore, tristitia, tentantur vel spasmo, vel comitiali morbo, vel syncope stomachica, ad internecionis periculum, vel in alia denique symptomata incurrunt, quæ terroris & metus plenissima sunt. Hæc autem iis obueniunt, quibus os ventriculi eximio sensu præditum, & imbecillitate quasi dissolutum languet. Eximius quidem est sensus quibus nerui è cerebro in stomachum emissi molles sunt, teneri, & occursantibus rebus obuij, atque ij citra offensionem acria, acida, aut salsa non deuorant. Imbecillitas siue ex intemperie, siue ex rariore fibrarum structura prouenerit, inde noscitur, quòd vel cibus languidè appetitur, vel non facilè fertur, sed eo accepto labor est. Quapropter stomachum imbecillum indicant pallor, macies, præcordiorum dolor, nausea, nolentium vomitus, ac sæpè in ieiuno dolor capitis, quæ in quo non sunt, is firmi stomachi est. Quoniam autem intemperies vel simplex, vel ex humo-

Duæ potissimùm res stomachicos reddũt, ventriculi εὐαισθησία, & eiusdem imbecillitas.

Causæ vtriusque & signa.

Intemperies vẽtriculi vel simplex, vel cum materia.

ris vitio imbecillitatem & cruditatem sæpiùs infert, calidáne sit an sicca discernendum. Distingues ex siti, ructu, sapore, cibi appetentia, concoctione, eo modo quem in arte medica Galenus expressit: ad hæc ex facili vel difficili tum assumptorum tum admotorum,& causæ cuiusque alterius externæ vsu. Etenim calidam intemperiem testantur sitis, ructus æstuans & nidoris æmulus, cibi fastidium, & illius coctu difficilioris promptior ac felicior elaboratio, calidis tum sumptis, tum admotis offensio, frigidorúmque vsus perutilis ac iucundus; frigidam contraria indicant; morbosa enim cùm sit, contrariorum appetitus vrget, eorúmque moderato vsu iuuatur & recreatur.

Intemperiei calidæ signa.

Frigidæ signa.

Atque si humor prætereà subest, calidus quidem & biliosus detegitur nausea & inexhausta siti, oris amarore, inappetentia, præcordiorum æstu, rosionis sensu seu stomachi morsu, neque vlla re magis ventriculus aut afficitur; aut corpus afficit. Crassus autem, frigidus, ac pituitosus ventriculo impactus, grauitate, distensione, nausea, atque dissolutione, atque tum ventriculi offenditur coctio, ex qua flatus plurimus excitatur, & ructus acidus.

Intemperiei cum materia calidæ signa.
Cels. l. 4. c. 5.
Intemperiei cum materia frigidæ signa.

Si melancholia ventriculum occupat, ingentem famem incutiet, animi demissionem, morositatem, tristitiam, & copiosam oris saliuam. Si humor aquosus multus innatat, aut etiam tunicis ventriculi respersus est, copiosa saliua os madet, & expuitio multa fertur, crudus etiam plerúmque cibus fluctuat, neque lateribus ventriculi coarctatur. Hic porrò vitiosus humor nonnunquam in ventriculo gignitur, vt prægressa illius simplici intemperie, & cùm in victus ratione peccatum aliquid recèns est; nonnunquam ex aliis sedibus vitium eò confluit, signa exhibens affectæ eius partis, quæ veluti seminarium, & origo mali fuerit. Ventriculi imbecillitatem tum ex intemperie, tum ex humoris vitio inuectam sæpè in iis animaduertimus, qui à grauioribus & diuturnis morbis emerserunt, qui cibo etiam assumpto non corroborantur.

Melancholia in ventriculo residentis signa.
Humoris serosi signa.
Humores vitiosi vel in ventriculo gignuntur, vel aliunde affluunt.

Curatio.

Cels. ibid.

Cùm ventriculus primæ sit coctionis officina, cuius temperie dissoluta mox cruditates oboriuntur, huic inprimis sedulóque prospiciendum. Vt diuersa autem vitia eius, sic etiam remedia sunt. Quare intemperiei calidæ opponendum medicamentum refrig. frigidæ calfaciens, siccæ humectans, &c. Sed semper quadam corroborandi facultate præditum, ex affectæ partis conditione & præstantia. Hac lege intemperies si nuda est, solis contrariis euinci debet. Quòd si biliosi prætereà humoris sit particeps, & bilis aut pituita in ventriculo exuperet, siue illic genita, siue aliunde confluens primo quouis tépore expurganda erit omnis colluuies quæ intemperiem fouet, mox hæc corrigenda.

Intemperies nuda, contrariis alterantibus, additis semper quibusdam corroborantibus, emendanda.
Intemperies cum materia purgationem postulat.

At si

At si quis in materiæ copiâ & impuritate corroborantibus vtatur, priusquàm corruptus & vitiosus humor planè sit exhaustus, peruersâ medendi ratione, imbecillitatem, dolorem, nauseam, vomitionem, aut si quæ alia affectio premit, intendet & exasperabit, firmatâ in ventriculo magis ac magis humorum illuuie. In hoc quisquis peccat humor, si tenuis ac fluidus, statim initio nulla præparatione detrahendus; sin verò crassus atque glutinosus locis illis tenaciùs adhærescit, primum quidem leuiter attenuandus & detergendus humor, dein mitioribus medicamentis euacuandus, postremò roborandus ventriculus: expedita enim facilisque purgatio est ex ventriculo, & ex intestinis, quò medicamenta neque fracta, neque retusa, sed integris summisque viribus perueniunt. Itaque mitiora seligenda, ne aduectis ex vniuerso corpore, & transmotis humoribus in ventriculum, is euadat impurior, atque magis offendatur noxiâ medicamenti qualitate, quod non est expurgare, sed inquinare, nunquam enim noxius humor in partem affectam deducendus, sed aliorsum reuellendus. Primùm ergò clysmo, vel balano aluus proritanda, & eiiciendus vitiosus humor imbecillitatis auctor. Vomitione id moliendum, si sursum vergit, haustâ potione, vel aquæ. vel hydrelæi tepentis, pondo selibræ, cui incoxerit anethum & cumini tantillum, additâ ℥iß. aut acetosi syrupi, in biliosâ materiâ; aut oxymelitis simpl. aut squill. in pituitosâ; idque eâ formâ quam in choleræ, aut vomitûs remediis præscribemus. Quod si vel crassitie, vel lentore pertinaciter hæret, raphano vomitum expeditiùs ciere expedit. Itaque radicis eius ℥ij. concisæ teruntur, affusâque mulsâ succus exprimitur, & tepidè exhibetur; aut eiusdem semen tritum ʒiij. pondo ex mulsâ, vel oxymelite diluto; vel vrticæ seminis ʒi. pari modo. Cætera quæ antiqui Medici ad vomendum præceperunt, stomacho sunt infensa. Alui autem deiectione humor deturbandus, si humor declinat. Cassia in id parum efficax est, vt quæ solâ vi leniente, & emolliente ventriculum relaxat, & tenaces, ac glutinosos humores, neque satis detergit, neque ex aluo subducit. Accommodatior est hiera picra, si febris non reclamat, vel rheum, agaric. aloë vel pro humoris specie aliud quoduis blandum, cuius vis vniuersam corporis molem neutiquam exagitet.

In ventriculo stagnantes humores tenues statim purgandi; crassi verò priùs attenuandi.

Mitiora purgantia conueniunt in affectibus ventriculi.

Clysmus.

Emeticum.

Deiectoria medicamenta.

Quinetiam in expurgando ventriculo considerandum, num alia pars tanquam mali fomes, & sentina impuritatis in hunc materiam eructet, & transmittat, illi enim primo quouis tempore prospiciendum remediis singularum partium affectibus dicatis, atque illinc humores expurgandi, ventriculi substantiâ quàm minimùm fieri potest oblæsâ. Hæc sunt quæ generatim ventriculi purgationem attingunt. Iam quæ intemperiem corrigunt, & ventriculum roborant, breuiter perstringamus.

Materiâ aliũde transmissâ, parti mandanti consulẽdum.

Curatio

Curatio intemperiei frigidæ, cruditatis, imbecillitatis, doloris.

Intemperiei frigidæ ventriculi cõueniunt calida aromatica, tã simplicia, quàm cõposita, interna & externa.

Primùm si frigida intemperies(hæc enim frequentiùs ingruit)cuius materia aut nulla, aut esse desiit, ex vsu erunt calida, aromatica, maximè è simplicibus, vinum austerum, Creticum, absinthites, & aromatites, quæ quodammodo composita sunt, & aqua vitæ, absinth. lauendula, sampsuchus, rosmar. stœchas, beton. sisymbr. saluia, cinamom. cortex citri, caryoph. nux mosch. agallochum, mastiche, succinum, galanga, zedoar. cyper. calamus arom. piper, zinziber, cardam. anis. sem. ameos, cuminum, si flatus implicatur: Item crocus, macis, rhéum, aloë lota: & in topicis etiam ladanum, styrax liquida, thus, nardus, schœn. E compositis habentur zinziber conditum, acorus conditus, nux mosch. condita, myrobal. chebuli & emblic. condit. aromaticum ros. rosata nouella, diamosch. diambr. diagal. diacymin. diatrium pip. diacydon. aromaticum, theriaca antiqua, mithridat. & maximè vt concepti flatûs excludantur.syr mentæ, syr.de absint. conseru. cortic, citr. mel anthos. olea nardin. mastich. de absinth. de menta, laurin. de spica, rutac. vel vbi exsiccandum non est, oleum lilior. & amygd. dulc. quorum permistione aliorum siccitas temperanda erit. Hæc materia est eorum quæ infirmum & frigidiorem ventriculum roborant, coctionem iuuant, & cæteras eius functiones confirmant, ex qua varia præsidiorum genera comparantur. Atque horum alia assumuntur, idque aut potionis aut pilul. confect. electar. pulueris specie; liquidioribus tamen solidiora præstant. Alia admouentur vnguenti, cerati, emplastri, sacculi forma, in vnoquoque imbecillitatis genere.

Intemperiei frigidæ ventriculi cum materia pituitosa curatio.

Nunc autem quod anteà generatim & vniuersè attigimus, particulatim definiendum, à frigida intemperie, quam humor crassus & pituitosus fouet, ducto curationis exordio: Ea enim vix diu sola persistit, quin breui pòst tempore humoris vitium accersat.

Clyster.

Remedia interna omnis generis.

℞. Althææ, malu. pariet. ana M. i. passul. mund. par. xx. caric. ping. num. viii. sem. fœnugr. ℥i. anis. fœnic. ameos, & cumin. ana ʒii. flor. stœchad. rorismar. chamæmel. ana p. i. fiat decoctio: in colat. dissolue mellis anthos. ℥ii. ol. chamæm. & nardin. aut de lilio & aneth. ana ℥iß. diaphœn. aut hieræ picræ ℥i. fiat clyster, iniice antè omnia.

Medica

Medicamentum.

℞. Agaric. recenter trochisc. & rhabarb. elect. ana ʒi. cinnamom. gran. vij. infunde vino albo: in express. dissolue diaphœn. ℈iiij syr. ros. solut. ℥i. aq. beton. & bugloss. ana quart. ß. misce, fiat potio: cuius loco erunt sequentes pilulæ. Solet enim affecto ventriculo solidior forma præscribi.

℞. Agar. rec. trochisc. ℈ij. rhei ʒß. cinnamom. gran. iij. mastich. gran. ij. cum aq. beton. fiant pilul. vi. deaur. exhibendæ post primum somnum. At si crassus & glutinosus humor ventriculi tunicis firmiùs impactus est, priùs attenuantibus & detergentibus erit præparandus. *Pilula.*

Syrupus incidens.

℞. Oxymel. simpl & squillit. ℥i. mellis ros. colat. ℥ß. aq. beton. & absinth. ana ℥ß. puluer. diarrhod. abbat. ℈i. misce, fiat syrup. clarif. qui trium dierum spatio imperetur. Dein medicamentum sequens imperetur.

℞. Confect. hieræ ʒvi. diaphœn. ʒij. cum sacchar. fiat bolus, qui cùm minùs sit gratus, præscribantur pilul. ex sola aloë, & agar. additâ mastiche. Eodem spectant pilul. de hiera, assajeret, de aromatis, ʒi. pondere. Omnes denique sine scamon. aloën. & myrobal. excipientes, quibus non modò semel, sed sæpiùs vti conueniet. *Bolus purgans.*

℞. Massæ pilul. de hiera simpl. aloës lotæ, ana ʒiß. massæ pilul. de aromat. ℈iiij agar. trochisc. ʒi. rhei optimi ʒiß. cinnam. gr. v. malax. cum aqua menthæ, fiant pil. num. v. vel sex pro ʒi. capiat quatuor horâ quartâ matutina, semel in hebdomada. *Pilula.*

Expurgato ventriculo, deinceps frigida intemperies corrigenda, atque illinc profecta infirmitas tum assumptis, tum admotis calefacientibus tempestiuè subleuanda, quibus interim refrigerantium aliqua vis insit, quæ tum ventriculi, tum medicamentorum calorem contineat. Atque ex assumptis quodcunque medicamentum, siue liquida, siue solidâ sit formâ, sacchari, aromatis, aut rei cuiuspiam suauioris permistione condiendum, vt ventriculo iucundum occurrens, quadam odoris, saporísque gratiâ, vires suas feliciùs exerat. *Calefacientibus, quæ ad frigidã ventriculi intẽperiem imperantur, frigida quadam accidere debent.*

Syrupus.

℞. Syrup. de absinth. & de mentha, ana ℥ iij. misce, capiat cochl. ij. vel iij. quibus neutiquam vtendum si pituita ventriculo inhæret, his quippe altiùs in tunicas demergitur. Nullâ item aquarum mistione dantur, vt diutiùs ventriculo hæreant, quo nomine solidior

medicamentorum forma liquidiori præfertur. Eandem vim obtinet apozema faſtidienti ſtomacho dicatum.

Opiata.

℞. Confect. aromat. roſat. maior. & conſeru. roſ. antiq. ana ℥iß. cortic. citri ſacch. conditi ℥ß. myrob. emblic. ſacch. condit. & ablutar. vino albo, ʒiij. folior. menthæ ſiccorum & anthos, ana ʒi. galang. macis, & cinnam. ana ℈ij. cum ſyr. conſeru. cortic. citri, fiat opiata: ſumat nucis magnitudine manè duabus horis ante prandium, ſuperhauſto vini generoſi momento aquâ abſinth. diluto.

Conditum item ex cydoniis, & aromatic. deſcriptionis Meſuæi præſtantiſſimo remedio vſurpari conſueuit. Maſtiches quoque grana præmanſa, & ieiuno deuorata iuuant. Vel ſi flatibus turget ſtomachus & diſtenditur, proximum vſurpabis.

Puluis carminatiuus. ℞. cumini ʒiij. aneth. ʒii. piperis & calaminthæ, ana ʒi. trita ex vino præbeantur cochlearis menſurâ.

Electarium.

℞. Caryoph. macis, nucis moſch. galang. & cinnam. ana. ʒß. pulu. aromat. roſat. deſcript. Gabriel. ℈ij. pulu. roſat. nouell. ℈i. cortic. citri ſacchar. conditi & exactè contuſi ʒij. ſacchar. albiſſimi in aqu. abſinth. & menthæ diſſol. quantum ſatis, fiat electar. per tabellas pond. ʒij. capiat ieiuno ventriculo vnam, ſuperbibendo modicum vini modicè diluti. Paſtilli ex roſis, quos Razis lib. 9. deſcripſit, huc referendi.

Puluis in Ferculis.

℞. Coriandr. præpar. interioris cinnamom. ana ℥ß. trium generum piperis, caryophyl. galang. zinziberis, ana ʒiß. aniſ. & fœnicul. ana ʒiij. croci ʒi. ſachar. optimi ℥ij. fiat puluis, qui condiendis ferculis accommodetur. Aut eius loco miſtura poſt paſtum coctionem iuuans.

Miſtura digeſtiua. ℞. Carnium cydonior. ſacch. conditar. ℥iii. conſeru. roſar. antiq. quar. ß. cortic. citri ſacchar. conditi ʒvi. corall. rubri vſti, & aquâ abſinth. loti, & raſi eboris, ana ʒiß. pulu. diacyton. ſine aromatibus ℈iiij. cinnam. electi ʒij. ſacchar. albiſſ. ad pondus omnium, fiat miſtura ex qua capiat poſt paſtûs nil deſuper bibendo. Ex iiſdem ferè paratur concoctorius puluis vſitatiſſimus.

Puluis pepticus. ℞. Coriandr. præpar. & ſaccharo confecti ℥iij. aniſ. & fœnicul. eodem modo conditorum ℥i. folior. menthæ ſiccorum, corall. rubri vſti & loti, & raſur. eboris, ana ʒiß. cinnamom. interioris, & pellicular. internar. ventriculi gallinarum lotarum vino generoſo & ex-

ſicca

ſiccatarum, ana. ℈iiij. puluer. diacyton. ſine aromat.& roſat.nouel. ana ʒi. roſar. rubr. & macis, ana ʒß. ſacchar. albiſſ. ad pondus omnium, fiat puluis, ſumat à cibo cochl.i. vapores reprimit, & coctionem auget.

Tragemata.

Eodem vſu frequenter parari poſſunt tragemata palato iucundiora, ex coriandris, fœnicul.aniſo, cort.citri, cinnamom. & zinzibere fruſtulatim inciſis, caryophyllis integris, piperis granis aliquot, & cardamomi, omnibus ſaccharo incruſtatis.

Limatura chalybis.

Quibus porrò aquoſus humor in ventriculo fluitat, aut alio quouis modo tetri & putres vapores redundant, præter iam commemorata, magno adiumento erit limatura chalybis (cui præcipua vis eſt ad frigidos & crudos humores abſumendos) aut maſtich. grana aliquot; aut ſuccinum, quod prauos ventriculi humores abſorbet; aut ambarum, odoris ſuauitate infenſam illorum qualitatem, & omnem putredinem emendans: maximè verò electarium ex ferri ſcoria (deſcript. Rhaſis, cap. de ventriculi imbecill.) in vino præparata, & triphera minor ex eadem ſcoria, quam capite de ſiſtendis hemorrhoïdibus trademus. Ad hæc theriaca, mithridat. diatriumpiper, & quæcunque calfaciunt & ſiccant, vt exigua vini generoſi, & craſſiuſculi potio, omnia denique cum aſtrictione amara.

Electar. de ſcoria ferri.

Puluis.

℞. Maſtich. iridis, & electri, ana. ʒiij. roſar. ſiccar. ʒiß. cinnam. ℈ij. ſchœn. maceris, aniſ. & ameos, ana ℈i. fiat puluis, cuius ʒi. ex vino detur. Puluis, vel electarium in colico dolore à nobis deſcriptum, iis ventriculi frigidi & humidis affectibus, atque à pituita aut flatu natis doloribus inprimis auxiliatur: Et vt ſummatim dicam, quæcunque alia eodem capite commemorantur, huc attexenda ſunt: maximè autem aqua theriacalis, cuius vires pauca exæquare credimus. Hæc ergò ſtomachicis, & acidum ructantibus dantur.

Admota.

Remedia externa frigidæ intemperiei ventriculi.

Extrinſecùs autem admota, tum anteriore parte ſub mali punici grano, ſeu xiphoide, tum poſteriore ad duodecimam ſpinæ vertebram, conuenienter & probato auxilio aptari poſſunt, eáque calidè adhibeantur, tepore enim ventriculi robur euoluitur. Commodè autem incaleſcunt in duplici vaſe, ſubiectâ vtique ampliori feruente aquâ. In eorum genere quæ foris admouentur, primùm occurrunt tegumenta, quæ interdum per ſe, vt calidorum animantium pelles, maximè vulturis & lyncis, interdum ex accidente calfaciunt, quòd

Tegumenta ventriculo apta.

insitum corporis calorem retinent, nec exhalare sinunt, vt sacculus è mollissima pluma anseris pellis leporis, quæ renouanda sunt. Itaque natiuum ventriculi calorem quasi sopitum & torpentem excitant catuli, puerorúmque calor, admota manus, & quiduis aliud simile, Vnctiones autem & emplastra foris etiam suas vires impertiunt, dum eas nostro calore suscitatas per cutis spiracula altiùs infundunt. In iis autem componendis hoc accuratè seruandum, astrictione quadam esse opus quæ mediocriter corroboret: Quæ enim supra modum astringunt, immodicè siccando nocent. Ita ergo parentur.

Actu calida ventriculo admota, eius calorem fouentia.

Vnctiones & empl. pro stomacho, mediocriter astringentia esse debent.

Vnguentum.

℞. Absinth. sicci, menthæ siccæ, corall rubr. ana ʒi. mastich. ℈iiij. cortic. citri sicci, rosarum rubrarum, caryophyl. & nucis mosch. ana ʒß. macis, galang. ana ℈i. spic. nard. & schœnant. ana ℈ß. ol. nard. & de absinth. ana ℈iiß. ceræ parum, fiat vnguentum, quod ditioribus, aut moschi, aut ambari granis sex appositis, odoris suauitate iucundius & vtilius occurret, præsertim cùm lentore putri stomachus languet. Aut:

℞. Cerati Galeni stomach. ℥iiij. ol. menthæ & mastich. ana ℥iß. misce. Magni fit oleum è nuce myristica, vel nardinum solum inunctum, quo etiam lana imbuta, linteolóque superligata, ventriculum iuuat; aut id oleum cum ceræ momento, vt in cerati formam euadat, referendum.

Sacculus.

℞. Sampsuch. hyssop. absinth. menthæ siccor. ana ʒiiß. dictamn. cretens. flor. stœchad. camomil. & rorismarin. ana ʒiß. zedoar. galang. cort. citri sicci, nucis mosch. anis. caryophyl. ana ℈iiij. cinnam. macis, santali citr. ana ʒi. spic. nard. & schœn. ana ℈ij. croci ℈i. terantur, & cum serico rubro bombace interiecto fiat sacculus minutim transsutus ad formam scuti veterum, qui perfusus vapore generosi vini, geratur è ventriculi regione. Iuuat etiam sisymbrium calfactum, ac vino creticо asperſum & impositum, quemadmodum & cupress. & tereb. folia cocta & imposita: aut si dolor premit, & inuictus aliis remediis non cedit, fotu placandus ex chamæm. meliloto, stœchad. rorismar. flore, mentha, absinth. rosis, gall. cypero, nardo, schœn. caroyphyl. & aliis anodynis, adiectâ corroborantium facultate, quæ in duabus partibus aquæ & vnâ vini incoxerint: Inculcatis in ea decoctione linteolis pars foueatur, aut vesica quæ decocto sit repleta. Aut epithema adhibendum ex stillat. menthæ, absinth. melissæ aquis, quibus superiora aromatica leuiusculè inferbuerint. Quinetiam panis recenter è clibano extractus irrorari potest vino maluatic. aut rubro generoso, superasperso puluere sequenti.

Fotus ventriculi anodynus.

Embroche.

Panis calidus vino irroratus, & puluere stomachico aspersus.

Puluis.

℞. Mastich. ℥ß. menthæ & absinth. ana ʒiij. caryoph. & galang. ana ʒi. spic. nard. & macis, ana ʒß. fiat puluis.

Emplastrum.

℞. Pulueris in vnguento primo præscripti ℥i. mastich. thuris, ladan. puri & styrac. calamit. ana ℥ß. picis græcæ ʒiij. misce; fiat emplastrum, addendo pro ditioribus trochisc. galliæ, vel aliptæ mosch. ʒi. vel si flatûs nimiùm sæuiant, ac ventriculum distendant, adde cumin. anis. baccar. laur. ana ʒi. Huius loco vsurpari potest emplastrum in officinis pro stomacho dictum; item de mastiche: quæ oleo nard. vel menthæ sint macerata.

Cataplasma.

℞. Mastich. zedoar. galang. caryophyl. anis. moschocar. ana ʒij. rosar. rubr. macis, cinnamom. calami aromat. ana ʒi. spic. nard. & gall. mosch. ana ʒß. puluerentur, & cum foliis absinth. & menthæ contusis misceantur, additâ micâ panis vino generoso imbuta, & reducantur in formam cataplasm. cui si aquosus humor innatet, & humidior sit, addes nucis cupress. baccar. myrti, semin. rosar. ana ʒiß. horum enim quippiam, vt & rosas, zedoariam, mastich. vel styrac. thus, eiúsque corticem, ac similia in humida causa admisceri oportet. His remediis accedunt quasi in humulum, quæ in pituitosa lienteria probauimus topica remedia, si modò astringentium aliquam portionem detraxeris.

CAPVT II.

Inflatio Ventriculi.

INflatio sæpè frigidiorem ventriculum afficit, ac interdum molestè torquet, si flatus aut in eius capacitate, aut inter tunicas coarctatus exitum non habeat. Flatûs causa duplex, crudior flatulentáque alimentorum materia, qualem legumina, fructus, & præsertim tubera, castaneæ, fabæque suggerunt, vt & copiosior, fluctuánsque potus, & omnia quæ concoquenti facultati negotium facessunt. Altera efficiens & præcipua, natiui caloris imbellitas, cruditatis effectrix. Etenim calor ferè extinctus, ac planè sopitus nullum mutationis vestigium imprimit, proindéque nullos flatûs exsuscitat, quòd à frigore humor

Flatuũ ventriculi causa, materialis scilicet & efficiens.

nuſquam extenuetur in vaporem, quâ ex cauſa fluctuationem potiùs infert: tum quippe humor huc & illuc fluctuans, ſonitum edit quaſi inundantis aquæ. Ideò à fluctuatione ructus erumpens, bonum. Calor autem copioſior aut vehementior, pluſquàm pro vaporis generatione, humorem extenuans, omnem halitum abſumit, & potenter diſcutiens flatibus gignendis, minimè accommodatur (niſi fortè materiæ flatulentæ vis promptiùs abeat in flatum, quàm ventriculi calor præpotens inhibere poſſit.) At verò calor languidus & imminutus ſubiectam alimenti vel optimi materiam extenuat & quodammodo diſſoluit, infirmiorem tamen vim obtinuit, quàm vt ſuſcitatum inde vaporem diſcutere poſſit, & prorſus abſumere. Quamobrem in longis læuitatibus inteſtinorum ructus acidus ſuperueniens, qui priùs non erat, bonum, vegetiore ſcilicet facto natiuo calore.

Aph. 1. lib 6.

Inflationis ventriculi ſigna.

Inflationis hæ ſunt notæ: ventriculus dolore diſtentus laborat, & torminibus exercetur, inteſtina latrant, & commurmurantia ſæpè ſtrepitum elidunt, ſtomachus ructu emiſſo ſubleuatur, ſonant aures, aliáque inſunt colicis ſimilia. Dolor enim hic cruditate etiam contrahitur.

Curatio.

Inflationis ventriculi eadem quàm colici doloris remedia, tam interna quàm externa.

Quæcumque ſuperiori capite protulimus tum interna, tum externa remedia, eadem ventriculi dolorem à pituita & frigida intemperie inductum remittunt: At ſi flatus prætereà in illius capacitate concluſus & ſummopere diſtendens cruciatum mouet, haud aliter quàm in colico dolore, neque aliis obſeruationibus res tranſigenda, quòd eadem ſtomachi colique inflationes diſcutiant, vt macis, galang. nard. cumin. ammi, aniſ. ruta, caſtor. ariſtol. baccæ lauri, & ſimilia. Itaque tum aſſumptis calidis & flatûs diſcutientibus, vt theriacâ, mithr. diagal. diacumin. catapotiis caſtoreum recipientibus, & ſimil. inflationi ſubueniendum, tum cucurbitulâ maiore vmbilico affixâ, & extremorum frictionibus; tum enematis reuellentibus & anodynis, quibus etiam confectionis ex baccis lauri vis inſit, præſertim noxiâ materiâ aliqua ex parte ſubductâ. Atque vt ſummatim dicam, & aſſumptis & admotis illic commemoratis doloris acerbitas demulcenda, quibus inſuper fotus hic ſubnecti poteſt.

Fotus.

Fitus ex oleis, primò mitioribus, dein efficacioribus.

℞. Calament. abſinth. ſummit aneth. ana M. j. fol. menthæ, artemiſ. rutæ ſiccor. ana M ß. ameos, cymini, carúi, cyperi, calam. arom. ana ℥ ß. ſpic. nard. & ſchœn. ana ʒ ij. cinnamom. galang. caryophyl. ana ʒ i ß. flor. chamæm. ſtœch. a. d. & roriſmar. ana p. i. roſ. rubr. p. ß. fiat decoctio in duabus partibus aquæ, & vnâ vini maluat. quâ locus foueatur. Dein vngatur oleis, nard. laur. & de lilio, vel chamæm. aneth. & abſinth. vel irino, ricinino, & in contumaci flatu, de caſtoreo, in quibus à mitio-

ribus

ribus progrediendum. Aut hoc artificioso vtendum, quod dolores ex cruditate & flatuum copiâ subortos adimit.

Oleum.

℞. Vini maluat. ol. nard. aut lauend. ana ℥vi. olei rutæ & succi menthæ, ana ℥iij. castorei, sampsuch. aristol. rot. pyrethr. cinnamom. anis. cymin. ameos, ana ʒij. absinth. sicci, caryoph. ana ʒi. nucis mosch. macis, ana ʒß. ferueant omnia ad vini & succi consumptionem, & factâ colaturâ, oleo vngatur ventriculi regio, lanæ succidæ flocculo madente superposito, aut coto, aut rasurâ dibaphi, aut olei magma admoueatur, aut applicetur panis calens, superinsperso puluere sequenti.

Puluis.

℞. Anis. marathr. ana ℥ß. carui, cumin. ameos, ana ʒij. caryoph. gall. ana ʒi. mastich. ʒiß. macis & spicæ nard. ana ʒß. fiat puluis. Quin etiam sacculis calentibus ex milio, furfure, sale, floribus camomill. melilot. aneth. stœchad & rorismarin. semin. ameos, leuistic. paratis, qui vino irrorati admoueantur. In hac causa, balneis quoque sulph. aluminosis, & nitrosis locus esse potest.

Fotus sicci ex sacculis.

Therma.

CAPVT III.

Ventriculi intemperies calida, imbecillitas & dolor à bile.

IN morbis curandis primas tenet causarum obseruatio, ex qua potissimùm & partis affectæ conditione, morborum remedia petuntur. Nullus autem affectus quem intùs causa fouet, & sensim cumulata impuritas protulit, hac persistente penitùs euelli potest: sed ea derelictâ, affectus cui mederi proposueris ingrauescet, euadéntque illius symptomata sæuiora.

Affectus non nisi sublatâ causâ tollitur.

Primùm ergò calida intemperies, imbecillitatis effectrix, quæ simplex & solitaria fuerit, solis alterantibus & corroborantibus ad mediocre & temperatum remigrabit. Neque tum purganti medicamento vel mitissimo, locus est, sed graui imbecillæ partis dispendio medendi rationem peruertit, qui ventriculum intemperie solâ, non humoris vitio languentem temerè medicamento impetit.

Simplici intemperiei calidæ ventriculi sola alterantia conueniunt, neutiquam purgantia.

Cùm autem humor pariter calidus & biliosus redundat, siue in ventriculo genitus, siue è iecinore in illum refusus, ipse statim initio eximendus erit, iis legibus arctè seruatis, quas iampridem designauimus. Euacuatio autem ex naturæ motu seu inclinatione instituenda: cui enim

In intemperie cum materia biliosa, purgandum, vel suprà, vel infrà.

vomitio

vomitio facilè cietur, cúmque vomendi necessitas premet, addendus stimulus.

Vomitorium blandum. ℞. Aq. tepentis ℥iiij. syrup. acetos. simpl. ℥ij. misce, tepidè propinetur.

Potio purgãs. ℞. Rhei opt. in aq. endiu. infus. & express. ʒiß. cinnamom. eâdem arte præpar. gran. vij. syr. ros. solut. ℥ij. aquar. buglos. cichor. ana, quantum satis, fiat potio. Si humor paucus & recens subsideat, idémque acerrimus, cassiæ solut. pulpa sumpta bilis acrimoniam & ventriculi ardores vtiliter restinguet. Vel huius vice catapotia quæ detergendo bilem explodant, maximè si huic ex vetustate aut pituitæ permistione lentor insit.

Pilulæ. ℞. Massæ pil. de hiera simpl. (nisi ventriculus maximè æstuet) & rhei electi, ana ʒß. cinnamom. gran. ij. malax. cum syrup. ros. solut. aut aq. endiu. aut eiusdem succo, & formentur pilul. vij. capiat horâ quartâ matut. Hæ omnia euacuando, partem imbecillam firmant.

Diarrhæan, euacuat & roborat. Quibus admodum flagrat bilis, succus triplicis generis mali punici vnà expressus quantitate ℥iiij cum ℥ij. sacchari, abstergendo & comprimendo, non mediocri adstrictionis impresso vestigio, euacuat. Iam à purgato humore & causâ, ad morbum transferenda curatio. Ergò cùm calida intemperies imbecillitatis aut doloris est effectrix, os ventriculi muniendum corroborantibus, quæ humoris acrimoniam retundunt, & humoris influxum arcent. Id genus est è simplicibus quidem succus mali punici, mali cotonei, medici, seu citrei, limonum, oxyacant. quorum tantillum, vel panis optimi momentum his intinctum sæpè offerre oportet. Item vuæ acerbæ succus, & acetosæ crespini, seu vuæ spinæ, denique acetum, & qui ex iis fiunt syrupi. Atque vt vniuersa complectar, quæcunque austero, acutóque sunt sapore prædita, ori iucundiora occurrunt, ea quippe sitim restinguunt, & biliosas exhalationes supprimunt, & auxiliantur vbi ab hepate in ventriculum bilis regurgitans, calidos excitat affectûs, vomitiones, diarrhœas, & dysenterias. In id quoque vsurpantur quæ è frigidis fluxiones cohibent, & actium humorum reliquias absumunt, vt corallus, santal. coriandr. præpar. ebur, cornu ceru. rosæ, liquirit. mastich. thus, cytinus, myrtus, hypocyst. kebuli conditi, & alij myrobal. tunica interior ventriculi galli, intestinum lupi arte præparatum, smaragd. vel iaspis virens collo appensus, atque hæc simplicia.

Curatio imbecillitatis ipsius ventriculi per idonea roborantia.

Simplicia roborantia interna.

Composita stomachum roborantia interna. Composita autem diacyton. sine aromatibus, miua cydon. diarrh. abb. triasant. rhodo saccharum antiquum, syrupus endiu. vterque, acetosus vterque, qui accommodatior futurus est, si priùs in aceto absynthij coma aliquandiu maduerit. syr. de limon. de pomis granat. de agresta, oxysacch. & ex astringentibus syr. cydon. de rosis siccis, de ribes (si verus habeatur) myrtinus, troch. de spodio, de berberis; hæc enim bilis reliquias obtundunt, stomachi ardores extinguunt, corroborant, appetentiam cient: quemadmodum in admotis ol. rosac. ol. vuæ immat. (omphacinum dicitur) melinum, myrtinum, lentiscinum.

Roborantia externa.

Ex

Ex hac remediorum ſylua multiplices aſſumptorum & admotorum formæ componuntur. In iis autem præſcribendis, nil quod immoderatè relaxet, aut nimium refrigeret, imperatur, ſed ſemper quidpiam calfaciendi & corroborandi facultate præditum admiſcetur. Nam frigida ſola inſito ventriculi calori negotium faceſſunt, eiúſque functionem interpellant, & neruoſis partibus plurimùm infenſa ſunt. Quare refrigerandi modus quidem eſto: in vniuerſum enim tutior calidorum quàm frigidorum vſus. Itaque refrigerantibus vtendum, neque ſolis, neque repentè, ſed aliquo calfaciente temperatis, & ſenſim ac ſubinde repetitis.

Refrigerantibus in ventriculi corroboratione, sẽper calidi aliquid admiſcendum.

Syrupus.

℞ Syr. acetoſ. ſimpl. ℥iii. oxyſacch. ſimpl. ℥ii. decoct. vtriuſque cichor. agrimon. acetoſ. & bugl. ℔.i. (non enim probauerim hoc loco ſtillat. aquas ob empyreuma calidis affectibus & ventriculo æſtuanti maximè inimicum.) puluer. triaſant. & diarrh. abb. an. ʒiß. miſce, fiat ſyrupus clarificatus pro tribus doſibus.

Aqua ſtillatit. feruido ſtomacho inimica.

Huius loco vtare apozemate ad calidam hepatis intemperiem deſcripto: illinc quippè ſæpiùs eſt mali ſcaturigo, cui inprimis occurrendum, & reuellendus erumpentis bilis impetus. Vtendum præterea ſyrupis in cholera morbo expoſitis, aut ſonchi, intybi, lupul. trifolij acetoſ. lentic. paluſtr. portul. liquirit. ſem. melon. decocto, cui ſuccus punicorum malorum, aut cydonior. fuerit iniectus. Eandem vim curandi præſtat melopeponum ſeminum lacteus cremor, ſaccharo conditus, potúſque. Quin & decoctum hordei cum exiguo punici ſucco mirificè confert. Neque verò poſt ſyrupos repetita purgatione eſt opus, niſi multa bilis eſt quæ ægrum onerat, & iecoris feruor cumulatiorem profundit, aliàs refrigerantibus purgandum, quæ humorum acrimoniam hebetent, & ſtomachi eroſiones demulceant.

Lac ſem. melon. ſaccharo conditum.

Opiata.

℞. Conſeru. roſar. antiq. ℥ii. conſeru. cichor. ℥i. conſeru. acetoſ. & nenuph. an. ℥ß. pulu. triaſant. & diarrh. abb. an. ʒi. corall. rubri vſti, & loti aq. roſ. & raſ. ebor. an. ℈ii. ſem melon. cucurb. & portul. minutim inciſ. an. ʒß. margar. elect. ℈i. cum ſyr. endiu. ſimpl. aut granat. aut de agreſta, reduc in formam opiatæ, ex qua ſumat ad magnitudinem caſtan. tribus horis ante prandium, bibendo tantillum aquæ endiu. & acetoſæ.

Electarium.

℞. Pulu. triaſant. & diamarg. frig. ana ℈ii. pulu. diarrh. abb. ʒß. corall. rubr. & raſur. ebor. ana ℈i. carnis cydon. ſaccharo condit. ʒiii.

ſacch.opt.aqua acetoſ. ſolut.q.ſ.fiat electar.in tabell. pond. ʒiii.capiat. vnam quotidie manè, hauriendo parum aquæ endiu.

Puluis à paſtu.

℞. Coriandr. præpar. ʒiii. pulu. diacydonior. ſine aromatibus ʒii. tunicæ interioris ventriculi gallinæ aqua roſar. lotæ & exſiccatæ ℈iiii. pulu. liquirit. ʒi. corall. rubr. raſ. eboris, & margarit. ſplend. ana ℈ii. roſar. rubrar. ʒß. ſacch. albiſſ. ad pondus omnium, fiat puluis. Coctionem iuuat, ventriculum roborat, & in caput exhalare prohibet.

Hæc ergò feruoribus ſtomachi auxiliantur ore accepta, quibus multò plura accedent, adiectis remediis quæ iecinoris ardores cohibent. Sed interim mirum, vt nuclei pinei ſitim ſedent, & acrimoniam ſtomachi, roſionéſque leniant. Quòd ſi vehementior quàm vt ferri poſſit, dolor vrgeat, qui ne iis quidem miteſcere poſſit, exquiſitior ventriculi ſenſus ſyrupo ex nymph. ex papau. ex diacod. cochl. i. menſura, ſiue etiam ℥i. pondere conſopiendus. Imò verò & recenti theriaca, philonio, athanaſia Nicolai reſtingui ardor, & exuperantior ſenſus conſopiri debet; ac dolorum acerbitas remitti extremorum vinculis, frictionibus, & cucurbitula vmbilico ſubinde impacta.

Nuclei pinei ſitim ſedant, & ſtomachi roſiones leniunt.

Narcotica in nimio ventriculi dolore.

Admota.

Admotis præterea ſuccurrendum ſcilicet fotu, vnguento, vel emplaſtro, vel etiam ſacculis, & ſimilibus.

Remedia externa vētriculū calidū roborantia.

Fotus.

℞. aqu.roſ.℥viii.ſucci cydon.aut ſalicis,aut myrti, aut rubi depurati ℥iii.roſar.corall.rubr.maſtich.ſantali alb.& rubri,an.ʒi.ſpod.ſem.endiu. & acetoſ.an.ʒß. aut in calidiore intemperie ſem. pap. alb. ℈ii. flor.chamæm.p.ii.flor.trium communium & nymph.an.p.i.pulu.diarrh.abb.ʒß. terantur terenda,& panno lineo duplo, eo liquore ſaturato foueatur regio ventriculi: quod in febribus locum habet.

Vnguentum.

℞. Ol.roſ.℥ii.ol.de abſint.& cydonior.an.℥i.maſtich.ʒi. ſantal.omnium,corall.rubr.an.℈ii.ſpic.nard.℈i.ceræ citrin.parum, fiat vnguētum, quod erit frigidius addito ſucco aut cydoniorum, aut punici mali, aut vuæ acerbæ. Eadem præſtat vnguentum roſac. aut ceratum ſantal. quæ oleo myrtino, aut roſato omphacino ſint diſſoluta; iis vngatur ventriculus, addendo tempore vnctionis, aceti parum. Ad hæc cucurbitæ raſuram ſucco portul. & aceti momento ſubactam, ventriculo impoſuiſſe iuuat. Quin etiam portulaca ipſa contuſa, & aceti tantillo aſperſa, commodè æſtuanti ventriculo adhibetur, haud ſecùs quàm ſonchus, &

Aliud.

intybus,

Intybus (bursa pastoris, & polygonum, aut solani hortensis & rubi folia, & vitis viniferæ tum capreoli, tum folia ipsa emplastri modo imposita, quibus labruscæ ac nymphææ, vel purpureæ violæ flos insit. Rosæ succus in hæc etiam stomacho imponitur. Nymphææ radix illita ad eadem efficax, adiectâ rosâ. Atque si doloris inclementia vrget, pap. semine, aut iusquiam. foliis attritis, aut vnà incoctis. In vniuersum, quæ simul astringunt & refrigerant, ardoribus stomachi vtilissimè aptantur.

Sacculus.

℞. ros. rubr. ℥i. coriandr. præp. ʒvi. cortic. citri sicci, santali alb. & rubr. an. ʒiij. flor. nymph. & viol. an. ʒij. absinth. & spic. nard. an. ʒß. caphuræ ℈i. puluerentur, & serico rubro excepta referantur in sacculum ad formam scuti concinnatum, qui perfusus vapore aquæ ros. & aceti ros. geratur è ventriculi regione.

Ad hæc panis calidus rosaceâ madens, asperso puluere sequenti, ventriculo apponatur.

Puluis pro stomacho foris admouendus.

℞. coriandr. præpar. & ros. rubr. an. ℥ß. corall. rubr. santal. omnium, mastich. ana ʒi. semin. acetos. & endiu. an. ℈ij. caryoph. ʒß. spic. nard. ℈ß. fiat puluis.

Emplastrum.

℞. Ladani purissimi ʒiij. aloës succotrin. in aceto macer. ʒi. absynt. & menthæ, an. ℈ii. ros. & santal. omnium, an. ʒi. trium flor. communium, an. p. i. ol. ros. & de papau. & tereb. & ceræ, an. q. s. Misce, fiat emplastri massa.

Amuleta stomachica.

In amuletis anguium senecta rosaceo incocta & imposita iuuat, Præterea iaspis virens è ventriculi regione suspensus.

CAPVT IV.

Ventriculi intemperies sicca.

Prognosticum intemperiei siccæ ventriculi.

CÆterùm intemperies sicca tardissimè omnium ac difficillimè eximitur, feréque immedicabilis existit, præsertim aliquandiu protracta, non minùs quàm febris hectica, aut senectus: humido enim minimum efficaci sicci repugnantia obsistit. Quæ verò recens ac leuior fuerit, non medicamentis iuuatur, sed potiùs alimentis boni succi;

Alimẽta eupepta & polytropha.

eupeptis quæ humectent, & benigni succi copiam exaggerent, ad ventriculi & aliarũ partium nutritionẽ, qualia in tabidis attigimus. Et præterea

Balneum humectans. Vide Gal. l. 7. m. m. cap. 6.

vinum dilutum, hordei decoctum, syr. viol. & lactis vsus, ac humectantis balnei iam in spasmo ab inanitione aut tabe descripti. Si quæ

forte medicamenta experiri cogeris, leniſſima ſunto, eáque identidem ac ſubinde repetita, cardiaca propemodum omnia, & inſtaurandis firmandíſque viribus idonea, gelatinæ, expreſſa, contuſa, ſtillatitia, & quidquid aliud eſt ſpiritûs celerrimè reficiens, qualis eſt ſublimatio inſtaurans in tabe expreſſa, aut in cholera deſcripta, ſi trochiſcos è ſpodio detraxeris, & adieceris diamoſchum, & conſeruam roſar. ac violar. ſuppoſueris.

Medicamēta cardiaca & inſtaurantia.

CAPVT V.

Inflammatio Ventriculi: nec non Vlcus.

INflammatio in ventriculum nonnunquam incidit, mira ſyruptomatum grauitate laborantem exercens. Fit autem à ſanguine copioſo, aut acri & feruido è iecoris portis in ipſius ventriculi membranas abundantiùs irruente, accerſitáque flùxione ex ictu, caſu, intempeſtiuis cucurbitulis, medicamentis acrioribus admotis aſſumptíſve, denique prægreſſi cuiuſdam doloris inclementia.

Cauſæ inflāmationis vētriculi.

Hanc adeſſe teſtantur ardor ingens, dolórque acerrimus, & tumor plerumque inſignis in ventriculi ſitu defixus, qui manûs contactu vel blandiſſimè ferè deprehenditur, febris ardentiſſima, eáque, dum pus conficitur, ardentior, ac dolor acerbior, interdum etiam cum extremorum frigore; hinc vehemens præcordiorum æſtus, ventris diſtentio etiam dorſum contrahens, præſertim vbi ventriculus parte poſteriore inflammatur, quæ vniuerſa ſpinæ inſidet; ſpiratio difficilis, ac penè ſuffocans preſſo diaphragmate, hinc iactatio, inquietudóque indefeſſa, animi defectio, vigilia, deliriúmque frequens, ſitis inexhauſta, lingua nigricans & ſcabra; hinc denique ventriculi concoctio offenditur, hinc nauſea, ructatio, crebráque vomitio, & alui deiectio, niſi præ obſtruentis tumoris magnitudine os alterutrum coarctetur & obſeretur. Quanquam autem horum plurima notentur in ea iecoris inflammatione, quæ gibbam eius regionem obſidet, ſæuiora ſymptomata ventriculi quàm iecoris inflammationem comitari ſolent.

Inflammati ventriculi ſigna.

Ventriculi inflammati ſæuiora ſymptomata quàm iecoris inflammati.

Curatio.

Huius non alia quàm inflammati iecoris curandi ratio eſt, quæ fluxionis initio irruentis ſanguinis impetum ſiſtat atque inhibeat, tum reuellentibus, tum repellentibus aſſumptis admotíſque: (quæcunque enim iam ad ventriculi ardores deſcripſimus, & quàm mox ad choleram, ac deinceps ad incipientes iecinoris inflammationes deſcribemus, eadem ad ingruentes & augeſcentes ventriculi phlegmonas ritè accommodari poſſunt.) Deinde fluxione conſiſtente digerat ac deriuet,

Ingruentis phlegmones ventriculi indicationes.

Conſiſtentis indicationes.

riuet, ipſius robore ſeruato. Eius verò ſuppuratio minimè procuranda, vt neque purgatione (niſi fortè citreis myrobalanis ex decocto endiuiæ) neque vomitu ventriculus laceſſendus, concutiendúſque eſt, ſed vbi purgationis vias morbus intercipit, aliò motum conuertes. Inclinante tamen inflammatione, ac æſtus vehementia aliquantum remiſſa caſſiam lenientem intubi ſucco diſſolutam, ac endiuiæ aqua, cui momentum abſinthij præmaduerit, ægro offerre conducit, quæ tum dolorem remittat, tum ſiquid reſudarit, eluat.

Purgatione & vomitu interdicẽdũ, niſi fortè ſub finem mali caſſia offeratur.

In ſumma, ventriculo vt iecori inflammato ſuccurrendum, & inclinans iam phlegmone auxiliis curanda, quæ in hepatide partis cauæ inflammationes per aluum deriuant. Neque enim aperientium hîc tanta eſt neceſſitas, neque vt illic obſtructio metuenda.

Vlcus.

Vlcus ex abſceſſu phlegmones contractum, in ventriculo admodum inſolens eſt, nec minùs rarum ex acri & pungenti humore tunicis infixo; crebrò autem ex venenata potione inuritur, atque aſſumpto exedente aliquo pharmaco. Id autem diu ſæpè latet incomprehenſum, dum tandem magis ſerpens cruentam aut purulentam ſaniem eructet. Detegitur aſſidua ingeſtorum vel vomitione vel deiectione, anorexia, extrema cruditate, inſigni ardore, plerumque etiam dolore, qui acrioris alimenti vel ſalſi vel acuti vſu maximè excandeſcit; febricula etiam perpetua, quæ in hecticam ferè perducit, atque atrophiam acceſſit, qua corpus ſenſim abſumitur. Hæc omnia multò erunt acerbiora, vbi os ventriculi vlcere afficitur: tunc enim frequens animi defectio, dolor acutior, extremorum frigus, aliáque ſymptomata metus & terroris pleniſſima laborantem opprimunt, quibus tandem mors ſuccedit.

Cauſæ Vlceris ventriculi.

Signa vlceris ventriculi.

Signa vlceris os ventriculi occupantis.

Curatio.

In curatione vtendum medicamentis & alimentis, quibus inſit vis & qualitas vlceri apta, detergentibus, ſarcoticis, & iis quæ cicatricem inducant. Eligenda ergò præſidiorum materia, quæ ſordidum repurget, purum impleat, plenum denique cicatrice claudat. Omnia autem ſiue ex medicamentorum ſiue alimentorum ſint genere, lenta craſſioréque forma parentur, qualis eſt polentæ aut mellis, aut craſſioris ſyrupi, vt & illorum ſubſtantia diutiùs cunctetur in tranſitu, & ventriculo excepta magis hæreat, fœliciúſque vires ſuas exerat, quàm ſi liquidiore forma difflueret, & præproperè dilaberetur. Atque vbi œſophago vlcus inſidet, ore accepta ſenſim quaſi lambendo deglutiantur; in ventriculum enim per gulam tranſitus expeditus eſt: quare quæ gulam purgent, & eius vlcera cicatrice obducant, lenta magis tenuíque

Indicationes curandi vlceris ventriculi.

Forma præſidiorum aſſumendorum, lẽta & craſſiuſcula eſſe debet.

Senſim lambenda remedia in vlcere œſophagi. Vid. Gal. l. 4. m.m. c. vlt.

Vlceri vētriculi & œsophagi, quæ medicamēta noceant. materia illigari conuenit, vt obiter inhæreant. Porrò siue gulam, seu ventriculum vlcus infestet, arcenda in vniuersum acria, salsa, acida, quæ vlcus exasperant, & pinguia quæ inquinant arcenda; metallica quæ pondere grauant, & quæcunque noxiæ qualitatis labem quandam ventriculo inurunt, etsi partium externarum vlceribus inprimis sunt accommodata, vt lithargyros, cerusa, pompholix, alumen, plumbum vstum, scoria plumbi, squamma æris, ærugo, chalcitis, chalcanthum, antimonium.

Quanam hic maximè conueniant. Præstantiora quidem sunt quæcunque alia è plantarum, lapidum, aut, lacrymarum specie deprompta, exsiccandi vim habent; modò glutinantium & viscidorum nonnihil sit admistum. Ergò ventriculi vlcus siquidem ex rupto abscessu derelictum sit, tergendum id est, siccandum, carne implendum, & cicatrice obducendum, æstimato semper affectæ partis exquisitiore sensu, qui vehementia, acriáque medicamenta sine incommodo sustinere non potest; quapropter in vnoquoque genere mitiora, omníque morsu destituta seligere oportet. In detergentibus primùm quidem habentur ex alimentis lac proprio calore tepens, & saccharo rosato cōditum, aut diatragacantho frigido, aut mellis portione, & lac amygdalinum. Item hordei cremor, cui eiusdem sacchari vis insit, atque in glutinantibus gelatinæ, & quidquid eiusmodi fuerit, sed maximè oua sorbilia, quæ etiam excipiendis medicamentis inprimis sunt idonea. Quibus accedit præstantissima ex hordeo mundato tosto parata polenta, aut farina fabarum, cui boli armeni tantillum sit annexum. Potus hydromel, hydrosaccharum, & absterso vlcere syrupus myrthinus, è rosis siccis, cydoniorum, aquæ permistus, & saccharo rosato antiquo condita aqua.

Detergentia quæ ia seligenda in vlcere vētriculi, & primùm ex alimentis.

Detergentia ex medicamentis. E medicamentorum genere sunt detergentia quidem sordidis apta, hordei decoctum, admixta sacchari, aut mellis rosati portione, absinthium, glycyrrh. marrubium, plantaginis succus melle incoctus, aloë, myrrha, tereb. etiam magis sordescente vlcere.

In detergentiū vsu cautio quòd sæpius dolorem accersant. Medicamenta autem detergentia sordidis apta non temerè ac sine iudicio vsurpanda, plerumque enim eorum vi vlcera quæ puris colluuie obducta latitabant, molestissimè refricantur, & sopitus illorum dolor infamato remedio exacuitur. Quamobrem nisi præmonueris, detergētibus renouare dolorem non oportet, neque illorum vsus esse tutus potest, cùm vlcus ardore atque dolore distorquet. Cùm ergò vlcus sorde expurgandum est, leuiora vsurpare decet, eáque frigida, vbi id est inflammationis, ardorísque particeps; calida verò, vbi citra hæc, crassior sordes inhærescit. Hæc enim detergentium facultas interdum cum frigida est intemperie, vt in cichorio, endiuia, scariola, decocto hordei, rosarum rubrarum succo, plantagine. Sed vehementior cum calida, vt in sacchāro, melle, glycyrrh. absinth. prassio, apio, agrimon. quibus succedunt, vlcere magis sordescente, aloë, myrrha, tereb. sed mitiora deligito, quale est hordei decoctum, admixta sacchari, aut mellis rosati portio

Detergentia alia frigida, alia calida.

Detergentia mitiora initio vsurpanda.

portione,plantaginis ſuccus cum melle coctus, & ſyrupus huiuſmodi.

Syrupus detergens.

℞. Hordei integri, p.i.ß. glycyrrh. recentis ℥i. abſinth. vel menthæ M.ß. vel (ſi ardor ineſt) cichorij M.i. roſarum rubr. p.i. decoquantur, & in colat. ℔.i.diuólue mellis roſat.colati,quart.i.ſyrupi de roſis ſiccis, aut (ſi plus ſordeat) roſati laxatiui ℥iß.miſce, fiat ſyrupus clarific. pro triplici doſi.Decoctioni adiectæ vuæ paſſæ, aut etiam ficus ad ſummum tres, deterſionem lenti puris accelerant; quo aliquatenùs exterſo, hieram picram drachmæ tantum pondere exhibere iuuat, quæ aluum minimè ſubducat, ſed vlcus duntaxat expurget & agglutinet. Sarcoticorum nullus ac planè irritus eſt vſus, non priùs expurgato vlcere: quemadmodum & detergentium,in eo quod toxicum induxit.Sarcotica quæ agglutinent, ſiccent, & carne impleant abſterſa vlcera, aut quæ ſimplicia per ſe, puráque ſunt, hæc cenſentur, maſtiche, tragacanth.amylon, thus, & cortex thuris, mumia, aloë lota, terra ſigillata, quæ venenatæ potioni, & cauſticis, ſepticíſque medicamentis aduerſatur, bolus armen. ſang. drac. gummi arab. quæ ſiccant & humores abſorbent,ad hæc corall.margaritarum puluis,electrum,hæmatites,quæ etiam in epuloticis habentur; ſed maximè quæ aſtringunt & roborant, nec humores diffluere ſinunt,vt galla,thus, myrtus,malicorium,balauſtium, roſa, plantago, raſura cucurb. ſiccæ, mellifolium, polygonum, ſalicis folia & flos,ſymphytum,equiſetum.

Hiera picra d. ach.i blandè detergit.

Sarcoticorum materia.

Epulotica.

Ac breuiter quæ in ſarcoticis efficaciùs ſiccant, ad claudendam cicatricem transferri poſſunt.Omnia autem myrtino ſyrupo,aut cydonior. aut de ribes,aut de roſis ſiccis conuenienter ſint excepta,quibus glutinoſi quidpiam miſcere expedit. Eódem ſpectant trochiſci ex ſuccino, de ſpodio, de terra ſigillata, ex aqua plantaginis, aut equiſeti,aut ſymphyti, adiecta ſyrupi conuenientis ℥i. & quæcunque alia vlceri veſicæ, aut dyſenteriæ, aut ſanguinis ſputo, ſiue potionis, ſeu conditi,aut confectionis ſpecie aptauimus. Interim trochiſci ſequentes imperentur.

Trochiſci.

℞. Roſar. rubrar. balauſtiorum, thuris, maſtich. ana ʒii. corallij rubri vſti & aqua roſar. loti, lapidis hæmatitis, ſpodij, amyli, boli armenæ, gummi tragacanthæ, & arabici, ana ʒiß. cum ſyrupo de roſis ſiccis, vel myrtino redigantur in paſtillos, ponderis ʒiß. atque eorum vnus ſyrupo cydoniorum ſolutus quotidie propinabitur, aut cum ſaccharo aqua roſarum diſſoluto fiat electuarium in tabellas ʒiii.

His legitima vlcerum vẽtriculi curatio abſoluitur.Cùm autem doloris vehemen

Dolor ingens anodynis cõmitigandus.

vehementia supra modum premit, prætermissâ curandi methodo, illius vim anodynis eludere licebit, hunc in modum.

Syrupus anodynus.

℞. Glycyrrh. recentis ℥i. radicis symphyti ʒvi. seminis melonum & cucurbitæ mundati, an. ʒiij. seminis bombacis & maluæ, an. ʒij. seminis papaueris albi, ʒiß. florum nenupharis & maluæ, an. p. ij. fiat decoctio in aquâ hordei perfectè cocti, & in colaturæ ℔i. dissolue syrupi è papauere & violati, aut si corroborare libet, de rosis siccis, an. ℥iiß. Misce, & per triduum detur; aut lac illius loco; aut alia quæ leniendis vesicæ vlceribus destinauimus. Si ne tum etiam dolor leuetur, philonio romano, recenti theriacâ, asyncrito, aliisque narcoticis, symptomatis impetum refringes. Dein pristinam curationem prosequeris.

Narcotica.

Externa præsidia.

Extrinsecùs verò ea adhibeantur remedia, quæ roborando ventriculo destinata, in cholera morbo & diarrhœâ recensentur; vel hoc imponatur

Vnguentum.

℞. Olei rosacei & myrtini, an. ℥i. olei mastich. ℥ß. boli arm. mastich. rosarum rubrarum, an. ʒi. baccarum myrti, granorum rhois, corallij rubri, an. ʒß. ceræ parum, fiat vnguentum. Vel:

Emplastrum.

℞. Bol. arm. aloës, myrrhæ, an. ℥i. mastiches, thuris, an. ℥ß. tereb. ʒii. mista reducantur in emplastri formam; aut epithema facies ex palmulis, cotoneis, & polentâ; aut melinum, aut emplastrum ex mastiche conuenientissimè admouebis.

CAPVT VI.

Nausea & vomitus.

Nausea quid.
Vomitus quid.

NAusea est irritus vomendi conatus, quo aut nihil, aut tenuis duntaxat aqua è ventriculo in os confluens reiicitur. Vomitio autem eorum est quæ in ventriculi capacitate continentur, supernè facta excretio. Atque vt nausea, aut nullo aut obscuro, ita vomitio manifesto fit ventriculi conatu, ea quidem excutiens quæ in illius spatio comprehenduntur; vt singultus quæ tunicis altiùs insederunt, ac penitùs infixa sunt.

Vomitus & singultus vt differant.

Nausea

Nausea atque vomitio causas habent communes, solâ tantum magnitudine discrepantes, proinde in hanc sæpè illa solet facessere, vomitúmque præcedere. Fit ergò vomitio, cùm imbecillior ventriculus & laxior, assumpta retinere nequit; aut licèt robustior, validiórque sit, interdum tamen vel alimentorum, vel recrementorum copiâ aut acrimoniâ tantopere lacessitur, vt quæ sinu suo continet, expellere contendat. Hæ quidem proximæ vomitionis causæ habentur, ventriculi imbecillitas, & irritatio. Euadit autem imbecillior maximè ab humida intemperie, quæ retentricem illius vim ita obtundit, vt quasi dissoluta langueścat, sinátque quidquid assumitur crudum remeare; éstque tunc quod reiicitur, nullo humori permistum. Quinetiam muccosus lentúsque humor, aut cibus lubricus, aut pinguis ventriculi latera oblinens remolliénsque, facultatis illius robur dissoluit: necnon corruptus vapor eò se inferens, qualis in perniciosis febribus efflari consueuit, crebras vomitiones ciet. Secunda porrò horum symptomatum causa est quælibet ventriculi irritatio. Lacessitur autem vel magno copiæ pondere, vt cibi porúsque exuperantiâ, vel qualitatis mordentis acrimoniâ, siue ea è medicamentorum genere, siue cibus sit corruptus, siue biliosum & acre corporis excrementum aliunde eò confluens, aut etiam illic genitum. Itaque vomitus subuersio quædam est à copiâ vel qualitate materiæ, alioqui ex imbecillitate ventriculi concitata. Iam verò humor vomitionis causa internoscendus, tum ex iis signis quæ ventriculi intemperiem atque impuritatem detergere primo capite diximus; tum ex eorum, quæ vomitione reiiciuntur, qualitate & substantia, præsertim si noxij humoris nonnihil erumpat, sæpè enim hic ventriculum stimulat, cogítque cibum vomere, nec tamen ipse prodit, vbi nimirum ventriculi lateribus adhærescit, tunicísque impingitur; at in ipsius capacitate fluctuans, vomitionem aliàs biliosam, aliàs pituitosam promouet, aut melancholicam, ex eo scilicet humore, quæ in præcordiis redundauerit. Cæterùm humor si in ventriculo genitus est, notatur ex nouo viuendi errore, & prægressâ ventriculi intemperie, per quam alimentum crudius permanens in alui pituitam degenerat, aut exustum vertitur in bilem; quòd si aliunde eò confluit, vt pituita è cerebro prolabens, aut bilis è iecore refusa, aut è liene melancholia eructando reiecta, quæcunque pars huic malo originem dederit, eius affectæ indicia elucebunt.

Nauseæ & vomitûs causa.

Duæ vomitûs causæ proximæ, ventriculi imbecillitas & irritatio.

Quibus signis humor vomitionis causa internoscatur.

Quibus signis humorem in ventriculo genitum, aut aliunde confluentem liceat agnoscere.

Curatio.

Vulgatissimum, pessimúmque stomachi vitium est resolutio, id est cùm cibi non tenax est, solétque desinere ali corpus, ac sic tabe consumi. Vomitio tamen non omnis, nec protinùs inhibenda, quæ enim naturæ sese deonerãtis conatu, ac tempestiuè fit, sinenda; quæ verò aliter accidit, nec quando expedit, coërcenda est. Et sæpe quidem ex viuendi errore nascitur; verùm non hanc, sed eam quæ morbi soboles est, vomitioné curamus.

Cels. l. 4. c. 5.

Indicationes in vomitu, iuxta aph. 2. l. 4.

Vomitio ſedatur ablatione cauſæ, reuulſione eiuſdẽ, & ventriculi confirmatione.

Cauſæ ablatio, quomodo fiat.

Vomitionem ſiſtes, ac inanem nauſeæ conatum planè ſedabis, ſi primò cauſæ proſpexeris; deinde fluxionis, eruptioníſve impetum reuellas, poſtremò, imbecilliorem ventriculum confirmes aſtringentibus identidem repetitis. Cauſam exſcindes pleniore vomitu, non pinguibus, ſed incidentibus & detergentibus incitato: & alui deiectione per clyſteres acres, & glande inditâ, tum etiam purgatione ex rhabarbaro & myrobalanis citreis, chebuliſve, ac ſyrupo roſato laxante, aut etiam ex hiera, pro humoris conditione.

Reuulſio quomodo fiat.

Ventriculi corroboratio.

Præceps humoris curſus reuelletur cucurbitulis, vinculis, frictione, fotu, atque ſi aliunde humor noxius in ventriculum confluit, mali ſcaturigo exhaurienda, & parti tranſmittenti inprimis conſulendum. Fluxus tandem vomitúſque coërcebitur aſtringentibus & exſiccantibus, quibus ſolis, & nullâ euacuatione præmiſsâ tunc vti conueniet, cùm imbecillitas diſſolutióque ventriculi ex ſola humida intemperie vomitionem infert. Alioqui materiâ præſente fruſtrà hæc tentes. Sic autem maturè reprimatur, vt nec ventriculus nec primæ venæ vllâ humoris corruptelâ ſint confertæ, nec inteſtina coarctata noxiorum humorum curſum impediant. Itaque ſuppreſſa priùs aluus clyſtere mollienda, & ſi quid inteſtinis adhæreſcit detergendum. Deinde vomitionis impetus compeſcendus aſtringentibus, quorum materia ampliſſimè depromenda eſt ex alui profluuio, bilioſo quidem & dyſenterico, ſi calida cauſa eſt, lienterico verò ſi pituitoſa, additis inſuper ventriculum corroborantibus primo capite expoſitis. Quæcunque id præſtant vel aſſumenda, vel admouenda ſunt, & quæ aſſumuntur, nunc ſyrupi, nunc conditi, nunc electuarij, nunc pulueris ſpecie parentur, factâ ſubinde aliorum ex aliis mutatione, ne vni aſſueſcens natura, illius vim aſpernetur & contemnat. Ac ſi reuomat, interpoſito ſemihoræ ſpatio aliud, immutatáque tamen medicamenti formâ, imminutáque quantitate exhibendum. Si ne tum etiam contineat, ac mox nauſeabundus reſpuat, retinendi omnes ſunt rationes experiundæ.

Vomitũ compeſcũt aſtringentia, additis ventriculum corroborantibus.

Retentricem ventriculi facultatem roborantia, tã externa, quã interna.

Extrinſecùs ventriculi regione cucurbitulam quàm maximam admouere, os atque faciem frigidâ conſpergere, manûs in peluim aquâ plenam demittere, linteola oxycrato imbuta collo ac faucibus circumponere. Acetum, vinum, moſchum, ídque genus aromatica ad nares admouere. Necnon odoratiorum florum ſerta, fructúſque odoris ſuauitate fragrantes offerre. Ab iis verò præſtantiſſimum ſit, panem aſſum, aceto immerſum, menthæque, garyophyllor. & cinnamomi, ſi frigida cauſa eſt; aut roſarum, ſantali, nymphææ, caphuræ puluere, ſi calida eſt, reſperſum, ac linteolo inuolutum naribus obiicere. Denique poma, pyra, meſpila, cydonia præmandere iuuat: aut aſſumpto medicamento illorum ſuccis os colluere. Interim corpus in quiete continendum eſt, dum ventriculus medicamentum, alimentúmve arctiùs complectatur: Atque horum vnumquodque ſeu alimenti, ſeu medicamenti ſit ſpecie, aromatis aut rei ſuauioris permiſtione iucundius efficiendum, ne ingrato ſapore aut graui odore naturam turbans ad vomitionem ſtimulet.

Alimenta & medicamenta vomentibus offerenda, ſaporis & odoris iucũdi eſſe debent.

mulet. Si ne id quidem manserit, sedato impetu aliud eiecto dissimile offerendum. Si id quoque stomachus reddiderit, ad cucurbitulam recurrendum est. Hæc ad vniuersalem cuiuslibet vomitionis curationem spectant: Nunc particularem & propriam expediamus.

Vomitio à pituita & aquoso humore.

Ergò vt omnia ex causarum varietate sigillatim distinguantur, vbi ventriculus nimio humore, præsertim lento madet, pituita primum, aquosúsve humor ac flatulentus expurgetur in sequentem modum.

Interna remedia.

℞. Seminis atriplicis, & cumini, ana ℥ß. seminum anethi vel vrticæ ʒij. decoquito in aqua, & in ℥v. vel vi. colaturæ dissolue oxymelitis simplicis ℥ij. exhibeto tepidè: hac arte fluctuans materia ad vomitum incitata repurgabitur; si verò maximè ventriculi lateribus infarcta fuerit, conferet hiera Galeni, & quæcunque pharmaca primo capite descripsimus, sublato agarico. Tum verò inprimis clyster illic expositus sæpiùs vsurpetur: A quo potionem ex rhabarbaro, & myrobalanis chebulis, in lienteriâ paratam, tempestiuè imperabis.

Vomitorium blandissimũ.

Dein reuulsione præmissâ, corroboretur ventriculus astringentibus & aromaticis, primò quidem assumptis, posthac extrinsecùs adhibitis, vtrisque ex calidis, quibus frigidorum nonnihil sit annexum.

Assumpta quæ vomitum sistunt.

Syrupus.

℞. Syrupi de mentha, & de absinth. ana ℥ij. syrup. cydonior. ℥i. misce, detur pars media.

Opiata.

℞. Carnis cydoniorum saccharo condit. & conseruæ rosarum antiquæ, ana ℥i. conseruæ florum rorismarini, & corticis citri saccharo conditi, ana ℥ß. carnium myrobal. emblicarum saccharo conditarum ʒiij. pulueris aromatici rosati descriptione Gabrielis ℈iiij. pulueris electuarij de gemmis, & pulueris trochiscorum diacorallij, ana ʒi. electri ℈ij. cum syrupo menthæ reducantur ad formam opiatæ: aut loco syrupi, imposito saccharo rosato fiat conditum auro illustratum.

Quinetiam conditum ex cydoniis aromaticum descriptione Mesuæi, quod miuam appellant, hîc meritò commendari debet, tum prætereà confectionem Micletæ Nicolai, ʒi. pondo, manè exhibita.

Ad hæc aromaticum caryophyllatum inprimis est efficax, si paretur in officinis. Eodem spectant electuaria, mixturæ, pulueres, aliáque præsidia, tum in frigida ventriculi intemperie, tum in lienteriâ descripta. Quòd si flatus plurimus alimentum subleuans vomitionem ciet, medicamenta quæ spiritũ discutiant, vsurpato, vt diagalangam, diatriumpipereum, &c.

Si flatûs vomitionẽ cieât, carminantibus opus est.

Confectio.

℞. Caryophyl. cinnamom. maſtiches, vſneæ, corticis citri ſaccharo conditi, roriſmarini in puluerem contriti, corallij rubri, raſuræ eboris, ana ʒi. tunicarum internarum ventrium gallinarum aqua abſinth. & vino generoſo lotarum atque exſiccatarum, ad pondus omnium, ſacchari roſati aquâ abſinth. diſſoluti, q.ſ. fiat confectio in morſellis. Humorem aquoſum in ventriculo fluctuantem, circuncisâ priùs redundantiâ, abſorbere licebit eſu biſcocti panis, vino generoſo imbuti; conſperſíque puluere ſequenti, quo item condiri alimenta poterunt.

Vbi humor aquoſus in ventriculo fluctuans vomitum excitat, abſorbendus.

Puluis.

℞. Coriandri præpar. cinnamomi elect. maſtiches, caryophyllorum, ſantali citrini, corticum citri ſaccharo conditorum, ana ʒij. ſeminis portulacæ, calami odorati, ana ʒi. moſch. gran. ij. ſacchari roſati tabulati, ad pondus omnium, fiat puluis. Hæc ergò in aſſumptis ex redundante pituitâ vomitiones, ſtomachíque diſſolutiones cohibent: nunc admouenda perſequamur.

Admota. Vnguentum.

Externa remedia.

℞. Olei nardini, & de abſinthio, ana ℥ij. ſucci menthæ ℥i. roſarum, maſtiches, corticis citri ſicci, & abſinthij ſicci, ana ʒi. caryophyllorum, & coralli rubri, ana ℈ij. calami aromatici, & galangæ craſſæ, ana ʒß. ſpicæ nardi ℈ß. ceræ citrinæ, q.ſ. fiat vnguentum. Incoquantur olea in vino auſtero, ad huius & ſucci conſumptionem.

Fotus.

℞. Abſinth. ſchœnant. ana ʒiij. menthæ ſiccæ, cyperi, corticum citri, nucis cupreſſi contuſæ, ana ʒij. cinnamom. garyophyl. macis, cymini aſſi, ana ʒiß. roſar. rubrar. nucis moſch. coriandri præparati, ana ʒi. decoquantur in vino generoſo, decoctione foueatur per ſpongiam ventriculi regio; deinde vngatur prædicto vnguento.

Emplaſtrum.

℞. Maſtich. ladani puri, ana ℥ß. abſinth. menthæ, nucum cupreſſi, ana ʒij. garyophyll. & nucis moſch. ana ʒi. roſar. rubrar. calami aromat. ana ℈ij trochiſcorum galliæ moſch. vel alipt. moſchat. ʒi. cum oleo maſtiches, fiat emplaſtrum.

Aliud

Aliud pro pauperibus idoneum.

℞. Massæ emplastri contra rupturam, aut emplastri de mastich. q.s. malaxetur cum oleo myrth. aut de absinth. Aut:

℞. Massæ emplastri pro stomacho, & de mastich. ana ℥iij. pulu. mastich. ℥ß. galang. ʒij. foliorum menthæ & absinth. siccorum, ana ʒiß. incorporentur simul cum oleo mastichino & nardino, fiat emplastrum in formam scuti: aspergatur insuper puluere mastiches, & corallij rubri.

Hic prætereà sacculus inprimis efficax fuerit, quem imbecillitati ventriculi ex frigida causa obortæ dicauimus. Quòd si pituita è capite in ventriculum defluens vomitionem conciret, cerebri defluxio primùm suspendi debet, ea lege quam in catarrho, & lienteria exposuimus.

Vomitus à Melancholia.

Humoris melancholici vomitio cum rarò ingruit, tum lentè nec protinùs cohibenda. Itaque primum rhabarbaro, & myrobalanis indis noxij humoris expurgatio molienda est, illiúsque in ventriculum cursus frequenti clystere reuellendus: deinde sistenda vomitio.

Purgatio. Clysteres. Corroboratio ventriculi.

Electuarium.

℞. Rosarum rubr. florum bugloss. & rorismarin. ana ʒi. margaritarum splendid. corallij rubr. ana ℈ij. melissæ, zedoariæ, gummi arabici, mastiches, ana ʒß. caryophyll. cinnam. ana ℈i. croci, spicæ nardi, & serici crudi minutatim incisi, ana ℈ß. moschi in aquâ bugloss. eliquati, gran. v. cortic. citri sacch. conditi ʒij. sacch. albissimi aq. rosarum dissoluti, q.s. fiat electuarium in tabellis pondere ʒiij. detur vna, à qua mox vini generosi tantillum bibere conuenit.

Emplastrum.

℞. Ladani puri, mastich. ana ʒiij. vsneæ baccarum myrti, ana ʒij. meliloti ʒiß. semin. portulac. plantagin. & rosarum, ana ʒi. spicæ nard. ʒß. cum vino astringenti, aut oleo lentiscino fiat in modum emplastri, admoueatur regioni lienis & ventriculi.

Aut lieni prospiciendum cataplasmate, vaccæ fimo, hederæ foliis, cappare, nitro, anetho, ac similibus spleneticis. Vomitio autem quam lumbrici ferocientes concitârunt, optimè sistetur medicamentis quibus ij tum extinguuntur, tum foràs depelluntur suo loco descriptis, qualis syrupus de absinthio & menthæ, corallium, cornu ceruinum, rhus, & similia.

Lieni admouenda. Remedia vomitionis à lumbricis.

His præſidiis vomitus pituitoſus,& qui ex humida eſt intemperie,atque omninò ex imbecillitate,item qui à melancholia, tutò coërceri poteſt. Qui verò ex bile ſtimulante concitantur, eandem quam cholera morbus remediorum ſpeciem obtinent.

CAPVT VII.

Cholera morbus.

Cholera morbus quid.

CHolera eſt effrænata bilis ſurſum paritérque deorſum magnâ ventris perturbatione facta reiectio. Rarum quidem & inſolens, ſed tamen acutum malum, & quod breui laborantem ſymptomatum vehementiâ proſternit,cum febri rarò,ſæpiùs ſine febri.

Cauſa choleræ morbi.

Origo illi eſt nonnunquam ex alimentorum corruptela, & fructuum maligna qualitate putreſcentium intempeſtiuo vſu; frequentiùs tamen, ac propriè bile flaua, à qua etiam nomen obtinuit, acerrimâ illâ quidem & æſtuante, magno impetu, à calidiore iecore viciníſque ſedibus in ventriculum excuſsâ. Illic quippe diutius coërcita, nec tempeſtiuè expurgata, tandem exuperantia & maligna qualitate vſque adeò naturam premit, vt affatim vomitu, ſimúlque deiectione prorumpat. Hæc enim cùm anteà quaſi ſopita & conquieſcens ſuo loco concluſa teneretur, corpus minime exagitabat. Deinde verò cauſæ alicuius externæ appulſio concitata, vehementiùs & quaſi furore corpus exercens, ingenti copiâ violenter & periculosè hac atque illac profunditur. Eſt quidem morbus hic ſuffocatione, ructu, inflatione, ardore, ſiti aſſidua, deiectionum, vomitionúmque vi, & ſtomachi eroſione inprimis moleſtus & grauis, ſed maximè lipothymia, pulſu intercidente, ſudoribus, extremorum frigore, ac muſculorum contractione horrendus.

Signa choleræ morbi.

Curatio choleræ, ac bilioſæ vomitionis.

Indicatio potiſſima eſt cauſæ ablatio,per vomitum,& deiectionem.

Hippoc.lib.de loc.in hom.

Celſ.c.5.l.4.

HVic acerrimo, immani, & acutiſſimo affectui inprimis, diligentérque obſiſtendum. Primùm igitur ad cauſam veniendum eſt, quâ neglectâ ac perſiſtente ægro plurimùm offenſionis impendeat, nec vſquam ventris perturbatio ſedari poſſit. Cauſam exſcindes vomitu & alui deiectione, tum præſertim cùm maximè nauſeat æger, & vellicantur præcordia, vt artis concurſu naturæ conatus euadat perfectior, faciliórque ſuccedat euacuatio, ita quippe vomitionem ſedat vomitio, quæ proritantem humorem excutiat, & citam alui deiectionem cohibet tum clyſter, tum purgatio, noxiâ materiâ, eius efficiente causâ, detractâ. Ergò ſi cibus non continetur, eliciendus plenior vomitus eſt, & nauſeabundo ægro ſæpiùs copioſiſſima aqua tepens propinanda, vel ſimplex,

ſimplex, vel in qua hordeum coxerit, cui exin ſyrupi acetoſi, aut mellis roſati duæ vnciæ acceſſerint, vt primo capite definitum eſt: hinc vomere expedit digito, vel pennâ ori inditâ; deinde vomitus ſi fieri poteſt, mali punici ſucco ad ℥i. duáſve hauſto, componatur, relicto motu qui ad inteſtinum eſt, aut nî adſit incitandus, quò exitioſa materia excernatur: Protinùs enim cohibenda non eſt, ſed tum demùm cùm iam vires labant, excretio coërcenda. Initio autem dum virium robori confidimus, alui ductione adiuuandus eſt ſtomachus, quod fiet commodiſſimè clyſtere detergente in diarrhœa, ac dyſenteria, ex hordei decocto parato: eo quippè ſæpiùs iniecto & corruptus humor excernitur, & ventriculus reuulſionis vi ſubleuatur, illæſâ inteſtinorum ſubſtantiâ. Atque ſi noxius humor ſurſum maiore impetu, deorſum verò languidiùs feratur, vt in vomitu ſolo accidit, tunc clyſter acrior vſurpandus, ex hordei & emollientium decocto, cui catholicum, & mellis ſaccharíque, ac violati olei magna vis inſit.

Vomitus compeſcitur prius quàm aluus, quæ demùm labantibus viribus coërcenda venit.

Clyſmus detergens, quo in caſu adhibendus.

Clyſter acrior interdum neceſſarius.

Quinetiam hîc, haud ſecùs quàm in dyſentericis, locus eſt purganti medicamento ex rhabarbaro, myrobalanis citreis, ſyrupo roſato laxante, aut aliis aſtringendo purgantibus, iiſdem planè atque illic ſeruatis legibus, eâdémque compoſitionis formâ. Iam verò fluxionis eruptioníſque impetus valente auxilio reuelli debet: quo nomine ampliores cucurbitulas inguinibus, clunibus, imo ventri & hypochondriis affigere conueniet; extremas brachiorum & femorum partes ad inguina vincire, perfricare: eaſdem calente aquâ ſæpiùs fouere, aut balneo relaxare, vrinas ſudoréſque prouocare. Sed interim parti primariæ, vt iecori bilem eructanti proſpiciendum, & primo quouis tempore ſuccurrendum, medicamentis euacuantibus, alterantibus, & roborantibus, in hepatis imbecillitate conſcriptis. Poſtremò vomitionis inſultus planè cohibeatur, interceptis viis aſtringente præſidio è refrigerantium ordine, quibus etiam calidorum tantillum immixtum ſit, atque ita omninò contrariis qualitatibus ſedatâ humoris ferocitate, quibus non antè vtendum, quàm ventriculus probè inanitus ſit. Ac ſi ne iis vomitus acquieſcat, plúſque doloris eſt, ſedetur narcoticis quæ exquiſitiorem ventriculi ſenſum & humorum acrimoniam retundant, qualia iam planè in calida intemperie & dolore expreſſimus. His curationis ſumma breuiter conſtituta eſto. Omnia verò latiùs ſe pandent, ſi particulatim ſingula ex diarrhœæ, & dyſenteriæ curatione, tum aſſumpta, tum admota huc transferantur. Pauca tamen hîc applicare par eſt, & choleræ, & omni bilioſæ vomitioni maximè conſentanea. Vbi ergò iam inanitio præceſſerit immodica, atque plurima morbi materia effuſa eſt, tunc violenta vomitio, aut immoderatiùs exuperans, ſupprimenda protinus & compeſcenda erit, atqui in quiete continendus laborans; ventriculus fouendus ſpongiâ aceto calido imbutâ, atque denique iis etiam firmandus, quæ mox dicentur, ab aſſumptis ducto initio.

Aſtringendo purgantibus aliquando locus eſt in cholera.

Cucurbitulæ reuulſionis gratiâ admouēda: & alia reuulſoria auxilia in vſum vocanda.

Iecoris etiam habenda ratio in cholera.

Vomitum intercipientia.

Narcotica.

Vomitio compeſcenda, vbi magna inanitio præceſſerit.

Aſſum

Assumpta. *Syrupus.*

℞. Syrupi de rosis siccis, & syrupi de ribes, vel de berberis, vel cydoniorum, ana ℥iß. aquarum acetosæ & portulac. ana ℥iij. puluer. diamarg. frigid. vel diatriasant. ℈ij. fiat syrupus, propinetur pars media vno haustu frigidè. Ad hæc præstiterit rosarum, vel œnantes, vel rhois, vel capreolorum vitis, & portulac. decoctum, vel oxyacanthæ crespini, vel vuæ acerbæ succus, maximè verò mali punici acidodulcis succus, cui menthæ pauxillum sit adiectum. Offerendum ergò quod iam sequitur.

Paul.l.3.cap. 39.

Diosc.lib.3.c. 41. Gal. l.8. κ.τ c.3.§. 2. Cels. l.4.c.5. Paul.loc.cit. Syrupus.

℞. Succi mali punici acidi, vel mespil. ℥i. syrupi menthæ ℥ß. misceantur sæpiùs, exhibeto dum sedetur impetus. Æstuante ventriculo plurimis olim fuit vsus syrupi acetosi è cotoneis.

Syrupus ad imitationem Galenici l.8. κ.τ. c.4.§.3.

℞. Succi cydonior. depurati, & sacchari, ana ℔. i. aceti ℥iij. decoquantur ad syrupi consistentiam, imminuatur sacchari modus pro caloris incremento; aut aceti, vt sensus fuerit exquisitior. Idem ex succo sorborum, mespilorum, prunellorum, dactylorum immaturorum componi potest. Sitim etiam restingues saccharo rosato, cui margaritarum & corallij rubri puluis sit inspersus. Itidem syrupo alexandrino (quem iulepum rosatum appellant) adiectâ octauâ parte succi punici mali. Vehementiùs acidis abstineto, ne acore insigni vellicetur stomachus.

Vehementer acida in cholerâ morbo suspecta.

Decoctum.

℞. Granorum mali punici acidi ℥iij. corticis externi pistaciorum, granorum rhois, ana ℥i. tamarindorum ℥ß. mastic. ʒi. œnanthes p. i. rosarum & florum nenupharis, ana p. ß. fiat decoctio in ℔. i. aquæ pluuiæ ad medias, & in colatura dissolue sacchari rosati tabulati ℥iß. pulueris diamargariti frigid. ℈ij. fiat syrupus ad duas doses. Cydoniorum malorum succus, in quo vnà efferbuerint corallium, rosarum semen, rhaponticum, hypocystis, mastic. biliosos vomitûs compescit, quemadmodum mespilorum siccorum puluis rosarum rubrarum succo exceptus, additis corallio, caryophyllis, rhoë, nymphææ radice siccâ.

Puluis.

℞. Internorum acinorum punici mali, & granorum crespini, ana ʒii. semin. acetosæ, semin. plantagin. granorum rhois, cortic. externi pistaciorum, ana ℈ij. spodij, corallij rubri, rosarum rub. margarit. splendid. ana ʒß. f. puluis, cuius ʒi. vel ℈ij. ex conuenienti syrupo dentur; aut cum saccharo eliquato aquâ rosarum, fiat electuarium in tabellas ʒiij. offeratur vna. Hic puluis etiam cruentas vomitiones supprimet, additâ bolo arm. & lapid. hæmatit. ʒi.

Condi

Conditum.

℞. Conseru. rosar. antiquæ ℥i. carnium cydoniorum saccharo conditarum ʒvi. conseru. acetos. & florum cichorei, an. ℥ß. pulu. trochisc. de spodio cum sem. acetos. ʒi. pulu. diacitoniôn sine aromat. & diamarg. frig. an. ʒß. corall. rubri vsti, & aquâ rosarum loti ℈i. sacch. rosati tabulati q. s. fiat conditum auro coopertum, vtatur cum aquâ chalybeatâ sitis tempore, & quotidie manè: vel reducatur in formam opiatæ cum succo mali punici, aut syrupo de rosis siccis; pondus est magnitudine castaneæ, hauriendo parum aquæ endiuiæ, & rosarum.

Eodem spectant opiata astringens, & puluis, aliáque præsidia sistendis mensibus accommodata, & illic fusissimè descripta. Hoc tamen omnium expeditissimum est.

℞. Carnium cydonior. saccharo condit. ℔ß. vtatur à pastu, vt cibum arctiùs comprehendat. Iam vbi somnus obrepere non potest, conciliabitur potione hypnoticâ, quæ vires etiam reficiat.

Potio somnum concilians, & vomitum sistens.

℞. Syrupi de papau. ℥i. syr. cydonior. ℥ß. pulu. diamarg. frig. ʒß. pulu. diarhod. abb. & trochisc. de spodio, vel de terra sigillata, an. ℈i. corall. rubri ℈ß. aquarum plantag. & rosarum, an. quantum satis, fiat potio, detur horâ somni.

Admota.

Proximè iis succedunt admota, quibus non antè vtendum, quàm ventriculo expurgato, reuulsionéque præmissâ, ne fortè astringentium vi in interiores ventriculi recessûs noxius humor impellatur, tunicísque pertinaciùs adhærescens morbum confirmet. In illorum compositionem veniunt oleum cydonior. rosaceum, omphacinum, lentiscinum, myrthinum, mastichinum, & particulatim quæcunque diarrhœis & dysenteriis ascripsimus. Hîc tamen quædam composita proferamus.

Topicis in cholera quando vtendum.

Vnguentum.

℞. Olei myrthini & melini, (vel de lentisco, rosis & omphacio) an. ℥iiij. mastic. ℈iiij. styracis calamitæ, ladani puri, an. ℈ii. corallij rubri, seminis rosarum, santali rubri, & absinthij, an. ʒß. spicæ nard. g̃.vj. camphuræ g̃iij. ceræ parum, Misce, vngatur ventriculi regio, addendo aceti parum. Licet etiam huius vnguenti olea in ℥iii. succi plantag. incoquere ad ipsius consumptionem, vnà cum cera, deinde puluerem infundere.

Epithema.

℞. Santali albi & rubri, roſar. rubrar. ſeminis plantag. & ſemin. roſar. an. ʒii. caphur. g. iiij. galliæ moſch. ℈ii. aquæ roſar. quart. i. ſucci roſar. & aceti, an. ℥iß. Miſce, & linteola imbuta eo liquore admoueantur ſæpiùs ventriculi regioni: atque in præcordiorum flagrantiore incendio niue refrigerentur, aut gelidâ aquâ. Efficaciſſimum etiam habetur quod primo capite extat contra ventriculi æſtum. Optimum quoque eſt ad eiuſdem partis ardores & vomitûs, vini fœcem, foliorum rubi, aut portulac. aut plantag. ſucco ſubactam ventri impoſuiſſe.

Emplaſtrum.

℞. Maſtic. ladani puri, an. ℥ß. roſar. rubrarum, & coralli rubri, an. ʒii. balauſt. cortic. mali punici, boli arm. ſantali albi, rhois, acaciæ, hypociſtidos, an. ʒiß. gallarum ʒi. inuolucri interni palmularum ℈ii. carnium cydonior. ſaccharo condit. quart. i. omnia ſimul in emplaſtri conſiſtentiam redacta admoueantur è regione ventriculi, & præſertim oris eius. Huius loco, cerati ſantalini ℥iiij. melino oleo aut roſarum malaxatæ commodè admouentur. Si ne iis quidem fluxio ſiſti queat, cataplaſma exhibendum ex palmulis, cum œnanthes, acaciæ, & rubi foliis tuſis, item hypociſtide & malicorio ſicco; vel ex palmulis, gallâ, balauſtio. acaciâ, ſimul auſtero vino incoctis, adiecto inſuper pane contuſo; aut emplaſtrum diaphœnicon; aut quod in diarrhœâ deſcripſimus; aut quod etiam ex panis cruſtâ parari ſolet in hunc modum.

Cataplaſma Aëtij, tetr. 3. ſerm. 1. c. 12.

Emplaſtrum ex cruſtâ panis, ſiue Cataplaſma.

℞. Cruſtæ panis aſſæ donec nigreſcat, & in aceto roſarum acerrimo infuſæ ℔. ß. thuris, maſtic. ſang. drac. boli arm. an. ʒiii. corallij vtriuſque, balauſtiorum, malicorij, nucis cupreſſi, ſem. berberis, & granorum rhois, an. ʒiß. roſar. rubr. ℈iiij. ſem plantag. & ſem. roſæ, an. ʒi. puluerentur, & in mortario concutiantur, cum ſufficienti quantitate olei maſtic. cydonior. & myrtillorum, reduc ad formam cataplaſmatis, quod ſtupis impoſitum admoueatur.

Cucurbitula ventriculo admouenda.

Præter hæc cucurbitula ventriculo, aut duobus infra hunc digitis admota magnificè auxiliatur, móxque cibus accommodatior offerendus, quo reficiantur vires, ídque paulatim & ſæpiùs. Si non contineat, poſt vomitum lene aliquid dandum ex iis quæ non aliena ſtomacho ſint. Quamobrem in victûs ratione alimenta ſuauiſſima, quibus interim facultas inſit morbo aduerſa, ægro obiicito: potu parciſſimo ſitim reſtinguito, vinum punici mali ex chalybeata aqua, aut decocto coriandri, aut

Alimenta cholerâ laborantium, eadem quæ dyſentericorum.

aut hordei, aut rhois præbeto : cibus sit panis, malorum punicorum, aut cydoniorum, aut vuæ acerbæ; aut oxyacanthæ succo maceratus, adiecto, si libet, subastringente vino, quem si vomitu eructet, rursus dum sedetur impetus, alium porrigito. Atque in vniuersum eadem alimenta, quæ dysentericis præscribito, donec stomachus consistat.

Iam verò reliquum est vt sæuioribus symptomatis quibus hic affectus plerumque stipatus incedit, occurramus. Atque si vires fatiscunt, & animi defectiones obrepunt, in viribus roborandis, omne tum studium collocari debet, cibi boni succi, facilis concoctionis, modicè & sæpiùs offerendis, quibus facultas insit morbo aduersa, gelatinis, expressionibus, destillatitiis, & aliis instaurantibus fusissimè in syncope expressis, è quibus hoc selectissimum.

Symptomata choleræ morbi mitiganda, inprimis lipothymia.

Sublimatio instaurans.

℞. Pulpam vnius caponis detractâ pinguedine & pelle, aut perdicis, aut turturis, minutim incidatur, & cum aquâ rosarum abluatur; deinde adde conseruæ rosarum ℥i. conseru. buglos. & acetos. an. ʒvi pulu. diamarg. frig. ʒiß. pulu. triasant. & diarhod. an. ʒi. trochisc. de spodio ʒß. aquæ capitum rosarum & endiuiæ, an. ℥i. folior. auri N. vi. misceantur omnia, & in duplici vase destillentur ex arte : liquore vtatur tum seorsum, tum in iusculis. Et si conuulsio impendeat musculorum & spinæ, circumponere oleum liliorum expediet, & alia linimenta quæ in conuulsis accommodantur. Vbi sublatus est præsens metus, ad ea redeundum est quæ proximè præcepta sunt. Cùm autem ex ciborum corruptelâ, & viuendi errore, atque omninò ab esculentis, quorum vitiosa sit substantia, malum hoc contrahitur, plerumque suâ sponte cessat, dum materia illorum concoctionem aggreditur, & impuritas & corruptela tum vomitu, tum deiectione detrahitur. Atque à vomitu, somnum ægris præcipere oportet, quietémque & præcordiorum fotum. Alioqui si hæc imbecillia sint, præsidiis iam commemoratis stomachus restituendus. Si verò humor huius immoderatæ perturbationis auctor non ita æstuans, feruidúsque sit, sed pituitæ quadam permistione aliquantò mitior, aut semirestinctus est, educto iam penè humore, atque expurgato ventriculo potione ex rhabarbaro, myrobalanis chebulis, citreísque, erit deinde confirmandus ventriculus iampridem descriptis remediis, calefacientium & aromaticorum egregiâ portione conuenienter adiectâ.

Conuulsioni vt occurrendum.

Choleræ à cruditate curatio.

Trallian. l. 7. c. 14. §. 2.

Sanguinis vomitus.

Sanguis vomitionis impetu erumpens, eandem quam sputum sanguinis & causarum dignotionem, & medendi rationem sortitur :

hîc tamen aſtringentium, adiectâ menthâ, illic agglutinantium, vt tragacanthæ, vſus aptior tutiórque eſt. Itaque tum illa, tum quæ hoc capite ſcripſimus aſtringentia præſidia, cruentam vomitionem coërcebunt.

CAPVT VIII.

Singultus.

Singultus quid.

Cauſæ ſingultûs duæ, inanitio & repletio, apud Hipp. l. 6. aph. 39.

Singultus eſt conuulſiuus ventriculi motus, quo is, quidquid in ipſius tunicas altiùs ſe infixit, ac moleſtum eſt, violento ſuccuſſu, compreſsíſque lateribus expellere contendit. Huius varias & multiplices cauſas in duo ſumma capita contraxit Hippocrates, inanitionem & repletionem. Quicunque enim vel ab ardente febre, vel à purgatione effrœnatâ, vel nimio ſanguinis profluuio, aliáque immodicâ euacuatione. vel à vigiliis, vel ab inediâ, intempeſtiuâ & effreni venere, atque omninò à ſiccitate fit, vt in iis qui diuturno morbo fracti iam morti ſunt proximi, omnis ad inanitionem refertur. Quicunque verò ex ebrietate & crapulâ, ex feriente alimenti acrioris, acuti, aut ſalſi qualitate, ex ſuppreſsâ aliquâ ſolenni euacuatione, ex ventriculi inflammatione, ex bile acri penitùs ſe in tunicas figente, ex lumbricorum compunctione; denique ex tetro vapore è ſubiectis partibus in ventriculum efflato concitatur, ad repletionem relegandus. Quemadmodum & qui ex flatu intùs concluſo, ac tunicis ventriculi intercepto, qui dum naturalem exitum non reperit, & impetu viam ſibi parat, variè impulſus tunicas replet, violentérque diſtendit. Ex prægreſſarum igitur cauſarum animaduerſione, & ex iis ſignis, quæ ventriculi affectûs demonſtrant, ſingultus ſpecies facilè diſtinguetur. Tum etiam quòd ex repletione affatim, ex inanitione ſenſim exoriatur. Porrò ſingultus aut proprio ventriculi fit affectu, aut ex præcordiorum, totiúſque corporis conſenſu, qualis è cerebri, & iecoris inflammatione, & in ardentiſſimarum febrium vigore, proximo laborantium exitio, (criticum ſemper excipio) ſuſcitari conſueuit.

Signa cauſarum diſtinctiua.

Singultus aut idiopathicus aut ſympathicus.

Curatio.

Singultus non omnis medicam opem efflagitat, ſed qui difficilis adeò violentúſque eſt, vt ex imo ventre erumpere videatur, & aſſidentes partes, quibus ventriculus annectitur magnâ vi diuellat, tum quippe artis præſidio locus eſt. Atque ſi calida, frigidáve intemperies ſingultum profert, medicamentis quæ intemperiem contrariâ qualitate emendent, primo capite deſcriptis, facilè is conquieſcet: Si inflammatio, quæ hanc reſtinguant, aptiſſima ſunt: ſi bilis vellicans, aut adhærens pituita, quæ expurgant & roborant, accommodata præſidia:

Indicationes variæ pro cauſarum varietate.

ſi lum

si lumbrici, quæ iis aduersantur: si flatus, quæ hunc discutiant: si teter vapor aliunde exhalans, quæ reuellant, & alexiteria, sunt vsui. Ergò vt summatim dicam, causæ obsistendum iis remediis quæ affectuum singulorum curationi dicata sunt: Causâ enim sublata, symptoma hoc confestim affligere desinet. Atque vt siccitas omnium difficillimè corrigitur; ita singultus illinc profectus mortis vtplurimum est nuncius, nec sanationem admittit, nisi fortassis experiare quam primo capite indicauimus. Etenim licèt desperata res omninò videatur, iuuandi tamen sunt aquâ, cui hordeum incoctum sit, vnà cum oleo amygdalarum dulcium, pedetentim datâ, potuíque syrupus violaceus, aut è glycyrr. porrigendus. Humectandus insuper ventriculus destillatitiis, colatitiis, expressis, iusculis, ouis sorbilibus, alimentis denique omnibus boni succi, & facilis concoctionis, modicè & sæpiùs offerendis. Neque tum admotis adstringentibus vtendum, sed rarefacientibus potiùs, qualia habentur oleum violaceum, amygdalinum, liliorum, & similia, quibus & ventriculus, & ceruicis vertebræ, maximéque spinæ regio, cui os illius insidet, conuenienter inungantur.

Singultus à siccitate, difficilior curatu quàm cateræ species.

Præsidia interna singultûs ab exhausto.

Admota in hac singultûs specie.

Qui autem singultus ad plenitudinem refertur, detractione curandus, & pituitæ flatúsque aut bilis eductione leniendus, pro causæ naturâ, quâ expurgatâ roboretur ventriculus anteà descriptis remediis. Particulatim si frigida causa est, cuiusmodi pituita flatúsve, detractâ humoris exuperantiâ, aut vomitu dum sursum vergit: aut alui deiectione per medicamentum, vel pilulam ex aloë, atque humore (vt dictum priùs est) deterso, hæc demum imperentur, quæ singultûs discutiunt.

Singultûs à plenitudine remedia interna; & quidem eius qui à pituita flatúve ortum habet.

Syrupus.

℞. corticis externi rubentium pistaciorum ℥i. cyperi, galangæ crassæ, & corticis citri sicci, an. ʒvi. aristolochiæ rotundæ ℥ß. schœnanthi ʒiii. calamenthi, pulegij, menthæ, an. m. i. rutæ, anethi, sisymbrij, & asplenij, an. m. ß. anisi & ameos, (aut si maior flatuum copia distendit) cumini, carui, & dauci, an. ʒiß. florum stœchad. & rorism. an. p. i. fiat decoctio in duabus partibus aquæ, & vnâ vini generosi aut cretici, & in colat. ℔i. dissolue sacch. albiss. q. s. pulu. aromatici rosati descriptionis Gabrielis, aut dialangæ, ʒi. aut cinnamomi interioris ʒiß. fiat syrupus clarificatus in triplici dosi exhibendus. Aut vino odorifero, cui cinnamomi & galangæ vis insit, adiunctâ etiam anethi parte exiguâ, malo occurrendum. Aut aquâ vitæ, cui momentum cinnamomi sit inspersum. Castoreum, nisi tetro odore esset infensum, ex vino probaretur vt efficacissimum: minùs ingratus puluis enulæ campanæ, cui anethi semen incoxerit. Item alyssi decoctum singultus potu compescit, vel si ore tantùm contineatur, olfactetúrve.

Diosc. l. 3. c. 105. & Plutarch. l. 3. sympos. q. 1. §. 2.

Pilulæ.

℞. Cyperi, galangæ, cumini, anisi, petroselini sicci, zinziberis, rutæ siccæ, menthæ siccæ, cinnam. & castorei, an. partes æquales, terantur teranda, & succo menthæ aut hyssopi in pilulas formentur, exhibeto ʒß. ad ℈ij. ter in hebdomada: aut melle anthosato excipiantur, & fiat confectio mollis. Aqua cui incoxerit zinziber, mastiche, additâ penidiorum portione, calida potui detur sensim.

Eodem spectat diagalanga, diatrium pipereon, dianisum, diacyminon, acorus conditus, zinziber conditus, confectio ex baccis lauri, Mithridatis antidotus, theriace antiqua, cuius ʒi. cum ℈ii. dictamni data, probatissima est, & quæcunque in frigidissima intemperie iam enarrauimus, ac inflato ventriculo colicisque dicauimus.

Admota.

Extrinsecùs verò præter alia, quæ illic fusissimè commemorata sunt, fotus hic aptari potest, qui singultum sedat.

Fotus.

Singultûs à repletione ex frig. causa, remedia externa.

℞. Foliorum lauri, absinth. sicci, origani, pulegij, abrotani, artemisiæ, rutæ siccæ, calamenti, an. M.i. baccarum lauri, cumini, fœniculi, an. ℥iß. seminis rutæ, & viticis, an. ℥i. florum chamomillæ, meliloti, & anethi, an. p.i. coquantur in æquis partibus vini ac lixiuij, eáque decoctione imbuta spongia ventriculo admoueatur: deinde vngatur subscripto vnguento.

Litus regionis stomachalis.

℞. Olei liliorum, & lauri, vel de spica, an. ℥i. castorei ℈ii. piperis cinnamomi, galliæ mosch. cardamomi, semin. rutæ, an. ʒß. ceræ parum, fiat vnguentum. In summâ fomentis & vnguentis vtendum, quæ calfaciant & discutiant, ex materiâ in dolore frigido præscriptâ: ventriculo quoque sacculi, decoctis seminibus & herbis calefacientibus discutientibúsque impleti, superligandi sunt. Omnium tamen probatissimum est emplastrum ex castoreo, mastic. oleo, rutâ, nardo, asaro, perpetuò seruatâ ratione, quæ astringendum vetat, donec acquieuerit singultus, sed rarefaciendum potiùs, vt spiritus exhalet, ac liberiùs excutiatur.

Fotus ex sacculis.

Emplastrum.

℞. castorei, mastic. corticis thuris, rutæ, styracis calamitæ, garyophyllorum, an. partes æquales, conterantur, & oleo nardino excepta, impo

imponantur ventriculi osculo. Licèt prætereà spinæ regionem ventriculo connexam, oleo de spica, anethino, liliorum, irino, costino, de piperibus, de castoreo, aut alio quouis inungere ex iis quæ resolutis partibus, aut ex plenitudine conuulsis aptauimus. Deinde os atque faciem frigida conspergere, extrema perfricare, fomentis calfacere, arctiùs vincire expediet. Ægrum tenuiore victu, eóque incidente ac siccante nutrire, quò flatus absumantur; somnum conciliare, sternutamentum pipere, rutæ semine, struthio & elleboro concitare. Illud enim valido succussu plerumque à singultu liberat, modò ex inanitione non sit, in qua deest humor excutiendus. Quinetiam castorei nidorem naribus admouere; aut suffitum parare ex castoreo, addita galanga, calamo aromatico, aniso, cinnam. gallia mosch. momento, aliísque calidis tereb. exceptis. Item fumo accensi cum semine bombacis nares perfundere iuuat; vtramque aurem moschato lanæ, aut gossypij flocculo exactè obturare; naresve constringere ne quid transpiret. Nec minùs probatum respirationem cohibere, ac diu conceptum spiritum detinere. Huc accedunt intenta cogitatio, exauditus inopinatò strepitus, repentinúsque timor, aut aliud vehementius animi pathema naturam turbans. Omnia denique quorum vi natiuus calor intrò reuocatur, ac repentè propellitur: hæc (inquam) singultum reprimunt. Quæ si nihil proficiunt, contentiùs infestante vitio, phœnigmi ad vmbilicum & ventriculi exteriora imponantur. Omnium autem præstantissimum habetur, si expurgata materia cucurbitulam quàm maximam ventriculo sæpiùs affixeris. Eadem in omni singultu à materia concitato audienda sunt.

Spina admouenda.

Sternutatio.

Aph. 13 l. 6. Cels. l. 2. c. 8.

Suffitus.

Varia singultū reprimentia.

Plato in conuiu. Arist. probl. 5. sect. 33.

Phœnigmus

Sicyasis.

Singultus à bile.

Singultus autem ab acri & rodente materia, siue ea cibus sit corruptus, aut mordax, siue compungens bilis, siue sanies quædam putris, tum purgante medicamento, tum alterante, roborantéque indiget. Purgare conuenit hiera, thamarindis, aut potiùs rhabarbaro, (quod hîc primas obtinet) ea ratione quam primo capite, & in choleræ curatione attigimus. Materiæ acrimoniam retundes ac frænabis hordei cremore, mali punici & acetosæ succo; roborabísque omnibus iis quæ doloris ventriculi, ac imbecillitatis ex bile curatio complectitur, tum assumptis, tum admotis, adiecto insuper violaceo oleo, aut nymphææ; quibus nî cedat malum, exquisitior partis sensus remittatur theriaca recenti, philonio romano, trochiscis stellæ, aliísque id genus, tum quod sequitur remedium omnia complet.

Purgatio in singultu à materia calida.

Alteratio materiæ acris.

℞. Mastich. rosarum recentium, spic. nard. croci, & sem. endiu. ana ʒii. asari & aloës, ana ʒi. opij ʒß. excipiantur mucagine psyllij

Trochisci narcotici.

psyllij, exhibeto ʒß. Aut electuarium Gordonij omni ratione præstantissimum ad quemuis singultum.

Elect. Gordonij cap. de singult.

℞. Spicæ nardi, schænanth. calami arom. anis. fœnic. folior. rutæ, folior. absinth. costi (si habeatur) ana ʒi. croci, ligni aloës, (si haberi queat) ambræ, garyophyll. aloës succotrinæ, ana ℈ii. opij, coriand. præparati, semin. papauer. albi, cassiæ ligneæ, ana ℈i. conseru. flor. citranguli ʒii. facch. solidi in aquâ absinth. dissoluti q. s. fiat electuarium, quo vtatur manè & serò. At neque aceto per se hausto, neque aliis vehementer acidis singultum cohiberi crediderim.

Singultum aceto cohiberi voluit Arist. probl. 5. s 33.

Singultus à maligna qualitate, alexipharmacis & cardiacis curatur.

Quòd si venenatus quidam in os ventriculi vapor vndelibet efflatus, aut sola infensa qualitas eò se inferens singultum mouet, alexipharmaca & cardiaca auxilio sunt, vt diamoschum, diamargaritum, puluis de gemmis, diarhod. abbat. pulu. bezoarticus, & particulatim quæ illorum compositionem faciunt, è quibus hoc probauimus.

Tabella cardiaca.

℞. Pulu. diamarg. frig. ℈ii. folior. melissæ, corticis citri, aristoloch. Zedoariæ, an. ʒß. sem. anethi & cardui benedicti, & sem. citri, an. ℈i. galangæ, macis, cinnamomi, corallij, rubr. margaritarum splendid. rasuræ eboris, & rasur. corn. cerui, an. ℈ß. terantur, quæ in pollinem reducenda sunt, & saccharo aquâ buglossi, ac rosarum dissoluto excipiantur, fiat electuarium in tabellis ʒiii. pondere, detur ex vino generoso, ita singultum lenies.

CAPVT IX.

Appetentiæ vitiatæ symptomata; deiecta appetentia, & cibi fastidium.

QVibus præsidiorum formis ventriculi intemperies, & inflammatio, atque illinc prodiens imbecillitas, cruditásque & dolor abigi debeant, iam suprà definiuimus. Nec verò alia deiectæ appetentiæ curatio instituenda, sed iis planè remediis facilè restituitur, quæ nimirum causas exscindunt eius effectrices, & ventriculi os firment, in quo appetentiæ vis consedit.

Appetitus duplex, naturalis, & animalis.

Naturalis, quid.

Est quidem appetentia duplex, prima naturalis, in singulis partibus, quemadmodum in plantis, ex rei familiaris incitata penuriâ: continenter enim corporis substantia tum ab insito sibi calore, tum ab aëre circunfuso dissipatur ac diffluit. Atque vt detrimenti, & dissolutionis materia resarciatur, quippiam suffici necesse est, naturali partium appetitu attractum, citra vllam tamen rerum vtilium cognitionem.

Altera

Altera verò animalis, ventriculo, maximè ori eius exquisitissimè sentienti insidens, quam ex fame naturali per venas continuata partium suctio, suctionísque sensus incitat. Hinc quippe ventriculi capacitas inanitur, eiusque latera collapsa in sese concidunt, ac tunicæ proprio humore exhaustæ inarescunt. Quo stimulo lacessitus stomachus, cibum ac potionem desiderat, vt fame ac siti latrantem se obsonet & expleat. Quamobrem vicissitudine quadam, partium inanitio appetitum naturalem incitat, hic attractionem, stomachíque suctionem, ab hac suctionis sensus, & ex eo animalis appetentia sequitur, qua excitatum animal ad cibum mouetur. De ea nunc disserimus, quæ si fuerit cibi, fames; si potionis; sitis appellatur.

Appetitus animalis, quid. Quam sedem habeat. Quomodo appetitus animalis insurgat. Gal. l. 1. de sympt. caus. cap. 7. Appetitus animalis duplex, fames, & sitis.

Et hæc quidem ex naturæ præscripto sunt. Cæterùm præter naturam cibi appetentia deiicitur, vel imminuitur, aut stomachi vitio, quo suctionis sensus perit, aut vniuersi corporis occasione, quod vel succi plenum est, vel parum dissipabile, ideóque nouum alimentum è ventriculo nec expetit, nex exugit. Nulla enim partibus abundè saturatis inest appetentia, quæ trahendi desiderium stimulet, & nouum alimentum è ventriculo alliciat. Stomachi quidem vitia quæ appetentiam prosternunt, hæc sunt, intemperies calida relaxans, colliquans, diffundens, implensque; aut frigida, si nimiùm exuperat, propriè suctionis sensum adimens: omnísque ventriculi perfusio à quouis humore qui ipsum quasi saturat, vt pituita dulcis; aut aliena qualitate appetendi vim ipsius extinguit, non secùs quàm morbi diuturnitas: Quæ omnia expressis iam signis distingues.

Causa præter naturã anorexia. Stomachi affectus p.n. appetentiam prosternentes.

Curatio.

Ergò siue os ventriculi pingui quodam lentore imbuitur, siue bile in ventriculum aspersa, ipsius robur eneruatur, sublatis causis efficientibus, & roborato stomacho, per ea quæ iam fusè primo capite enarrauimus, appetentia reuiuiscet; non enim ex symptomatum, sed causarum varietate instituenda curatio. Auxilia tamen quædam afferemus, causis quammaximè accommodata. Siquando igitur bilis in ventriculo redundans appetentiam prosternit, primùm expurgare oportet mitioribus cholagogis vitiosi humoris exuperantiam. Deinde si quid illius reliquum est, obtundere, & impressum calorem extinguere frigidis, simúlque ventriculi os dissolutum & languens acerbis firmare & recreare, vt syrupo de succo acetosæ, de acetositate citri, limonum, punici mali, pomorum redolentium, præsertim acidorum, syrupo item persicorum & cydoniorum, aut eorum succis quibus sacchari tantillum sit inspersum; hæc enim cibi fastidia discutiunt, & appetentiam inuitant; sic etiam acini oxyacanthæ sapore placent acido, & acetum, punica mala, & quæcunque alia eodem genere sumus complexi.

Indicationes, causæ oppugnatio, & stomachi roboratio. Remedia interna anorexiæ à causa calida.

Syrupus.

℞. Succi pomorum redolentium, ſucci cydoniorum, & acetoſæ, reſidentiâ factâ, ana ℔. ß. ſucci mali punici & acetoſ. citri, vel aurantij, vel limonum, ana ℥iij. aceti ℥ij. ſacchar. albiſſim. ℔.ij. ſimul coquantur ad conſiſtentiam ſyrupi; deinde adde pulueris triaſantal. ʒij. exhibeantur ℥ij. tribus horis ante cibum. Vel

℞. Syrupi acetoſi ſimplicis, & endiuiæ compoſiti, ana ℥ij. ſyrupi de abſinthio ℥i. aquarum acetoſæ & cichorij, ana ℥v. puluer. ſantal. albi ʒi. fiat ſyrupus per triduum frigidè dandus. Abſinthium Rhaſes aceto incoquit, huius percolati ℔. i. capit, atque ℔. ij. ſacchari ℔iß. hæc dein concoquens ſyrupum efficit, quo appetentiam reſtituit; magnam vim etiam cydoniorum caro, & eorum miua obtinet, & quæcunque è pomis, pyris, perſicis, aliiſque fructibus ad illius ſpeciem, ac ſimilitudinem comparantur. Quin etiam frigidam in virium conſtantiâ ebibere, aut panem aquâ madentem aſſumere calente ventriculo iuuat.

6. Epid. ſect. 4. text. 19. Aqua enim vorax, vigilia item vorax, & hæc quidem in aſſumptis. Eorum autem quæ extrinſecùs admouentur, hoc exemplum eſto.

Vnguentum.

Remedia externa anorexiæ, à cauſa calida.

℞. Olei melini, olei roſatum, ana ℥i. olei de abſinthio ℥ß. ſantalorum omnium, corallij rubri, coriandri præpar. roſar. rubr. ana ʒi. granorum rhois & ſpodij, ana ʒß. ceræ parum, fiat vnguentum; adde aceti parum vnctionis tempore.

Quum ergò calida cauſa cibi faſtidium affert, talis eligenda remediorum ſpecies. At ſi frigida intemperies extra modum aucta, cibi appetentiam deiicit, humórque lentus ac verè pituitoſus ventriculum explet, educto inprimis conuenienter humore, qui antè ſit attenuatus extersúſque, ac expurgato ventriculo, aut vomitu, aut deiectione ex hierâ, vel agarico, vt primo capite propoſuimus, deinceps erit corroborandus ventriculus aſtringentibus calidis, qualia notantur vinum aromaticum, abſinthites, myrobalani emblicæ, & cepulæ conditæ, diacydon. aromat. aromaticum roſatum, electuarium de gemmis, electuarium de citro, diatrium pipereon, diagalanga, mithridatium, atque alia tum eodem capite, tum in pituitoſo vomitu ampliſſimè deſcripta, quorum primas laudes ſyrupus de abſinthio ſibi iure vendicat, duplicis cochlearis menſurâ hauſtus ante cibum, aut ſyrupus menthæ. Vel ſubſequens vſurpetur decoctum.

Remedia interna anorexiæ à cauſa frigida.

Iulepus.

℞. Galangæ, vel calami odorati, & cyperi, ana ℥i. corticis citri ſicci ℥ß. abſinthij M. i. calamenti, menthæ, betonicæ, ana M. ß. aniſi

anisi & mastic. ana ʒii. schœnanth. ʒiß. florum stœchad rorismar. ana p. i. fiat decoctio, & in colaturæ ℔. i. dissolue mellis rosati colati, vel sacchari, q. s. fiat syrupus clarificatus & aromatisatus cum ʒi. puluer. aromatici rosati, aut cinnamomi interioris, detur per triduum.

Recreatur etiam ventriculus, & illius appetentia erigitur esu cydonij mali in melle cocti, atque cinnamomo, zinzibere, pipere & cardamomo conditi. Cuius vim exæquant virentes nuces, vel etiam superant, aromatibus ex melle conditæ, ad myrobalanorum conditarum similitudinem & naturam quam proximè accedentes. Hæc in assumptis appetentiam reuocant. Quemadmodum in admotis quæcunque dissolutum ventriculum corroborare, suscitatóque calore concoctionem iuuare tradita sunt. *Admota in anorexia à causa frigida.*

Vnguentum.

℞. Olei de absinth. & de mastich. ana ℥iß. olei nardini ℥i. vini decoctionis absinth. validè expressi ℥iii. vnà incoquantur ad eius consumptionem, deinde adiecta cera immisce aloës ʒiß. ameos, caryophyll. cinnamomi, menthæ siccæ, calam. odor. ana ʒi. galliæ mosch. ʒß. fiat vnguentum. Vel fotus comparetur ex absinthio, mentha, ocymo, calamento, sampsuch. cum rosa, cinnamomo, caryophyllis, aniso, omnibus vino incoctis. Huc emplastra, ac cerata renouari debent. In summa quæcunque priùs ad frigidam intemperiem, & ex pituita vomitionem expressimus, vt de iis non sit necesse plura dicere. *Fotus.*

At quibus appetentia languet, vniuerso corpore alimenti copia expleto, vt in plethoricis qui venas supramodum referserunt; vel minimum dissipato, vt in plerisque obesulis, quibus habitus infarctus est, nec facilè peruius, & viæ contractæ, ac in angustum adductæ omnia arctè coërcent, tum quidem Hippocratis consilio hunc habitum statim soluere expedit, vt corpus rursum nutriri incipiat: id quod in plethora, venæ sectione; in cacochymia est purgatione tentandum, vt in iis qui morborum initio cibum appetentes, tandem cibum fastidiunt, quia multis scatent humoribus vitiosis, metu recidiuæ purgandis. *Appetentia deiecta ob plethoram, aut multam impuritatem, remedia. Aph 3. l. 1. Gal. com. ad aph. 32. li. 2.*

Victus ratio stomacho fastidienti apta.

Appetentia ciborum inuitanda obiectis condimentis quæ palato arrideant, atque si ex frigida intemperie, aut pituitæ lentore appetentia languet, salsis & acribus fastidia discutiuntur, qualia quæ piper, sinapi, zinziber, aut muriam excipiunt, adiecta etiam mentha, quæ in condimentis peculiarem vim inuenit, & cappari, vel oliuis & suauioribus alimentis oblectandus est ventriculus. *Victus ratio alia atq; alia esse debet, pro varietate causarum anorexiæ.*

At si vel æstu, vel bile in ventriculum refusa cibum respuunt, refrigerante victu, & acidis, austerisque iuuantur. Id genus sunt acetum obsoniis additum, vua spina, crespini baccæ, succus punici mali, citrei, aurantij, vuæ acerbæ. Ad hæc, pyra, poma, cotonea, persica, succus oxalidis, & similium. Cæterùm varietate sollicitari conueniet eum qui cibi fastidio torquetur: eo siquidem gustu sæpè cupidinem edendi concipit.

CAPVT X.

Bulimia & fames canina.

Bulimus, & fames canina, deprauati appetitus penès quantitatem sumẽdorum.

APpetentia deprauata aliàs in quantitate est, aliàs in qualitate rerum quæ expetuntur. Quantitatis vitium est in bulimo, & fame canina. In his quippe stomacho ingenita appetitus vis congruentem naturæ modum excedit, nullámque expetendi moderationem adhibet.

Causa horum appetituum deprauatorũ duæ potissimùm, inedia, & oris ventriculi refrigeratio, ex Gal. l. 1. de caus. symp. cap. 7.

Causa est prægressa inanitio, qualis aut venæ sectione, aut alui profluuio, aut sudoribus fit, & insignis substantiæ corporis dissipatio à resoluentibus causis, vt vigiliis immodicis, morbo tum acuto, tum diuturno maximéque ex inedia profecta. Partes siquidem indigentia auidæ, & magna inanitione grauiter stimulatæ, collectis dein viribus quidquid possunt, è ventriculo continenter sugunt, atque adeò validè trahunt, vt iam concitata ipsarum cupiditas non facilè deinceps expleatur; sed veluti laxis habenis in omnem ventriculi substantiam rapidè feratur. Itaque ventriculus assiduo partium suctu, & continuata tractione exhaustus, inexplebili auiditate externum cibum, tanquam accommodatum suctionis remedium efflagitat, quem plerumque in ore nondum planè confectum mandentibus etiamnum & inuitis eripit. Quemadmodum ventriculi sinu eundem crudum, multúmque exuctæ venæ rapiunt, quem tamen imminutus partium calor non plenè sit confecturus, vnde hoc nihilo magis explentur, fitque earum cupiditas insatiabilis, quandiu detrimenti & dissolutionis iacturam resarcire conantur. Quamobrem animal solito voracius exest, fitque cibi copiosioris edax, & vehementi fame conficitur. Altera causa est oris ventriculi immodica refrigeratio, aliàs quidem simplex, qualem vel intempestiuus frigidæ potus, vel gelida ambientis constitutio inuehit. Aliàs ab humore frigido & acido, cuiusmodi est aut pituita acida in os ventriculi defixa, quæ vel rosionis sensum inuehens, vel immodicè id refrigerans, famem incitat. Aut melancholia è liene in ventriculum abundantiùs coniecta, diutiúsque cohibita: hæc enim cùm austera sit & acerba, immoderatiùs aucta ventriculum astringit, & in

Refrigeratio oris vẽtriculi, eiusq; causa.

angu

angustum ita adducit, vt inde appetendi vis ipsius extra modum incitetur, ac increscat. Hinc quia graui alimentorum exuperantia premitur ventriculus, assidua fit ingestorum vomitio, vnde canina vocatur fames, quâ qui premuntur, insatiabili voracitate cibos inculcant ac reuomunt. Raro quodam euentu nonnullis latus lumbricus bulimiam induxit.

Fames canina vnde dicta.

Curatio.

Cæterùm vbi fames exuperans, immoderatáque appetentia hominem infestat, non temerè sed multo iudicio restinguenda, ne vel neglecta lipothymiam, vel intempestiuè repressa suffocationem inuehat. In curatione, si prægressa inanitio, & substantiæ corporis dissipatio bulimiam inuexerit, inanitionis causa, ex præteritorum obseruatione inuestiganda, eáque cognita, curatio instituenda, quæ tum causæ aduersetur, tum penuriam expleat, restaurétque quod continenter dissipatur. Immutandæ enim sunt efficientes causæ omnes si persistunt, quæ vim intulerunt, ac penitùs arcendæ, suo cuique obiecto contrario. Labori enim quies, vigiliis somnus, æstuanti aëri frigus, algori calor opponendus, sistendáque quàm mox erit quæ vel per aluum, vel per corporis habitum, aut dolore aut halitu fit substantiæ dissipatio, vel à collecto intus calore pabuli absumptio. Hic quidem alimentis crassæ, compactæque substantiæ, quæ cunctetur in transitu, & qualitate frigidis vt calori obsistant; illic autem facillimæ concoctionis, ac temperatis, quos calor imbecillus conficiat, immodica fames explenda. Itaque non vna est ac simplex in omnibus curationis ratio, sed pro causarum varietate & natura plurimùm distincta. Etenim vbi corpus sua sponte nimiùm digeritur ac diffluit, calidiórque ventriculus cibo assumpto haudquaquam grauatur, quin potiùs exæstuat; alimenta valentis materiæ aptissima sunt, vt maiorum animantium carnes, quales bubulæ & suillæ recentes, maximéque pedes, ex quibus gelatinæ parentur. Ad hæc testudinum nemoralium caro, ranarum coxæ, oryxa, aut alia concoctu difficilia edulia porrigenda sunt, quæ repentinæ resolutioni obluctentur; ac resistant auctiori calori partes obsidenti, præsertim lactuca, portulaca, cucurbita ac cucumere alterata: eorum enim quæ vniuersim & velociter nutriunt, veloces quoque fiunt excretiones, quocirca hîc nisi necesse est, ad vinum festinare non oportet; si autem verendum est ne deficiat, tum & parcius & dilutius erit concedendum. Interim medicamentis alterantibus purgandum, quæ calorem temperent, & ne corpus præproperè diffluat, dissipetúrque prohibeant, non assumptis modò, verùm etiam admotis, qualia symptomaticis sudoribus cohibendis ascripsimus. Cuius classis etiam habentur hæc,

Indicationes. Vnaquaque inanitionis causa suo est arcenda contrario.

Famis caninæ à nimio calore orta curatio. Alimenta.

Aph. 18. l. 2. Medicamēta in canina fame vsurpanda, interna & externa.

Syrupus.

℞. Syrupi rosati, cydoniorum & myrtini, ana ℥iß. aquæ plantag. bursæ past. & portulac. ana ℥iii. aut decocti earundem plantarum, iuiubarum & sebesten, ac florum nenuphar. violarum ℥x. pulu. triasantali ʒi. fiat syrupus.

Huc condita & electuaria alia, illic commemorata, afferantur, quæ etsi primò ac per se appetentiam intendant, ex accidenti tamen represso sudore immodico, aut corporis difflatu, eam tandem compescunt.

Vnguentum.

℞. Olei myrtini, cydoniorum, & rosati, ana ℥iß. aluminis priùs in aceto infusi & exsiccati, boli armenici, gummi arabici, an. ʒi. pulu. bistortæ & mastich. ana ℈ii. ceræ, q. s. fiat vnguentum, quo vngantur partes externæ, & inprimis spina, aut cerato santalino iisdem oleis eliquato.

Eadem in cæteris euacuationibus, quum supereffluentes famem induxere, lex sancienda, quæ inprimis eas sistat; hoc modo repressis causis resoluentibus, deinceps corpus alimentis solidioribus firmare ac reficere conueniet. Atque hæc quidem in ea fame audienda, quam vel externus, vel intùs conclusus calor, humores dissipans, ac substantiam corporis absumens, concitauit.

Famis caninæ à vigiliis aut inedia profectæ curatio.

Cùm autem prægressi morbi vis, aut vigilia vorax, aut longior inedia famem hanc intulit, alimentis ferè agendum, summáque diligentia quod disperiit restaurandum iis, quæ benigni succi copiam exaggerant, ad partium nutritionem, in quo præclarum Hippocratis præceptum accuratè seruandum: quæ longo tempore extenuata sunt corpora, lentè reficere oportet: quæ breui, breuiter. Vt extenuationis & refectionis paria quodammodo sint temporum momenta. Primum ergò cibus parcè offerendus, qui ex infirmissima sit materia stomacho aptus, dein tum substantia, tum quantitate paulatim increscat, & sensim copiosior ministretur. Neque temerè & auidè ad pleniorem est properandum, quo imbecillior calor obruatur. In vniuersum vires instaurandæ ac reficiendæ cibis boni succi, facilis concoctionis, sæpiùs oblatis, minutatímque substitutis, quibus insit facultas causæ aduersa: qua in re tepens vinum primas obtinet, quod etiam, vt omnia liquida, promptiùs & concoquitur, & in partes alendas distribuitur, quàm celerrimè in illarum substantiam nutritione secedens. Itaque cùm cœperit quis hac fame periclitari, puri panis portio intincta gummoso vino quàmmox offeratur: id præsenti remedio est, præsertim cùm laborans adhuc famis initia persentiscit. Quinetiam odorata ad nares admouenda, quæ spiritus longa aut morbi, aut vacuationis, aut inediæ vi exhau-

Aph. 7. l. 2.

Cibandi ratio in huiusmodi fame canina.

Vini facultas in hoc affectu sanando, ex aph. 21. l. 2.

Odorata naribus offerenda, ex Hipp. lib. de alim.

exhauſtos reſtituent, & cardiacis collabentes vires erigendæ ac firmandæ, modis omnibus in ſyncope expoſitis. Iis auxiliis recreabuntur, qui bulimo corripi ſolent.

Famis canina, à frigida ventriculi intemperie ſine materia orta, curatio.

Iam verò vbi famem immoderata ventriculi refrigeratio concitauit ſiquidem ſimplex eſt, atque vel ab ambientis aëris gelido ſtatu, vel frigidæ largo potu illata, tunc non modò alimentis ſubueniendum, quæ calfaciant, & quadamtenus humectent, vt pinguibus, ſed etiam medicamentis citra morſum calfacientibus anteà expreſſis. Ad hæc balneris & fomentis ſimili qualitate præditis, nardino oleo, de abſinthio, liliorum, menthæ, amygdalarum dulcium, aliiſque illic conſcriptis ventriculus muniendus. Intemperies ergò ſimplex, ſoláque contrariis corrigenda eſt.

Fames canina ab humore frigido os ventriculi imbuente, vt curetur.

At quæ ab humore frigido, oſculo ventriculi impacto profertur, non priùs alterantia calida efflagitat, quàm pituitam acidam, aut melancholiam eduxeris, aloë, hierâ, agarico, ſennâ, aliiſque nullâ aſtringente & comprimente vi præditis: quibus medicamentis primo quouis tempore vtendum, niſi craſſior ſit humor, & locis illis tenaciùs adhæreſcat. Alioquin priùs mediocriter incidentibus, & detergentibus præparandus eſt, vt origano, pulegio, calamento, thymo, hyſſopo, adiecto melle, cæteríſque primo capite deſignatis. In ſummà, curatio perficitur vomitu, clyſtere, deiectione, per pilulas, aut medicamentum. Ad hæc electariis, opiatis, aliiſque eodem capite depromendis.

A melancholiâ profecta, quibus curetur.

At ſi melancholia mali auctor ſit, ſpleneticis lieni ſuccurrendum. Deinde iam dicta victûs ratio imperanda, vinóque tepenti indulgendum, fuluo nimirum aut rubente, tenui, non aſtringente, ſed dulciuſculo, atque inter vinorum genera muſcatelino prima laus.

Victus ratio qualis eſſe debeat.

Quin & contra ſymptomatis impetum prudenter inſtandum pinguioribus atque oleoſis, quibus ventriculus exſaturandus, interioréſque illius receſsûs, & quaſi rugæ replendæ. Itaque oriza quæ cum pinguiſſimâ carne, præſertim agninâ, in clibano coxerit, ipſius ſucco madens laboranti vtiliter edenda porrigitur, aut eadem butyro vel oleo incocta; vel triticum pultis inſtar, cum axungiâ gallinæ, anſeris, vel anatis elixum; item glirium pinguium caro, ſi queat inueniri, aſſa deuorata famelicis efficaciſſimo remedio eſſe creditur. Ad hæc caudæ, pedéſque agnorum, & qui iis viſcoſitate & pinguedine reſpondent cibi accommodè offeruntur. Deinde iis deuoratis, vt ingeſta euomat præcipiendum: Sed & amygdalarum dulc. oleum ſaccharo reſperſum, & à cibo hauſtum, aut butyrum eodem puluere conditum famem remittit. Ab omni verò & acidorum, & auſterorum, & acerborum, atque acrium eſu, quæ quidem appetitum prouocant, abſtinebit, ſoliſque dulcibus vt melle, & glutinoſis enutrietur. Pinguibus ergò opus eſt, quæ ventriculi os acido humore nimiopere aſtrictum, & vehementiùs appetens, aliquando relaxent: niſi fortè aſſidua ingeſtorum vomitio diutiùs perſeueret, tunc quippe cucurbitulâ ventri affixâ, aliiſque modis in cholera dictis exiguus cibus retinendus. Ergò homini magnâ fame laboranti hunc in modum auxiliamur.

SECT.

SECTIO SECVNDA,
De Iecinoris affectibus.

CAPVT XI.
Intemperies atque imbecillitas Iecinoris.

Intemperies iecoris immaterialis rara.

IEcur prima, princépſque gignendi ſanguinis officina, intemperie frequenter conflictari ſolet, quæ rariùs quidem ſimplex eſt, ſæpiùs verò humoris particeps. Simplex enim intemperies in parte humorum procreatrice, vix diu ſolitaria poteſt conſiſtere, quin breui illos naturæ ſuæ conſentaneos proferat, & accerſito humorum vitio ex ſimplici compoſita euadat.

Signa intemperiei calidæ iecoris.

Calidam intemperiem demonſtrant languens cibi appetentia, ſitis, os aridum nec ſaliuis madens, calor manuum volas, plantáſque pedum quaſi deürens, & magis cùm etiam ſicca illá fuerit; minùs cùm humida: pulſus frequentior atque celerior, vrina aurea, eadémque tenuis, ſi ſimplex eſt intemperies; aut craſſa & crocea, ſi bilis flaua exuperat, ſeróque permiſcetur;ac tum alia huius redundantis indicia eluceſcunt: faciei color pallidus, flauus, aut citrinus; corporis habitus gracilis & ſiccus; venæ amplæ; oris amaror; frequens aut deiectione,aut vomitu bilis excretio; cutis eryſipelate aut ſcabie fœdata, vitio è iecore foràs ſuper cutem erumpente; calidis tum ſumptis, tum admotis offenſio; ſumma in febres propenſio; ore calidus erumpens halitus, & quæcunque alia eodem pertinent. At cùm ſimul humida fuerit, calor mitior apparebit omninò, nulla feriens acrimonia; vrinæ flauæ, & ſubſtantia mediocres, niſi ſanguis vberior quodammodo efferueſcat, tum quippe rubræ conſpiciuntur. Plurima denique aucti ſanguinis, veræque plethoræ ſigna deprehenduntur. Intemperies hæc leui occaſione febres putridas accerſit. Frigidam autem comitantur planè contraria, & cùm inſuper humoris vitium acceſſit, cuiuſlibet exuperantis humoris indicia manifeſtè ſe produnt, ex faciei colore, corporis habitu, vrinis pallidioribus, alui recrementis, tardiore paſſu, animi moribus, & morbis quibus quiſque ſæpiùs affici conſueuit. Sicca ferè iis eſt, qui à diuturnis morbis emerſerunt; hanc febres ardentes, & vini meracioris, aromatúmque liberarior vſus ſæpe inuehit:Etenim iſtorum vehementi ardore terrena viſceris ſubſtantia, proprio humore exhauſto,marceſcit. Detegitur autem cauſarum euidentium animaduerſione, præterea oris ſiccitate; vrina tenui, præſertim ſi nihil vnà melancholiæ excidit, alioqui craſſa & liueſcente; pigriore alui deiectione; pulſu

Signa intemperiei humidæ iecoris.

Signa intēp. frig iecoris.

Cauſa ſiccæ intemperiei iecoris.

Signa ſiccæ intēp. iecoris.

pulſu duro; melancholiæ, terrenorúmque humorum copiâ; nutritionis errore, quo corpus extenuatum, ſqualidum, victum, & colore muſtelino aut fuſco obſitum eſt, cúmque iam inueterata eſt, ſæpiùs aſcitem creat: hæc ſiccam teſtantur; humidam verò contraria. Vrinæ tamen albæ, aliàs aquoſæ, aliàs craſſæ & turbidæ breuioribus interuallis exeunt.

Subſtantiæ corruptela, οὐσίας διαφθορά.

Porrò nonnunquam humoris vitioſi contagione, maximéque bilis tum flauæ, tum atræ multâ perfuſione viſceris ipſius ſubſtantia inquinatur, atque corrumpitur, quâ laborans ſenſim languore contabeſcit. Id quidem tum maximè euenit, cùm diu multúmque humoris colluuies parti inhæſit, quæ ſenſim lentéque putreſcens ipſam pariter iecoris ſubſtantiam labefactat, atque corrumpit; eiuſmodi autem ab alimentorum vitio contrahitur, quæ aut corrupta ſunt, aut ſepticâ vi pollent, vini quoque generoſi & meracioris longo ac intemperante vſu impuritas hæc ſuborta, in iecoris calefactione, deſiccationéque deſinit, tandémque factâ colliquatione continenter accumulatur, & in idem vitium præcipitat.

Cauſa iecoris diapthora.

Io.Fern.lib.6. pathol.c.4.

In viſceris corruptelâ vt malum latitat, ita neque morbo ſe teneri æger putat, vt & obire poſſit conſueta munia. Interim tamen ſæpiùs cibum reſpuit, maximéque carnis ineſt ingens faſtidium, vt & eius calentis vapor, odórque grauior ſit, cieátque nauſeam: meri deſiderio ſummo tenetur, perinde atque is pulmonis corruptelâ contabeſcit. Sic ſæpè illecebris blanditur hoſtis infenſiſſimus, & ſui amantiſſimis clàm iugulum petit. Frequens inſuper animi languor & defectio obrepit, principio quidem leuis, deinde ſudore frigido erumpente grauior & periculoſior, quibus tandem crebrò, violentérque preſſus æger ſuccumbit. Ita malè affecto principe viſcere, tandem corpus ægrè alitur, aliàs atrophiâ ſenſim extabeſcens, aliàs corrupto humore turgidum.

Signa iecoris diaphthora.

Io.Fernel loco citato.

Ἥπατος ἀτονία, *imbecillitas iecinoris.*

Intemperies omnis atque impuritas ſi aliquantulùm perſiſtat, imbecillitatem affert, quâ qui laborant, hepatici propriè vocantur. In hac non omnis peræquè facultas offenditur, ſed plerumque vnica proſternitur, reliquis etiamnum conſtantibus & illæſis, quæ naturâ firmiores validioréſque fuerint. Cùm ergò facultas attractrix debilitata eſt, ſi iecur attrahendi ἀδυναμίᾳ laborat, deiectiones erunt chyloſæ; aluus liquida, albicantia & chyloſa ex interuallis reddit, nec alimenti in ventriculo confecti diſtributio perficitur, neque enim trahitur chylus.

Hepatici quinam dicãtur.

Signa debilis facult. attractricis iecoris.

At dices, in meſenterij inflammatione chyloſa ſunt excreta: ſanè

quidem iiſdem debilitate ſeparatis ſincera ſunt,at in inflammatione meſenterij ſanioſum quidpiam perpetuò apparet; ab omni enim parte inflammatâ exudat ſerum tenuiſſimum, modò membrana craſſior non ſit.

Signa debilis retentricis iecoris. Si retentrix infirmatur, cruenta quædam diluta, & recentis carnis loturæ perſimilia, tanquam ſanguinis rudimenta prodeunt: quam excretionis ſpeciem Hippocrates & Galenus vocant dyſenteriam hepaticam, alij hepaticam fluxionem, quæ ferè ſemper lethalis eſt. *Alui fluxus hepaticus.* Vt autem hæc apparent iecinore impenſiùs refrigerato, ſanguinem aut non coquente, aut non eò vſque retinente, dum is perfectam ſpeciem acceperit; ita nigra & ſplendentia prodeunt, ſanguine vi calidioris hepatis præaſſato. *Signa imbecilla facult. ſanguifica.* At ſi, quæ ſanguinem gignit facultas, imbecillior euaſit, cruditates oboriuntur, quibus primum pedes, deinde, & cæteræ partes intumeſcunt, atque vniuerſum corpus cachexiâ fœdatur.

Curatio.

Indicationes intẽperiebus omnibus iecoris communes. Quoniam omnis intemperies iecinoris vires diſſoluit, quibus fractis in vniuerſum corpus redundat iniuria, has diligenter firmare oportet ſublatâ intemperie, atque humorum impuritate, quæ imbecillitatem aduexit. Intemperies cùm vix ſola perſiſtat, quin breui tempore humoris vitium ſibi adiungat, non ipſa deleri poterit, quàm vitioſus humor illi aſſidens plenè ſit expurgatus. Itaque primum expurganda omnis impura colluuies, quæ intemperiem fouet, mox hæc corrigenda ſeruato partis robore. *Curatio purgatione & alteratione completur.* Sic duobus curatio completur. Expurgari autem commodè nequit, niſi præmiſsâ viarum, & educendi humoris præparatione. Quamobrem craſſos humores incidere, & extenuare, lentóſque detergere oportet ante purgationem. Quæcumque id præſtant, pariter quoque venarum per quas futura eſt purgatio obſtructiones expediunt. Quinetiam præparatione nonnunquam feruidi & acres humores temperantur, quales bilioſi, de quibus primò diſſerendum, vt eorum perturbatione ſedatâ, & acrimoniâ edomitâ facilior ſit in aluum deductio. Quæ id efficiunt, moderatè frigida eſſe oportet, non tenuiſſimæ ſubſtantiæ quæ nimium exagitet, neque tamen craſſæ, quòd hæc obſtruat, & vacuationi obſit, ſed quodammodo mediæ, cui etiam aſtrictionis quidpiam ſit admixtum. *Tam interna quàm externa remedia aliquid aſtringentis & corroborantis admixtum habere debẽt.* Etenim parte principe laborante arcenda ſunt omnia quæ immoderatè relaxant, & vehementer excalfaciunt; hæc quippe ſoluunt robur & partis virtutem: quæ item ſupra modum refrigerant, natiuum enim calorem extinguunt functionis auctorem; & quæcunque alienâ qualitate ſunt prædita, quòd hæc facultatum ſubſtantiam tacitâ malignitate demoliantur: ſed ſemper tum aſſumenda, tum admouenda corroborandi quadam vi præcellant. Quamobrem vt humores ſiue bilioſos, ſiue pituitoſos altiùs in iecore reconditos præpares, ſeligenda in

in vniuersum materia est, quæ præparet & aperiat ob viarum angustias, incîdat & detergat, quòd vix humor adsit quin exiles iecoris transitûs inferciat; eadem corroborandi facultate polleat, quòd pars princeps laboret. Incidendi, detergendi, aperiendíque facultas interdum cum frigida est intemperie, vt in cichoreo & omni intybi genere; sæpiùs cum calida, vt in absinthio, cinnamomo, nardo, chamæpiti: hæc frigidæ, illa calidæ intemperaturæ particulatim aptanda, quibus tamen calidorum momentum accesserit, vt absinthij, spicæ, vnde insitus partis calor ad functionem vniuerso corpori necessariam conseruetur. Porrò non vna simpléxque est intemperati, vt neque obstructi iecoris ratio: Sed modò calida, frigidáve intemperies obstructioni, modò laxitati & substantiæ dissolutioni, vt per hepaticas fluxiones connexa est. Ita neque simplex medendi ratio, & qualis affectuum, talis contrariorum remediorum complicatio statuetur. Quocircà medicamenta, quæ iecoris ardorem compescunt, alia refrigerant, & astringunt; alia refrigerando attenuant & detergunt, proindéque obstructiones reserant. Refrigerant, simúlque roborant portulaca, plantago, rosa, lactuca, lenticula aquæ, viola, (quæ tria refrigerant, non item astringunt) succus vuæ acerbæ, mali punici, oxyacanthæ, ribis vulgaris. At validiùs roborant spodium, ebur, santala, corallium. Frigida verò quibus attenuandi, detergendíque manifesta vis inest, sunt omnia intybi genera, acetosa, anchusa, hepatica, quatuor semina frigida maiora, radix graminis, asparagi, rusci, succus rosarum, quibus accedunt agrimonia, omniáque capillarium genera calidis humoribus etiamnum accommodata, etsi calore quodam moderato sint prædita. Denique mali medici & limonum succus, acetum, & qui ex iis parantur syrupi. Hæc omnia calidam intemperiem restinguunt: particulatim tamen his quæ in secundam classem coniecimus, tum biliosus humor ad purgationem commodè præparatur, tum simplex iecoris à bile obstructio soluitur, tum declinantis inflammationis reliquiæ discutiuntur, deriuantúrque. Prioribus, imbecillum visceris robur, purgatione præmissâ, firmatur; accrescentes iecoris inflammationes extinguntur, & diarrhϾ, dysenteriæ cruentæ, excretionésque, omnésque calidioris iecoris vitio natæ fluxiones coërcentur: languent enim plerunque retinendi facultates apertis, & dehiscentibus vi caloris venarum osculis; quemadmodum etiam humorum tenuitate, & acrimoniâ, vel reseratis, vel exesis. Huiusmodi ergò calidorum remediorum, nec dissimilis quoque frigidorum constituenda varietas. Horum enim alia calfaciunt & aperiunt, infarctúque liberant, vt adianthum, calamintha, chamædrys, peucedanum, de quibus in obstructione fusiùs agendum. Alia calfaciendo roborant, vt cyperus, spica, & quæcunque ventriculo ex frigida intemperie imbecillo aptauimus. His ita vniuersè constitutis, singula deinceps accuratiùs persequi par est.

Incidentia, detergentia & aperientia alia frigida, alia calida.

Intemperies iecoris modò obstructioni, modò substantia laxitati complicantur.

Materia refrigerantium, simúlque roborantium.

Materia refrigerantium simúlque attenuantiũ & detergẽtium.

Calfacientia & aperientia.

Calfacientia simúlque roborantia.

Methodus curandi calidam iecoris intemperiem, cum materia.

Quum igitur calidæ intemperiei iecinoris suspicio adest, quam humor calidus fouet: considerandа est huius natura, sanguísne sit, an bilis. Ille siquidem venæ sectione, quæ pariter refrigerat; hæc purgatione demenda: non enim bilis iecori insidens, venâ sectâ tutò tolli potest, sed detracto sanguine illa efferatur, & immaniùs sæuit. Quanquam autem venæ sectio ex accidenti refrigerat, attamen iecoris calidiorem intemperiem emendare missione sanguinis, cùm eius est penuria, tutum non est, sed eorum tutior vsus quæ per se refrigerant, & sinceram bilem detrahunt. Quum ergò biliosus humor iecoris calidam intemperiem tuetur, & auget, primum quidem initio exuperantis materiæ portio vacuanda erit, & quæ in ventriculo, ac primis viis consistunt, primo quouis tempore expurganda, ne aperientium vsu ab iis in prætenues iecoris venas excrementa impellantur. Expurgabis medicamentis mitioribus, quæ primâ corporis regione, citra reliqui corporis perturbationem vllam, vitiosos humores detrahunt.

Venæsectio quando locum habeat.

Purgatio humorum biliosorum.

Bolus benignè purgans.

℞. Cassiæ recèns extractæ ʒx. cum saccharo fiat bolus: aut validiùs.

Alius.

℞. Diapruni simplicis ℥i. cassiæ ℥ß. & asperso saccharo fiat bolus, horis duabus ante prandium sumendus. Atque si è locis altioribus deturbandus sit humor, minimáque obstructionis coniectura fuerit, adde rhabarbari in puluerem redacti ℈iiij. pro bolo in aurora sumendo: aut potio sequens detur.

Potio purgans.

℞. Glycyrrh. recentis ℥ß. seminis endiuiæ ʒiij. tamarindorum electorum ℥ß. prunorum dulcium, passularum, & sebesten, ana par. iiij. violarum p. ij. fiat decoctio in aqua hordei, & in colaturæ ℥iiij. dissolue cassiæ recenter extractæ, aut catholici duplicati, & percolati ʒvi. syrup. rosati laxatiui ℥i. misce; Ita impuritatis portio minuetur.

Præparantia restibiles humores biliosos, qualia hîc expetenda.

Reliqua dein naturæ imitatione præparanda iis quæ refrigerant, & humorum acrimoniam retundunt, atque quodammodo attenuant, detergunt, & aperiunt, visceris robore seruato; inest enim bili diutiùs cunctanti, nec tempestiue expurgatæ quidam lentor, qui mediocri detersione eluatur, qualem cichoreum & endiuia profert accommodatissimam.

Apozema.

℞. Radicis graminis, asparagi, rusci, ana ℥i. cichorei cum toto, endiuiæ, rostri porcini, agrimoniæ, hepaticæ, oxalidis cum radicibus, foliorum lactucæ, & buglossi, ana M. i. prunorum dulcium, par. xv. passular. mundatarum par. x. pulpæ tamarindorum electorum ℥i. seminum quatuor frigidorum maiorum, ana ʒiij. seminis endiuiæ & acetosæ, ana ʒi. trium florum communium, ana p. i. fiat decoctio,

ctio, & in colaturæ ℔. i. ß. diſſolue ſacchari albi, quantum ſatis, puluer. triaſantali ℈iiij. fiat apozema clarificatum in quatuor doſes matutinas. Si flagrantior æſtus eſt, nullàque obſtructionis coniectura detrahere radices aperientes; & portulacam, roſas recentes, & nymphææ flores adiicere iuuat. Aut:

Syrupus.

℞. Syrupi endiuiæ compoſiti ℥iij. ſyrupi acetoſi ſimplicis, & violarum, ana ℥i. ß. aquæ ſtillatitiæ cichorij, oxalidis, & bugloſſi, ana quart. i. pulueris ſantali citrini ʒi. fiat ſyrupus per triduum manè aſſumendus. In eundem vſum veniunt ſyrupi oxalidis, endiuiæ ſimplicis, violarum, oxyſaccharum ſimplex, è limonum ſucco, aut mali citrei, aut oxyacanthæ, è punico malo, & ſyrupus è nymphæa, ſyrupus è portulacâ, (ſi extet) & è ſucco cucurbitæ, qui tamen iecinoris calorem immodicum reſtinguit potiùs quàm præparet: proindéque expurgato iam humore accommodatior eſt. Quum iis iam conuenienter præparatus eſſe humor videbitur, & viæ patentes, ac liberæ purgationem pleniorem admittent, medicamento id quod reliquum eſt, penitùs eximetur, ſeruatâ tamen partis principis integritate. Quocircà omne catharticorum malignorum genus è purgatione arcendum, & è multis ea maximè eligenda, quorum vis hepar non tranſcendat, ſed potiùs materiam blandè ſubtrahat, iecur propriè expurget, ídque ſtrenuè corroboret. In hæc ſummè confert rhabarbarum, craſſiore ſubſtantiâ roborans, tenuiore verò detergens ac purgans, roſarum ſuccus, & ſyrupus roſatus laxans.

Qualia medicamenta cathartica humores præparatos pleniùs expurgent.

Rhabarbari dotes.

℞. Rhabarbari electi in aqua endiuiæ infuſi & expreſſi, ʒij. cinnamomi eadem arte præparati, gran. vij. ſyrupi roſati laxatiui ℥ij. aut ſyrupi de cichorio cum rhabarbaro ℥iß. miſce, fiat potio, detur in aurora.

Potiuncula purgans.

Poſtremò vbi exempta eſt bilis copia, ſiquid caloris alieni, vel in iecinore, vel in ipſius humoribus derelictum ſit, extinguendum id, confirmandúmque viſcus tum aſſumptis, tum admotis. In illorum genere habentur cremor hordei, & ptiſana tota. Ad hæc in medicamentis præſcripta decocta, detractis aperientibus, aut iulepi acidi. Vt:

Extinguentia empyreuma ſuperſtes, & iecur corroborantia.

℞. Aquæ endiuiæ, aquæ roſarum, ſucci limonum, ſucci granatorum, ſacchari albi, ana ℥iiij. tantiſper concoquantur, dum modicè efferueſcant. Adempto limonum ſucco, ſucci endiuiæ depurati, aut omphacij parem modum indere licet, aut aceti ℥ij. ſub finem iniicere.

Iulepus.

Frigidioribus enim ſimplex iecoris intemperies tollitur; minùs frigidis ea, quam humor fouet, quòd illa huius excretioni obſint; minimùm refrigerantibus, ſi humor inſuper hic obſtructionem parit. Itaque ſucco mali punici, oxyacanthæ, ſucco endiuiæ, ſolani, ſyrupo

Cur intemperiei calida iecoris cum materia, minùs frigida quàm intemperiei ſimplici conueniāt.

nymphææ, violato, aquâ cucurbitæ, & similibus frigidis, vt iam purgatione sublatus humor est, calida partis intemperies eximitur. In id quoque eximiam vim habet hepaticæ succus, duplâ seri caprini mensurâ dilutus, adiecto spicæ & spodij momento. Atque si violæ in eo sero præmaduerint, longè efficacius reddes, Detur ieiuno. Quinetiam electario, opiatâ, condito, commodiùs idipsum efficitur.

Electarium.

℞. Pulueris electuarij triasantali ʒiß. seminis endiuiæ, portulac. & acetos. ana ℈ij. conseru. florum cichorij ʒij. sacchari aquâ endiuiæ dissoluti, quantum satis, fiat electuarium per tabellas pondere ʒij. In eundem vsum extat electuarium triasantalon, quod iecoris intemperiem emendat, & viscus ipsum corroborat.

Opiata, & Conditum.

℞. Conseruæ florum cichorij ℥iß. conseruæ buglossi & oxalidis, ana ℥i. conseruæ violarum, (aut, si validiùs corroborandum, rosarum) ℥ß. pulueris electarij triansantali duplicato rhabarbaro ʒi. puluer. diamarg. frigid. & diarrhod. abb. ana ʒß. syrupi endiuiæ simplicis, aut capillorum veneris, quantum satis, reducantur in opiatæ formam, ex qua detur quotidie manè instar castaneæ, superbibendo parum aquæ cichorij & acetosæ. Media totius compositionis pars cum sufficienti quantitate sacchari albi, adempto syrupo, in conditi auro cooperti speciem concinnabitur. Licet prætereà huic opiatæ semina melonum, & cucurbitæ mundata, & minutim concisa imponere ad ʒij. quorum lacteus cremor ex aqua endiuiæ per se datus conueniet. Atque si quædam obstructionis coniectura superest, ademptis conseruâ rosarum & violarum, substituatur conserua capillorum veneris, quæ blandè aperit. Quinimò vbi vehementiùs refrigerandum, præscriptæ opiatæ licebit admiscere surculos lactucæ tenellæ, (Gallicè, *Gorge-d'Ange*,) saccharo conditos, cucurbitulam sacchato confectam (Gallicè, *Carabasses*) conseruam florum nymphææ, idque cùm astringendum non est, aut trochiscos è berberi confectos, trochiscos è spodio, è caphura, trochiscos è succino præstantissimos, propriè quidem si restinguenda intemperies est, simúlque soluta pars corroboranda, vt in hepatica fluxione.

Etenim, vt dictum priùs est, calida intemperies, aut obstructioni, aut laxitati & dissolutioni complicatur: Illi aperientia frigida, huic astringentia accommodata sunt. In summa, expurgato iam humore, eadem conuenient quæ intemperato & æstuante ventriculo; quare eò redire oportet.

Ad

Admota.

Licet prætereà quibuſdam extrinſecùs adhibitis iecoris infirmitatem corrigere, æſtuantémque eius bilis ardorem reſtinguere, vt epithematis, & vnguentis.

Remedia externa intemperiei calidæ iecoris cum materia.

Epithema.

℞. Aquarum acetoſæ, ſolani, & endiuiæ, ana ℥iij. aquæ roſarum, & lactucæ, vel bugloſſi, ana ℥ij. aceti albi ℥iß. pulueris triaſantali ʒiß. vel ſantalorum omnium, ſemin. acetoſæ & portulacæ, ana ℈iiij. trochiſcorum de ſpodio ʒß. florum nymphææ, roſarum, & violarum, ana p. i. puluerentur terenda, & fiat epithema, quod iecinori admoueatur ex panno coccineo, formæ creſcentis lunæ: aut paretur quod ad ventriculi ardores deſcripſimus. Vel quod ſequitur è ſuccis:

Epithema è ſuccis.

℞. Succi plantaginis, acetoſæ, lactucæ, & ſolani, ana ℥ij. aquæ endiuiæ, & nymphææ, ana ℥iiij. aceti ℥i. trium ſantalorum, roſarum rubrarum, ſeminis endiuiæ & ſpodij, ana ʒij. caphuræ ℈ß. fiat epithema.

Balneū aquæ dulc. egelida, citra ſudorē.

Poteſt quoque vbi firmata diu intemperies altiùs inſedit, ſanguinis & humorum acrimonia remitti dulcis aquæ tepentis balneo, quo tamen minimè protitentur ſudores, ſed duntaxat refrigeretur corporis habitus, ita quippe temperatis humoribus auxilij vis iecori impertitur.

Balneum.

℞. Endiuiæ, cichorei cum toto, roſtri porcini, acetoſæ, foliorum lactucæ, fumariæ, lupuli, herbarum capillarium, ana faſciculum vnum, ſeminum quatuor frigidorum maiorum, ana ℥iij. hordei p. vi. fiat decoctio pro balneo tepente, quo ſudor non euocandus; at ſi mitior eſt intemperies, ſequente vnguento miteſcit, neque maiore topico eſt opus.

Vnguentum.

℞. Vnguenti roſacei, diligenter aquâ endiuiæ abluti ℥iiij. olei violacei & nymphææ, ana ℥i. ſeminis endiuiæ ʒiß. ſpicæ nardi, & ſchœnanti, ana ℈ß. miſce, fiat vnguentum, adiecto dum imponitur aceti momento.

Aliud.

Aliud.

℞. Cerati santalini ℥iiij. olei rosati & nymphææ, ana ℥iß. seminis portulacæ & acetosæ, ana ℈ij. spodij & spicæ nardi, ana ℈i. fiat linimentum, vngatur regio hepatis frigidè æstate, hyeme verò tepidè, addendo vnctionis tempore aceti albi parum. Huius vicem explet ceratum album Galeni, cichorij succo subactum, addito aceti momento, & santalorum puluere insperso. Aut paretur id quod in hæmorrhagia supprimendâ, aut sanguinis sputo descripsimus. Si ardentiùs æstuet iecur, non est alienum succis lactucæ, cucurbitæ, & solani olea incoquere, mucaginémque psyllij addere. Tum demùm santala, rosas, spodium, semina frigida, spicam apponere, mixtáque cerâ vnguentum effingere, hoc modo.

Ceratum album Galeni.

℞. Succi lactucæ, cucurbitæ, & solani, ana ℥ij. vel succi portulac. & endiuiæ, singulorum tantundem, olei rosacei & nymphææ, ana ℥ij. feruefiant omnia ad succorum consumptionem, deinde adde santalorum trium, rosarum rubrarum, spodij, ana ℈i. caphuræ ℈ß. ceræ nouæ parum, fiat vnguentum.

Vnguentũ potentiùs refrigerans pro hepate.

Quòd si aliqua fuerit obstructi visceris suspicio, reiicienda erunt astringentia, non tamen omnia, sed horum tantillum, ex partis dignitate, alterantibus admisceri par est. At si cum calida intemperie laxa potiùs solutáque visceris substantia fuerit, eáque imbecillitas cruorem, aut sanguinem non retinet, quin potiùs respuit, & in intestina refundit, accersenda tunc remedia erunt, quæ refrigerent & validiùs astringant, non solùm in calida ventriculi intemperie, sed etiam in cholera morbo, & diarrhœa conscripta. Quibus si præmittenda purgatio sit, ea tum myrobalanis citreis, tum rhabarbari substantiâ instituatur.

Vbi suspecta obstructio, parcè astringentibus vtẽdum: secùs si laxitas substantiæ adsit in hepate.

℞. Rhabarb. electi diligenter puluerati ʒiß. myrobalanorum citrearum ʒß. syrupi de rosis rubris siccis, & syr. rosati laxantis, ana ℥i. cum aqua portulac. vel cum decocto myrobal. fiat potio. Quod ad diætam attinet, vitæ genus ex refrigerantibus & humectantibus sæpiùs inculcatis instituetur.

Frigida intemperies.

Frigida intemperies, vt sæpè obstructionem, cachexiam, tandémque vehementiùs aucta hydropem, pituitosi aut serosi humoris interuentu, accersit: Ita non alia remedia desiderat quàm quæ in obstructione, aut hydrope curando præcipiemus. At siquando intemperies hæc simplex, nullâ obstructione subsecutâ, iecur afficit, ipsiúsque visceris robur ita infirmat, vt chylum aut respuens non attrahat, aut non exactè retinens, neque planè alterans, rudem quandam speciem

Intemperies frigida simplex iecoris, quibus remediis curetur.

ſpeciem adeptum ſinat effluere: tunc equidem calfacientibus ac roborantibus, vt abſinth. ſchœnantho, calamo odorato, citri cortice, ſyr. de abſinth. & aliis omnibus auxiliis in frigidâ ventriculi intemperie expoſitis, & aſſumptis & admotis, infirmitas emendabitur; hoc ſolo diſcrimine, quòd ventriculo vehementiùs, iecinori moderatiùs aſtringentia ſint accommodatiora, quibus nonnihil eſſentiæ tenuitate præditum fuerit immixtum.

Intemperies frigida iecoris cum materia, quomodo curanda.

Quòd ſi in hac viſceris laxitate prætereà humor quidam vitioſus ſubeſſe videbitur, expurgandus is quidem primò erit, non aliis quàm diarrhœæ pituitoſæ aut lienteriæ remediis, quibus etiam integrè curatur, præſertim foris impoſito emplaſtro de ſpica, ex Rhaſis deſcriptione, omnium præſtantiſſimo, ac demùm cucurbitulâ identidem affixâ, quæ attrahentem, retentricémque illius vim firmat. Abſtinendum autem eſt ab omnibus alimentis frigidis, neque enim res vlla magis iecur lædit.

Frigida alimenta vitanda in iecoris frigida intemperie.

Sicca intemperies.

Porrò ſicca intemperies corpus ſtrigoſum & ſqualidum reddit: atque ſi curationem admittat, eam experiemur, quam hecticis, tabidis, atrophiâ & macie confectis inſtituimus, & ipſi quoque ventriculo exſiccato accommodauimus.

Humida intemperies.

Humida autem, quæ diſſolutionem & laxitatem infert, exſiccantibus corrigenda eſt & aſtringentibus, iam humidiori ventriculo aſcriptis: iecori tamen minùs aſtringentia adhibeto; hæc intemperies vix ſola accidit, ſæpiúſque vel frigidæ, vel calidæ connexa eſt, de quibus tum ſimplicibus, tum compoſitis iam egimus.

Subſtantiæ corruptela.

Quum autem corrupta viſceris ſubſtantia imbecillitatem inuexit, etſi non facilè illa priſtinæ integritati reſtitui poſſit, auxilia tamen quædam afferenda. Itaque detrahenda primùm eſt humoris impuritas, quâ iecur ſuffunditur, per ea quæ iam protulimus, humori bilioſo aut pituitoſo educendo accommodata, pleniúſque proferemus in hydrope.

Purgatio.

Deinde roborandum eſt princeps viſcus hepaticis, nunc frigidis, nunc calidis, aut his quæ ex vtriſque conſtant: plerumque enim contaminatur pars hæc citra vllam aut caloris, aut frigoris inſignem

Roboratio iecoris.

exuperantiam; quare ſeligenda quæ corroborent, & bilioſam ſaniem, aut alterius humoris ichores extergant, nullo vehementi qualitatis exceſſu, aut additâ totius ſubſtantiæ proprietate viſcus recreent. In hæc autem non omnia indiſcriminatim, ſed peculiari quadam vi iſta efficaciſſima ſunt: iecur lupinum arefactum, aut huius vice anſerinum, leporiſve; cochleæ, præſertim ſi exareſcit hepar, tenui vino ablutæ, aut aqua ſublimationis illarum, vel teſtudinum, vua paſſa, piſtachia, rhabarbarum, abſinth. eupatorium, cinnam. ſpica nard. ſchœnanth. calamus odorat. atque aromatum genus omne. Denique myrrha putredinem arcens. Et in frigidorum ordine ſantala, corallium, ſpodium, ebur, cornu ceruinum, electrum, roſa, cichoreum.

Hepaticorum medicamentorum ſylua.

Hæc omnia in hepaticis notantur, at diſſimiliter: Alia enim moderato calore iuuant, & concoctioni auxiliantur; alia aperiendo, incidendo, vel abſtergendo; quædam leniendo; plurima mediocriter aſtringendo; nonnulla putredinem inhibendo; quædam exſiccando; alia denique totius ſubſtantiæ familiaritate.

Compoſita hepatica.

Ex iis aut ſaccharo, aut paſſulato melle quadruplo exceptis, antidota parantur.

Electuarium è vino Andromachi.

Huiuſmodi eſt in frigidâ intemperie Electuarium è vino dictum, ex Andromacho à Galeno deſcriptum, octauo κατὰ τόπους: aut hoc illi finitimum, poſteriorum medicorum induſtriâ effictum, quod capit.

Vide Iac. Holler. perioch. 8. ad lib. 8. κατ. τόπ. §. de hepaticis.

Paſſularum mundatarum ℔ ß. incoquantur vino tenui tantiſper, dum lentorem contrahant: deinde miſceto conſeru. anthos ℥ii. cinnamomi ʒii. eupatorij ſicci ʒi. ſpicæ, caſſiæ ligneæ, & agallochi (id eſt, ligni aloës, xyloaloës Aëtio) ſi extet, aut ſantali muſcatellini ʒß. croci ℈i. incorporentur ſimul, & dentur ſemunciæ pondo, aut ʒiii. Vel imperetur hoc, quod nullo vehementi calore roborat.

Aliud electuarium iecur roborans.

℞. Pulpæ paſſular. ſeminis endiuiæ & piſtaciorum recentium minutiſſimè inciſorum, ana ℥ß. ſicci eupatorij ʒiij. cinnamomi, & hepatis lupi arefacti, ana ʒii. gummi laccæ, ſeu cancami Arabum (ſi verè haberi poſſit) ʒiß. ſeminis fœnic. ſemin. endiuiæ, raſuræ eboris, roſarum, & ſantali rubri, ana ʒi. calami aromat. & ligni aloës, vel ſantali muſcatellini ℈ii. ſpicæ ʒß. excipiantur mellis paſſulati ℔i. aut ſacchari aquâ endiuiæ liquati pari quantitate, & fiat electuarium: doſis ʒiii. Mel autem paſſulatum paratur, coctis in vino paſſulis ad ſyrupi lentorem, adiecto ſaccharo. Auxilium hoc, admixtâ terebinthinæ ſemunciâ, minùs palato gratum, ſed præſtantiùs multò, & ad colliquatæ ſaniei deterſionem efficacius reddes. Horum remediorum plenior enarratio in hydropem releganda, cui etiam auxilia hæc accommodatiſſima ſunt.

Mel paſſulatum.

Extrinſecùs autem hepar firmabitur, ſi calida intemperies corru-

prelam fouet, vnguentis refrigerantibus suprà scriptis. Sin frigida intemperies comes est, emplastro proximè subscripto.

Topica hepati admouenda.

Emplastrum iecori imbecillo, & intemperie frigidâ languenti aptum.

℞. myrrhæ, mastich. an. ℥iij. spicæ, cyperi, schœnanth. eupatorij sicci, scolopendriæ, calami arom. an. ℥ii. croci & galliæ mosch. an. ℥i. myrrham vnà cum mastich. in vino odorato subigito, ac aliis commistis emplastrum fingito, iecinoríque superinducito. Nardino oleo subactum non minùs est efficax, præsertim si id cum vino leuiter incoxerit.

Hæc sunt quæ intemperiem quamlibet, substantiæ corruptelam, atque hinc ortam omnem iecinoris imbecillitatem tollunt, seu primaria sit, siue aliarum partium vitio illata: Quanquam in hac, parti antè occurrendum, quæ affectionis origo fuerit, ídque remediis aut stomachicis, aut splenicis, aut cardiacis, aut vterinis.

In sympathicâ iecoris imbecillitate, parti primò affectæ ante omnia succurrendum.

CAPVT XII.

Iecoris inflammatio.

IEcur phlegmone non rarò tentatur, sanguine in propriam eius carnem abundantiùs confluente, qui è venis eò decurrens & quasi restagnans, visceris substantiam implet, & quadam ipsius parte coarctatus putrescit, & inflammationem accendit. Causa in sanguinis vel copiam, vel acrimoniam, vel tenuitatem, vel efferuescentiam releganda, præsertim accedente ab euidentibus causis, quibus fluxio concitatur, agitationis impulsu.

Causa inflammationis iecoris.

Signa eius hæc se proferunt, dextero hypochondrio grauitas tumórque subest, interdum obscurus & in profundo demersus, aliàs sensui expositus, qui per costarum extrema lunæ figuram exhibet. Dolor obtusus etiam præcordia retrahens, & ad iugulum ferè protensus; ob materiæ congestionem, quâ succingens costas membrana diuellitur.

Signa inflammationis hepatis, eorúmque causa.

Hinc difficilior respiratio, tussis exigua & inanis, quâ nihil planè reiicitur. Febris inest assidua, eáque acuta, siue comitata symptomatis. Lingua initio quidem rubra, mox nigricans, scabra & arida. Sitis inexhausta. Ingens cibi fastidium, vomitus biliosus, aut frequens deiectio biliosa.

Interdum etiam aluus non respondet, cùm pars inflāmata omnia arctè

coërcet, neque quicquam in inteſtina refundit, vnde inflammationis vi fœces continenter ſicceſcunt, ſæpè facies citrino colore vitiatur. Atque vbi malè eſt, animi defectio & ſingultus ad internecionem conſequitur. Vrina rubra, ac ferè craſſa & obſcura eſt, bilis flauæ & vitellinæ permiſtione.

Signa eryſipelatis iecoris.

Signa inflammationis œdematodis.

Si verò eryſipelate iecur infeſtetur, præter hæc, præcordia ſiti, æſtúque maiore flagrant; febris vehementiore incendio extorret, ferè in maraſmum colliquante ardore laborantem præcipitans. Quemadmodum ſi phlegmone œdematodes eſt, quod rarò accidit, grauitas quidem maior, & tumor amplior, ſed tum caloris, tum doloris ſenſus minor eſt, ac febres, & omnia ſymptomata mitiora.

Signa diſtinguētia iecoris phlegmonē à pleuritide.

Iecoris inflammatio à pleuritide, cuius magna ſymptomatum affinitate coniecturam affert, diſtinguenda eſt doloris ſpecie, eiuſdem ſitu, ſicca tuſſi, bilioſis vomitionibus, atque pulſu, qui in pleuritide durus, & ſerrans eſt, in hac mollior apparet. Inflammatur autem iecur & gibbis & cauis partibus, quod his notis diſcernes. Si pars caua potiùs natam experiatur inflammationem, cibi faſtidium & vomitio, & quæcunque ventriculi conſenſu prodire diximus, clariùs enitent, ac vehementiùs intenduntur, neque facilè inflammati viſceris tumor altiùs latitans tactu deprehenditur; eſtque moleſtus decubitus ſiniſter.

Quibus ſignis noſcatur affici partem cauam iecoris.

Quibus ſignis gibba iecoris inflāmari conſtet.

At ſi in gibbam ipſius regionem inflammatio magis inclinet, tumor inprimis manifeſtus eſt, iſque contactu excandeſcens. Grauis & laborioſus in affectam, ſed facilior in aduerſam partem decubitus; neque enim tunc ſuper hoc viſcus æger decumbere valet: verùm cùm volutatur, dolores incandeſcunt, remittuntúrque maximè ægro quieſcente ac decumbente ſupino. Reſpirandi difficultas maior, tuſſis moleſtior, atque dolor ad clauiculas pertingens euidentiſſimus. Hæc quidem validam inflammationem teſtantur. Si verò exigua fuerit, altâ inſpiratione potiùs quàm tumoris contactu detegitur. Porrò inflammati iecoris quandoque ſpeciem exhibet recti in abdomine muſculi inflammatio, quam & febris vehementiâ, & ſymptomatum impetu, & tumoris figurâ atque ſitu diiudicabis: hîc enim tumor circunſcriptus in ventris longum exporrigitur, & facilè in tactum & aſpectum cadit, ita vt ruborem conſpicuum exhibeat, & manûs contactu vel blandiſſimo intendatur.

Signa diſtinguentia iecoris inflammationem, ab inflamm. muſculi recti epigaſtrij.

Curatio.

Prognoſis.

Indicationes duæ, quod influit inhibere; & quod influxit exturbare.

Hæc ægritudo grauioribus annumeratur, atque laborantem citò rapere conſueuit, niſi maturiùs mederi tentes. Curabis autem, ſi primùm quod fieri poteſt, inhibeas, remediis quæ fluxionem ſedant, & antecedentem phlegmones cauſam ſummouent, hoc eſt, vacuantibus,

tibus, reuellentibus, refrigerantibus, & repellentibus: Dein si quidquid parti impactum proximè inflammationem creat, discutias ac derives, idque per loca proxima & conuenientiora. Hæ sunt primæ & rudiores totius curationis lineæ, quas nunc vario remediorum genere illustremus.

Sanguinis missio. Itaque sanguinem apertâ interiore cubiti dextri venâ mittere necessum est; vberiùs quidem, si phlegmone propriè dicta, parciùs, si erysipelas iecur exercet. Cúmque aut imbecillior virtus, aut vetustior casus erit, vel periculosum, vel serum id auxilium est, & confugiendum aut ad hirudines, aut cucurbitulas, antè summâ cute incisâ, (si tamen suppressa sit quædam solemnis euacuatio sanguinis, priùs tundenda poplitis, aut malleoli vena) quas vel directo cruri, vel humero affigere conueniet, aut sanguinem è nare dextrâ prolicere ficulneo, vel borraginis folio, setísve irritatâ parte: necnon artuum frictionibus & extremorum vinculis fluxionem retrahere; tum venter soluendus clystere, renum inflammationi accommodato, non autem purgante medicamento, cuius & calore & perturbatione grauior inflammatio succenditur. Nusquam enim noxius humor in partem affectam deducendus est, sed aliorsum reuellendus, maximè cùm iecur phlegmones incrementa sustinet: vel iniiciatur clysmus sequenti formulâ.

Clyster. ℞. Malu. viol. branc. vrsin. althæ. cum toto, fol. cucurbit. & lactuc. an. manipul. i. semin. iiij. frig. mai. ana ʒiij. anis. ʒß. semin. lini ℥ß. prunor. dulc. part. xx. flor. viol. & rosar. ana part. i. fiat decoctio in aq. hordei, in colat. ℥viij. vel x. dissolue medull. cass. & sacch. rubr. ana ℥iß. olei ros. aut progresso morbo, ol. violat. quart. i. fiat clyster, supponendus ante vel post venæsectionem: quo & pigrior aluus toto morbi decursu commodè moueri potest, hordeo insuper addito: neque vsquam quæ aut nitrosâ substantiâ, aut acrimoniâ proritent, adiicienda, aut huius loco, vt aluus subducatur.

Bolus. ℞. Medull. cass. recenter extr. ʒx. cum semin. anis. & sacch. fiat bolus, horâ vnâ ante cibum assumendus: vel dissolue in aq. hordei, aut sero lactis.

Purgantia initio inflammationis cauenda. Purgante autem medicamento per initia non est vtendum, ob eius calorem & perturbationem, vt diximus.

Refrigerantia in hepatis inflammatione, mediocria duntaxat adhibenda. Iam autem quæ fluentem humorem reprimunt, & modicè refrigerando tum illius, tum inflammatæ partis incendium extinguunt, commodè adhibenda. Commodè quidem vsurpabis, si partis dignitati, & conformationi prospiciens, nonnihil perpetuò refrigerantibus adiicias quod calfaciat & roboret, simúlque aperiente facultate sit insignitum. Cuiusmodi habetur spica, absinth. scœnanth. sine quibus refrigerantia vix tutò præscribi queant. Quæ enim vehementiùs refrigerant, insito calori concoctionis auctori negotium facessunt,

ceſſunt, anguſtas hepatis venas intercipiunt, & obſtruunt, vnde inflammatio aut putredo intendatur, aut phlegmone in ſcirrhum abeat.

Denique refrigerantia ipſa per ſe ac ſola, tum ſaniem ex inflammatâ parte continenter reſudantem, tum bilem eo tempore copioſiorem ita reprimunt, vt liberè expurgari non poſſit. Quamobrem hepate inflammato nihil præſcribendum, quod nimioperè refrigeret, & aſtringat, ſed ſemper aperientium & detergentium quidpiam reprimentibus admiſceri par eſt, maximè ſi phlegmones quàm eryſipelatis potiùs eſt particeps. Horum autem remediorum, alia aſſumuntur, alia extrinſecùs imponuntur. In aſſumptis ſunt ſyrupi, apozemata, condita, quorum materia & forma in calidâ hepatis intemperie comprehenſa ſunt. Quæcunque enim refrigerare, ſimúlque roborare illic diximus, inflammationum quoque incrementa reprimere cenſeto; Qualia ſunt portulaca, plantago, ſolanum, roſa, ſuccus vuæ acerbæ, mali punici, berberis, ſiue oxyac. ſemina frigida, hordei decoctum, aut aliud quiduis eorum quæ refrigerando etiam leuiter aſtringunt. Itaque ſyrupus è punico malo, roſatus ſimplex, aut endiu. ſimplex, aut ribes vulgaris, aut cydonior. non ſolus, ſed commiſtus ſyr. acetoſæ, vel limonum, vel oxalid. ſyrup. è berberis, aut oxyſacchara, aut ſyr. è portulacâ vtiliſſimè phlegmones ardorem reſtinguunt, duplo aquarum vel plantag. vel roſar. & acetoſæ, vel ſolani, & cucurbitæ, aut portulacæ temperati, quibus endiuiæ ac cichorij aqua immiſta obſtructionis metum adimet. Quinetiam apozema eodem capite ſcriptum, ſemotis aperientibus, dulcibúſque detractis, eximiè iuuat.

Remedia interna, inflammationũ iecoris increſcentium.

Dulcia facilè bileſcunt, ſicut & pinguia.

Dulcia enim, vt vuæ paſſæ, mel, inflammationis ardore efferueſcunt, vruntur, obſtruunt, atque in bilem, vt & pinguia, & alia quæcunque acria, facilè conuertuntur. (dulcibus enim omnibus iecur & lien inflammata maximè tumeſcunt, ex Hipp. l. de internis affectibus, & Gal. 13. method. cap. 14.) neque ex vſu ſunt, niſi cùm in ſuppurationem vertitur inflammatio. Iuuabit etiam quod habet in hunc modum:

Apozema.

℞. Oxalid. & plantag. cum toto, vtriuſque cichor. cum radic. hepaticæ, agrim. portul. (ſi tempus ferat) vel lentic. paluſtr. an. m i. pulpæ tamarind. ℥i. prunorum acidorum, & ſebeſten, ſi præſertim eryſipelas eſt, an. part. xii. ſemin. melon. & cucurb. an. ʒiij. ſemin. endiu. portul. & oxalid. an. ʒiß. & ſi eryſipelas eſt, ſemin. papau. alb. ʒii. roſ. rubr. viol. & flor. nenuph. ana p. i. fiat decoctio in aq. hordei: in colat. quart. v. diſſolue ſucci punici mali ℥iiij. ſacchari alb. ℥iii. Miſce, paretur apoz. clarum, & aromatiz. ʒiß. pulu. triaſant. ad quatuor doſes.

Quinimò præſtantiſſimum hoc videtur ex ſuccis comparatum.

Iulep.

℞. Succi oxyac. ſiue berber. ſucci endiu. mali acidi, & ſacch. alb. ana ℥iiij. adde trochiſc. de berber. ʒi. aut ſantal. alb. citrin. &

calam.

calam. arom. an. ℈i. fiat syrupus per quatriduum æquali mensurâ exhibendus.

Si phlegmone œdematodes est, reiectis nonnullis frigidioribus, detergentium & calidorum vis substitui debet, vt calami arom. cyperi, schœnanth. quæ decoctis inseres, & percolato iuri puluerem diarrhod. commiscebis.

Curatio inflammationis iecoris ex casu aut ictu.

Cùm autem ex grauissimo casu, aut ictu & contusione, iecoris inflammatio metuitur, aut iam tum insilit, sectâ priùs venâ, potionem sanguinis sputo ex prolapsu, compositam, triduò quotidie sumendam imperabis, quæ sic habet.

Potio ad casum & ictũ.

℞. Mumiæ, ʒß. boli arm. rhei torref. an. ℈i. semin. plantag. ℈ß. rubiæ tinctor. g̃. viii. semin. myrti ʒi. aq. plantag. quantum satis, Misce, fiat potio, quæ sæpiùs exhibeatur. Alioquin, vt dictum est, fluxionem intercipies.

Fluxionẽ intercipientia.

Hoc tempore magnam opem afferet conditum ad calidam hepatis intemperiem paratum, & quæcunque alia ibidem comprehensa sunt. Item troch. è spodio, qui inprimis sunt vsui cùm immoderatum alui profluuium hepatidem comitatur. Ad hæc troch. è caphurâ, & maximè de berberis, hac ratione compositi.

Trochisci de berberis.

℞. Pulpæ granor. berberis, aut ribes vulgaris, ʒv. ros. spodij, an. ʒiiß. medull. semin. cucurbit. & citrul. semin. portul. & endiu. an. ʒiß. semin. fœnic. ʒß. aq. ros. quantum satis, ad trochisc. conformationem: detur vnus aq. endiu. aut portul. solutus, per quatrid. horâ tertia pomerid.

Atque dum tussis acerbiùs infestat, adde succi liquirit. ʒi. aut tragac. parem modum.

Sitim lenientia.

Si verò sitim, quæ laborantes valde torquet, extinguere velis, surculi lactuc. endiu. portul. cucurb. sacchavo conditi, oxyac. quoque condita, ribes conditum, bilis æstum reprimunt, & sitim commodè sedant. At conuenientissimè iulep. Alexandrinum, aut syr. granat. cum aq. hordei. Denique omnia ferè quæ ventriculi ac iecoris intemperiem sedare calidam, anteà iam diximus, inflammationum, principiis aptissima sunt. Aperientia enim semper excipio, vt mali citrei & limonum succos, qui per se ac soli per initia mali non conferunt, tametsi eximiè refrigerent. His sanguinis exagitatio sedatur, & inflammationis ardor deferuescit. Illud tamen accuratè considerandum, quo inflammationis genere prematur iecur: Etenim si erysipelas est, validiùs refrigerantibus & minùs aperientibus est pugnandum; hoc enim præstantius quàm quouis modo vacuare.

Inflammationi erysipelatodi validiùs refrigerantia adhibenda.

Admouenda.

Remedia externa inflammationum iecoris increscentium.

Extrinsecùs autem, detracto iam sanguine, imponenda primùm quæ repri

reprimant, quamdiu phlegmone increſcit, cuiuſmodi plurima & epithemata, & vnguenta, in calidâ tum ventriculi, tum iecoris intemperie, atque cholerâ morbo enarrauimus, quibus vt ſelectiſſimis vti conueniet, aut roſaceo, vel myrtino oleo, vel cydonior. vel maſtich. vel lentiſc. cui aut ſpica, aut abſinth. aut ſchœnanth. minimum ſit incoctum, & aceti tantillum ſuperacceſſerit: tepidè admoueantur, ſi phlegmone; at frigidiſſimè, ſi eryſipelas iecur obſidet. Quinetiam cataplaſma parabis ex cotoneis, vel malis, vel pyris crudis, tuſiſque, aut ita coctis.

Cataplaſma. ℞. cotonea mala N. ii. Incoque aquâ & aceto, aut aquâ roſ. aut vino aſtringente, exin contundantur, cribro cernantur; poſt hæc adde farinæ hordei ℥iß. roſar. abſinth. ſpodij, & ſantal. omnium an. ʒi. ſpic. nard. ʒß. olei roſ. vel myrt. ℥ii. aceti ℥ß. formentur in cataplaſma, idque tepens impoſitum fluxionem arcet, modò ſæpiùs renouetur, ne contactu concaleſcens & æſtuantem vaporem retinens, officiat. *Epithema.* Aut epithema ex ſuccis portul. cotoneor. capreolorum vitis, ſemperuiu. aqu. roſ. ſantalis, ſpodio, roſis, admiſtâ ſpicâ, aut ſchœn. vel abſint. vel cypero.

Quòd ſi phlegmone non exquiſita, ſed œdematis particeps ſit, ſanguine pituitoſo multo iecoris ſubſtantiam implente, tum parciùs refrigerandum & aſtringendum eſt, ne humor nimium craſſeſcat, & pertinaciter impactus in ſcirrhum firmetur, cui iecur eſt inprimis obnoxium. Quare ita partem illini conueniet.

Vnguentum ſeu litus ad iecoris phlegmonem œdematode. ℞. Ol. roſ. & myrt. an. ℥iß. maſtich. & nard. an. ℥i. cyperi, aloës, roſar. an. ʒiß. ſchœn. & flor. chamæm. an. ℈ii. ceræ parum, fiat vnguentum, quo vngatur hepatis regio, addendo aceti parum, illitûs tempore. In vniuerſum, pro ratione vel adiectæ, vel leuatæ febris, auctique in parte vel repreſſi caloris, refrigerantium modus accedat.

Quæ hactenùs expoſuimus, eò vſque vſurpanda & continuanda ſunt, dum fluxio aliquantulum conſiſtat, & inflammatio non ampliùs increſcere videatur.

Remedia externa ſub finem incrementi phlegmones vſurpanda. Ac tum deinde (ſub finem ſcilicet incrementi ipſius phlegmones) ad alia tranſeundum, quibus miſtæ ſint vires ex aſtringentibus & digerentibus, iuſtâ menſurâ commiſtis, cuiuſmodi eſt cataplaſma ex mali cotonei, in decoctione abſinthij cocti, pulpâ tuſâ, quæ maſtichen, roſam, cyperum, ſpodium, ſpicam, melilotum, chamæm. farinam hordei, oleum roſ. piſtach. vel chamæmel. miſtum exceperit. Cùm id factum biduo triduóve fuerit, (vix enim phlegmone diutiùs viget) neque ampliùs tumor profertur, tum prorsùs mutanda ac nouanda curandi ratio eſt, quâ quod parti inſidet, manifeſtiùs admotis calidis & attenuantibus, digeratur & diſcutiatur, quæ ne vel calore, vel attenuandi facultate viſceris robur ſoluant, aſtringente aliquo & leuiter refrigerante, vt roſâ, aut ſantalo, temperari debent.

Cùm

Cùm ergò coctionis manifestè signa comparabunt, inclinante se morbo, non astringentibus; sed aut digerentibus, aut aliis deriuantibus præsidiis reliqua curatio transigenda. Ea namque temporis occasione, quidquid in parte continetur per proximum ventrem, vicinámque regionem traducendum est, ac opportunè deriuandum. Quamobrem in hepatitide, cùm iam principium morbus statumque præterierit, iecoris caua pars per aluum, gibba per vrinas, omnia denique per loca proxima & conuenientia expurganda. (nam ex aph. 21.i. eò ducendum, quò natura maximè vergit, scilicet per loca conferentia: docet autem anatome, cauam iecoris partem commodiùs per aluum expurgari, quia vena porta cum intestinis maiorem habet cognationem, ex ea enim oriuntur mesaraicæ, quæ terminantur in intestina; partem autem gibbam per vias vrinarias, quia vena caua ex hepatis gibbis emergit, è qua emulgens nata renibus implantatur, è renibus autem per vreteres in vesicam via patens est.) Cùm ergò morbus in summo vigore consistit (iamque adest declinatio) inclinatque tumor in conuexam partem, decoctis admisceto quæ attenuent, & paulo vehementiùs detergant: ita vt ex morbi progressu imminuta astringentium facultate, illorum modus pariter increscat, & euidentiùs intendatur. Quare rad. gram. asparag. rusci, liquirit. Cuscutam, anchusam, adiant. Aliáque capillarium genera, absint. chamæp. sem. frig. maiora, grana halicac. cicera rubra, & similia, denique alia obstructionibus à bile profectis idonea, conuenienter decoctis inseres; aut syr. byzant. endiu. compos. è radic. simpl. & comp. ex aquis fœnic. endiu. apij & bugloss. vel cichor. & lupul. aut apozema in obstr. calida, vel etiam in decrescente nephritide à nobis expositum, si ficûs detraxeris, commodè vsurpabis, tum præsertim cùm iam inflammationis vigor paululum se remisit, ac symptomata non obscurè mitescunt. Sed hoc exemplo fiat illustrius.

Inclinante phlegmone iecoris, quæ remedia sint ex vsu.

Caua iecoris per aluum, gibba per vrinas cōmodiùs expurgantur.

Si inflāmatio iecoris gibba occupet, morbo inclinante, minuēda astringentia; attenuantia verò & detergētia augenda.

℞. Rad. asparagi, gram. rusci, & liquir. an. ℥i. herb. capill. endiu. cichor. agrimon. an. M. i. absinth. & chamæp. an. tertiam partem M. i. passul. mundat. par. xv. sem. cucurb. melon. & cortic. extern. pistacior. an. ʒiii. granor. halicac. & sem. cuscut. an. ʒii. sem endiu. anis. fœnic. an. ʒiß. calam. arom. schœn. an. ʒii. flor. rorismar. melilot. & trium communium, & cicer. rubr. an. p. i. fiat decoctio, & in colat. ℔. i. dissolu. syr. capill. vener. & de succo endiu. an. ℥ii. sacch. ℥i. pulu. diarrh. abb. ℈ii. cinnamom. interioris, aut spicæ ℈i. fiat apozema in tres doses.

Apozema declinatione ingruēte idoneum.

Ita ergò quidquid ab inflammata parte resudauerit, tempestiuè per vrinas deriuabitur attenuantibus medicamentis, initio quidem frigidioribus, dein modicè calidis, quæ vel per se, vel permistione temperata, vix primum gradum transcendant, ne tenui portione dissipata, reliqua obdurescat. Neque enim acria & vellicantia vsui esse possunt, nisi phlegmone aut iam planè deferbuerit, & in abscessum abierit, aut œdematodes sit: hæc enim vehementioribus discutienda est, vt rubia, apio,

Inflamatio œdematodes vehemētiora discutientia requirit, quàm phlegmone exquisita, aut erysipelas.

fœnic. petrosel. asaro, orig. polio, calamint. schœn. calam. arom. capparibus, & cæteris quibus à pituita obstructio tolli solet, vt oxymelite. At in erysipelate aut exquisita phlegmone mitioribus satisfit ; neque in illa temerè prorumpendum , quibus accersita fluxione recrudescit malum , & abscessus intempestiuè rumpitur. Porrò tum temporis non erit alienum, condita, pulueres, & confectiones, nullo caloris excessu aperientes , præscribere , quales in referandis obstructionibus à bile ortis plurimas conscribemus.

Si inflammatio iecoris caua obsideat, inclinétque morbus , quid agendum.

Quòd si concauam potiùs regionem inflammatio obsidet , crebrò aluum mouere conueniet , atque eò materiam euocare medicamentis lenientibus , blandéque expurgantibus : neque enim myrobalanis est locus , obstructionum metu ; neque iis quæ scammon. colocynth. aut turbith recipiunt. Conueniet ergò quod habet in hunc modum.

Potio blandè purgans.

♃. Liquirit. ℥ß. prunor. par. iiij. pulpæ tamarind. ʒiij. endiu. M ß. sem. anis. & apij, an. ℈ij. violar. pug. ij. fiat decoctio in aqua hord. & in colat. ℥iij. infunde rhéi electi ʒiß. cinnam. g. viij. expressione leui factâ, dissolu. cassiæ rec. extr. aut diaprun. lenientis ℥ß. syr. rosat. laxat. ℥iß. misce. Hinc finitimum est quod in calida iecoris intemperie expressum est. Vtilissimum autem in declinatione epithymum, polypodium, carthamum decoctis aperientibus & detergentibus miscere. Aluum prætereà sæpiùs concitare clysteribus , primùm quidem mitioribus ; at inclinante iam morbo acrioribus, in quibus vel hyssop. vel orig. vel cnicum decoxerit, & cathol. ℥i. diaprun. solut. ʒiii. solutæ sint: nisi fortè venter sponte nimiúmque profluat , quod vix aliter quàm lethali pernicie solet accidere.

Clysteres frequentes.

Topica iecori admouenda digerentia, modicè emollientia , cum paucis astringentib.

Huiusmodi ergò est assumptorum ratio , vigente & inclinante malo, consentanea. Inter hæc autem præstantissimum fuerit, dextera parte, sub nothis costis, vnguenta & cataplasmata calida imponere , quæ digerant ac modicè emolliant , quibus obiter astringentium momentum adnectendum, vt tantillum absinth. vel mastic. schœn. cyperi, spic. nard. aut similia, quod monet accuratè Gal. l. 13. method. cap. 15. vbi cataplasmata relaxantia, & discutientia, per se sola reiicienda docet, non solùm ex partis affectæ dignitate, cuius robur perpetuò seruandum , sed & luculenta historia Attali Medici, qui Theagenem Philosophum, iecoris inflammatione laborantem, relaxantibus cataplasmatis meris & solis, ex pane, melle, & farina compositis , ac priùs oleo calente perfusis enecauit. Atque horum quæ extrinsecùs admouentur, efficacior vis inest, si gibba, quàm si caua pars laboret : In hac enim ab assumptis præcipuè petendum est auxilium.

Topica gibba parte affecta magis conueniunt, quàm caua parte laborante.

Cataplasma discutiens.

♃. Passular. conclusis vinaceis (auec les pepins & le marc) quart. i. palmu

palmular. aut ficuum quart. ß. althææ cum toto, si emolliendum; aut polij, aut origan. aut puleg. (Si validè discutiendum) M. i. absinth. M. ß. coquantur in duabus aquæ partibus, & altera aceti, tundantur, ac cribro traiiciantur; deinde adde flor. chamæm. melil. rosar. & violæ purpur. ana p. i. sem. apij, & pulu. irid. ana ʒii. sem. endiu. & portul. ana ʒiß. spic. nard. & schœn. ana ʒi. absinth. sicci, & croci, ana ʒß. farinæ hord. si discutiendum, vel sem. lini, si potiùs emolliendum, ℥ii. ol. chamom. aneth. & de absinth. ana ℥i. vel olei lilior. (Si obdurescat tumor) vel olei rosati, si nondum caloris impetus est repressus, vel irini, & amygd. amar. si validiùs digerendum, parem modum. Omnia cogito in cataplasma; quod tantisper admouendum, donec tumor sit euictus. Opitulabitur quoque epithema, attenuantem & roborantem sortitum facultatem, à quo mox partem illinere iuuat.

Epithema pro iecore.

℞. Aqu. endiu. absinth. capill. vener. ana ℥iiii. vini albi ℥ii. calami odorat. schœn. spic. nard. & celticæ, ana ʒi. iridis ℈iiij. flor. camom. melil. ana ℈ii. rosar. & croci ℈i. puluerentur terenda, fiat epithema, quo foueatur pars calidè; dein admoueatur, quod subiicitur vnguentum.

℞. Ol. pistach. & irini, ana ℥ii. ol. camom. quart. ß. adipis gallin. aut anserini. ℥i. styrac. calamit. ʒiii. ladani ʒii. flor. aneth. melil. ana ʒi. mastich. ℈iiii. spic. nard. schœn. & fol. absinth. sicci, ana ʒß. ceræ parum, fiat vnguentum, cui vnctionis tempore aceti albi tantillum adiicies, & tumorem calidè illines.

Ceratum discutiens.

℞. Comæ absinth. nardi celticæ, asari, croci, ana ʒii. iridis myrrh. styrac. bdell. ammon. ana ℥ß. medullæ cruris vituli ℥i. cerati lentisc. ℔. i. misce.

Emplastrum resoluens, emolliens, roborans.

℞. Aloës, styrac. ana ℥i. mastich. ℥ß. flor. camom. & melil. ana ʒvi. rubiæ, asari, calami odor. ana ℥ß. sem. apij & petros. ana ʒii. spic. & croci, ana ʒiß. rosar. ℈ii. ceræ, & ammon. ana ℥iii. propoleos ℥iß. olei lilior. & irini, ana quantum satis cera in oleo liquetur; dein propolis & ammoniacum aceto solutum, addantur; iis reliqua trita cretáque misceantur, & fiat emplastrum ex arte, quod impositum parti tumorem discutiet. Quibus si in scirrhum vergat, confestim ad malagmata recurrendum, quæ suo capite exponemus.

Atque emplastra & vnguenta ex styrace paranda, ladano ammon. bdell. mastich. mucilag. lini, fœnugr. pulu. irid. chamœm.

ſchœn. ſpic. abſinth. aſari, croci, oleo aneth. ſambuc. irino, amygd. dulc. vulpino, lumbric. adiecta cera, & aceto albo, vnctionis tempore.

Topica in inflammatione œdematode. Aut emplaſtrum è meliloto imponendum, aut diachyl. ireato. At ſi inflammatio fuerit œdematodes, aptiſſimè diſcutitur topicis in obſtructione contumaci citatis.

Signa phlegmones in ſuppuratum abeuntis. *Pus mouētia.* Cæterùm ſi phlegmone minimè digeri poſſe videatur, quin potiùs ſuppuratio in iecinore fit, longiùs excurrente malo, dolor intenditur, horrores ſæpè nullóque ordine oboriuntur, & omnia ſimptomata ingraueſcunt: quamuis autem abſceſſus hic agatur, qui hydropem ſenſim vel atrophiam inferat, auxilia tamen afferemus. Itaque non immutata aſſumptorum ſpecie, quibus tum licebit ficus & dactylos addere, deſcriptum ſuperiori capite vltimum cataplaſma puri mouendo erit aptiſſimum, ſi demptis digerentibus, radicem lilij, & maluam, & adipem anſerinum aut gallinaceum, vel butyrum adieceris. Aliud tamen remedium ſubiungam, ad idem præſtandum efficax.

Emplaſtrum ἐκπυητικόν. ℞. Radic. althæ. decoctæ, ℔ ß. farin. hord. ℥ii. ſem. lini & fœnugr. an. ℥i. adipis anſerini, & anatis, an. ℥iß. cyperi & ſchœn. an. ℥ß. ſpic. & croci, an. ʒi. ammon. in oleo liliorum ſoluti, & ceræ, an. ℥i. emplaſtrum hac forma concinnetur. Adipes & cera in oleo liquentur; iis althæa tuſa cretáque adiiciatur, dein ammon. exin tereb. poſtremò reliquorum pulueres.

Abſceſſum rumpentia. Hoc parti impoſitum ſuppurationem accelerat, vt & in partem affectam decubitus. Confecto pure, pacatíſque doloribus rumpetur abſceſſus validè aperientibus, vt rubia, apio, fœnic. petroſ. aſaro, origan. calament. capparibus & ſimilibus, de quibus in obſtructione diſſerui. Prætereà corporis ſuccuſſu ac violento motu, qualem vomitus & ſternutatio incutit. Deinde rupto abſceſſu, (ſi pus exeat laudabile, bene ſperandum, ſi verò amurcæ ſimile, deſperandum, ex aphor. 45. l. 7. quia indicio eſt carnem hepatis eſſe iam putrem & corruptam) pus aut ſanies

Abſceſſum apertum detergentia blandiora. expurgatur, non acribus, ſed mitioribus, vt ſero lactis, hordei decocto, paſſul. adiant. liquirit. aut eius ſucco, & ſaccharo. Atque ne veſicam puris acrimonia lædat, melonum, cucum. & cucurbit. ſemina, & pap. albi ſemen, maluámque decoctis miſcere iuuat, aut alia quæ renum vlcera demulcent.

Iulepus detergens. ℞. Hord. p. i. liquir. rec. quart. ſummit. malu. endiu. cum toto, hepatic. cap. ven. an. M. i. ſem. melon. & cucum. an. ʒii. ſem. althææ, & malu. an. ʒi. ſem. pap. alb. ℈iiii. paſſul. mundat. par. xx. iuiub. & ſebeſt. an. par. viii. fiat decoctio: in colat. ℔iß. diſſolue ſyrup. cap. ven. & liquir. vel ſacch. candi, an. ℥iii. fiat ſyr. in tres doſes, quo vlcus detergas. Idem præſtabit, ac ſimul dolorem leniet ſequens.

Emulſio. ℞. Emulſionis quatuor ſem. frig. mai. & pap. alb. extract. in decocto hordei & liquir. ℔i. diſſolue ſacch. ℥iii. miſce, vtatur pariter. Omnibus

Lactis potus. porrò partium internarũ vlceribus lactis potio inprimis auxiliatur, eiúſq; recèns mulcti, crudi, ſæpiùs epoti ſuo adhuc calore tepentis, & addito ſacch. roſ.

Cùm

Cùm autem crassior est puris colluuies, eluetur mulsâ, vel hydrom. cui tantillum absinth. incoxerit, succúsve eupatorij sit adiectus. Si quis aloës amarorem minùs fastidit, ea medicamentis aptetur quæ per aluum pus deducant, & muniantur intestina detergente clystere, quale in dysent. præscribi solet.

Detergentia vlcus paulò validiora.

℞. Hord.integr.p.ij.anis. ʒi. ros.rubr.p.i.ß. cortic.myrobal. ʒiij.fiat decoctio: in colat.℔.i.dissolue mellis ros.col.& sacchar.rub.an.quart.ß. vitell. ouor. ij. fiat clyster.

Clyster.

In vniuersum, abscesûs materia per aluum, aut per vrinas, vt diximus, repurganda est, alioquin diutiùs coërcita, & ambientis iecoris membranas exedens, inusitatam sibi viam parat in abdominis capacitatem, & hydropis quandam speciem infert. Postremò vlcus agglutinabitur remediis, quibus ventriculi, aut renum vlcera curantur.

℞. Rad.symphyt.& plantag.ana ℥i.liquirit.ʒvi.equiset.fol.plantag. portul. & polygon.ana M.i. baccar.myrti ʒiij.sem.papau.alb.aut portul. torref.thuris, ana ʒij.hordei torref. p.i. fiat decoctio: in colat.℔.i.dissolue syr.è portul.descriptionis Mesuæ, aut syrup. è rosis siccis, aut myrti, & sacch.rosat.ana ℥iij.troch.de carab. vel de spodio ʒiß.fiat syr.in tres doses. Hausto syrupo, sequens compositio quotidie instar iuglandis accepta, magnum afferet auxilium.

Iulepus vlcus glutinans.

℞. Sacchar. rosat. veteris ℥iij. electar. diatragacant. frigid. ℥ij. granorum halicac. semin. cydon. semin. malu. & althæ. ana ʒiß. corall. rubr. succini, ana ℈iiij. semin. papauer. alb. & gran. myrti leuiter vstorum, ana ℈ij. in pollinem reduc terenda, excipiantur syrup. è portulaca, fiat confectio mollis, singulis diebus exhibeatur, superhaustâ myrti, vel plantag. aquâ. Vel:

Opiata ad idem valens.

℞. Puluer. diatrag. frigid. ʒß. puluer. triasant. ʒi. sacchar. albiss. aquâ halicac. soluti, quantum satis, fiat electar. detur frequenter tabella i. Sed frequentiùs laborans priùs morte consumitur, quàm in hæc fiat progressus.

Tabellæ ad vsum prædictum.

Præduros autem tumores, & eas quas multa cruditas, & pituita gignit, & omnem flatulentam distensionem anteà curauimus. Nunc cæteros iecinoris affectûs breuiter percurramus, móxque similes lienis, vt ab iis in grauissima symptomata descendamus, quæ vtriusque partis vitio nasci consueuerunt.

CAPVT XIII.

Iecoris Obstructio, ἔμφραξις Græcis, Barbaris Oppilatio.

IEcur etiam plerumque graui obstructione, & quàm cætera viscera grauiùs, contumaciúsque infestatur, tum ob venarum angustiam (namque

Cur iecur infarctibus adeò sit obnoxium.

portæ, cauæ, & vmbilicalis radices propè infinitæ per vniuersum hepatis corpus ſparguntur) tum denique ob parenchymatis craſſitiem. Et vt id ex craſſo ſanguine concreuit; ſic ſanguine craſſo nutritur, imò craſſiore quàm lien, propterea ſcribit Galenus lienem, ſanguinem quidem trahere craſſiorem quàm hepar, ſed nutriri tenuiore. Obſtructio autem iecoris, ἔμφραξις Græcis, oppilatio vulgò; morbus eſt in meatu ſeu in via: & nihil aliud eſt quàm venarum iecori inſitarum obturatio, per quam nec chylus liberè ad hepar tranſmitti, nec ſanguis confectus egredi, diſtribuíque poteſt. Huius verò interiores cauſæ ſunt humorum copia, lentor, atque craſſities, aliàs quidem è cerebro & ventriculo in iecoris portas tranſlata; ſæpiùs verò ab externis cauſis, vt ex alimentorum quantitate profecta, aut lenta, craſſioréque eorundem ſubſtantia, vt carne bubula, ceruina, leporina, ſuilla, caſeo, lacte, placenta, ex lacte potiſſimùm, ex caſeo, pane azymo, pulticula ex lacte & farina, aliíſque id genus. Præſertim cùm violenta exercitatione, equitatu, balneis, crudus cibus ab æſtuanti viſcere intempeſtiuè rapitur; vel nondum confectus attenuantium vi in exiles venas impellitur: qualia ſunt piper, cinnamomum, & quæ concoctoriis pulueribus inſeri ſolent. Quinetiam bilis flaua in iecore nimiùm exuperans, nec tempeſtiuè à cyſtide repurgata, nec ſuo tempore in cyſtim coniecta, ſupra modum craſſeſcit, & longiore mora anguſtias hepatis intercipiens, diuturnas & admodum contumaces obſtructiones inducit.

Lib. 4. de Vſ. part. c. 15.

Obſtructio iecoris quid.

Obſtructionũ iecoris cauſa.

Signa obſtructionis iecoris, eorúmque cauſæ.

Ex prægreſſis autem cauſis euidentibus ſuſpecta obſtructio eſſe poteſt, quam manifeſtiùs patefaciet grauitas & diſtentio, obtuſúſque dolor dextra hypochondriorum parte perceptus, maximè cùm quis mox à cibo exercitationem ſubit. Hæc verò interdum cum tumore eſt, quoties humor copioſior non ſolùm venas, (quanquam frequentiſſimè venæ duntaxat obſtruuntur, quippe harum morbus obſtructio propriè eſt, ideóque Galenus 5. de loc. aff. cap. 6. obſtructiones, inquit, in hepate à craſſis fiunt & viſcidis humoribus, idque in extremis vaſorum finibus, quæ ex venæ ipſius portæ ramis tenuiſſimis exoriuntur: cum quibus alij non minùs tenues è caua vena iunguntur, per quas omne alimentum traduci & exportari debet,) ſed etiam viſceris ſubſtantiam implet, & obſtruit: at ſæpiùs citra hunc, nullaque vrgente febri accerſita. Cùm vetus obſtructio eſt, alienus color, maximéque citrinus faciem & oculos inficit, interdum etiam pallens, nonnunquam liuidus & nigricans, qui humorem teſtatur. Vrina ſæpiùs pauca redditur, eáque tenuis & aquoſa, præſertim ſiquando pars gibba magis obſtruatur, quòd obſtructis ductibus nihil cum ſero præterlabatur. Interdum tamen craſſa atque rubra & obſcura apparet, adeò vt propè nigreſcat, maximè cùm vel iecoris, vel folliculi fellis ingens eſt obſtructio, ob quam bilis in venas & in vrinas confluit. Augeſcente malo corpus, artúſque ingraueſcunt,

grauescunt, & motus pigrior euadit: ipséque nonnunquam spiritus difficilior redditur, præsertim cùm æger ascendere contendit; & tussis sæpè vrget, quia premitur diaphragma. Quum autem iecoris caua, & mesenterij venæ pleniùs obstruuntur, intercepto ad iecur, aditu continenter ab aluo liquida, subalbida, & chyli seu cremoris speciem adepta exeunt; chylus enim non distribuitur, nec corpus accepti alimenti beneficium sentit. Quis verò humor obstructionis sit auctor, deprehendes ex iis signis, quæ humorum exuperantias & iecoris intemperiem declarant. Tumet porrò frequenter iecur, etiam sine scirrho, quoties aut flatu, aut humore quodam crasso ac lento impletur, quem sæpè in proprias, ambientésque membranas solet excutere, hoc enim imbutum viscus, turgidum ac tumens apparet. Tumor tum dextro hypochondrio insidet, plerumque incredibili mole assurgens, non admodum tamen renitens, nec vt in scirrho durus, nec dierum tam longo numero congestus: & qui à flatu exurgit, breui admodum tempore; qui verò ab humore, prolixiore spatio contrahitur: hic renixu, grauitatísque pondere; ille distentionis sensu euidentissimus, quem prætereà flatus effectrices causæ præcesserunt. In vtroque respiratio frequentior, & difficilior, præsertim in cursu & labore, aut cùm ventriculus cibo turgens, diaphragma premit. Nunc curationi locum demus.

Signa obstructorum cauorum iecoris, & venarum mesaraicarum.

Tumoris iecoris sine scirrho causa.

Signa tumoris iecoris sine scirrho.

Curatio.

Iecoris obstructio magni est momenti, etenim qui ad iecur sunt aditus, nî liberi, expeditíque sint, præpeditur sanguinis in vniuersum corpus distributio, vnde hoc alimenti penuria colliquescit, & atrophia consumitur. Sed & humor in visceris corpus redundans, illícque obdurescens scirrhos gignit, aut bilis ductûs implens & obturans, icterum profert. Interdum etiam natiuo calore partis angustiis intercepto cruditates fiunt, hydropsque consequitur, aut putredo, ex qua febris. Has igitur quàprimum expedire oportet, ac infarctos explicare meatus. Antequàm autem curationem aggrediare, cognoscenda causa est quæ obstructionem fecit. Obstructio enim quæ à vasorum fit plenitudine, & sanguinis copia tenues iecoris venas præcludente, facilè sectione curatur, aperta basilica è directo cubiti vena; aut in suppressis mensibus, sectâ eâ quæ vel poplitis vel malleoli est: per hanc detracto sanguine, & natiuo calore liberaliùs ventilato, mala arcentur quorum discrimen impendebat. Itaque venæ sectio obstructiones expedit, non quidem omnes, sed eas quæ ex sanguinis multitudine contractæ sunt: quæ verò ab aliorum humorum, aut crassitie, aut lentore processerunt, non venæ sectione, sed per se detergentibus, incidentibus, & aperientibus delentur. Obstructione autem & infarctu liberant detergentia & incidentia, quæ crassos humores attenuant,

Prognostica.

Ante curationem, cognoscenda obstructionis causa.

Obstructionis ex plethora venæ sectio remediũ.

Obstructio ab humorib. crassis aut lentis, detergentia & incidentia indicat.

attenuant, lentoſque abſtergunt, obſtructionis auctores: at quæcunque id præſtant, vel alimenta vel medicamenta ſunt. De alimentis, pòſt; nunc de medicamentis agamus: Atque horum alia intrò ſumuntur, alia admouentur; & in vnoquoque genere alia ſunt calida, alia frigida: quum iecur frigida intemperie, ſimulque obſtructione tenetur: vt ſimul iiſdem remediis ſanetur, è multiplici aperientium copia deligenda ſunt, quæ vnà calfaciunt & detergendi, attenuandique facultatem cum calida temperie coniunctam habent, relicto moderatæ aſtrictionis veſtigio, pro partis dignitate & præſtantia. Quemadmodum è contrario ſi bilis exuperantia calidius iecur infarctum eſt, id ab infarctu liberant non omnia indiſcriminatim, ſed quæ in frigidis attenuant, & detergunt, vt proinde citra vllam vim caloris ſtrenuè obſtructiones reſerent, ſeruato nihilominus partis principis robore.

Ecphractica medicaměta alia calida, alia frigida.

Ecphracticorum calidorum ſylua.

Prioris quidem claſſis ſunt radices apij, petroſelini, fœniculi, harumque ſucci, quorum inſignior calor mitiorum permiſtione nonnunquam temperatur, vt aſparagi, graminis, ruſci: his ſuccedit agrimonium, fumaria, lupulus, adiantum, polytrichum, aliaque capillarium genera, quæ cum calore ſint mediocri, omni exuperanti humori, omnique iecoris intemperiei promiſcuè accommodari poſſunt, quemadmodum etiam abſinthium, tametſi euidentiùs calet. Sed efficacior aperiendi vis ineſt iis quæ obſtruenti duntaxat pituitæ deſtinantur, cuiuſmodi cenſentur praſſium, chamædrys, chamæpitys, origanum, calamenthum, pulegium, hyſſopus, pimpinella, piloſella, polium betonica, ſemina fœniculi, apij, petroſelini, flos geniſtæ, cicer rubrum, atque alia quæcunque vrinas mouent, vt cortex radicis cappatis. Ad hæc quæ non ſolùm obſtructa reſerant, ſed etiam iecoris robur euidentiùs tuentur, cyperus, galanga maior, ſchœnanthos, calamus arom. ſtœchas, roſmarinum, cinnamomum, nardus, ſpica celtica, crocus, piſtacia, eorumque cortex; & in lenientibus vuæ paſſæ, tota ſubſtantia iecinori familiares. Quibus accedunt nonnulla alia è propriò ſplenicorum remediorum penu deprompta, tum maximè neceſſaria, cùm inueterata obſtructio mitioribus vel iteratis non cedit, vt cortex radicis capparum, tamariſc. caſſutha, aſplenium, & lauri radicis cortex. Denique cùm ex obſtructione, hydropis vel præſentis, vel impendentis ſuſpicio fuerit, iris, gentiana, azarum, rubia, eryngium, quæ vrinas mouent, aut menſes exciunt, & peculiari quadam ſimilitudine, iecur lupi. In iis autem experiundis à mitioribus ad vehementia progrediendum, quibus perpetuò quiddam parti tota ſubſtantia familiare miſcendum, quod ipſius robur conſeruet, niſi id aperientibus natura ſit inſitum, vt ſimul partis conſtantiam tueantur, quæ quia citra vllam viſceris principis offenſionem conuenienter obſtructa reſerant, omnium ſunt præſtantiſſima. Ex iis componuntur, extántque ſyrupi, conſeruæ, electuaria, & trochiſci: huiuſmodi ſunt ſyrupus capillorum veneris, ſyrupus è duabus radicibus, ſyrupus è quinque radicibus, ſyrupus de eupatorio,

A mitioribus ad vehementiora ecphractica progrediendum.

Cõpoſitiones ecphractica calida.

eupatorio, oxymel ſimplex, compoſitum, & ſquilliticum, trochiſci de eupatorio, trochiſci è capparibus, aut de abſinthio, trochiſci è rhabarbaro, & conſerua capillorum veneris, conſerua radicis iridis, conſerua radicis apij, florum tamariſci, florum geniſtæ, adiectis corroborantibus, vt conſeruâ florum roriſmarini, & cortice citri ſaccharo condita. Atque hæc quidem præſtantiſſima ſunt, dum pituitoſus humor, multáque cruditas in prætenues venas rapta, viſceris obſtructionem gignit, ſiue in vniuerſum ipſius corpus redundans magnum prætereà tumorem infert. Si verò bilis flaua illic diutius coërcita & craſſeſcens, illius auctor eſt, quæ deinceps ſunt in aperientium ordine moderatè refrigerantia imperentur: quippe ſimul & bilis acrimoniam retundunt, & attenuando, detergendóque, intercluſas iecoris vias expediunt. In quo genere cenſentur gramen, acetoſa, hepatica, cichoreum, endiuia, quatuor ſemina frigida, rubentia halicacabi grana, & quæcunque iam priore huiuſce tractatûs capite pleniùs expoſuimus, tum quæ à mediocritate in calidum obſcurè deflectunt, vt fumaria, lupulus, agrimonia, adiantũ, polytrichum, aliáque capillarium genera, glycyrrhiza, ſerum lactis, & ex accidenti rhabarbarum, & abſinthium, quadam frigidorum permixtione temperata. In compoſitis, ſyrupus endiuiæ tum ſimplex, tum compoſitus, oxymel ſimplex, oxyſaccharum, ſyrupus è limonibus, è citrei mali ſucco, ſyrupus oxalidis, additâ conſeruâ adianthi, & eiuſdem ſyrupo: Interdum etiam paulò calidioribus, etſi bilioſus humor eſt, quandoquidem vix ſincera bilis obſtructione intercludi poteſt, quin pituitæ lentore quodammodo ſit aſperſa, aut hæc excretionis vias intercipiat. Huiuſmodi ad reſerandas cuiuſque generis obſtructiones habetur remediorum materia.

Ecphracticorum frigidorum ſylua.

Compoſitiones ecphracticæ frigidæ.

In iis autem adminiſtrandis cautio etiam atque etiam adhibenda, ne vlla impuritas ventriculo & primis venis inſideat: quas partes primo quouis tempore expurgare oportet, ne aperientium impulſu è ventriculo in meſenterij venas, aut ex iis in anguſtiores iecoris meatûs noxij humoris fiat traiectio; præſtat enim vitioſi humoris parte aliqua detractâ ad extergendas obſtructiones accedere, quàm intempeſtiuo attenuantium vſu illas ingeminare. Sic quidem opportunè aperientia imperentur, vt ventriculus primæque venæ, nec vllâ humoris corruptelâ, nec cruditate, nec cibo ſemicrudo confectæ ſint. Quocircà antequàm obſtructionem aggrediare, conuenienter è ventriculo & inteſtinis mitiore medicamento deturbandus erit vitioſus humor, ne attenuantium vi tranſmotis humoribus obſtructiones ingraueſcant, & contumaciùs obfirmentur. At verò coniuncta morbi materia, ſeu impurus humor obſtructionis auctor, antequàm expurgari queat, diligens eſt adhibenda præparatio, quâ viæ pateant, & humor aperientibus attenuatus ac deterſus trahenti medicamento cedat.

Ante ecphracticorum vsũ, mitiore medicamento purgandum eſt primas vias.

Quamobrem in omnibus obſtructionibus, primùm quidem initio humorem publicis viis ſubſiſtentem detrahere; ſecundò, quæ obſtructa ſunt reſerare mitioribus; tertiò humorem obſtructionis auctorem expur

Humor obſtructionis cauſa, præparandus primùm, tum pleniùs purgandus eſt.

expurgare oportet; quibus si contumax & inueterata obstructio non vincitur, interposito temporisspatio quæ altiùs infarcta pertinaciter hærent, rursum aperientibus, iisque vehementioribus adoriri. Postremò iteratâ purgatione funditùs eruere: Is esto curationis progressus. Nunc propositis præscriptionum formulis curationem exequamur, à frigidâ obstructionis causâ auspicati. Primùm sequens clyster.

Remedia interna obstructionis iecoris à frigida causa.

Clyster.

℞. Althææ, maluæ, parietariæ, mercurialis, an. manipul. i. passular. mundat. part. xx. caricarum pinguium, Numer. viij. seminis fœnugr. ℥ß. anisi, fœniculi, ameos, & cumini, an. ʒii. florum stœchad. chamæpityos, & rorismarini, an. p. i. fiat decoctio: in colatura dissolue mellis anthosati ℥ii. olei chamæmelini & nardi; aut de lilio & anethi, an. ℥iß. diaphœnici, aut hieræ picræ ℥i. fiat clyster, iniiciatur ante omnia. Atque si facilis est vomitio incitanda, hauftâ potione vel aquæ, vel hydrælæi tepescentis pondo selibræ, cui incoxerit anethum, & cumini tantillum, additâ sescuncia aut acetosi syrupi, in biliosa materia; aut oxymelitis vel simplicis, vel scillitici, in pituitosa; aut pilulæ dialoës ad ℈ii. adiecto agarici ℈i. dandæ, aut medicamentum in frigida iecoris intemperie descriptum, detracto rhabarbaro, & syrupo rosato. Quæ enim astringendo purgant, lentos humores altiùs impingunt, nec morborum, quos obstructio fouet, principiis vsquam aptari possunt. Ita quidem expurgato ventriculo mox aperientibus syrupis facienda via est.

Emeticum blandissimū, aut minoratiuum pharmacum.

Apozema aperiens.

℞. Quinque radicum aperientium in vino albo maceratarum, an. ℥i. corticis radicis tamaricis, & capparis, eodem modo infusorum (præcipuè si consentiat lien) an. ℥ß. aut radicis acori vulgaris, rubiæ, aristolochiæ, vel eryngij (si crassus sit humor, vel menses subsistant) parem modum, chamædryos, chamæpityos, origani, calamenthi, pulegij, herbarum capillarium, fumariæ, endiuiæ, summitatum lupuli, agrimonij, pimpinellæ, an. manipul. i. passularum mundatar. part. xx. anisi, fœniculi, seminis apij, & petroselini, an. ʒii. seminis melonum & cucurbitæ, an. ʒiii. (vt illorum temperet acrimoniam) florum stœchad. genistæ, & tamaricis, & cicerum rubrorum, an. p. i. fiat decoctio in duabus partibus aquæ, & vnâ vini albi, id affundendo sub coctionis finem, & in colaturæ ℔ii. dissolue sacchari albi q. s. pulueris cinnamomi interioris ʒii. fiat apozema clarificatum ad quinque doses, aut quò iucundius euadat, colo Hippocratico vocato transfundatur, dum inclarescat. Hyeme verò in ipsa herbarum penuriâ hic comparabitur.

Iulepus.

℞. Syrupi è quinque, vel duabus radicibus ℥iij. syrupi capill. vener. & oxymelitis simplicis, vel diuretici, vel protracto malo scillitici, an. ℥ii. aquarum fœniculi, betonicæ, & endiuiæ, vel absinthij, an. ℥iiij.

aquæ

aquæ capillorum veneris, an. ℥ij. pulueris diagalangæ, vel cinnamomi, ʒiß. fiat syrupus in quatuor dierum potionem distribuendus. Præparatus in hunc modum humor obstruens, sequenti cathartico dein euacuandus.

Potio cathartica. ℞. agarici recenter trochiscati, & rhabarbari electi, an. ʒi. cinnamomi interioris ℈ß. infundantur in vino albo, & factâ leui expressione dissolue diaphœnici, (aut pro robustioribus, indi maioris) ʒiij. syrupi capillorum veneris, aut oxymelitis simplicis ℥i. præscripti apozematis, aut aquarum apij & cichorij, an. q. s. fiat potio, detur. *Catapotia.* Vel pilularum formâ ex duabus partibus agarici, & vnâ pilularum de hiera, adiectis si vis, diagridij g̃. iij. in robustiore corpore, aut trochisc. alhandal pari modo. *Terebinthina.* Postridiè à medicamento, ʒii. terebinthinæ Venetæ quæ detersione pollet, dentur. Et si vetustior & contumacior fuerit interiorum viscerum obstructio, ex Guaiaci iusculo præscriptum apozema vtiliter parabitur. *Guaiaci decoctum.* Quum autem magna attenuandi, & in distantissima penetrandi vis desideratur, qualis in obstructo liene, aut inueterato ictero, aut hydrope requirimus, purgatione præmissâ huiusmodi aperientibus decoctis valentiora commiscemus, qualia sunt iris, galanga crassa, peucedanum, rubia, eryngium, aristolochia, helenij radix, & multa alia quæ menses, vrinásque cient, *Menses vrinásque cientia.* præsertim si gibbam iecoris regionem obstructio magis obsidet. Initio tamen mitioribus agendum, ex temporum interuallo repetitis.

Alternatim aperiendum, ac purgandũ; aut vtrũque simul præstandum. Assiduus enim aperientium, præsertim vehementiorum vsus non parum lædit; éstque ab iis vicissitudine quadam ad purgationes redeundum, à quibus rursum ad aperientia transgredi oportet, dum tandem pateat aditus, omnísque obstructio sit euicta. Interdum mixturâ quadam iunguntur apozematis purgantia quædam, vt superiori si addamus semen carthami seu cnici, foliorum sennæ mundatorum, & polypodij quercini recentis, an. ℥iß. interdum etiam agarici albissimi, in colatura calente macerati ʒiii. aut ℥ß. zinziberis & caryophyllorum, an. ʒi. ídque tum maximè faciendum, vbi pertinacior obstructio non vni purgationi cessura speratur. Idipsum quoque sequentis pulueris descriptione compleri potest.

Puluis in pilulas redigendus. ℞. hieræ picræ ʒii. agarici, turbith, an. ʒiii. zinziberis, spicæ, zedoariæ, asari, anisi, cinnamomi, croci, succi eupatorij, succi absinthij, an. ʒß. aloës hepaticæ ʒiiij. conficiantur ex succo apij, aut oxymelite pilulæ mitissimæ sunt ad ʒi. aut ℈iiij. sumptæ ter in mense: quarum vice pilulæ, è rhabarbaro Mesuë dari possunt.

Inter hæc aperientibus & vrinas cientibus est locus, dum iecur obstructione liberetur. Hanc autem non syrupis tantum, aut apozemate, sed etiam opiatis, pulueribus, & electuariis, quanquam ignauiùs reseramus, quod liquida altiùs in penitiores corporis recessûs penetrent. *Liquida reserandis obstructionibus aptiora.*

Opiata.

℞. Conseru. capill. ven. & radicis apij, an. ℥i. conseru. florum cichorij ʒvi. conseruæ florum genistæ, & tamaricis, an. ℥ß. pulueris diarrhodonis abb. & trochiscorum de eupatorio, an. ʒi. trochiscorum de capparibus, & cinnamomi interioris, an. ʒß. cum syrupo è quinque radicibus, reducantur ad formam opiatæ, ex qua detur magnitudo castaneæ quotidie mane superbibendo parum vini albi aquâ graminis & apij diluti. Idem præstat cicerum rubrorum ius, in quo radices apij, petroselini, & cichorei coxerint, ieiuno datum; aut consentiente liene flos tamaricis, vel serum lactis, in quo flores sambuci recentes præmaduerint splenicis quoque aptissimum; aut terebinthina detersione pollens, sesquidrachmæ pondo accepta. Radix chamæpityos contusa & saccharo condita, aut melle confecta, non obscurè prodest. Euidentissimam verò syrupus hic aperiendi vim habet.

Syrupus aperitiuus.

℞. Succi apij, succi eupatorij, & succi cichorei depuratorum, an. ℥iii. aquarum fumariæ & capillorum veneris, an. ℥iiij. sacchari albissimi ℥v. coquantur ad consistentiam syrupi, addendo colaturæ cinnamomi ʒiß. Nec secùs stillatitia raphani aqua, eiúsque semen decoctis impositum iuuat, & icterum discutit.

Raphani aqua.

At si vetus est & pertinax iecoris vel lienis obstructio, vt in hydrope, præter trochiscos è capparibus, aut de rhabarbaro, aut de eupatorio, præferuntur remedia alia omnium vehementissima, vt trochisci hedychroon, (ἡδύχροον, ἀπὸ τοῦ ἡδύνειν, quod est suaue & odore gratum facere, quia magma hoc in pastillos digestum multis aromatis constat: ἡδὺς, εος, suauis est, iucundus; χροῦς, τοῦ χροὸς, corpus significat: vnde ἡδύχρουν & ἡδύχροον μύρον, hedychron ac hedychroon vnguentum. Dioscor. l. 1. cap. 70. Sed & quod hedychroon cognominant, inquit, quódque electuarium ex eo præparatur, easdem vires, eundémque præparandi modum cum Amaracino obtinet, at odoratius existit. Hæc ille. De trochiscis autem hedychroi magmatis ab Andromacho inuentis, scribit Galenus tum primo de antidot. tum etiam libro de theriaca ad Pisonem: quia autem illi ex multis constituuntur aromatis, quæ non solùm infarctu liberant, sed & iecoris robur manifestè tuentur, vt aspalatho, schœnantho, calamo arom. costo, xylobalsamo, opobalsamo, cinnamomo, nardo, croco, aliísque, idcircò hîc vtiliter vsurpari posse existimamus, etsi hoc à nullo, quod sciam, fuerit vsurpatum. Cicero 3. Tuscul. sic ait: eripiamus huic ægritudinem: quomodo? collocemus in culcitrâ plumeâ, psaltriam adducamus, hedychrum incendamus, demus scutellam dulciculæ potionis; aliquid prouideamus & cibi.) Electuarium diacurcuma, & dialacca, quæ ne lædant, sunt mitioribus quibusdam & corroborantibus, vt puluere diarrhod. abb. aut aromatici rosati, necessariò temperanda,

Trochisci hedychroi.

atque

atque ne ingrato ſapore offendant, aut difficiliùs ſumantur, aliquorum ſuauitate condienda erunt, vel pilularum formâ imperanda.

℞. Trochiſcorum de eupatorio ℈ii. trochiſcorum de rhabarbaro, & trochiſcorum hedychroi, vel diacurcuma, ana ʒß. pulu. diarrhod. abb. ʒi. malaxentur cum ſyrupo endiuiæ compoſito, & formentur pil. vi. pro drachma: dentur quatuor ieiuno ventriculo manè, poſteà bibendo parum vini albi, diluti aquâ cichorei & graminis. *Pilulæ ecphracticæ.*

Hæc aperientia humoris obſtruentis reliquias è iecore per vrinas deriuant; ſed multò efficaciùs puluis ſequens.

℞. Rubiæ infectorum ℥ß. ſpicæ nardi, ſpicæ Celticæ, & acori veri, an. ʒiij. myrrhæ, aſari, phu, pontici rhabarbari, ſeminis apij montani, an. ʒii. glycyrrh. ſiccæ, ſchœnanth. aſplenij, abſinth. ſicci, caſſuthæ, teucrij, vel polij, an. ʒiß. croci ʒi. pulueruentur tenuiſſimè, quò altiùs, celeriúſque vis permeet, dentur ℈ii. aut ſemidrachma ex vino albo; vel melle excepta nucis magnitudine offeratur. In id quoque theriaca vetus vtiliter datur. *Puluis obſtructionis reliquias per vrinas educens.*

Ita ſolutis obſtructionibus, viſcus ipſum electuario diarrhodon abbatis, adiecto lupi hepate arefacto, roborare oportet, vt ſi calidior cauſa fuerit, triaſantalon. Hæc in aſſumptis obſtructiones iecoris, omnéſque ab humore craſſo & lento tumores euellunt, modò nondum in ſcirrhum peruenerint. Eadem quoque omnem flatulentam & à multa cruditate ortam viſceris diſtentionem facillimè diſcutiunt, aucto aromatum pondere: Hîc namque & diagalanga, & diacyminum, & diacalaminth. & diatriumpipereon, & vt ſummatim rem complectar, quæcunque in flatulento ventriculi, aut coli dolore præſcribuntur, vſui eſſe poſſunt, nunc admota percurramus. *Theriaca vetus.* *Iecur roborantia.* *Flatus diſcutientia.*

Admota.

In admotis fotus, vnguenta & emplaſtra huic affectioni deſtinantur.

Fotus.

Foueri quidem obſtructâ pars interdum poteſt decocto aperientium radicum, cyperi, gentianæ, aſari, calaminthæ, betonicæ, chamæpityos, ſeminum diureticorum, cuſcútæ, meliloti, iniecto ſub finem vini albi quadrante, aut ex aquis epithema parari, apij, fœniculi, chelidonij & cichorij. In quibus ſpica, cyperus, ſchœnanthos, calamus arom. abſinthium ſiccum, caſſuthæ ſemen, cinnamomum, ac ſimilia efferbuerint. Deinde abſterſo loco ſequens vnguentum imponatur.

Vnguentum.

℞. Olei nardini ℥iij. olei irini, & de absinthio, an. ℥iß. ſucci apij ℥i. ſucci agrimoniæ ℥ß. coquantur ad ſuccorum conſumptionem: deinde adde ſpicæ nardi & ſchœnanthi, an.ʒiß. aſari, ariſtoloch. ſeminis apij, & petroſelini, an. ʒi. abſinth. ſcolopendrij, & cinnamomi, an.℈ii. cyperi, roſarum rubrarum, an. ʒß. ceræ q.ſ. fiat vnguentum, quo vngatur regio hepatis, hora vnâ aut duabus ante cibum; addendo vnctionis tempore, aceti parum: vel vngatur oleo de ſpica, amygdalarum amarar. & de abſinthio commiſtis. Aut ſi iis euelli obſtructio nequit: adde præſcripto vnguento radicis rubiæ, & gentianæ, an. ʒi. croci ℈ß.

Olea ad litum. Emplaſtra. Olea item conueniunt, in quibus helenij, iridis, gentianæ, apij, chamæpityos radices coxerint, affuſo vino albo, ad ipſius conſumptionem. Aut centaurij minoris folia, ſi vetuſtior ſit obſtructio. Emplaſtra ex iiſdem, maximéque ex ſeminibus aperientibus myrrhâ & aloë exceptis, facilè componi poſſunt. Hepar hœdi vel agni, recèns mactato animante euulſum, proprio adhuc calore tepens, & iecori imbecillo ex obſtructione ſuperimpoſitum, id confirmat, & infarctu liberat, atque dolores lenit, at ſi à cruditate multâ, interceptóque flatu viſceris tumor eſt, tum equidem fomentis diſcutientibus vti par eſt, qualia ex anetho, aniſo, ſeſeli, chamæmelo, meliloto, ſpicâ, ſchœnant. eupatorio comparantur: aut ſacculi è furfure & anetho, multáque alia è colicis deprompta tempeſtiuè in vſum veniant, minimâ aſtringentium portione confirmato partis robore. Hac methodo, iiſque auxiliis tum ſimplex ex frigidâ causâ iecoris obſtructio, tum etiam cum tumore perſanatur.

Tumori à flatibus fotus diſcutientes, additis roborantibus nonnullis.

Nec diſſimilem vel medendi rationem, vel remediorum formam requirit, cùm ex bile craſſiore inducitur. Primùm enim mouenda aluus, tum clyſtere ex decocto emolliente, cui caſſiæ aut catholicon. ℥i. & diaprunis lenientis ſemuncia inſit; tum bolo laxante, priori huiuſce tractatûs capite deſcripto: aut vomitione expurgandus ventriculus, ſi ſurſum vergit humor. Ab hoc ſecundum eſt, lentam & viſceribus adhærentem bilem eruere, moderatè incidentibus & detergentibus è frigidorum aut temperatorum ordine depromptis, vt apozemate aut ſyrupo, quo eodem priori capite bilioſum humorem ad purgationem præparari diximus, permixtâ tamen moderatè calidorum portione, quâ illorum vis exacuitur, efficaciúſque obſtructio reſoluitur. Nam bilis etſi calida, plerumque tamen iecur obſtruens, tenax craſſiórque eſt, vt in ictero: ſæpiùs etiam interclusâ bile, exilium venarum obſtructio à pituitoſis eſt humoribus, vt pituitoſus quidem ſit qui obſtruat, bilioſus verò qui infarctis meatibus retinetur in viſcere: quare iis, quæ refrigerando pariter detergunt, & attenuant, nonnulla expediendis obſtructionibus idonea

Remedia interna obſtructionis iecoris à cauſa calida.

Aliquando in iecoris obſtructionibus bilis intercluditur, pituitoſo humore vaſorum ora infarciente.

per

permiſceri debent, aliàs pari, aliàs impari menſurâ, quam antecedentis vitæ ratio, & habitus definiet, hoc modo.

Apozema, iecoris obſtructiones reſerans, & ictero accommodatum.

℞. Radicis oxalidis, ruſci, aſparagi, graminis, an. ℥i. radicis petroſelini, & apij, an. ℥ß. ſummitatum fumariæ, lupi ſalictarij, turionum aſparagi, (ſi tempus ferat) agrimoniæ, endiuiæ, totius cichorei, omnium capillarium, an. manipul. i. betonicæ, calaminthæ, aut origani, & caſſuthæ, an. manipul. ß. ſeminis melonum & cucurbitæ, an. ℥ß. granorum halicacabi, aniſi, fœniculi & petroſelini, an. ʒß. paſſular. mundat. prunorum dulcium, ana par. xij. trium florum communium, & cicerum rubrorum, ana part. i. coquantur in aquæ fontanæ ℔. iii. ad medias: colato & expreſſo iuri adde ſacchari albiſſimi quantum ſatis, pulueris triaſantali ʒi. cinnamomi ſelecti ℈i. fiat ſyrupus mediæ coctionis, clarificatus in quatuor doſes; reliquum ſeruetur vſui. Si feruentior ſit humor, aut obſtructioni iuncta febris, portione calidorum detractâ, vtiliſſimum, eſt, colaturæ ſucci citrij mali, aut aceti albi ℥ii. aut ſyrupi de acetoſitate citri, aut oxalidis, aut acetoſi ſimplicis, aut punici mali ℥iij. affundere, ſaccharo haudquaquam detracto: vel radices aceto macerare.

Quinetiam alienum non eſt, in febribus hordeum apponere, dum tumor viſceri non inſit. Ita quidem pro ratione vel adiectæ, vel leuatæ & abſentis febris calidorum modus adferendus. Atque vbi inueterata obſtructio eſt, non pigeat eupatorij aut lupuli ſuccum percolato ſuperiori decocto adnectere. Quum autem hyemis iniuriâ virentium herbarum poteſtas non datur. Sic extempore parabis.

Pro ratione febris maioris aut minoris, calidorum remediorum modus ſtatuendus.

Iulepus.

℞. Syrupi acetoſi ſimplicis, & endiuiæ compoſiti, an. ℥ii. ſyrupi de acetoſitate citri & capillorum veneris, an. ℥i. aquarum graminis, fumariæ, & lupuli, (aut huius loco, ſi cephalalgiæ ſit obnoxius, aquæ cichorij) an. ℥iiij. pulueris ſantali citrini, & cinnamomi interioris, ana ʒß. Miſce pro trium dierum hauſtu. His citra vllum incommodum, ſeruatóque iecoris robore, ab humore bilioſo inducta obſtructio deletur; quibus non modò ſemel, ſed ſæpiùs etiam pro rei neceſſitate expedit vti, purgatione ſubinde interiectâ, quæ quod deterſum eſt, præparatúmque protinus in aluum exigat. Purgatio autem fit huiuſmodi.

Potio purgans.

℞. Rhabarbari electi in aqua endiuiæ, aut ſero lactis caprini infuſi & expreſſi ℈iiij. cinnamomi electi gr. viij. diapruni laxantis ʒii. ſyrupi roſati ſolutiui ℥iß. aut ſucci roſarum, ℥i.

ſaccha-

ſacchari ℥ß. colaturæ præſcripti apozematis quart. i. vel aquæ graminis & cichorei, ana quart. ß. Miſce, detur.

At cùm quis medicamenta reſpuit, hoc ipſo ſuauiſſimè purgationem complebis.

Alia ſuauiſſima. ℞. Seri lactis, in quo ſemen carthami noctis ſpatio præmaduerit, ℥iiij. in colaturâ diſſolue diacrydij g̃. viii. aut ix. detur. Cinnamomi, aſari, an. g̃. vi. commodè infunduntur ſero, & ſacchari ſemuncia adiicitur: poſtridie tabella vna triaſantali exhiberi debet; Aut ſequens opiata ſuperiori capite deſcripta, demptis aſtringentibus.

Opiata.

℞. Conſeruæ capill. veneris, & florum cichorij, an. ℥i. conſeru. oxalidis ʒvi. radicis apij (ex accidenti, reſeratis arctioribus viis, refrigerat) ℥ß. vel ſcolopendrij, (ſi lien pariter laboret) tantundem, trochiſcorum de eupatorio ℈ij. pulu. triaſant. ʒß. ſemin. melonum minutim inciſi ʒi. ſyrupi Byzantini quantum ſatis, fiat in modum opiatæ, cuius portio iuglandis nucis magnitudine offeratur quotidie, aſſumendo mox tantillum aquæ endiuiæ & graminis; aut electuarij formâ.

Electuarium.

Tabella. ℞. Pulu. electuarij triaſant. duplicato rhabarbaro ʒi. trochiſc. de capparibus, & de eupatorio, ana ʒß. ſeminis endiuiæ contuſi ℈i. conſeru. flor. cichorei ʒiij. ſacch. albiſſ. aquâ graminis diſſoluti quantum ſatis, fiat electuarium in tabellis, pondere ʒii. detur vna quotidie opiatæ loco, bibendo parum aquæ lupuli, & cichorei. Sed efficaciore vi, poſt purgationes, obſtructioni aditum facies repetito ſyruporum vſu, qui tamen aliquanto vehementiùs incidant & attenuent, (etſi calida cauſa eſt) vt ſyrupo Byzantino, è duabus radicibus, cum duplo aquarum apij & cichorei; ita namque remediorum vis intendenda, ſi quidem malum mitioribus opportunè non ceſſit.

Quin etiam cùm nondum cognita perſpectáque eſt obſtruentis cauſæ intemperies, expedit interceptas vias patefacere temperatis, in aperientium genere, aut iis quæ ex calidis & frigidis conſtant, vt endiuiâ, apio, vel cichoreo & chamæpity, vnà commiſtis, maximè ſi cauſa in calidum declinat. Licet quoque ipſo curationis progreſſu, aut veriùs morbi declinatione, ad obſtruentis humoris reliquias ſubducendas, decoctis nonnulla è purgantium numero permiſcere, tum quæ bilem, tum quæ alios humores detrahant, quòd vix ſincerus ſit humor in corpore, præſertim qui obſtructionem facit, ſed & bilis pituitæ commixta vix

Purgantia variorum humorum cur ſæpè decoctis aperientibus miſceantur.

chola

cholagogis cedet; adde, illam in corpore diutiùs cunctantem facessere sæpiùs & facilè in melancholiam. Hæc igitur pugnantia possunt in apozemata conferri, quæ interdum in quatuor doses paramus; nonnunquam in perfectum syrupum decoquimus, ex temporum interuallis propinandum.

♃. Præscripti apozematis, quantum satis, addendo prunorum dulcium par. xij. sebesten, par. viij. pulpæ tamarindorum, seminis carthami contusi, & folliculorum sennæ Orientalis, ana ℥i. fiat decoctio: & in colaturæ ℔iß. dissolue syrupi rosati laxatiui ℥iiij. aut succi rosarum ℥iij. sacchari albi, q. s. cinnamomi ʒi. santali citrini ʒß. pro syrupo quatuor dierum. *Syrupus purgans.*

Quòd si humores ad purgationem minùs parati videbuntur, satius fuerit doses aliquot aperientis decocti exhibere: Deinde tertiæ aut quartæ cathartica inserere. Quinimò hic inualuit vsus, vt in perfectum syrupum, quem solemnem, seu magistralem nuncupant, redacta decocta asseruentur, vbi contumax est viscerum obstructio: tum triente, tertiâ scilicet parte aucto laxantium pondere, fiat apozema perfectæ decoctionis, in quo tepente frequenter exprimito rhabarbari cum cinnamomo puluerati, & linteolo raro inuoluti ℥ß. vtatur in sequentem modum.

♃. Præscripti syrupi ℥ij. decoctionis agrimoniæ, fumariæ & cichorij, quart. i. misce, sumat ter, quatérve in mense. Itaque sensim & partitè detrahendus humor inueteratæ obstructionis auctor, patefactis iam vtrinque viarum angustiis. Verùm neque protinus & temerè, neque frequenter in hæc mixta prorumpendum: Mictio enim plurima deiectionem imminuit, huiúsque materiam aliò conuertit. *Sensim & partitè purgãdum in iecoris obstructione.* *Aph. vlt. l. 4.*

Præsens auxilium est, purgato iam corpore, absinthij decoctum propinare, aut ipsum per se, aut cum endiuia, cichoreo, cassutha, adianto comparatum, adiecto multo saccharo, quo amaror temperetur; obstructiones enim reserat, & icterum persanat. *Absinthij decoctum.*

Ad eadem lactis serum quotidie haustum efficax erit. Assumpta quæ calori implexas obstructiones elidunt, ita se habent. Nunc externa auxilia persequamur. *Serum lactis.*

Admota.

♃. Aquæ endiuiæ ℥v. aquæ lupuli, cichorij & apij, ana ℥iij. aceti albi ℥iß. puluer. triasantali ʒi. spicæ nardi, schœnant. & absinth. ana ʒß. sem. apij, seminis cuscutæ, ana ℈ij. misce, fiat epithema tepidè sæpiùs admouendum, & abstersâ parte. *Epithema pro iecore.*

♃. Violacei ℥iß. olei de absinthio, & amygdalarum amararum, vel keirini, ana ℥ß. aceti albi parum, misce; vel adde, spicæ nardi, & schœnanti, ana ʒß. seminis endiuiæ, apij, & petroseli- *Litus eiusdem partis.*

ni, ana ℈ij. cum pauca cera fiat vnguentum, quo iecoris regio vngatur tepidè.

Remedia obstructionis iecoris à melancholia.

Quòd si humor melancholicus, in iecore nimiùm exuperans, ipsius venas infarciat, vix alia hepatis quàm lienis obstructi fuerint remedia. Etenim adiectis splenicis quibusdam, vt scolopendrio, cappari, tamarisco, & syrupis, conseruísque ex iisdem paratis, curatio complebitur.

Quemadmodum si exusta bilis atra iecur & mesenterij venas obsidet, ad ea fiat recursus, quæ hypochondriacis grauiùs oppressis aptauimus.

Quinetiam quæ intrò sumuntur, vel alimenta, vel medicamenta sunt, vt statim initio curationis anteà præmisimus; & de medicamentis hactenùs abundè est disputatum, iam de alimentis paucis agendum.

Victûs ratio in obstructione iecoris.

Itaque quod ad victûs rationem spectat: per omne morbi tempus vtendum est exercitatione moderatâ: ídque ante pastum, nî febris supersit; quoniam hoc vitium quies augere consueuit, vt & somnus longior; vnctiones, frictionésque & sudores necessarij; atque sollicitudine & mœstitiâ, omníque commentatione propulsâ, frequens animi hilaritas perutilis. Eligendus aër calidus & siccus, non palustris; & qui in orientem, aut aquilonem sit conuersus. Porrò in cæteris, viuendi ratio tenuis, acris, sicca, ac minimè viscosa tenenda est. Igitur edenda sunt salsamenta, moderatè tamen, tinctæ in aceto conueniunt portulacæ, intybíque; concedantur pystacia, amygdalæ, vuæ passæ, sinapi, asparagus, pastinaca; atque si scirrhodes sit obstructio, pruna, auiculæ montanæ caryophyllis, aut petroselino transfixæ, tum eiusdem generis cibi, multísque modis huic malo cappares aptæ sunt, arcenda verò acerba, cruda, flatulenta, sed præcipuè dulcia omnia; item lac & caseus omniáque lacticinia: acida autem aliquando, acria semper conuenientiora sunt. Reiicienda pariter, quæcunque humoris pituitosi, aut melancholici copiam exaggerant, & maiorum animantium carnes, thunni, balænæ, cetaceorum omnium, hirci, vaccæ, suis, leporis prouecti, & cerui. Quin & omnia leguminum genera, cicere excepto.

Alimenta.

Potus.

Potio sit paucissima, potéstque dari vinum tenue, aquâ in quâ candens ferrum sæpiùs extinctum sit, dilutum, omniáque in cibis & potionibus imperanda, quibus vrinæ moueantur. E tamaricis trunco vascula excauantur, aquáque aut vino replentur vtiliter, vt subinde bibat æger; quidam è fraxino eadem ratione crateras fabricant non minori commodo. Quòd si inflatio, fluctuatióque huic præcordio insit, colicorum victus sectandus. Nunc obstructiones in schirrhum firmatas aggrediamur.

CAPVT

CAPVT XIV.

Iecoris Scirrhus.

OBstructionem iecoris proximè comitatur ſcirrhus,in quem illa inueterata aut malè curata ſæpiùs degenerat. Scirrhus autem eſt tumor, p.n. durus ac renitens, nullóque aut perexiguo doloris ſenſu iecur grauans.Incipienti & minùs exquiſito dolor quidem ineſt,iſque obtuſus valdè, ſi vehementiùs premitur;at confirmatus omnis eſt doloris expers (etiamſi lapide percutiatur.) Simplex iecoris tumor breuiore quàm ſcirrhus tempore contrahitur, & doloris vel tenſionis ſenſum infert;ſcirrhus autem minimè:quin potiùs mole & ponderis grauitate premit, tum maximè cùm in aduerſam partem æger decumbit,quanquam tunc minùs ſit obuius. Durus eſt, quia ſiccus humor,craſſus & veluti concretus,& quia diſtentus à copiâ.Doloris eſt expers,quia frigida ſicca intemperies ſenſim contrahitur:adde neruos humoris ſiccitate & craſſitie comprimi,& in ſeſe concidere, ita vt aditus animali ſpiritui intercipiatur,hinc ſtupor. Eſt autem ſcirrhus aut exactus,aut non,& diſtinguitur ratione doloris.Item vel primigenius, qui primò naſcitur;vel ſecundarius, qui priori morbo ſuccedit. Succedit autem ſcirrhus ſæpè phlegmonæ hepatis & eryſipelati,ex 2.ad Glauc.4.& 14.meth.4.idque vel per ſe,vel ex euentu: per ſe, ob imbecillitatem naturæ,& materiæ peruicaciam:nam phlegmone niſi reſoluatur,aut in ſuppuratū abeat,ſcirrheſcit aut gangræneſcit.Ex euentu fit ex errore & inſcitiâ Medici; ſæpè enim immodico repellentium & aſtringentium vſu incraſſeſcit, & veluti cogitur ſanguis,ſicque acquirit naturam melancholiæ.Interdum inordinato & importuno reſoluentium appulſu,tenuiore humoris parte reſolutâ,quod reliquum eſt in lapideam concreſcit duritiem. Eſt autem tumor durus, ex Gal.4.acutorum victûs, comm.21.& 8.ϰ.τ. 8.& 2.ad Glauc.4. quia ad curationem ſcirrhi emollientia conueniunt, & ſic ab œdematoſo tumore diſtinguitur.

Scirrhus iecoris quid.

Signa ſcirrhi iecoris, & ſignorum ratio.

Scirrhus vel eſt exquiſitus, vel non. Item vel primigenius,vel ſecundarius.

Hic dexterâ parte ſub præcordiis contactu, preſſúque deprehenditur digitis non cedere,ſed ſine dolore,ac febre prementi obſiſtere. Quamobrem non difficilè cognoſcitur, ægro in affectam partem inclinato, præſertim ſi gracile & extenuatum corpus eſt,neque diu protractum malum eſt; alioquin vbi inueterauit,protinùs venter & crura,pedéſque intumeſcunt, & hydrops ſubit, quo planè ſchirrhus obtegitur. Hic autem non difficilè cognoſcitur,iecoris enim ſitu,& figurâ circumſcribitur,tumor autem durus,& prementi obſiſtens,ac ſine dolore,dextera parte ſub præcordiis contactu,preſſúque deprehenditur facilè, ægro ſcilicet in affectam partem inclinato,aluus multa & tenuia excernit, vrinæ tenues & paucæ,partes præſertim ſupernæ corporis, tractu temporis gracileſcunt. Hunc raro prægreſſa phlegmone relinquit, vel immodicè refrigeratâ & concreſcente,vel intempeſtiuè & violenter reſolutâ ipſius materiâ,hinc

Cauſa ſcirrhi iecoris.

tenue exprimitur, reliquum occallescit. At frequentissimè diuturna & inexpugnata obstructio illum inuehit, quæ sensim aucta, & coagmentatione assidua omnem visceris molem implens, in verum tandem scirrhum commutatur. Grauiùs enim obstructo viscere, quidquid in obstruente materia tenue, liquidúmque suberat, id aliò transmittitur, & quasi per angustias transilit; quod autem crassum & fœculentum est, præterlabi non potest, sed arctè coërcitum subsistit, & obfirmatur, vel in visceris alimentum cedens, iecur indurat: quod alioqui huic malo est ex terrena proximi alimenti substantiâ inprimis obnoxium. Ergo scirrhi causa est crassus & lentus humor, qualis pituitosus, & melancholicus, interdum etiam biliosus, cùm scilicet lentorem diuturnitate, ac crassitiem vi caloris consequitur, qui visceri impactus, sensim magis crassescit, & parte tenui dissipatâ ita obdurescit, vt vix demùm queat dissolui. Hanc propriam scirrhi materiam ex anteacta vita, & iecoris temperie, atque humorum dominio & faciei colore, euidentiùs distingues, quàm vt pluribus notis debeat illustrari.

Iecur scirrhis cur obnoxiū.

Propriæ scirri materiæ dignotio.

Curatio.

Prognostica.

Iecoris quidem schirrhus incipiens medicamentis vincitur: sed si iam magis obduruerit, ascitem creat, aut corpus atrophiâ conficit, neque tum medicamento locus esse potest. (docet Galenus primo ad Glauc. se incipientem iecoris scirrhum sæpiùs curâsse, inueteratum nunquam se potuisse, neque vidisse quenquam qui id possit) Desperatus scirrhus qui sic occalluit, vt iam non sentiat. At malagmate, quamuis ægrè, domatur, cui sensus aliquis vel obscurus inest. Itaque cùm primum scirrhi iacta sunt fundamenta, hæc omni curâ erunt demolienda. Diruuntur autem primùm solutis exactè obstructionibus, & educto humore, ex quo ille poterat concrescere: Dein extrinsecùs admotis emollientibus & digerentibus. In vniuersum ergo curationis vnicum est, summúmque caput: Vacuandum enim quod in viscere, præter naturam, concreuit, ac pertinaciter impactum est. Vacuabitur partim assumptis iis, quæ obstructiones delent, & infarctum humorem detergunt, à quibus auspicanda curatio, partim admotis malacticis atque diaphoreticis, quibus tamen roborantis facultatis nonnihil sit adiunctum, quò visceris dignitati consulas. Nunc particulatim curationem explicemus.

Indicationes.

Primùm quia plerumque à premente visceris mole coarctata, aut bilis penuriâ minùs stimulata intestina pigriorem aluum reddunt, clystere mollienda, quo identidem iniecto, etiam iecoris tumor leniri solet.

Clyster.

℞. Radic. lilior. alb. quart. i. althæ. cum toto, maluar. acanth. violæ siccæ, & mercurial. ana M. i. prunor. & passul. mund. ana par. xx. caricar. ping. num. x. semin. lini & malu. ana ℥i. sem. melon. & cucurb. ana ʒij. anis. ʒi. trium flor. communium, ana p. i. decoquantur in aqua hordei,

hordei, (modò flatulenta non adsit distensio,) aut in iure capitis & interaneorum veruecis; & in colatura dissolue cassiæ rec. extr. aut cathol. ℥i. diaprun. simpl. ℥ß. ol. violat. (si calidæ intemperiei sit suspicio) aut ol. lilior. ℥iij. mellis violat. ℥ij. fiat clyster. Deinde bolus è cassia & diapruno leniente præscribendus, siquidem obduratum iecur exæstuat, necdum vlla præsentis hydropis sit implicatio. At si frigida intemperies est, & humoris pituitosi copia, subscriptæ pilulæ parentur.

Bolus purgans.

℞. Massæ pil. de agar. ʒi. vel: ℞. Agar. ℈ij. myrrhæ & styrac. ana ℈ß. interioris cinnamom. spicæ, & schœn. ana gran. viij. excipiantur syrup. de eupatorio, & formentur pilul. vij. dandæ horâ tertiâ post mediam noctem. Atque hæc in scirrho quidem, sed simplici & incipiente præcepta sint.

Pilulæ.

Cæterùm in scirrho confirmato, cui vel hydrops assistit, vel corporis macies ex impedita alimenti distributione connexa sunt, ob quam aluus liquida continenter reddit, neque laxantia, neque mollientia, sed aperientia sola vsui esse possunt; vt reuerà in hoc nullum curationis genus tentandum, cùm hominem breui mors rapiat. Qui verò nondum incremento vires accepit, ita primum clystere, & mitiore medicamento tractari debet. Subsecutis diebus, syrupi aperientes imperentur, nunc calidiores, nunc temperatiores, vt prægressa scirrhi materia fuerit. Obstructionis curationem suprà in duas partes distinximus, quarum prior frigido, posterior calido humori obstruenti esset accommodata. Ex priore nunc haurienda sunt pituitosi, ac melancholici scirrhi remedia; ex posteriore autem, illius quem diutissimè coërcita bilis progenuit. Imperentur ergò apozemata, quæ aperiendis obstructionibus superiori capite aptauimus, adiectis insuper aut maiore copiâ adhibitis nonnullis, quæ blandè emolliant, vt prunis, passul. ficub. dactyl. nucleis pineis, maluâ, eiúsque semine, violâ purpur. flore melil. sambuc. maluar. Horum vel quibusdam, vel plurimis aperientes tum radices, tum plantæ commisceantur, vt fœnicul. apium, iris, rubia, eryng. eupator. adiant. chamæp. absinth. cichor, spica, & quæuis alia eiusdem generis. Ita quippe aperientibus, & lenientibus, seu emollientibus, vnà connexis, decocta constare debent, quibus sub finem aceti ℥ij. aut factâ colat. syr. acetos. ℥iiij. superinfundes. Aut si virentes herbas tempus deneget, ita parabis in calidiore visceris constitutione.

In scirrho iecoris, hydropi, aut maciei complicato, sola aperientia conueniunt.

Syrupi aperientes.

In calidâ iecoris diathesi, syrupus.

Syrupus.

℞. Syr. endiu. compos. & de byzant. ana ʒiij. syrup. violat. ℥ß. decoctionis liquir. agrimon. adiant. prunor. passul. mund. ficuum semin. malu. & flor. eiusdem, aut violar. quart. v. pulu. santal. alb. & cinnam. inter. ana ℈ij. fiat syr. clarific. ad 4. doses. Si verò frigida intemperies scirrho connexa fuerit

Syrup. in frigida iecoris diathesi.

℞. Oxymel. squillit. vel diuret. & syr. de eupat. ana ℥iij. syrup. capill. ven. ana ℥iß. præscripti decocti ℥xv. pulu. irid. & cinnam. electi ana ℈ij. misce, distribuatur in quatuor dies.

Ab iis demum humoris portionem expurgare oportet accommodato pharmaco iam suprà descripto, quod emolliente decocto diluendum erit, aut superioribus pilulis, præsertim si ex concreta pituita scirrhus est, aut aliis quæ lachrymas excipiunt, gummíque genera, vt bdellium (modò verum extet) myrrham, styr. ammon. sagap. & similia, hepaticis tamen & aromaticis conuenienter admista.

Pilula purgantes.

℞. Mass. pilul. fœtid. ℈ij. (mass. pilul. de agar. ʒß.) agar. ℈i. spic. nard. & cinnam. elect. ana gran. iij. Malax. cum aq. endiu. & formentur pil. vij. perendie dentur tereb. ʒij.

Vt autem iam peracta est purgatio, ad detergentia & aperientia recurrendum, quibus non tantùm secundò & tertiò, sed etiam sæpiùs vti expedit. Quo genere continentur superiori capite comprehensæ opiatæ, additâ conseru. viol. aut flor. sambuc. si parata sit. Item troch. de capparibus, de eupat. dialacca. diacurc. troch. hedychroi, qui decocto emolliente diluendi, ac temperandi sunt, aut trochisc. de bdellio, qui per se etiam iuuant. Sed longè meliùs cedet, si ex ammon. & hieræ puluere, aut tereb. & eodem puluere, conformentur pil. non tam vt purgent, quàm vt scirrhum curent.

Pilula alterantes.

℞. Puluer. hieræ ℥ß. ammon. & bdell. in oxymel. squillit. solutor. ana ʒiij. myrrhæ elect. ʒij. croci ℈i. spic. nard. & cinnamom. elect. ana ʒß. incorporentur cum terebinth. fiat massa pilul. & ex ʒi. formentur pilul. vi. aut vij. capiat tres manè horis tribus ante pastum, bis aut ter in hebdom. superhausto vno, aut altero cochleari, vini chalybeati.

Remedia topica magni sunt momenti ad scirrhum iecoris curandum.

Vltimum ac præcipuum auxilium est in externis emollientibus, & digerentibus, quorum ordinatâ quadam serie curatio complenda est, nec nisi emollientium effectu inducto tentandum; non enim scirrhosum tumorem discutere conuenit, antequàm is planè attenuatus sit, & emollitus. Emolliunt, quibus tepidus ac mitis calor est, nullâque feriens acrimoniâ, sed pari quodammodo humore perfusus. Quare mediocriter calida esse oportet hæc omnia, vix vt ipsorum calor vltra secundum ordinem efferatur, eadémque humore quodam aërio & temperatiore aspersa, ne vel supra modum, vel nil prorsus digerant. Atqui æquabiliter quippiam concreti humoris semper dissipari par est, quò tumor sensim subsideat. Huiusmodi sunt verè malactica, quæ quod frigoris (calorísve) vi concreuerat, excalfaciunt, emolliunt, soluunt, & colliquant. Nam quæ vi caloris & exsiccatione firmiùs obduruerunt, non hæc sed humectantia manifestè citra calorem, desiderant, quibus ferè nunquam cedunt. Non enim solidior & inaccessa scirrhi, quem calor coëgerit, materia humectantis medicamenti substantiam admittit, ignauiúsque hæc qualitas agit, & per summa duntaxat inhæret. Quapropter hinc non magis

Malacticorũ facultas.

gis emollitur, quàm lateres aquâ immersi. At qui ex frigido & concreto humore gignitur scirrhus, quandiu recens est, malacticis & digerentibus vincitur, modò quadam illorum permistione, aut alternato vsu curationem compleas. Quibus roborantia nonnulla semper adiicito, neque vsquam quæ immodicè relaxent, admoueto, sed parti principi inprimis consulito, multa quidem in emollientibus, sed hæc vt selectissima notantur. Althæa cum radic. liliorum radices, viola, acanth. vuæ passæ, ficus pingues, lini semen, & fœnugr. flor. chamæm. melil. genist. samb. His accedunt paulò vehementiora, radix bryoniæ, cucumer. agrest. irid. prætereà butyrum, adipes, medullæ, ladanum, terebinth. resina pini, ammon. bdell. galb. opopan. styrax.liquid. Quæ quidem resinarum, & gummi genera, aut recentissima, aut si iam exaruerint, molliorum permistione temperata & colliquata in vsum conferantur. Quinetiam oleum chamæm. viol. amygd. d.lumbric. vulpin. lilior. sambuc. irin. keirin. & omnium præstantissimum quod expresſâ glande vnguentariâ profunditur. Quæ olea in compositis iam habentur. Sed compositiore artificio constat vnguentum resumpt. de althæa, diachyl. ceroneum, filij Zachar. è mucilag. è melilot. quæ in officinis asseruantur.

Emollientium sylua.

Hæc autem emolliendis iecoris scirrhis tutò aptabis, coniuncto absinth. spicâ, schœn. eupator. croco, moscho, oleo nard. aut de absinth. & cæteris hepaticis. Ex iis parantur fotûs, vnguenta, cataplasmata, emplastra, quibus aceti, & attenuantium aliorum tantillum addere necesse est, vt asari, irid. aristoloch. quorum vi altiùs illa subeant.

Roborantia malacticis adiungenda.

Fotus.

♃. Rad.lilior.alb.& irid.an.quart.1.alth.malu.viol.calam.absint.an. M.i.eupat.Mß.sem.lini,fœnug.an.℥iß.sem.endiu.& fœnic.an.ʒiij.passul. & ficuum,an.p.xij.flor.camom.melil.& stœch.an.p.i.rosar.p.ß.spic.nard. & schœn.an.ʒiij.fiat decoctio:cui sub finem infundes vini albi quartam partem,foueatur inanito ventriculo regio hepatis,& nonnunquam ventris inferioris,quò aluus soluatur, ac si quæ in mesenterio glandulæ obdurescunt,emolliantur,mox vnguento sequenti tumor illinatur.

Vnguentum.

♃. Succi rad.apij,& succi irid.ana ℥ij.succi cucum.agrest.& absint. ana ℥i.ol.lilior.& vulpin.vel lumbric.ana ℥ij. aceti albi ℥i.coquantur ad succorum consumpt. Dein adde adipis gallin. & medullæ cruris vituli, vel œsyp. ana ℥ij. styrac. liquid. ℥ß. myrrhæ ʒij. spic.nard.& schœn.ana ʒiß. croci ℈i. ceræ parum, fiat vnguentum.

Si nihil his fuerit adiutus, renouandus est fotus, cui paulò vehementiora

tiora & attenuantia ſuperadiicies, vt rad.cucum.agreſtis,ariſtol.rad.apij, ebuli. Ex attenuantibus marrubium, orig. puleg. ſaturei. folia pedis columb.flores geniſt.ſamb.quibus vnà incoctis rurſum foueatur tumor, & confeſtim vngatur hoc ſequenti vnguento efficaciori.

Attenuantia.

℞. Mucag.ſemin.lini,fœnugr.cum decocto ficuum & paſſul.extractæ, ana ℥iß.ol.ſambuc.& amygd. dulc.ana ℥iij. axung. anatis,& butyr. recent. & ammon. oleo lilior. ſoluti, ana ℥i. ladani puri, ſtyr.liquid.ana ℥ß. ſpic. nard. fol. abſinth. ſiccor.& puluer. iridis, ana ʒij. ceræ tantillum, fiat vnguentum, quo vngatur iecoris regio, addendo illitûs tempore, aceti albi parum.

Cataplaſma facilè comparatur ex fomenti ſuperioris magmate, tuſo cribratóque, cui demùm acceſſerint adipis anſerini & gallin. ana ℥ij. ol. lilior.& chamom.& nardin.ana ℥iß. farin.lini & fœnugr.ana ℥i.abſinth. & ſchœn.ana ʒij.croci ʒß. Ita cataplaſma confinges, cui ſi paſſulas cum toto contuſas cretáſque impoſueris, eximiè iuuabis. Eandem vim curandi præſtant emplaſtra, quæ diutiùs parti inſident.

Emplaſtrum.

℞. Maſſæ emplaſtri diachyl. ireati, & de melil.ana ℥iij. ammon. aceto ſolut. ℥i. ſtyrac. liquid. ℥ß. ſpic. nard. ſchœn. & aſari, ana ʒi. malaxentur cum oleo liliorum, aut ex glande vnguentariâ expreſſo, fiat emplaſtrum.

Aliud emolliens potenter, quod hac ratione temperandum.

℞. Ficus præpingues num. x. vuas paſſas, num.xx.coquito, & excluſâ aquâ tundito, cribro cernito. Dein adde ammon. thymiamatis, ſagap.bdell. (ſi haberi queat) aut galb. ſolutor. ex oleo lilior. ana ℥iß ſtyrac.liquid.℥i.benjoin.ʒiij. mucag.althæ.ſemin.lini,& fœnugr.extract. cum prædicto paſſul.decocto, ana ℥ij. axung. anſer. medull.cruris cerui & vituli,ana ℥iß.pulu.irid.ſpic.ſchœn.ana ʒij.tereb.& ceræ,ana ℥ij. omnia commiſcens igne lento in emplaſtrum cogito.

Huiuſmodi alia in lienis ſcirrho comperies, quibus immiſcebis præterea eupat.abſinth.ſpicam, ſchœn. cùm ad iecoris durities emolliendas conferuntur; Atque iis tandiu vti eſt neceſſe, dum tumor planè ſit diſcuſſus, factâ ſubinde ex aliis aliorum mutatione. Inter hæc autem prætermittendum non eſt, quin aſſumptor. vſu repetito, quæ ſoluta & liquata iam ſunt, partim per aluum, partim per vrinas, vt ſuprà dictum eſt, opportunè deriuentur. Denique victûs ratio eadem planè ſit, quæ in obſtructione anteà præſcripta fuit.

Remediorum topicorum ſubinde facienda mutatio.

Victus ratio.

CAPVT

CAPVT XV.

De Hydrope.

HOmines hydrope frequentiùs implicari contingit, & diutius eo morbo correptos languere. Eius tres sunt species: nam modò totum corpus p. n. intumescit & pituitoso humore subter cutem fuso turgidum euadit. Modò ventre vehementer intento, intus in vnum aqua contrahitur & moto corpore ita mouetur, vt motus eius obaudiri possit, modò inflato similiter abdomine creber intùs ex motu spiritus sonus est, primum leucophegmatiam, secundum ascitem, tertium tympanitem Græci vocant. Communis tamen omnium est nimia subter cute humoris abundantia, ob quam hydropicorum vlcera ægrè sanescunt. Communis est omnium causa, quæ eiusmodi materiam multiplicat, ingens ac diuturna humoris cruditas. Hæc aliàs proprio iecoris vitio exoritur, vt graui intemperie, inueterata obstructione, inflammatione, scirrho. Aliàs vicinarum partium consensu, vt cordis pulmonis, ventriculi, lienis, renum, vteri, intestin. gracilium, & aliarum partium, quæ coctioni opem ferunt, aut excrementorum reiectioni destinantur.

Hydropis differentiæ tres.

Aph. 8. l. 6.

Causa omnium hydropum.

Pars affecta iecur, modò per se, modò aliarum partium consensu.

Sæpè verò hoc malum per se incipit, sæpè alteri vetusto morbo, & maximè quartanæ superuenit. Quamobrem hydropis causa est insiti caloris extinctio seu imminutio; imminuitur autem calor concoctionis auctor, & sanguinis opifex, trifariàm. Primò, detracta & dissipata materia, vt profuso sanguine & spiritu, quorum comes est; sicuti per immodicas & repentinas euacuationes, insolitas vigilias, morbos acutos, interdum etiam diuturnos, qui spiritus diripiunt. Ac tum licèt calor p. n. toti corpori insideat, morbi tamen frigidi exhaustâ insiti illius essentia succrescunt, & natiui caloris extinctione siue priuatione, non minùs quam frigoris vi, cruditates fiunt, etiamsi interim partem febris exercet. Secundò cùm superstite quodam morbo, spiritus materia, cal or interclusus obruitur, atque tanquam à multo oleo lucernæ flamma, sic ille humorum copia suffocatur. Ita quidem suppressis mensibus, & hæmorrhoidibus, aut varice curata languet oppressus calor, hydropsque ingruit. Denique frigidi vehementia & appulsu extinguitur, vt frigidæ largo potu, lactucar. intempestiuo esu, præsertim æstuantibus præcordiis, aut ieiuno ventriculo, aut purgatione lacessito. Refrigerantium enim immoderata vis iecur attingens, spiritum, omnemque ipsius laborem infringit, atque adeò plerumque debilitat, vt nulla deinceps concoctionis integritas sperari possit. Hinc cruditates emergunt, quæ sensim coaceruatæ hydropem proferunt; hinc pituitosus & albicans sanguis, aut inusitata seri copia, aut flatus plurimus, quorum varietas ex effi-

Causa calorem natiuũ imminuẽtes.

cientis caloris vi, ſeu imbecillitate, & ſubiectorum humorum materia, atque partium ſtatu proficiſcitur. Vnde anaſarca potiùs quàm aſcites, aut hic quàm tympanites hominem adoritur. Nunc cuique generi, quid proprium ſit, aſſignemus.

Anaſarca.

Anaſarca, quid.

Eſt totius corporis humor œdematodes, quo id laxum, molle, eneruatum, albidum & emortuo perſimile redditur. Hoc incipiente primùm pedes, ac maximè veſperi, dein crura intumeſcunt, dum ſenſim accreſcente malo reliquum corpus omne prætumidum euadat. Tumor manu tangenti non renititur, ſed ita cedit, vt prementis veſtigium relinquatur.

Signa anaſarcæ incipientis.

Cauſa anaſarcæ.

Hic ex crudiore & pituitoſo ſanguine iecoris vitio progignitur, qui melioris penuria in nutriendas partes diſtributus, illicque concreſcens, nec aſſimilatus, redundat, & vitioſa congeſtione corporis molem auget. Rarum quidem eſt carnis molem in aquam ſolutam & ſub cutem ſparſam id vitij proferre; itaque ſub hoc laborantis natura in frigidiorem conuertitur, neque ſanguis bonus, neque color ſuauis, aut formæ dignitas eſt, corpus albeſcit, graue, iners, effœtumque fit. Febris lenta & quaſi ſopita. Arteriæ mollem, paruum & imbecillum, ſimulque frequentem & inæqualem pulſum edunt. Vrina alba, nunc craſſa & turbida, nunc tenuis & aquea, quæ ſummam coctionis imbecillitatem denunciat, ab extrema iecoris & ventriculi intemperie frigida profectam. Hæc enim vnica & ſola mali cauſa habetur, ſiue diſſipato, ſiue oppreſſo, aut frigidi repugnantia extincto, vel imminuto calore cruditas acceſſerit; quæ mitior quidem cachexiam pituitoſam quaſi internunciam, maior autem leucophlegm. inducit, in quam illa ingraueſcens faceſſere ſolet. Anaſarca lentas & pituitoſas febres, & diuturnos alios morbos ſæpiùs excipit.

Signa anaſarca perfecti.

Aſcites.

Aſcites quid.
Signa aſcitis.

Aſcites eſt humoris ſeroſi in abdominis capacitate collectio. Hîc venter prominet aqua citrina turgens, ac multùm diſtentus vtrem repræſentat. Agitato corpore aut concuſſo abdomine, humor quaſi oberrans fluctuat, transfluentiſque ſonus exauditur, qualem vtres aqua ſemipleni referunt. Interim cæteræ partes exareſcunt & macie languēt. Malo tamen grauiùs aucto, pedes, crura, & teſtes, decumbente humoris portione, intumeſcunt, præſertim ab exercitatione, aut longa ſtatione. Progrediendi difficultas adeſt, ipſoque motu æger ſtatim frequentiorem ſpiritum reddit, cui tuſſis ſuccedens malo eſſe ſolet. Febris ſæpè ineſt hecticæ finitima, cum pulſu paruo, crebro, duro, & tenſo. Vrina pauca redditur, eaque rubra, pauca, & obſcura eſt, maximè cùm iecoris ſubſtantia vitiata, aut ſcirrho obſeſſa hydropem inuexit. Ex ſalſi humoris halitu, vtiliſque ſucci penuria, ingens, ac verè inexpleta ſitis excruciat.

Cauſa coniũcta aſcitis.

Proxima aſcitis cauſa eſt ſeroſus humor inter peritonæum & inteſtina colle

collectus, qui è iecore eò sensim penetrauit, dum tandem ingens ac penè suffocans copia cumuletur. Rarò quidem omentum aqua repletur: in idque tum demum excurrit, cùm à liene, ventriculo, colo, & tenui intestino mali est origo. Sæpiùs autem in abdominis spatium confluit, intestinis supernatans. Hæc autem morbi materia sensim in corpore multiplicatur, si euidentes causæ præcesserint, quæ illius exuperantiam gignunt, ac interiorum viscerum constitutio adsit, huic cumulandæ opportuna. Etenim tenues & serosos humores exaggerant, quibus ventriculus frigidus est, iecur autem aut lien inaruit, vel magna obstructione aut scirrho obduruit, nullaque ij ratione possunt in sudores induci. Iam autem consuetæ serosi humoris excretioni moram & impedimentum affert, vel renum attrahentium, vel iecoris expellentis imbecillitas, & viarum interclusio, quibus serum à sanguine secerni nullo modo potest. Itaque ab his duabus causis, seroso humore copiosiore iecur immergitur. Quarum vna est immoderata seri copia, ex assumptorum vitio, aut viscerum mala affectione, præsertim ventriculi aut iecoris, ob quam vis sanguifica imbecillior, aquosum sanguinem profert. Altera, expellentis & secernentis facultatis imbecillitas, siue ab obstructione, siue à scirrho contracta: harum neutra seorsum ascitem facit, sed necessarius ambarum concursus. His connexis, seri copia in iecore redundat, & pleniùs affluit: quæ dum illinc languidè propellitur, neque facilè ab aliis partibus vel copia expletis, vel respuentibus excipitur, in eo vicinisque sedibus subsistit, è quibus sensim portio transfertur in abdominis spatium, ea ratione quam mox subiiciam.

Causa serosi humoris in corpore luxuriantis.

Serosi humoris excretionem impedientia.

Serum substantia tenuissimum, per cœcos & occultos poros eò sensim influit ac stillat: quomodo etiam illinc in thoracis capacitatem, in scrotum, aut in vterum via incomperta penetrare consueuit, præsertim copia maiore affluens. Tum quippe membranas distendens ac diuellens, per earum spiracula, reserataque venarum oscula præterfluit, inciditque in spatium abdominis. Secundò, ibidem quadam resudatione cumulatur: Iecur enim seri calidioris copia perfusum, acriore calore illius portionem extenuat in vaporem, diffunditque in ambientes membranas, quas halitus specie facilè subit. Itaque vapor illac prosiliens, membranarum occursu in humorem rursum conuertitur, ei non admodum dissimilem à quo dimanauerat. Tertiò, ex soluta continuitate partium & vasorum quibus humores contineri solent. Cùm enim exesum, ruptum, fissumve aliquid est, serum sine sanguine quasi percolatur. Interdum quoque validum iecur humorem aquosum à se excutiens, in proprias membranas deponit, vbi hydatides pustulas facit, quibus ruptis, serum in abdominis capacitatem illabitur. Quò etiam sanies è leuiore iecoris aut lienis vulnere manat; vel pus ex rupto abscessu quandoque ascitis speciem ostentans. Cui etiam affinis est ea ventris distensio, quam vreter, aut à grandiore calculo laceratus, aut externa vi disruptus & vrinam refundens infert.

Quibus viis serum in abdominis spatium perueniat.

Fernel l. 6. pathol. c. 8.

Tympanites.

Tympanites quid.

Tympanites eſt flatulentus ventris tumor, ſiue diſtenſio abdominis à coërcito intùs craſſiore ſpiritu. Vix tamen poteſt ſolus flatus citra humoris permiſtionem colligi. Prægreſſis flatuum indiciis, ac pertinaci torminum ſenſu, venter pedetentim increſcit, & ſine magna grauitate inflationem experitur; ſubinde obmurmurat, rugítque, quaſi ventis agitetur; digito percuſſus ſonat, & tympani more ſtrepitum edit. Ructu flatuque emiſſo aliquantulum iuuatur æger. Corporis moles, etiamſi alimentum ſumit, ſenſim liqueſcit. Atque vt breuiter complectar, cætera quæ in aſcite, hìc ſunt, ſed ventris grauitas minor.

Signa tympanitis.

Cauſa tympanitis.

Huius cauſa flatus quàm plurimus eſt, ab imbecillo & imminuto calore, & crudiore alimentorum materia procreatus: qui vbi expeditam viam non habet, & continenter augeſcens, ab infirmiore natura diſcuti non poteſt; aut loci anguſtiis coarctatus foràs excludi nequit, ſæpè è viſceribus incomprehenſo aditu in abdominis membranas quaſi per vim tranſilit, & ipſius ſpatium implet. Quocircà hic hydrops, quem ſiccum appellat Hippocrates, à cruditate, non tamen extrema, vt aſcites, gignitur: inſitus enim calor planè ſopitus ac ferè extinctus, vix vllum mutationis rudimentum exprimit, neque flatum excitat. Ac proinde hoc genus hydropis ventriculi & gracilium inteſtinorum inflationi ſuccedit, & diuturnis febribus, inuictiſque doloribus, quos vapor craſſiſſimus arctè membranarum ſpatiis concluſus circa vmbilicum ſuſcitabat, quorum idcircò difficilis eſt ſolutio. Sed & nonnunquam immoderatus iecinoris ardor liquidi flatulentique cibi partem maximam in halitum & æſtuantem vaporem conuertit, qui dum ſe in vacuas abdominis regiones copioſiùs inſinuat, tympanitem aduehit; qualis ex acutarum febrium incendio interdum relinquitur, & lienis affectus ac retorridæ bilis exuperantiam comitari viſus eſt. Ergò ingens ventriculi cruditas tympanitem, iecoris aſcitem ſæpiùs creat, quemadmodum tertiæ coctionis error leucophlegmatiam. Quanquam horum nullum illæſo iecore, vt neque febris, niſi affecto corde, eſſe poteſt. His ita definitis curationem inſtituamus: ſiquidem internotio rectæ curationis fundamentum eſt.

Aph. 11. l. 4.

Chyloſeos error tympanitem; hamatoſeos, aſciten; tertiæ coctionis, leucophlegmatiam ſæpiùs creat.

Curatio.

Prognoſis, ex Celſ. l. 3. c. 21.

Longus eorum ac ferè inexpugnabilis morbus eſt, quos aqua inter cutem malè habet, niſi primis diebus diſcutiatur. Cura ergò prima & communis eſt, nutrientium viſcerum affectus, & cauſas omnes cruditatis (& refrigerationis hepatis) effectrices adimere. Secunda, humoris hinc geniti copiam, partim aſſumptis, partim admotis extrahere, flatúve diſcutere. Inprimis ergò animaduertendum, quid ſit in quo laboratur,

Indicationes cõmunes omniũ hydropis ſpecierum.

Celſ. l. 3. c. 22.

cauſa

causaque eius exploranda, atque suis remediis exscindenda est. Cùm enim proprio iecoris vitio peccatur, eius intemperies corrigenda, aut obstructio reseranda, aut inflammatio extinguenda, aut corruptela resarcienda, coërcendáve est, aut scirrhus emolliendus, antequàm ex eo lethali pernicie hydrops irrepserit. Hic enim omnem prorsùs curationem respuit. At si aliarum partium sympathia malum contrahitur, omnes affectus eo extirpentur ordine, quo sibi mutuò succedunt. Itaque ventriculi, lienis, mesenterij, aut gracilium intestinorum, aut vteri grauiores affectus, qui eodem præcipitant, quamprimùm expugnandi, si nondum æger morbo fuerit superatus: alioqui, medicinas adhibere superuacuum. Neque enim vel cordi hectico febris calore obsesso, vel pulmonibus vlceratis, tum cùm illinc humor accersitur, remedia conferes. Prudentis enim est, eum qui curari non potest, non attingere. Cùm autem certa desperatio non est, quamuis difficulter hydrops discuti possit, auxilia tamen afferemus causæ cuique consentanea. Quot enim modis natiuus calor omnium naturalium functionum auctor, minuitur & extinguitur, totidem hunc recreari oportet. Si ergò naturæ vires, aut suppressis mensibus, aut hæmorrhoidibus obcœcatis, aut curata varice, aut aliunde orta sanguinis copia suffocari contingat, sublatis causis opprimentibus, illæ sensim erigentur. Itaque in leucophlegmatia, quemadmodum in cachexia, cuius illinc tracta sit origo, malleoli venam tundere præstantissimum, (ex Gal. 4. victus acutor. text. 3. sect. 4.) siquidem vires ferant, necdum sint morbi diuturnitate collapsæ. Nusquam autem vel in ascite, vel in tympanite hoc præsidij genus tentandum, sed sola purgatione vacuandum. Imò nec in leucophlegmatia illud semper aut temerè decernendum, ne cruditatem refrigerans ita conduplicet, vix vt vnquam concoqui possit. Quamobrem vbi necessitas exposcet, non id semel & vniuersè, sed sensim & partitè imperandum. In summa, ad causam veniendum est, & causæ occasionem. Qua ratione modò menses tandiu suppressos mouere, modò hæmorrhoidas renouare ac educere conuenit.

Curatio hydropis, proprio iecoris vitio producti.

Curatio hydropis ex sympathia aliarum partium oborti.

Cels. l. 5 c. 26.

Opprimentia naturæ vires auferenda.

Sectio venæ quibus hydropicis conueniat.

Hipp l. 2. Epid. sect. 4.

Cæterùm si non oppresso calore, sed dissipata ipsius substantia ex immodicis & repentinis euacuationibus, cruditas inducta sit, euacuationes illæ si perseuerent cohibendæ; si rursus impendeant, anteuertendæ, ea ratione quam propriis locis docuimus. Atque interim vires minutatim reficiendæ cibis boni succi, qui cacochymiam emendent. At si refrigerantium appulsu, vt largo frigidæ potu, iecur immodicè refrixerit, illiusque vis elanguescens pro sanguine aut pituitam, aut serum, aut flatum gignit, tum firmandum viscus est, & pristinæ temperationi restituendum hepaticis calfacientibus, in frigidà intemperie comprehensis. Verùm commodè roborari nequit, nisi priùs humoris portione detracta quæ intemperiem fouet. Collectis ergò rebus omnibus, rationibusque subductis, hanc totius curationis summam proponamus. Primùm expurganda cacochymia, quæ visceri insidet: Deinde viscus

Dissipantia calorem natiuum inhibenda, eiusque iactura resarcienda.

Intemperies frigida iecoris emẽdãda.

Anacephalæosis dictorũ

illud roborandum. Postremò quidquid humoris alieni vel in corporis habitum, vel in ventris spatium secessit, per ductus peculiares deriuandum & absumendum est. In expurgandis autem humoribus hæ leges seruandæ. Primùm à ventriculo & intestinis, clystere, vomitione, aut leui deiectione, si quid illis adhæserit, detrahito. Dein incidentibus & detergentibus obstructa reserato. Posthac, medicamentum accommodatum imperato. Cacochymiam sensim & particè eximito. Cathartica mitiora seligito; ab iisque ad paulò validiora procedito. Quæ iecori aduersantur, roborantia immisceto. Hausto medicamento, longiorem cibi moram, eamque sex horarum saltem interponito. Abluentem iuris sorbitionem prohibeto. Cùm medicamentum, præsertim validius effectum compleuerit, quæ roborent hepatica, sumenda præscribito. Ab iis corpus pro virium ratione, diebus singulis aliquo euacuationis genere exsiccato; nunc quidem vomitu, nunc alui deiectione, nunc pharmaco per vrinas, sudoribus, perspiratu. Id autem non modò semel, sed etiam secundò, atque etiam sæpiùs, quadam serie moliendum; neque vsquam posterius tentandum, relicto priore. Semper enim vniuersalis euacuatio particulari præmittenda, ac priùs è fonte ipso, quam è riuulis haurienda mali scaturigo. Nunc sermonem contrahentes, singula in vsum referamus, expressa priùs materia illorum, quæ aquas & serosos humores ducunt.

Leges in purgatione seruandæ.

Vniuersales euacuationes particularib. semper præmittendæ.

Hydragogôn materia.

Hydragoga mitiora.

Mitiora, serum lactis, decoctum galli antiqui, aqua cuscutæ, fumar. prassij, apij, fol. raphani, quæ veriùs in diureticis habentur. Tutissimus ebulus & sambucus, præcipuéque radix, cortex, aut flos; laudatur quoque sagapenum. Vehementiora, iris, asarum, brassica mar. palma Christi, seu ricinus, esula, laureola, chamelæa, thymelæa, quæ neque pueris, neque senibus, nec vtero gerentibus, nec imbecillis, nec admodum extenuatis, neque febre vehementiore, aut acuto morbo correptis, neque feruentiore ambientis aëris statu turò dari possunt, Sed iis tantùm quibus vires adhuc mediocres persistunt, necdum morbi diuturnitate confractæ; rusticis laborantibus, assuetis, aut natura carnosis. Cumque morbi magnitudo vehementioribus illis profliganda est, non temerè & indiscriminatim, sed pro ratione vel adiectæ, vel leuatæ febris, frænantium & refrigerantium, vt endiuæ, cichor. agrimon. & similium permistione temperanda sunt. Considerandum nimirum hydropsne solus sit, an febris huic vehementior accedat, aut præcesserit. Illic quippe acrioribus, hic mitioribus, aut iam compositione retusis pugnandum. Interdum enim planè relictis illis, vrgentiori febris ardori refrigerantibus occurrendum,

Hydragoga vehementiora.

Quibus hydragoga vehemētia conueniant, vel non.

Hydrops modò solitarius, modò cum febre complicatus.

rendum, etsi nonnihil in hydropis materiam peccent: Quippe necesse est vt refrigerantia omninò aquam intercutem adaugeant, calefacientia rursus febrim. Ac mirum, quòd neque aqua intercutem acuto morbo succedens calorem restinguat, neque febris aquam exhauriat, sed ab aqua simul & igne ambo contineantur, vt vndequaque dubia fiat curatio, seu calfaciendum, seu refrigerandum esse ducas. His ergò ita concurrentibus, mista curatio adhibenda, atque vrgentiori obsistendum, nec nisi remissa febris vehementia verè hydragogis vtendum. Cæterùm medicamentis aquas detrahimus, modò per aluum, tumque myrobal. citrinas, aut rhéum, aut agar. aut cnicum, aut sagap. admiscemus; modò per vrinæ vias, ac tum nonnulla è diureticis, eaque mitiora connectimus, vt radices aperientes, grana halicac. Interdum & acriora, si frigidior est corporis habitus, vt phu, méum, smyrnium, atque vt summatim dicam, quæcunque in obstructione comprehensa sunt. Verùm in ascite sæpiùs per aluum; in anasarca per vrinas humoris copia deriuanda; ita quippe situs materiæ quæ tumorem facit, efflagitare videtur. Sic tamen maturè cieantur vrinæ, vt nulla subsit in ventriculo ac primis venis crudi humoris copia, quæ eò deduci possit. Sed in leucophlegmatia phlegmagogis illa priùs expurganda aut imminuenda: secundò per vrinas; dein quidquid reliquum fuerit, per cutis spiracula, & per ductus peculiares mouendum. Anasarca enim omne euacuationis genus perfert, quòd in vniuersum corpus sparsa sit cacochymia. Tympanites autem, fomite priùs detracto, postulat, quæ flatus discutiant, qualia ad colicos dolores comparata sunt. Quamobrem in hoc primæ, in ascite secundæ concoctionis præcipua cura habenda, vt in leucophlegmat. tertiæ, atque partium similarium. Nunc particularem curationem aggrediamur, quam ita contrahere par est, vt hinc quid cuique hydropis speciei sit cum aliis commune, & quid proprium, facilè intelligi possit. Ipsa enim causarum affinitas, & materiæ coniunctio, efficit vt vnius curatio ab altera dirimi nequeat, citra inanem futilémque rerum similium repetitionem.

In hydrope cum febri, curatio mixta esse debet.

Humor serosus in ascite sæpiùs per aluū vacuatur; in anasarca, per vrinas.

Tympaniti carminantia debentur.

Curatio particularis.

℞. Mercur pariet. puleg. hyssop. beton. eupat. ebuli, ana M. i. anis. & fœnic. ana ℥ß. agar. recent. troch. linteolo raro inuoluti ℥ii. sem. cartham. ℥iß. flor. stœch. rorismar. min. & samb. vel flor. genist. ana p. i. fiat decoctio: & in colaturæ ℔. i. dissolue mellis anthos. aut squillit. ℥ii. benedict. aut Indi maioris ℥i. salis ʒiß. fiat clyster: prætermisso oleo, nisi fortè sicyonio, vel rutac. vel irino. Hic autem toto curationis progressu coniunctæ materiæ exactiùs aptabitur adiectis nonnullis aperientibus, vt rad. petros. gram. aspar.

Clyster, ad ascitem.

aſpar. apij, rubiæ mai. & quibuſdam aquas ducentibus, vt thymel. M. i. ſed tutiùs ſoldanell. ʒiii. leuiter feruefactis, affuſo inſuper, ſub finem decoctionis, vrinæ pueri quadrante. Si verò ad tympanitem comparandus eſt, adde præter hæc, nonnulla alia quæ vehementiùs flatus diſcutiant, vt cyminum, rutam, baccas laur. & ſimilia, tum in colicis doloribus, tum in frigida ventriculi intemperie enarrata. Atque vt vniuersè complectar, illinc tota ferè ſicci hydropis curatio diſponenda eſt, præſertim ſi ab imbecilla ventriculi & inteſtinorum concoctione genitus ſit. Alioqui cùm iecoris, aut prægreſſæ febris ardor hunc protulit, mitioribus agendum, & reuerà huius difficillima eſt curatio, quam cum aſcite complectemur, quòd vix ſeorſim obtingat. Clyſtere præmiſſo, vtilis futura eſt vomitio, præſertim in anaſarca, ſiquidem facilè æger vomat.

Clyſter ad tympaniten.

Difficillima tympanitis curatio.

Emeticum blandum.

℞. Oxymel. ſimpl. aut ſquill. ℥ii. decoctionis ſem. aneth. ſem. raphan. aut fœnic. ana ℥vi. miſce, & tepeſcentem propinato; qua hauſta, interpoſito ſemihoræ ſpatio, proritetur vomitus, idque aut digitis, aut penna oleo madente in os immiſſa.

Bolus purgans.

℞. Cathol. ʒvi. rhéi elect. ʒi. cum puluere ducis fiat bolus, quem capiat per ſe; vel diſſoluendo in decocto mercurialis (aquas enim ducit: rhéum autem hepati aptiſſimum.) In anaſarca, diaphœn. ʒiß. adiicietur, non detracto interim rhéo, huic conuenientiſſimo: cuiùs ſi initio ſuſpecta ſit aſtrictio, infuſum propinetur. Poſtera die in leucophlegmatia incipiente, quam menſium, aut hæmorrh. ſuppreſſio inuexit, venæ ſectio locum habet, quæ impuritatis portionem detrahat: in cæteris horrenda eſt. Iis ita primo aditu conſtitutis, deinceps quæ aperiant, & ſeroſos aut pituitoſos humores partitè detrahant, imperentur.

Syrupus.

℞. Syr. de eupat. deſcript. Meſuéi, & ſyr. endiu. compoſ. an. ℥iiß. ſyr. Byzant. aut è radicibus, aut è calament. ſi cauſa frigida, aut oxym. ſquill. quart. ß. aqu. fœnic. cichor. & abſint. aut cuſcut. aut card. bened. ana ℥iiij. pulu. ſpic. nard. & ſchœn. ana ℈i. cinnamom. ʒß. fiat ſyr. clarific. in quatriduum. At ſi virentes herbas tempus non deneget, ita concinnetur.

Apozema.

℞. Quinque rad. aperient. phu, rad. filic. aut rubiæ maior. (aut cort. rad. cappar. median. fraxin. tamariſc. & inprimis ebuli, ſi lien malè afficitur) ana ℥i. rad. aſar. ℥ß. vel fol. mentæ ſiccæ (ſi ventriculi occaſione malum acceſſit,) ʒiii. fol. agrimon. hepatic. vtriuſque cichor. fumar. capillarium recentium, borrag. ana M. i. chamædr. chamæp. mercur.

mercur.soldan. ana M.ß. semin.apij, petros. sesel. (aut semin. cuscut. & halicac.) ana ʒij. aut semin.viticis,anis.& fœnic.ana ʒij. si multus flatus vnà collectus sit. (sæpiùs enim ascites, & tymp. complicantur) passul. mundat.℥i. semin.cartham. orient. ℥iß. thymel. in aceto biduo sæpiùs maceratæ, & agaric. linteo raro inuol. ʒiß. flor. genist. samb. tamarisc. & stœchad. ana p. i. cicer. rub. p.iß. decoq.ad ℔ ij. sub finem iniiciendo spic.nard. & schœn. ana ʒiß. in colat.dissolue succi radic.irid.& succi apij, ana ℥i. sacchar. albissim. quantum satis, fiat apozema: clarificetur, & aromatiz. cum ʒi. diacurc. mai. & ℈i. radic. asari, & ℈ß. diarrhod. abb. aut cùm laborantis gustui nonnihil concedendum, aromatiz. cum ʒi. puluer. cinnamom. dentur ℥v. singulis, aut alternis diebus, si vires ferendo non sint. Cùm autem vel febris vrget, vel prima mali causa calida est, tum detractâ calidorum portione, frigida semina, lupulum, & alia intybi genera, atque liquiritia, sitim extinguent, quæ adipsos est; vel radic. nymph. incoquito, aut syrup. endiu. commisceto.

Hoc apozema propriè quidem ad ascitem comparatum est, aptiùs autem leucophlegmatiæ destinabitur, auctâ aperientium portione; aut adiectâ enulâ, acoro, origan. prassio, polio, sampl. beton. puleg. calamenth. & simil. in contumaci iecoris obstructione comprehensis. Ad hæc polypod. sennæ, cartham. quantitate amplificata, atque sub finem affuso vini albi quartario. Cùm suppressorum mensium ratione hydrops est, artemisiam, matric. ering. aliáque vtero dicata conuenienter aptabis.

Quomodo apozema superius leucophlegmatiæ aptetur.

♃. Præscripti apozem. quart. i. in quo dissolue rhæi electi in modico vini albi infusi & expressi ℈iiij. cinnamom. & spic. nard. ana gran. iij. syrup. ros. solut. ℥ij. fiat potio, quæ exhibeatur finito apozemate. Parcissimè hîc bilis educenda, quòd ipsa in corpore mediocriter retenta aquoso humori obsistat. Certiùs autem ad anasarcam subsequens accommodabitur.

Potio purgans.

In hydrope bilis parcè educenda.

♃. Semin. apij, petros. & halicac. ana ʒi. liquir. & passul. mund. ana ℥ß. sennæ orient. semin. cartham. ana ʒiij. agar. rec. troch. ʒi. flor. genist. & stœchad. ana p. i. decoque in æquis partibus aquæ gram. capill. vener. adiectâ vini albi ℥ß. in colat. ℥iiij. dissolue diaphœn. & indi maior. ana ʒiß. syrup.rosat. ℥i. misce, fiat potio. In iis autem præscribendis tutius est citra modum subsistere, quàm vltra procedere. Cùm enim vitiosis & corruptis humoribus scateant hydropici, pauco autem perfruantur bono succo, facilè purgationibus exoluuntur.

Potiuncula purgans.

Tutius est hydropicis imbecilliora, quàm valdiora medicamenta exhibere.

♃. Theriac. veter. (discutit enim flatûs, & exsiccat) ʒi. confect. diacurc.in formam opiatæ ʒiß. cum sacchar. fiat bolus, qui exhibeatur sequenti die nisi febris obstet, quâ inualescente, electar.triasant. duplicato rhæo, aut diarrhod. abb. vsurpetur.

Bolus leuiter purgans, ac roborans.

Cæterùm cùm noxius humor non potest vllius medicamenti vi, totus

in aluum confluere, tutóque ſemel & affatim expurgari nequit, quod à iuſtâ vacuatione defuit, iteratione ſupplendum. Itaque priùs apozema ad perfectionem ſyrupi paretur: vel pilul. vel electaria, vel opiatæ imperentur, quæ eandem vim habeant. Pilul. è ſagap. ſi neque iecoris ardor reclamat, aut ſi quid horum eſt, pilul. de rhæo, Rhaſis potiùs quàm Auicennæ, ℥i. pondo, bis térve menſis ſpatio exhiberi poſſunt, quamdiu virium robori confidimus. At infirmis illis, paſtilli è Meſeræo (ſiue chamelæa) deſcript. Rhaſis, (9. ad Almanſ. cap. 99.) mitiſſimi vſurpentur (qui conſtant ſemin. intyb. ℨx. chamel. ʒi. agaric. ℈ij. ſucci eupator. tantundem, roſar. gran. cydon. vel ſemin. citri, ana ʒiiß. hæc in decem paſtillos redigito, quorum vnum quotidie ſyrupo acetoſo ex ſaccharo confecto dilutum, exhibeto) aut pilul. de agar. in anaſarca, aut indum maius. Neque vſquam pilul. mezer. nec pilul. de euphorb. in vſum conferendas exiſtimo, vt naturæ aduerſiſſimas: Quemadmodum neque medicamentum è cantharidibus, quorum vicem ſupplebit quod ſubiiciam.

Pilulæ hydragogæ.

Pilulæ mochlicæ vitandæ.

Electarium.

Tabella hydragoga.

♃. Maſtic. ſpicæ, roſ. rhéi, agrimon. & myrob. citr. ana ʒi. laureol. (prima eſt mezerei ſpecies, daphnoides appellata) in aceto per triduum maceratæ ʒij. agar. ℈ij. turbith. ʒß. trita tuſáve excipiantur cydonior. carne, aceto, ac melle ſimul coctis ad ℥iiij. & concinnentur in electarium. Doſis ʒij. ex lactis ſero. Ea quantitas ſi languidiùs ducat, in ʒiij. eſt augenda. Mitius euadet, ſi detractâ laureolâ, ſuccus iridis in quo illa præmaduerit, cæteris affundatur. Eſt & aliud quod non diſſimilem facultatem poſſidet.

Opiata hydragoga.

♃. ſucci irid. ℥i. galang. zedoar. ana ʒij. cinnamom. caryophyll. & agrimon. exſiccatæ, ana ʒiß. ſpic. & ſchœn. ana ʒß. braſſic. mar. ℥ß. excipiantur mellis quantum ſatis, alternis diebus ſemuncia detur, aut etiam quotidie manè. Hoc autem noſtræ conſuetudini aſcribendum.

Alia.

♃. Catholic. ℥ß. (caſſia ab hac curatione reiicienda, quòd flatulenta ſit) electar. indi mai. & diaphœnic. ana ʒij. trypher. perſici & rhéi electi, ana ʒiß. ſpic. nard. & cinnamom. inter. ana gran. viij. agar. rec. trochiſc. ʒi. medullæ ſem. cartham. orient. ℈iiij. fol. ſoldanel. ʒiij. thymel. per artem præpar. ʒi. ſyr. roſat. ſolut. q. ſ. reduc in formam opiatæ, quâ vtatur ſeptenis circuitibus, niſi alui fluxus obſtiterit: acceptâ ℥i. ſolidè, aut diluendo aquâ graminis.

Si alui fluxus hydropi complicetur, quid agendum.

Corripiuntur autem ſæpè hydropici alui profluuio, ídque præpeditâ alimenti diſtributione; quamobrem tunc temporis nouo ſymptomati obſiſtendum ſuis remediis, & maximè trochiſc. berberis, & plantag. ſucco, qui & vrinas mouere, & incipientem hydropem ſanare creditur. Sedato ſymptomate, paulúmque recreatis viribus, idonea afferatur vacuatio. Imò verò tutiùs aperientibus, quàm aſtringentibus idem

ſuppri

supprimitur; mictio enim vberior deiectionem minuit, ac reseratis obstructionibus anadosis iuuatur. Symptoma enim cùm illud sit, neque morbi essentiam detrahit, neque medicamenti vicem supplet. cùm ergo reliqua curatio persequenda est, solidiórque medicamenti forma expetitur, pil. quas mox subiiciam, vtilissimæ sunt, & præsertim ad anasarcam, cui nulla febris assidet.

Pilulæ ad anasarcam.

℞. Cinnamom. schœn. cuscutæ, croci, calami odor. sem. apij, phu, prass. nardi, asari, mastich. myrrhæ, ana. ℈i. sagapen. agar. an. ʒij. euph. per artem præpar. turbith. coloc. an. ℈ij. rhéi ʒiij. aloës ad pondus omnium, cum succo eupator. & absinth. subacta cogantur in massam, dosis ʒi. bis aut ter mensis curriculo.

Interpositis diebus clysteres aquas ducentes prætermitti non debent; expeditissimum enim est hoc præsidij genus, ac minùs periculosum. Quibus autem vires languent, galli antiqui cnico polyp. hyssopo, petros. dauci semine infarcti sorbitio detur.

At quæ sequuntur pilulæ, stomachicæ sunt; nulláque obseruatione cibo præmitti possunt.

Pilulæ stomachicæ.

℞. Mass. pilul. de sagapen. ʒi. puluer. hieræ picræ, aloës lotæ in aquâ endiu. ℈ij. (alioquin enim iecinori calido, maximéque per se, aduersissima) semin. rutæ & vrticæ, quæ præcipuè ad tympan. accommodata est, ana ℈i. spic. nard. & schœn. ana gran. xv. puluer. fol. agrimon. (hepatica est) ʒß. cum syrup. de eupator. fiat massa, ex cuius ʒi. formentur pil. 5. deuoret vnam ante pastum, horæ spatio, quàm frequentissimè.

Hydragoga varia.

Serum lactis.

Hæc quidem maiore artificio & exquisitiore forma constant, nunc paratu faciliora notemus. Serum lactis in quo cnicus præmaduerit, adiecto irid. Florent. ℈i. & cinnamom. ℈ß. Aut idem serum in quo absinthij coma, cuscuta, fumaria, grana halicac. decoxerint, adiecta spica & schœn. laudatúrque caprinum, depasto animali plantis hydragogis consueto pabulo insertis. Insuauis potus vrinæ aut pueri, aut capræ. Proderit quoque succi prassij ℥iiij. admisto saccharo, ieiuno dare. Auxiliatur etiam stillatitia flor. genistæ aqua quotidie ad ℥v. sumpta. Ebuli aut sambuci è mediano, vel radic. vel stipitis cortice tuso expressus succus, superaffusâ graminis aut cuscutæ aquâ, & vini albi exigua portione, sumptus ℥i. quantitate aliquot dies cum cinnamom. momento, hydropem sanat. Quin & sunt qui sambuci & ebuli aquas stillatitias vnà commistas diebus 30. propinent, ℥v. pondere. Magna omnium approbatione iridis succus depuratus ab ℥ß. ad ℥i. ex lactis sero aut passul. decocto, insperso saccharo, aut cinnamom. tantillo, hydropicorum aquas eximiè purgat. Aqua stillat. è purpureis illius floribus ℥i. pondere cum. ℈i. puluer. triasant. pota, eadem præstat, ad quam raphani aqua proximè accedit. Neque desunt qui ricini è radice succum iridi æquandum putent. Brassica marina, soldanella vulgò, nobis frequentissima, puluere ad ʒi. succo ad ℥ß. cum saccharo sumpta, vtilis-

Succus ireos.

simè aquas cutem subeuntes extrahit. (Elaterium, semen ebuli ʒi. pondo cum vino albo infusum; epotum semel in hebdomade idem præstat.) satiùs tamen duco infra hanc dosim subsistere, atque ℈ß.puluer.triasant. admiscere, aut rhæi ℈i. Aliorum autem quæ aquas ducunt, vt elaterij, cyclaminis, lathyrid. tithym. chamæl.thymel. euphorb.multò periculosior est vsus, neque citra obtrectatorum reprehensionem illa dari possunt. Optimum ergo & experientiâ comprobatum, alternato priorum vsu aquas eximere, ita quidem vt purgato corpore vel iridis, vel soldanellæ succum propines. Dein haustu per quatriduum interpollato, prassij aut apij succum ad ℥iiij.aut serum lactis exhibeas. Repetendum subinde remedium quod ex iridis succo instituimus. Atque ita sæpiùs deinceps facta mutatione. Et cauendum ne vni natura assuescat, quod in acutis nonnunquam, in diuturnis semper est obseruandum. Huc spectat hydragogum à præclarissimo nostrâ memoriâ viro, admirabili artificio compositum, cuius ego descriptionem subiicere non verebor.

Mutanda sæpiùs remedia.

Opiata hydragoga.

℞. Succi rosar. pallidar. ℥iij. sacchar. & mellis, ana ℥viij. coquantur dum expumauerint, & crassescant, ac tum adde succi rad.ebuli ℔ ß. prassij, sicci, sem. fœniculi tritor.ana ʒi. acinor.ebuli & sambuc.ana ℥i. cinnamom. ʒiij. macis, galang.ana ʒiß.igne lento coquantur in mellis crassitiem. Datur ℥ß.ex sero lactis, aut decocto vuæ passæ. Efficaciùs reddetur adiecti, succi iridis ℥iij.clementer aquas detrahit, pueris, senibus, ac prægnantibus tutum, siue febris adsit, siue nulla sit. Vehementissimum quidem est medicamentum ad aquas hydropic.exhauriendas, quod Mesu. cap. de mesereo conscriptum reliquit; Quò etiam loci vinum è thymelea, parum ad hydropem efficax, & syr.rosat.in quo antè perfectam coctionem thymelea sit macerata. Sed & hoc etiam si res cogat, nonnisi robustis imperanda. Atqui huic vitio ferè comes adest virium imbecillitas. Neque te lateat, dum illa vsurpantur, iecur refrigerante illitu debere communiri, ne assumptorum acrimoniâ vspiam offendatur.

Iecur refrigerantibus muniẽdum, dum acria intus vsurpantur.

Præstantissima denique è ligno guaiac. victus ratio, præcipuéque si leucophlegmatia est, neque iecur vehementer calet, ita quidem vniuersalis euacuatio complebitur; à qua vtilissimum est efflato in nares helleb. & piperis puluere sternutamentum concitare. Quod in omni specie locum habet, sed particulatim in anasarca tum errhinis, tum apophlegm. pituitam educere conuenit.

Errhina & masticatoria.

Secundum auxilium est, imbecillitati nutrientium viscerum succurrere, & humoris noxij reliquias dissipare. Id verò cumulatè præstabitur remediis ad iecoris intemperiem, aut eiusdem corruptelam, aut obstr. descriptis. Insuper tamen hæc præscribemus.

Imbecillitas iecoris emendanda.

Opiata.

℞. Conseru.flor.cichor.& rad.bugl.ana ℥i.conseru. flor.tamarisc.& flor.genist.aut radic.apij, ana ʒvi.conseru.radic.ireos, aut florum purpureorum

reorum eiuſdem (ſi præparanda imperetur) aut flor. perſicæ, qui aquas ſubducunt, ℥ß. pulu. diacurc.maior.& dialac.ana ʒi.cum ſyrup.de duabus radicibus, aut de eupat. reduc in opiatæ formam, quâ aut quotidie, aut alternis diebus vtendum, quantitate caſtaneæ, ſuperbibendo tantillum vini generoſi albi, aquâ graminis parum diluti. Si ex ventriculi languore hydrops eſt, cortic. citri ſacchar. conditi ℥ß. opportunè adiicietur: Aut ſi lienis, conſeru. ſcolopendr. aut ſi vteri vitio ex denſitate interuenit, radic. rub. ʒiij. Ita quidem de cæteris ſtatuendum. At longè efficacior, quamuis palato minùs grata futura eſt hæc compoſitio, ſi iecoris lupi arefacti liceret ʒij. aut iij. aut erinacei terreſtris in ſole ſiccati parem modum admiſcere. Quemadmodum ſi primæ coctionis vitio fit vt tympanites, tum puluerem inteſtini lupi, aut pelliculas internas ventriculi gallinæ, & in anaſarca, cinerem cancrorum marinorum in aqua endiu. lotum. Valet etiam ſequens electarium.

Alia iecur roborantia.

℞. Trochiſc. de eupator. & de cappar. ana ʒi. puluer. triaſant.aut ſi ventriculus inprimis laboret, diarrhod. alb. vel roſat.nouuell. vel aromat. roſat. ℈ii. raſur. eboris & ſpodij, ana ℈i. ſemin.aniſ. & endiu. ana ʒß. conſeru. capill. vener. ʒiij. ſacchar. albiſſim. aq.endiu. ſoluti, q.ſ. fiat electar.in tabellas Rhomboides pond. ʒiij. detur vna quotidie. Idem præſtant ſequentia.

Tabellæ iecur roborantes.

℞. Hepatis lupi ex arte præparat. ʒiij. internæ tunicæ ventriculi gallinæ lotæ vino generoſo & arefactæ, ʒij. fol. agrimon calamit. arom. cinnamom. ſantal. citr. & ſpicæ, ana ℈ij. fiat puluis, detur cochlear. menſurâ ex aqua abſinthij, aut endiu. aut cum ſaccharo aquis ſoluto formetur electarium. Aut adde diacum. ʒi. dialacc. & trochiſc. è rheo, ana ʒß. cum ſyrupo è quinque radic. formentur pilul. quatuor horis ante prandium ſumendæ.

Puluis iecur roborans.

Puluis Coctionem iuuans.

℞. Coriandr. ſimplici coopertura conditi, ʒij. aniſ. & fœnic. ſimiliter conditorum, ana ʒiij. puluer. diarrhod. abb. ʒi. puluer. roſat. nouell. ℈ij. pulu. fol.agrimon.ʒi.galang.ʒß. cinnam. inter.ʒij. ſacchar. ad pondus omnium, fiat puluis, quo vtatur poſtremâ menſâ, cochlear. menſurâ, nil inſuper bibendo.

Quod ſi febris nimium fatigat, ab his calidioribus temperandum. Quorum vice, raſi eboris, corall. puluerem, & vnionum ſubſtitues, & cum cinnamomo, coriandr. agrimon. puluere diarrhod. & ſaccharo conficies.

Vltimum auxilium eſt in topicis, quæ vel ſudore, vel perſpiratu hydropic. aquas ſubter cutem effuſas detrahunt & abſumunt, vel flatus diſſipant. Sudor autem ſicco calore, non balneo eliciendus. Balneum atque omnis generis humor, alienus eſt,& ſudor euocandus, non exer-

Hidrotica.

citatione tantùm, & sole, atque frictione, sed etiam in arena calida, vel tritici aceruo, vel laconico, vel clibano, & similibus; Ac maximè vtiles naturales & siccæ sudationes sunt, quales sulphureis & nitrosis balneis moliri licet: Aut illorum defectu, calidorum medicamentorum permistione comparatis, est ex decocto asari, iridis, fol. buxi, sampsuch. ebuli, adiecto sulphure, & nitro, impositísque ramis quæ noxium humorem, euocant, ac digerunt. Hoc tamen arte comparatum balneum rariùs tentetur. Conuenientissimus est clibani calor, instratis quà æger decumbit, ebuli foliis, aut iisdem pleniùs circunducto laborantis corpore: ea tamen obseruatione, vt & loci calor moderatus sit, & in hypocausto constitutus æger, ore ac naribus, frigidum aërem ducat. In iis enim administrandis, summè cauendum, ne vapor feruidus corpori extrinsecùs occursans, respiratione intrò sese insinuet, ac corpus accendat. Itaque neque impensè bilioso, neque multum extenuato, nec imbecillo, neque febrienti horum quicquam decernendum. Neque committendum, vt per æstum anima deficiat, sed maturiùs auferendus, & curiosè vestimentis inuoluendus est, vt neque ad eum frigus aspiret, & ibi quoque antequàm aliquid assumat, insudet. Sudores nonnulli accelerant epotâ tum temporis antiquâ theriaca. Quorum sententiæ ita subscribendum, vt interim febris, ac temporis ratio habeatur. His auxiliis humor qui summam cutem occupat, sensim discutitur, & inflata corporis moles detumescit. At si per virium imbecillitatem nequeant vniuersales sudationes perferri, præstantissimum est calente fotu, vnguentis, cataplasmatis, emplastris, facculis, cucurbit. sinapis. dropace, phœnigmis, & similibus præsidiis idipsum moliri. Quod in ascite, & tymp. præcipuè tentandum. Cùm ergò ad topica remedia ventum erit, hæc in ascite commodissimè annumerantur.

Therma. — *Hypocausta.* — *Theriaca antiqua sudorem prouocat.* — *Varia topica hydropicorū aquas perspiratu vacuantia.*

Fotus exhauriens Serum.

℞. Radic. irid. & cortic. radic. filicis, ana ℥iß. radic. ebuli, & cyclam. aut aristoloch. rotund. ana ℥i. fol. pedis columb. fol. rutæ, calament. & mentastri siccor. ana ℥ß. cicadar. puluerat. ʒiij. anis. fœnicul. ameos, & cumin. ana ʒij. (præsertim si flatulentus sit hydrops) scoriæ ferri ℔.ß. baccar. laur. ℥ß. flor. chamæmel. melil. stœchad. arab. & anthol. an. p.i. rosar. rubr. p.ß. decoque in q.s. vini albi; dein adde mellis optimi ℥ij. foueatur venter inferior longè à cibo per spongiam nouam, ita tamen ne attingas regionem hepatis, idque per horæ quadrantem. Vtilius fore putem, si solo vapore hinc sublato tumor perfundatur, ægro prostrato & in ventrem decumbente; in id autem comparanda est lignea tabella foramen habens, è quo ventris tumor peruius subiecto vapori commodè pateat: Ac tum decoctionis selibræ, salis, sulphuris ℥iij. rectè adiicientur. Ita horæ triente, vel quadrante venter fouendus, quo absterso illinatur sequenti vnguento.

Vaporarium.

℞. Vn

Litus ventris inferioris. ℞. Vnguenti de artan. rectè dispens. ℥vi. adde succi laureol. succi sambuc. & succi rad. ireos, ana ℥ij. puluer. fol. soldanell. ʒiij. decoque ad succorum consumptionem, fiat litus. Vel:

Alius. ℞. Succi cyclam. & succi rad. ireos, ana ℥ß. succi radic. ebuli ℥ij. ol. rutac. ℥iß. bulliant ad mediam succorum consumptionem; dein adde puluer. fol. soldanell. ʒij. baccar. lauri tritar. fol. mentastr. siccor. & asari, ana ʒij. sem. rutæ ʒiß. ladan. puri, styr. calam. an. ʒij. sagap. vino generoso solut. ℥ß. ceræ prædictis liquoribus eliquatæ, quantum satis, fiat litus quo linatur ventris inferioris regio, superimposito panno, quod fasciâ, non nimium tamen vehementer astringere conueniet. Efficaciùs autem eliciet sequens.

Vnguentum. ℞. Succi brassic. marin. & cyclam. ana ℥iß. succi cucum. agrest. & & succi thymelææ, ana ℥i. asari ʒij. spic. nard semin. apij petros. & rutæ agrestis, ana ʒi. farin. lupinor. ℥ij. axung. cuniculi, & olei scorp. ana ℥i. ceræ parum, fiat vnguentum quo vngatur vmbilicus, & regio vesicæ. vehementius adhuc reddes, si vel cinerem scorpionum, vel cicadas tritas, vel etiam cantharidas addas. Probatur pari ratione marciatum, & aregon, & agrippæ, sed quæ vel soldanellæ puluere, vel sulphure, si flatus subest, vim maiorem acquirant. Quod ad cataplasma, præsens quoque auxilium est stercus bouis gregarij aridum, exactè tritum, & coctum in poscâ, vel oxymelite, superaspersâ sulphuris quarta parte, toti ventris capacitati admouere, iecinoris regionem semper excipio: vel stercora caprilla in pueri vrinâ ad sordium spissitiem macerata applicare. Hæc ab illustribus viris memoriæ sunt prodita, quibus vti quoque consueuimus. *Cataplasmata pro hydropicis.*

Cataplasma.

℞. Sterc. vaccini arefacti ℔ß. sterc. caprini ℥iij. fol. rut. & calam. ana M. i. fol. pariet. & pedis columb. ana M. i. ß. decoq. omnia in æquis partibus vrinæ pueri, & vini albi, deinde contundantur, & cribro cernantur, colaturæ adde farin. orobi & fœnugr. aut hordei, & lupinor. (hîc enim quæcunque farinæ exsiccantes probantur) ana ℥ij. puluer. radic. ireos, & asari, ana ℥ß. axung. anatis, & gallinæ, vel cuniculi, si haberi queat, ana ℥i ß. olei aneth. & rutac. (parcissimè oleo vtendum) aut sicyon. ana, quantum satis, fiat catapl. quod calidum ventri sæpè adhibeatur. Si demptis axungiis & oleis adieceris succi cyclam. & brassic. marin. ana ℥iß. tereb. ℥ij efficacissimum reddes.

Aliud.

℞. Fol. ebuli, M. ij. tundantur affuso vino albo, dein adde sterc. caprini ℔. i. farin. orob. & puluer. irid. ana ℥iiij. saponis mollis ℥ß. misce in formam cataplasmatis. Sunt qui euentu incredibili marinas conchulas

conchulas attritas, aut terrestres limaces integrè tusas cataplasmatis in modum ventri superimponant (ex Galeno,) quibus cyperi, spicæ, schœn. caryophyl. aut cinnamom. puluerem odoris gratiâ addidisse iuuat, Quin & alij cochleas lixiuio incoquunt, tritásque admouent. Nos firmatum hydropem integrè discussum scimus frequentissimo ventris illitu ex oleo cui folia pedis columb. (quæ secunda est geranij species) admista pueri vrinâ incoxerant.

Experimentum authoris.

Emplastrum.

♃. Gummi ammon. & sagap. in vino veter. solutor. ana ℥i. massæ emplastri diachyl. ireat. & de baccis lauri, ana ℥iij. sulphur. viui ℥iß. semin. cumin. ℥ß. fol. soldanell. ʒiij. fol. thymel. in aceto præmacer. ʒij. malax. omnia simul cum oleo aneth. vel sicyonio, vel ricin. vel adiectis tereb. ℥ij. cogantur in emplastri massam, cuius portio alutæ imposita ad formam quadratam, ventri inferiori admoueatur, iecoris regione communitâ sequenti vnguento.

Vnguentum iecur præseruans.

♃. Cerati santal. ℥iij. vnguenti rosſ. ℥ij. spic. nard. & schœn. ana ʒß. trochisc. de spodio ʒiß. ol. nenuph. aut violat. quantum satis. Fiat vnguentum.

Emplastrum flatulento hydropi.

♃. Emplastri è baccis laur. ℥iij. semin. vitic. aristol. rot. & pulu. irid. ana ʒiij. cyperi, semin. anis. cumin. & fœnic. ana ʒij. sulphur. ʒiß. tereb. ℥i. flor. stœch. melil. in puluerem redactor. ana ʒiß. malax. omnia, & fiat emplastrum, quod alutæ impositum formâ quadratâ ventri applicetur, intacto tamen iecore. Sacculis autem commune est digerere quod vel præcordia onerat, vel corporis habitum obsidet; creberrimus tamen illorum vsus in hydrope flatulento.

Fotus ex sacculis

♃. Auenæ, milij, baccar. lauri contus. ana ℔. i. salis communis ℥viij. suphur. viui ℥iij. semin. cumin. & rutæ, ana ℥iij. flor. stœch. rorismarin. & salu. ana pug. iij. torreantur omnia in sartagine, sensim affundendo vini generosi, quantum satis, his simplicibus inferciantur sacculi calentes imponendi toti abdomini per sesquihoram, ídque per horam ante prandium, & horâ nonâ vespertinâ. Si per hæc inflatio non minuitur, necessariæ sunt curcurbitul. siccæ, aut incisa cute si res cogat. Si hæc nihil etiam profuerint, efficaciter infundentur per aluum quæ colicis accommodantur, & glandes ibi descriptæ indendæ sæpiùs, quales è cumino, ruta, sale, ac melle parantur. Quinetiam extrinsecùs fotus discutientes, & alia remedia ibidem comprehensa vsurpanda. Atque ita quæcunque hydropis species est, auxiliis profligabitur. Cùm autem per illa ventris tumor non subsidit, valentioribus agendum. Vt autem id experiare, commodum est lino ventrem quotidie metiri,

Cucurbitulæ.

Balani.

Quibus notis hydropis euētus deprehēdi possit.

metiri, & quà comprehendit aluum, notam imponere. Postero die videre si plenius sit corpus, an extenuetur: Id enim quod extenuatur, medicinam sentit: Neque alienum metiri potionem eius & vrinam. Nam si plus humoris excernitur quàm assumitur, ita demum secundæ valetudinis spes est; alioquin & ægrè succurritur, & maiore auxilio opus est: túmque acrioribus pugnandum, vt sinapismis, phœnigmis, atque aliis quæ cutem erodant. Quapropter vtendum cataplasmatis ex fermento, ficis pinguibus calce, nitro, iride, nasturtio, pyrethro, sulphure viuo, ammon. baccis lauri, vua taminia, columbar. ruralium fimo, aridâ vini fæce, vel omnibus, vel quibusdam ex iis cum oxymelite.

Metasyncritica.

Phœnigmus.

℞. Calcis viuæ, nitri, cardamom. euph. ammoniac. baccar. laur. staphys. fimi columb. syluestris, an. Trita cogantur melle, hæc ventri apposita humorem validè exhauriunt, sed non nisi exploratis aliis, neque admodum extenuato corpore vsurpanda. Quibus obseruationibus vnguentum è cyclam. seu de artanita vocatum, vsui tandem esse potest, quod omnium est vehementissimum.

Vnguentum de arthanitæ.

Si per talia auxilia venter non exsiccatur, sed humor nihilominùs abundat, crebro scarificatu, aut ferramentis candentibus, pluribus locis inter se distantibus, aut causticis pastillis, aut cantharide, ac ranunculo venter exulcerandus, ita tamen vt non altè vlcera subeant, quæ seruanda diutius grano ciceris, aut viridis ceræ globulo. (vel etiam vesicatoria omnibus imponenda.)

Caustica.

℞. ferment veter. ℥iij. cantharid. ℥ii. malax. aceto fortissimo, fiat emplastrum magnitudinis debitæ admouendum, excitatæ pustulæ permittantur longo tempore fluere, imponendo folia brassicæ oleo perfusa. Ab his admoueatur causticum vtrique tibiæ quatuor digitis infra genu, & decisa eschara, teneat vlcera longo tempore aperta.

Vesicantia.

Hoc autem in extremis est, quæ ad ascitem à veteribus excogitata sunt: quemadmodum & paracentesis, quæ nec temerè approbanda, nec omninò improbanda est. Obseruationes ergo adhibendæ, multáque in consilium aduocanda. Vrendum aut secandum vbi ab aliis remediis desperato est. Sæpè enim temeraria medicina, ait Celsus, id est, sine vlla felicioris euentûs expectatione suscepta, locum habuit. Atque tentandum illud remedium priùs quàm humor corrumpatur, viscera grauiùs labefactentur, concidántque vires. Neque senibus, neque imbecillis decernendum: sed nec quibus scirrho obsessum iecur aut lien, aut pulmonum vlcus mali causa sint; alioquin frustra aquam emitti constat, quæ vitiatis illis visceribus subinde enascatur. Horum si nil adsit, atque vbi antè visceribus sit prospectum, in virium mediocritate, paracentesis minùs infert periculi. Sic arte seruari possent aliqui,

Paracentesis.

Quinam huic operationi sint idonei.

ſenſim per ventrem emiſſis aquis, quæ illic contra naturam coïerant; Ac ſæpè natura ſponte & vtiliter humori concluſo viam parat per vmbilicum. Nil tamen iſtiuſmodi aggrediendum, niſi præmonueris in difficili rem eſſe. Si æger huic curationi eſt idoneus, ſub vmbilico tribus interpoſitis digitis (aut in ipſo medio vmbilico) cutem aculeo vel ſcalpello perforare opus eſt, ſic tamen vt ne linea alba attingatur, difficiliùs enim coaleſcit, haud ſecùs ac vulneratus vmbilicus, paululum in dexteram vel ſiniſtram partem vulnus inclinet, id eſt, longiùs à viſcere primò & grauiùs affecto. Et æneam fiſtulam obliquâ acie, ſcriptoriis calamis, ſimilem indere, per quam noxius humor effundatur. Sed non magnopere vulnus impreſſum hiet, atque prudenter mucro adigatur, ne pungantur inteſtina. Fiſtulâ immiſsâ, parcè ac partitè humor emittatur, pulſui manum adhibendo, ex aph. 27.l.6. Dein exemptâ fiſtulâ, humor ſiſtetur linamento tortili impoſito. Quo dein ſummoto, ſimili ratione aqua ducetur. Sunt qui primò viam parant cauſtico medicamento, dein cauterio, poſtmodum ſcalpello peritoneum perforant. Sed experimento conſtat, erumpentis aquæ fluxum ſupprimi faciliùs & tutiùs, ſi cutem abdominis apprehenſam deorſum, aut ſurſum digiti latitudine retrahas, tum ſcilicet cum aculeo facienda via eſt, quæ fiſtulam admittat: quâ detractâ, ſponte cutis in priſtinam ſedem reducitur, & humori affluenti fit obuiam, tumque faſciis nihilominùs venter obuoluetur, ne quid humoris imprudenter exiliat. Interim vires modis omnibus recreentur, & per inſequentes dies decem aliquid humoris vacuetur: Neque huiuſmodi vacuatio ad extremum ducenda eſt, ſed detractâ oneris portione, quod reliquum eſt, modis antè expoſitis pleniùs abſumetur. Aſclepiadi placuit, incidendum ſuper talum, quatuor ferè digitis, quà per aliquot dies humor feratur. Nos ſæpè cauſtico medicamento vlcus impreſſimus, quod reſolutâ cruſtâ prorogatum, ſenſim humorem profunderet. Si in ſcrotũ aqua deſcenderit, leniter ſcroti ſuperficiem compungere oportet, vbi nondum nimis occupauit, alioqui manum adhibere non conuenit.

Apertionis locus.

Scarificatio ſupra talum.

Scroti ſcarificatio quando facienda.

Cæterùm ſiue anaſarca, ſiue aſcites eſt, pedes cruráque tument, atque vbi iam morbi radix euulſa eſt, illorum tumor diſcutietur fotu & vnguentis quæ digerant, & nonnihil reprimant, qualia ſequentia.

Fotus pedum turgidorum.

℞. Cineris ſarment. vitis, ficus, braſſicæ, & tamariſc. an. p. iij. fol. ebuli, m. ij. ſchœn. & cyperi, an. ℥iß. abſinth. ſamb. ſalu. chamæp. & orig. an. m. i. flor. hyperic. ſtæch. anthos, & roſ. rubr. an. p. ij. ſalis ℔ß. alum. ℥ii. fiat decoctio in nouem ℔. aquæ extinctionis ferri, addendo aceti acerrimi ℔ß. decoq. ad conſumpt. tertiæ partis, & foueantur partes tumidæ ſpongiâ nouâ, aut aliquo ſalis genere præparatâ: Dein faſciâ madidâ inuoluantur, admoto priùs ſequenti linimento:

Vnguentum pro pedibus.

℞. cineris braſſic. ℥ij. cyperi ʒvi. ſchœn. pulu. hermod. pulu. irid. florent. & aloës, an. ℥ß. myrrhæ electæ, & ariſtol. rot. an. ʒiij. ſucci braſſic. aut ebuli, ℥iij. aceti ℥ii. olei irin. ℥iiij. mellis q. ſ. alum. & ſulph. an. ʒiij. fiat vnguentum. Aut:

Cataplaſma paretur ex decocto rad. ebuli, cucum.agreſt. origani, braſſic.quibus tuſis,ſtercus bubulum,ſulphur,mel & acetum adiicientur cum farina hordei.Eas partes,quæ tument, arenâ calente obruere,atque ſubiicere ſoli oportet. Sed caput velandum eſt, vtendúmque frictione tempeſtiuâ dum tumor ſubſideat.

Victus ratio.

Ea protinus in hoc malo exquiſita tenenda. Ideò Celſo l. 3.c. 21. faciliùs hoc malum in ſeruis quàm in liberis tollitur, quia cùm deſideret famem,ſitim,mille alia tædia, & longam patientiam, promptiùs iis ſuccurritur qui facilè coguntur, quàm quibus inutilis libertas eſt. Idcircò fame & ſiti laborantem cruciato; cibus ſit perexiguus, potio parciſſima, neque vltra danda eſt,quàm vt vitam ſuſtineat; optimáque eſt,quæ vrinam mouet, incoctâ graminis radice,aut petroſelin. vinum vetus exhibeatur, & quàm tenuiſſimum; atque ſi ſine febre æger eſt, Creticum. Cibus tenuis decernatur, qui & facilè coquatur,& celerrimè diſtribuatur. Panis ſit clibanites, biſcoctus,qui aniſi & fœnic. ſemina contineat. Iuſcula rariſſima res amat: frequentiorem in ieiunio vomitum. Aſſa potiùs quàm elixa. Atque ſi iuſculis vtendum quod vires deſint, illis petroſelin. fœnic.apium, aſparag.eryngij radix, hyſſopus,vel ſi febris exardeſcit,endiu.cichor.agrimon. oportunè incoquentur.aliena pinguia viſcoſa, & craſſæ, compactæque ſubſtantiæ alimenta, tum quæ mali ſunt ſucci. Abſtinendum prætereà ab omnibus inflantibus. Vtiliſſimæ carnes minùs excrementitiæ, aromatico puluere conditæ, cuius hæc eſt deſcriptio.

Potus parcus.

Vini vſus qualis eſſe debeat.

Cibi.

Puluis inſpergendus Obſoniis.

℞. Cinnamom.zinzib.galang.an.℥ß.aniſ. & fœnic. an. ʒiij. ſpicæ & calami odorat. an. ʒij. ſantal. alb. ʒiß. ſpodij ʒi. hepatis lupi arefacti ʒii. ſacchar. albiſſ. ℥i. fiat puluis, qui tum conuenientiſſimus erit cùm frigida mali cauſa fuerit: hic obſoniis miſcebitur. Ex auibus ſylueſtres & ſiccæ magis probantur, præſertim fœniculo infarctæ, ac eiuſdem generis venatio. Ex lepore tamen grandiore cibus prohiberi debet. Aduerſa quæ aquis innatant. Item legumina & fructus omnes, exceptis fortè amygdalis aſſis, piſtaciis, ac rariſſimè vuis paſſis. Dulcia enim minùs idonea ſunt vt idcircò lacte abſtinendum eſſe putem, niſi fortè in Arabia,ex ſoli & paſcui naturâ aliter ſtatuendum eſt. Laudatur capparis, ac ſi quid aliud eſt vrinas mouens. Locus ſeligatur præcipuè ſiccus & arenoſus, & in orientem conuerſus. Euocandus æger eſt ad exercitationes, frictiones, ſudationes, vectiones, marinas nauigationes, donec ex toto conualeſcat. Somnus ſit breuis, vigiliæ enim potenter exſiccant.

Carnes, & alia obſonia.

Lacte abſtinendum hydropicis.

Alia res non naturales.

CAPVT XVI.

De Ictero.

Icterus quid. *Signa icteri.*

Icterus symptoma est cútem citrino colore fœdans, ídque bile in summum corpus effusâ. Color celeriter malum detegit, maximéque faciei, & inprimis oculorum, in quibus quod album esse debet, fit luteum, solétque accidere & sitis & oris amaror, & dolor capitis, & vbi vehemens motus est, spiritûs difficultas, membrorúmque grauitas & pruritus, sed interim nullus sudor.

Icteri causa.

Refunditur autem bilis flaua, cùm iecur, aut iusto calidius, aut phlegmone obsessum bilem copiosiorem gignit, quàm vt à cysti expurgari tota possit. Aut cùm vesicula fellis intercluía, obstructis ductibus, bilem prolicere non potest. Vnde quoquouersum regurgitans, flauo colore cutem inficit. Aut per biliosarum febrium crisin, quâ noxius humor, vel naturæ sese deonerantis conatu, vel morbi impetu à feruore foràs subter cutem erumpit, eámque inficit. Fit prætereà regius morbus veneni labe, ac viperæ morsu, quo sanguis derepente à suâ integritate desciscens, in bilem citrinam, vel æruginosam degenerat.

Causarum icteri dignotio.

Promptum autem fuerit, efficientes huiusmodi causas propriis signis distinguere. Venenatam quidem ex euidenti occasione & repentino coloris vitio absque febre. Criticum icterum ex morbo præsenti, & subitâ mutatione, quæ critico die plerumque finit, nisi præcordia obstructione, vel scirrho obduruerint; tum quippe, vt ex crudiore morbo, damnari solet.

Quem porrò iecur inflammatum protulerit, expressæ inflammationis notæ designabunt. Iam si calidior intemperies hunc inuexit, nulla aut obscura insequitur febris; alui recrementa neque tardiùs descendunt, nec albicant, bile adhuc in intestina confluente: Etsi vrinæ tum colorationes, tum crassiores euaserint. At in vesiculæ obstructione, aluus durior & pigrior est, fæces albicant bilis permistione destitutæ, vrinæ crassescunt, & flauescunt, adeò vt propè nigrescant, linteolúmque aut papyrum immersam citrino colore tingant, haud aliter quàm sumpto vel croco, vel rhéo. Rarissimum quidem est à calida partium extremarum intemperie, qualem æstus inducit, morbum regium gigni, sanguine in bilem conuerso. Ac tum quidem nullum ex commemoratis signis adest, sensímque vitium obrepit.

Arquatus niger. *Huius causa.*

Cæterùm melancholico humore subter cutem resperso, Arquatus fit niger eóque fertur & regurgitat, cùm lien obstructus, aut imbecillior factus, sanguinis limum non prolicit; vel cùm aut alimentorum vitio, aut

aut iecoris impuritate, melancholicus humor adeò exuperat, vt huic expurgando, lienis satis esse nequeat, sicque expletus hunc respuit, & in summa refundit. Quare fit icterus hic aut lienis vitio, aut humorum exuperantiâ: quæ signis non obscurè discernes. Qui viridis est icterus, vtriúsque permistione & perfusione inuritur.

Icterus viridis, seu chlorosis.

Curatio.

Indicationes.

Primùm causa quæ icterum inflixit, summouenda, deinde fœdus tetérque corporis color eximendus: neque aliter quàm sublatis morbis, vnde prosiliit, ipse deleri potest. Causas excindes, lethiferam veneni vim alexipharmac. obtundens cuique veneno accommodatis, vniuersímque theriacâ: Aut calidam iecoris, atque etiam venarum intemperiem extinguens, aut eiusdem inflammationem curans, quorum remedia ex propriis capitibus repetenda. Aut denique folliculi fellis obstructionem, ex qua icterus frequentiùs ingruit, reserans incidentibus & detergentibus amplissimè in iecoris obstructione comprehensis: è quibus nunc calidiora, nunc frigidiora deligito, obstruenti causæ & laborantis temperamento accommodatiora. Neque hoc genus mali alias medendi leges desiderat. Quibus enim citra febrem morbus regius accidit, vrgente in dextra hypochondriorum parte grauitatis cuiusdam sensu, ij clystere acriore primùm, sæpiúsque deinceps iniecto, & vomitione incitatâ, si facilè ea cieri potest, & propinatis aperientibus, datóque medicamento bili demendæ accommodato, mox in habitum naturalem referuntur, pristinúmque recuperant colorem. Verùm si per hæc ad sanitatem ventum non est, & clyster, & vomitio subinde repetenda, etiam per radiculam veratri albi ramis transfixam, & in oxymelite infusam; atque paulò vehementioribus, tum aperientibus, tũ purgantibus rursus vti expediet, cuiusmodi ad inueteratas iecoris obstructiones anteà parauimus. Quare vt breuissimè rem complectar, vtriusque generis aperientia ictero diuturno aptanda sunt: initio temperatiora, vt eupator. cichor. lupulus, gramen; exin calidiora, vt apium, rubia, chamæpit. calamint. acorum; Quæ tum demum aliquid effecisse iudicabis, cùm & alui recrementa coloratiora, & vrinæ minùs crassæ, minúsque croceæ apparebunt. Neque verò hîc temerè imperanda venæ sectio, sed medicamento potiùs exhaurienda ea est regio, quæ aliis mali initium dedit. Non enim è venis, sed è malè affectis visceribus vitij est origo; atque id è iecoris, aut lienis impuritate, corpori toti impertitur, vnde impuro sanguine emisso, mox alius succedit impurior. Medicamento ergò, non venæ sectione vacuandum, nisi fortè aut ingens venarum plenitudo, aut incalescentis sanguinis symptoma acriùs vrget, aut sit ex suppressis mensibus orta cacochymia: tum quippe venam incidere, ac menses euocare, apertâ malleoli aut poplitis venâ, non erit alienũ. Sed & suppressas hæmorrhoides concitâsse nonnunquam profuit.

Obstructio folliculi fellis frequentissima icteri causa.

Icterus citra febrem clystere & catharsi profligatur.

Aperientia diuturno morbo regio conueniunt.

Catharseos necessitas in morbo regio.

Venæsectione quando vtendũ in ictero.

Δύχροιαν delentia. His vbi ſublata fuerit interior cauſa, fœdus deinceps totius corporis color,& faciei delendus,& in priſtinum nitorem reducendus. Id commodiſſimè fiet exercitatione, frictione, balneis aquæ dulcis, in quâ relaxantia, detergentia, & aperientia incoxerint, vt inde patefactâ cute, extenuatus humor liberiùs exhalet. Sed in his cauendum, ne vlla ſubſit in venis primis humoris crudi copia, quæ in omne corpus rapi poſſit.

Balneum.

℞. Radic. enul. fœnic. apij, ruſci, an quart. acori, erythrod. gentian. ariſtol. an. quart. ß. fol. ciclæ, pariet. maluar. an.m. iii. praſſij, origan. capillar. agrimon. chelidon. & ſaponariæ, an. m.i ß. lupinor. pug. iij. flor. camom. melil. hyperic. ſummit. centaur. minor. aneth. an. part.ii. hord.integr. p. v. furfur. pugill. iij. fiat decoctio pro balneo, quod concocto duntaxat cibo ineundum. Vt in balneum venit æger, pauliſper reſidens nonnihil eorum ſumat, quæ aut ſudores vberiores prætenui ſubſtantiâ mouent,& humorem bilioſum ſubter cutem fuſum apertis ſpiraculis foràs excutiunt: Aut quæ peculiari quadam dote huic vitio auxiliantur.

Diaphoretica. Priore quidem ordine continentur aſparagi, fœnic. apij, adiant. rad. anchuſæ, aſari, chamæpit. calamint.hyperic.roriſm. ſerpilli, praſſij,agrimon. buphthalmi, oxylap. endiu. cichor. piloſell. ſem. halicac. ſemin. melonis, & cicerum rubrorum decocta, adiectis ficubus, & percolato iuri, ℈ ß.croci(aut cùm arquato nigro cutis obſcuratur,adde cortic.radic. tamariſc. & capparum,aſplenium,& geniſtæ flores,& tamariſci)vel ſucci eorundem ex vino albo dari. Ad hæc ſuccus pentaphyll. aut chelidon. aut anagallid. aut irionis,aut chamæpit.cum vino,aut raphani aqua,cuius in hoc præcipua vis eſt, aut vinum decoctionis oxylap. Denique quæcunque anteà in aperientibus ſumus complexi.

Specifica icteri medicamenta. At propriam vim diſcutiendo regio morbo obtinent cornu ceruini delimata ſcobes ʒi. pondo, ex vino albo; raſur. eboris, anteriores caſtoris dentes, bubuli fellis lapis ex vino potus, terreni vermes vſti, (Plin. lib.30. cap. 2.) tritique, & cum myrrha in fabæ magnitudinem ex vino tenui dati; multipedæ pari modo potæ; croci ʒß. cum melle. Sunt etiam qui crocum in excauato malo, ſtuppáque obuoluto aſſum, non infeliciter edendum præbeant. Nonnulli præuiâ coloris fortaſſe quadam ſimilitudine ducti, muſcum lapidibus inſidentem iuuare credunt. Hæc quæ in ſecundam claſſem coniecimus, reliquam morbi materiam abſumunt; Priori verò genere comprehenſa ſudorem excitant. Moto à ſudore perfricandus æger balneo inſidens, & abſtergendus nouâ ſpongiâ; vel linteis aſperis, & materiâ balnei perfricandus. Dein maturè auferendus, & curioſè veſtimentis inuoluendus eſt, vt neque ad eum frigus aſpiret,& ibi quoque antequam aliquid aſſumat,

Aët.lib.10. cap. 18.

Frictiones & abſterſiones cutis poſt ſudorem.

inſu

insudet & indormiat; hoc ipsum triduo, vel quatriduo iterandum. Necnon, si languidiùs sudor erumpit, perungendus est oleo anethino, laurino, chamæmel. & irino, aut antiquo, in quo artemis. saluia, sampſ. rosmar. puleg. chamæm. flor. & centaur. minor. comæ coxerint, immisto vini albi triente (℥iiij.) aut aceti albi sextante (℥ij.) posthæc si quid alieni coloris faciem aut oculos adhuc deturpet, frequentiore vini albi lotione eluenda facies, quò id discutiat, aut succo citri, & vino albo, aut decocto fœnugr. cassutæ, eupator. prassij, adiectâ sub finem aceti portione.

Litus totius corporis.

Ablutiones faciei.

Sed & aceti vapore in faciem è candente latere sublato croceus ille color deletur, neque aliter suffitus hic iuuat. Fabar. cortex, aut lupini, confractæque hordei paleæ, aceto acerrimo incoquantur, obturato vase: Dein facies expirante illinc vapore suffundatur: luteum enim colorem eximit. Neque præter rationem elixarum carnium fumus in faciem, exurgens conferre dicitur, sulphur quoque regium morbum emendat, inspersum fronti cochlearis mensurâ, aut in ouo sorbili sumptum. Oleo etiam è carthami semine vtilissimè infecta pars illinitur; oculos excipio. Errhinis quoque opportunè deriuatur humoris quippiam.

Suffitus.

Errhinum.

℞. Succi rad. betæ rubræ, succi anagall. & rosar. an. ℥iß. aq. sampſ. vel fœnic. ℥ii. vini albi, & mellis rosati quart. ß. Misce fiat errhinum. Vel ex decocto hordei, & rosato melle; aut ex succo marrub. & iridis cum vino albo & melle; aut ex elaterio cum lacte fusꝰ: hauriat prono capite, contineátque etiam pressis naribus paulisper. In id quoque spectant excitata sternutamenta, piperis, veratri, & struthij (*herbe à foullon*) pulu. in nares efflato; aut aceto acerrimo naribus attracto; aut succo nasturt. aut iridis, aut cucum. agrest. aut cyclam. capræ lacte temperato. Quæ etiam dum æger balneo insidet, conuenientissima sunt. Post balneum, atque etiam in ipso, puluis quem subiecimus, vtilissimè datur.

Ptarmica. Paul. l.3. cap. 50.

Puluis.

℞. Ras. cornu cerui ʒi. pulu. lumbric. terrestrium lotorum in vino generoso, & in clibano siccator. ℈ii. cinnamom. interioris ʒß. croci, & rad. rubiæ mai. an. ℈i. Misce, & cum vino albo exhibeto; vel ex aquâ raphani; aut ex succo radicis chelidon. quod vehementissimum, sed minùs gratum. At curandis morbis remedia, ex vi potiùs quàm suauitate conferri debent: Ineptissimum enim esset singularem medicamenti facultatem saporis gratiâ metiri.

In remediis magis spectāda vis quàm suauitas.

Pilulæ

Pilulæ Icterum discutientes.

℞. Radic. rubiæ maior. ℥ß. cinnamom. ʒß. spicæ ℈ß. terantur cum succo limonum, aut citrij mali, aut eiusdem syrupo, qui ictero conuenientissimus est, fiant pilulæ septem ex ʒi. dentur tres inanito ventriculo, expurgatóque corpore. Præter hæc, inclinante malo, serum lactis quindecim diebus quotidie sumptum, singulari auxilio esse solet, præstantius est futurum, si cnici semen contritum in eo maceraueris; ac dein colato vtaris sero.

Seri lactis vsus.

Icteri ex nimio solidarũ partium æstu, remedia.

Qui autem ex solidarum partium æstu originem contraxerint, primùm extinctâ caloris immoderatione, per ea quæ iecoris ardorem temperant, demum illis natiuus color renouabitur simplici frictione, & tempestiuâ exercitatione, & aquæ dulcis humectante, & refrigerante balneo; quæ in tabidis & hepatis calore descripsimus. Sed & assumpta, admotáque, & victûs ratio eadem quæ illis, aut quæ tertianis congruit, instituenda est.

Icteri critici curatio. Arquati nigri curatio. Icteri viridis curatio.

Criticus autem icterus medicinis non indiget, balneis facilè discutiendus. Eadem porrò arquati nigri curandi ratio est, per ea quæ obstructum lienem reserant, atque melancholici humoris exuperantiam deducunt, & hæmorrhoidas suppressas euocant. Nec dissimilis icteri virentis medela per ea quæ vtrique visceri prospiciunt, vtriusque infarctûs explicant, & bilem ac melancholiam simul expurgant. A quibus dein quod in cutem est sparsum, descripto balneo, errhinis, & sternutamentis dissipabitur.

Victûs ratio ictericorum. Cels. l. 3. c. 24.

Quòd ad victûs rationem attinet, per omne morbi tempus vtendum exercitatione, frictione, balneo, lecto, & conclaui cultiore, amœno loco, vt & ludi lasciuiâ, per quæ mens exhilaratur: ob quæ morbus regius dictus videtur, per hæc, & per eos cibos qui extenuant, viuidus ille coloris flos tandem restituitur. (conueniunt autem salsamenta, moderatè tamen tincta in aceto, intybus & portul.) adeóque eadem planè viuendi ratio hîc accuratè tenenda, quam anteà in iecoris obstructione fusè exposuimus.

SECTIO TERTIA,

De Lienis affectibus: necnon mesenterij ac pancreatis.

CAPVT XVII.

Lienis Obstructio.

Varij lienis affectus.

LIEN tumet, obstruitur, scirrho indurescit atque interdum phlegmone tentatur. Viscus hoc molle, & fungosum, & excipiendo sangui-

ſanguinis limo deſtinatum ſæpiſſimè inflatur, obruitur, & in ingentem tumorem aſſurgit: idque humorum excrementitiorum appulſu, quos rara, laxaque ſubſtantia combibit, & in ſe recondit; facilè enim multa cruditate & humore pituitoſo imbutum diſtenditur ac tumet: iis potiſſimum qui locis paluſtribus humidiſque degunt, & qui frigidæ potu longiore, humidiſque veſcuntur oleribus, iis etiam qui è frigidis, humidis, diuturniſque morbis emerſerunt. Sed multò crebriùs melancholiæ copia turgeſcit, quoties hæc vel diutius coërcita, nec tempeſtiuè expurgata, vel nimium in ſanguine redundans, & à liene prolecta, viſcus totum implet. Hac enim infarctum primò quidem obſtruitur, dein accreſcente humoris exuperantia, ipſum viſceris corpus impletur & extuberat, dum tandem inueteraſcente malo, id ſcirrhoſum euadat. Cùm itaque parcior humor, non vniuerſam viſceris ſubſtantiam, ſed ipſius duntaxat vaſa implet & obſtruit, ſola grauitas & obtuſus dolor ſubeſt, citra conſpicuum tumorem: At cùm deinceps maior humoris copia accumulatur, neque venas modò, ſed & lienem vniuerſum infarcit atque diſtendit, grauitati tumor inſuper accedit, initio quidem laxus nec admodum renitens, quandiu fluxa adhuc & liquida in liene melancholia continetur; ſed qui ſicceſcente & craſſeſcente humore, ſenſim durus euadat, dum tandem vel neglectus, vel malè curatus, in ſcirrhum verum abeat, qui prementi indolens renititur, quo tempore maxima duritia annotatur. Hominem porrò lienis incremento laborantem cognoſces, cùm læua parte venter intentus tumet, extatque tumor oblongus, linguæ bubulæ ſpeciem referens, aliàs etiam nulla circunſcriptione vniuerſum hypochondrium implens. Illic moleſta grauitas premit, quæ dextro corporis decubitu excandeſcit. In intenta ambulatione, curſuque, dolor, & quædam difficultas eſt. Spiritus frequentior redditur, ſed maximè in exercitatione. Siniſtrum hypochondrium ſæpè obmurmurat; flatus plurimi ventriculum implent, aut erumpunt. Cruditates emergunt, & fluctuationes obaudiuntur, ac multa ſaliua in os exurgit, quæ frequentem expuitionem promouet. Fit tamen laborans, plerumque cibi largioris edax. Faciei color fuſcus, obſcurus & nigricans, interdum & liuidus, & plumbeus. Corporis habitus ſtrigoſior & ſqualidus. Humoris etiam vapore cor laceſſitur, corpuſque vniuerſum ignauum & iners quaſi diſſolutum languet, & nonnunquam leui cum ſudore animi defectiones obrepunt: ad hæc capitis grauitas, & inconſueta ſomnolentia, eaque turbulenta ac moleſta, deſidia, timiditas, negligentia, contemptuſque rerum. Atque, vt ſummatim dicam, plurima redundantis melancholiæ ſigna hunc lienis tumorem comitantur.

Obſtructionis lienis cauſa.

Aët.l.10.c.7.

Obſtructio lienis vel ſine tumore, vel cum tumore.

Signa vtriuſque obſtructionis lienis.

Lienis tumor quomodo dignoſcatur.

Cæterùm lienis & coli inteſtini maxima eſt affinitas & adhæſio, vt proinde horum dolores diſtinguere ſit operoſum. Diſcernuntur tamen partes hæ tum ſpecie, tum ſitu doloris, atque

Dolores lienis & coli vt differant.

 affi

assidentibus signis: illic enim grauitatis & molesti ponderis, & obtusioris doloris sensus inest, qui lienis circumscriptione definitur, & immotus manet. Hic autem acerbissimus, modò distendens, modò acutus, qui ferè vagus, in multas ventris regiones se contorquet, ac ferè in ventriculi fundum protenditur.

Prognosis. Quod ad prognosin, recens lienis obstructio facilè euellitur; inueterata non sine magno artificio, tædioque extirpatur, tumoremque contumacem, putredinem, & febrem perniciosam inuehit: imò in scirrhum tandem facessit, & in hydropem præcipitat.

Therapia. Lienis ergò obstructio, vt ad therapiam accedamus, aut simplex est, aut tumori connexa; vtraque eandem propemodum cum similibus hepatis affectibus curationem sibi vendicat. *Indicationes.* Hîc tamen paulò vehementiora decernãtur, & minùs astringentia, siue attenuãdum & aperiendum sit, siue emolliendum, quibus quæ flatus discutiant, conuenienter admisceto, quòd ea pars eiusmodi facilè toleret, & citra offensionem sustineat, sed cauendum ne quid nimis: quæ enim supra modũ calfaciunt ac dissipant, ex terreno humore parti inserto, scirrhum faciunt. *Splenica medicamenta.* Quamobrem lieni consentanea sunt, quæ impactam ipsi melancholiam crassam illam quidem ac terrenam, blandè extergunt, & attenuant, nullo euidenti astrictionis impresso vestigio, vt exin obstructione reserata, via sit procliuior in aluum, quò lien omnem exuperantiam sæpiùs deponit. Quæcunque id præstant, calore moderato, & prætenui substantia pollent, cuius vi terrenam sanguinis fœcem attenuent & discutiant. Cùm enim melancholia duplex sit; vna quidem exusta & retorrida; qualis ferocientem hypochondriacam & maniam profert; altera tanquam sanguinis limus, nullius caloris particeps, quæ lienis tumores efficit, morbosque diuturnos inde profectos. Illa frigidis & humidis domanda & demulcenda est, quemadmodum in hypochondriacis dicetur. *Attenuantia melãcholiam purgantibus præmittenda.* Hæc autem iis quæ mox subiiciam, attenuanda, & ad purgationem præparanda sunt, vt inde lienis obstructio dissoluatur, & omnis ipsius tumor subsideat. Itaque particulatim lienem minuunt, & ipsius obstructiones reserant, *Attenuantium simplicium splenicorum sylua.* è simplicibus capparis, tamariscus, quorum flos & radicis cortex vsurpatur; fraxini cortex, radix acori, filicis masculæ, salicis cortex ac flos eiusdem, & quinque rad. aperientes, scolopendrium siue asplenium, aut ceterach, capill. vener. trichomanes, lupulus, fumaria, cuscuta, lapathum, chamædr. chamæp. isatis siluestris, nasturtium; sed propriè hemionitis atque phyllitis, lauendula, nardus celtica: semen viticis, erúcæ, atriplicis, cubebæ, & reliqua semina, quæ flatus discutiunt, aut aperiunt, vt seseleos, ameos, rutæ, apij, petros. flos genist. stœchad. rorismar. cicer nigrum. *Vehemẽtiora.* Et iis vehementiora rubia, peucedanum, raphanus, & eius semen, eryngium, iris: helenij radix, aristol. rot. gentiana, scilla, lauri radic. cortex, asarum, Quæ vix sola, sed mitiorum permistione temperata in vsum conferantur, cuiusmodi sunt vtrunque bugloss. viola, cichor. semen portulac.

quod

quod lienem peculiariter deprimit, semen endiu. Hæc sunt quæ lieni propriè aptantur. Quibus insuper accedunt alia, quæ ad contumaces obstructiones iecoris fusiùs commemorata sunt, vt prassium, origanum, tragorigan. beton. polium vtrumque, pulegium, teucrium, anchusa: prætereà quæ deinceps in diureticis annumerantur, non quidem vt infarctum lienem per vrinas expurgent, (expeditissima enim à liene per aluum via est, quò natura commodiùs vergit & dirigit:) sed vt illa obstructiones reserent, quibus solutis, terrenus humor iam attenuatus expeditiùs secedat in aluum, & promptiùs trahenti medicamento obtemperet. Porrò melancholicum humorem blandissimè detrahunt epithymus, sena, polypod. quorum siccitas vel austeritas leniente & humectante mollienda, vt gallinaceo iure, aut lactis sero, aut passul. & violar. decocto. Sed huiusmodi, quod imbecilliora sint, ac per se languidiùs moueant, paulò validioribus, vt rhéo & agar. euacuanda est. In melanagogis quoque helleborus niger, lapis cyaneus, lapis armenus, & myrobalani indæ censeri solent: verùm hæ, quòd obstructiones ingeminent, nunc planè arcendæ sunt, illa verò quòd naturam molestiùs concuterent, meritò ab vsu recesserunt. Hactenùs simplicia proposuimus, quæ calore & prætenui substantia lienosis auxiliantur. Nunc etiam minimè silendum, quædam alia extare quæ lienes absumunt, seu quòd astrictione fungosam & solutam huius molem comprimant, seu quia humorem affusum combibant, & exsiccando absorbeant. Sic enim chalybis, è cotibus cùm acuuntur gladij, scobes, aqua extinctionis ferri, corallium, phyllitis, siue lingua ceruina, muscosus myricæ fructus, nymphææ radix arefacta, portulacæ semen, lienem extenuant. Atque hæc non, vt superiora, cuiuis indiscriminatim lienis tumori, sed duntaxat laxo aptari possunt. Quin etiam lienosis proprietate succurrunt, splen asini, aut pulli equini, aut hœdi, aut capræ arefactus, & vespertilio dempto capite per artem præparatus, & in puluerem redactus, ʒi. aut ʒiß. pondere, ex oxymelite squillit. haustus, aut hepar lupi, aut astragalus suis attritus. Item anisi semen, portul.

Iecur deobstruentia in lienis curatione etiam locum habēt.

Melanagoga blandiora.

Melanag. validiora.

Lienes obsumentia vi manifesta.

Lienes absumentia proprietate quadam.

Iam verò in compositis aperientibus notantur, syr. è scolop. è capill. vener. è duabus & quinque rad. acetos. aliis commistus, oximel. simplex, sed præsertim squillit. cui acorus incoxerit. In purgantibus syr. è fumar. syr. ex epithym. cathol. diasen. solut. hiera Rufi, confect. hamech, pilul. è fumar. & quæ rariùs vsurpari debent pilulæ indæ, è lapide lazul. è lapide armeno. Sed iam purgato corpore, humoris melancholici reliquias è turgente viscere dissipant trochisci, de capparibus, dialacca, diacurc. hedychroon, & quæcunque alia in expediundis hepatis obstructionibus recensuimus. Denique si obscurus ac teter ipsius vapor, in cordis aut mentis sedem fertur, confectio alkerm. puluis elect. de gemmis, puluis lætific. & alia quæ in cardiacis comprehenduntur. Nunc singula componamus, & in vsum propiùs referamus.

Composit. aperientia.

Composs. purgantia.

Reliquias humoris melācholici dissipantia.

A minoratiuo auspicāda curatio. Inprimis ventriculus ac mesent. venæ leuiore medicamento repurgandæ, quò noxij humoris, & antecedentis materiæ portio minuatur; mox incidentibus & detergentibus patefaciendi aditus, & obstructio reseranda. Dein validiore cathartico terrena sanguinis fæx iam attenuata, è liene pleniùs detrahenda. Postremò si quid humoris à purgatione reliquum fuerit, dissipandum & absumendum, omnisque lienis tumor fomentis, vnguentis & emplastris discutiendus est. Primò ergò imperetur clyster cap. de melancholia descriptus. Vel.

Validiora cathartica. nonnisi præparantibus præmissis vsurpanda.

Clyster. ℞. Radic. althææ, lilior. ana ℥i. malu. viol. mercur. borr. & fumar. ana M. i. passul. mund. & prun. dulc. ana par. xx. sem. lini & fœnugr. ana ℥ß. anis. & fœnic. (nam melancholici flatulenti) ana ʒii. sem. melon. & cucurbit. contus. ad humectandum, ana ʒiii. fol. sennæ orient. & sem. cartham. ana ℥i. flor. trium communium, ana pug. i. summit. aneth. flor. camom. melil. ana pug. ß. coquantur, & in colat. dissolue cathol. ℥i. diaprun. simpl. ℥ß. ol. violat. ℥iii. mellis merc. & sacchar. rubr. ana quart. ß. fiat clyster, cuius crebra iniectione aluus laxior seruanda; cui cùm deinceps ad extremum ventum est, diasenæ, vel confect. hamech. ℥ß. soluitur. Deinde

Potio purgās. ℞. Cathol. ℥ß. diasen. solut. ʒii. syr. ros. solut. ℥i. aqu. lupuli, aut fumar. aut decocti mercurial. fumar. cuscut. & bugloss. ana q. s. fiat potio.

Iulepus. ℞. Syr. è duabus radicibus, & oxymel. simpl. ana ℥ii. syr. capill. vener. & bizant. ana ℥i. aqu. fumar. bugloss. & lupul. ana ℥iiii. puluer. diagalang. ʒi. fiat syr. clarific. pro quatuor dosibus.

Alius. ℞. Syrup. è quinque radicibus ℥iii. syr. de scolopend. & oxymel. squillit. ana ℥iß. aqu. beton. cuscut. & capillar. ana ℥iiii. pulu. cinnam. ʒi. fiat syr. dispensetur per quatriduum. Illud autem interdum aduertendum, in quo passim erratur: nam incidere aceto in lienis obstructione licet, atque oxymelite & syrupis acetosis vti, tametsi melancholicis illud sit aduersarium. Quibus enim toto corpore melancholicus humor redundat, quique frigidam & siccam temperiem sortiti, terreno scatent succo, iis acetum est inimicissimum; melancholiam enim auget, eámque fermenti more tractat & extendit. Lieni verò particulatim conuenit, quia obstruentem incidit & extenuat crassitiem, atque prætenui suâ substantia angustas admodum vias subit: sed ratione visceris, cui sapor acidus haudquaquam est iniucundus, neque fermentatio noxia. Itaque præparetur ea ratione vacuandus humor, quam mox subiungam.

Cur acetum lienosis sit ex vsu.

Hipp. l. de vict. acut. sect. 3. t. 38.

Apozema præparans. ℞. Quinque rad. aperient. cortic. med. frax. cort. rad. tamarisc. & cappar. in aceto macerat. ana ℥i. acori, aut rad. rub. ℥ß. ceterac. M. ii. capill. ven. polytric. summit. lupul. hemionit. chamædr. chamæp. lapath. & bugloss. ana M. i. sem. portul. vitic. & cuscut. ana ℥iii. anis. fœnic. & sem. atripl. ana ʒi. flor. stœchad. rorism. genist. cicer. rubr. ana pug. i. fiat decoctio, & in colat. ℔iß.

℔iß. diſſolue mellis anthoſ. & oxymel. ſquillit. ana ℥iii. pulu. diagalang. ℈iiii. fiat apozema clarum, ad quatuor doſes, cui ficus addes, ſi in ſcirrhum iam tumor abierit. Hoc inſuper quandam purgandi vim ſortietur, adiectis polypod. quern. ſem. cartham. & fol. ſennæ expurg. ana ℥ii. & epithymi ℥ß.

Verùm nonniſi iam vtcunque præparata materia, aut etiam humoris maiore parte ſubducta, vt reliquias detrahat, ita purgans apozema componi debet. At initio, ſolis aperientibus, vtiliùs expurgandus humor præparatur, & ſplenicis obſtructio eximitur. Quod ſi à crudo & pituitoſo humore, quemadmodum iis qui loca humida & paluſtria incolunt, lien intumuit, vtendum apozemate & aliis remediis, quæ contumaces iecoris obſtructiones recludunt, vt origano, calamintha, pulegio, beton. rubia, aſaro, miſtis ſemper quibuſdam lieni accommodatis. His aperientibus ſyrupis iam inciſa & attenuata materia, veluti præparata, per aluum vacuabitur ſequenti medicamento.

Lienis humor ab humore pituitoſo quomodo curandus.

℞. Polypod. querc. recent. ſem. cartham. contuſ. & cortic. rad. cappar. & paſſul. mundat. aná ʒii. fol. ſennæ mundat. ʒiii. ſem. cuſcut. ʒiß. epithym. ʒi. ſem. fœnic. & petroſ. ana ʒß. flor. trium communium, & flor. tamariſc. ana pug. i. fiat decoctio ad ℥iiii. in qua colata, infunde rhéi electi ʒiß. agar. trochiſc. ʒi. cinnam. inter. ℈i. dein expreſſioni adde ſyr. de ſcolop. & ſyr. roſat. ſolut. ana ℥ß. vel ʒvi. miſce, fiat potio.

Potio purgãs.

Vel.

℞. Aqu. ſtillat. endiu. & capill. vener. ana ℥iß. vini albi generoſi ℥i. in quibus macera rhéi electi ℈iiii. cinnam. ℈i. expreſſione facta diſſolue diaſenn. laxantis ʒii. cathol. ℥ß. (aut diaſen. ℥ß. relicto catholic.) ſyr. adiant. ℥i. miſce, fiat potio; quæ minùs ingrata reddetur, ſi catholicum dempſeris. At ſi pituitoſo crudoque humore imbutum viſcus turgeſcat, aut iam durum euaſerit, agaric. ʒi. infunditur in oxymel. adiectis zinziberis, & ſalis gem. ana g̃. v. & expreſſum liquorem phlegmagogis nonnullis adiicito, & cum aq. beton. potionem efficito. Poſthæc, vtiliſſimum hæmorrhoidas euocare, maximè ſi ante, præter conſuetudinem, ſuppreſſæ fuerint. Poſtrema reſtat curationis pars, quæ expurgato iam viſcere reliquias detrahit, & omnem ipſius tumorem abſumit. Hæc partim aſſumptis, partim admotis completur.

Alia.

Hæmorrhoidum apertio.

Aſſumpta.

℞. Conſeru. aſplen. (ſeu ſcolop. ſeu ceterach.) ℥iß. conſeru. capill. ven. & rad. bugl. ana ℥i. conſeru. flor. tamariſc. ʒvi. conſeru. flor. geniſt. ℥ß. troch. de cappar. ʒi. cinnam. interioris, & pulu. diagal.

Opiata.

ana ℈ii. dialaccæ aut trochisc. de eupat. ʒß. cum syr. de duabus radic. aut byzant. aut è scolop. reduc in formam opiatæ, ex qua quotidie manè instar castaneæ sumatur, & mox tantillum vini albi aqua bugl. & fœnic. vel graminis diluti. Atque si huius vsu malum abigi nequeat, à sequenti petendum auxilium, quod scirrhis non parum opitulatur. (hæc scirrho lienis aptanda)

Confectio. ℞. Ammoniac. asari, rutæ, agni, ceterach, acori, hyssopi sicci, fructuum tamaricis, aut folior. eiusdem, ana ʒi. cortic. rad. cappar. sem. vrtic. sem. apij, anis. cinnam. ana ʒii. melle excipiantur, aut oxymel. squill. & fiat confectio. Lienem etiam turgidum coërcent troch. è capparibus efficacissimi, (ex Rhaze l. 9. cap. 70. adiecta compositioni rubiæ ʒiß. si illorum vnus ex oxymelite aut simplici, aut squillit. detur ieiuno: sed id multis diebus repetendum; vix enim nisi longo tempore medicamenta sentit, præsertim si iam vestutate tumet, & tumor in scirrhum vergit. Horum vice cappares aceto acerrimo conditæ ieiuno ventriculo vtilissimè dantur; aut radicis cortex ex syr. acetoso. Sunt qui lupinorum decoctum cum ruta & pipere assumptum mirum in modum commendent. Nec minùs lienosis auxiliatur vinum, cui raphani radix incoxerit, quotidie manè haustum. Nonnulli ficus duas aut tres in aceto, præsertim squillitico, maceratas quotidiè manè edendas præcipiunt; quod nobis etiam placet, maximè si viscus id duritia laboret. Quemadmodum & ammoniacum ʒi. pondere, ex aceto sumptum, cui Paulus l. 3. c. 39. castorei trientem admiscebat. Sed terebinthina infusa in aceto & septem diebus ʒi. pondere accepta, lieni vitioso & obstructo præcipuè succurrit. Nec dissimiles effectus exhibet, quod mox subiiciam. (Hæc scirrho lienis aptanda)

Trochisci. ℞. Myricæ fructus ℥ß. cortic. rad. cappar. ʒiii. piperis, spicæ nardi, cinnam. & ammon. an. ʒiß. sem. portul. ʒi. cum aceto squillit. concinnentur in pastillos, ʒii. ponderis: detur quotidie vnus ex oxymelite. Lienis dolorem, obstructionem, & tumorem eximit. Neque desunt qui huic lienis tumori compescendo, è limatura chalybis efficacissima remedia comparant, quod mihi tum demùm probatur, cùm lienis tumor laxus est, (de quo hîc potissimum agitur) necdum in scirrhum concreuit; quale est quod sequitur.

Limatura chalybis.
Electuar. è limatura chalybis.

℞. Limat. chalybis aut ferri, in aceto vel simplici, vel squillit. aliquoties infusæ & exsiccatæ, ℥i. cortic. rad. tamar. cortic. rad. cappar. fol. ceterach sіccor. & cinnam. interioris, an. ʒiii. excipiantur oxymel. squillit. vel sacchari duplo pondere immisto, fiat puluis, cuius ʒi. aut ʒiß. ex vino albo singulis diebus exhiberi debet.

Ad obstructiones lienis, cum flatibus, colica & splenica permixta valēt. Cùm autem flatus plurimus sinistro hypoch. collectus subest, illicque molesta fluctuatio, aut rugitus exauditur, præstantissimum fuerit colicis remediis, & splenicis vnà coniunctis illa discutere, ac planè absumere. Quamobrem medicamenta componantur ex acoro, melanthio, nasturtio, asplenio, vitice, ruta sicca, cumino, semine ameos, & fœnic. cortice cappa

capparis; horum inquam vel quibusdam, vel omnibus æquo pondere acceptis, & cinnamomi suauitate conditis, quibus corallium, aut ceruini cornu, aut eboris delimatam scobem addidisse iuuat. Eadem ratione sunt qui hæc catapotia probent.

Pilulæ.

℞. Aloës ʒiii. rhéi & agar. an. ℈ii. ceterach, sem. vitic. & endiu. an. ℈ß. cinnam. asari, spic. ras. eboris cornu ceru. corall. an. gr.viii. cum oxymel. fiat massa, ex cuius ʒi. pil. vii. concinnentur, septenis circuitibus sumendæ. Neque interim clysteres qui flatus discutiant, omittendi, quales ad colicas inscripsimus. Hæc in assumptis lienes extenuant, & obstuctiones soluunt, inflationes discutiunt, & scirrhis accommodantur.

Topica lienis regioni admouenda, in huius obstructione.

Nunc admouenda percurramus, quæ tum ex nonnullis superioribus, tum præsertim ex insequente materia comparari solent. Topicis enim aptantur nasturt. & ipsius semen, ruta, vrtica, hederæ tenella folia ex vino decocta, vel arida ex pane cocta & imposita; asplenij folia, hemionitis, semen viticis; cyclam. succus illitus, lepidium cum helenij radice impositum, asarum, sinapi, centaur. minus, aristol. Oleum amygd. amar. pistacior. & quod ex acinis ebuli elici potest, excellentissimum, cnicinum, laurinum, rutac. irinum, è floribus præsertim confectum, quod lienis dolores eximiè sedat. Oleum è capparibus, tamaric. fraxin. quæ lienis exuperantiam deprimunt, ipsumque ab infarctu liberant (hæc ad scirrhum lienis) oleum è nuce myrepf. & lilior. quæ emolliendo lieni indurato particulatim destinantur. Ex iis autem tum fotus, tum vnguenta, tum emplastra, pro rei necessitate, fieri possunt.

Fotus.

℞. Cortic. med. fraxin. minutim incisi, cortic. rad. cappar. & radic. apij, ana ℥ii. asplenij, (ceterach dicti) M. ii. fol. rutæ, hederæ tenell. centaur. min. nasturt. & vrtic. vel calament. ana M. i. aut capill. ven. prassij, absinth. chamædr. chamæpit. fol. tamaricis, sabinæ, summit. lauri, ana sem. viticis, cymini, ameos, ana ʒiii. sem. portul. ʒii. flor. chamæm. melil. aneth. stœchad. genist. ana p. i. incoquantur in tribus aquæ partibus, & vna aceti, addendo, si scirrhodes tumor sit, radic. althæ. & lilior. ana quart. ß. subinde foueatur regio lienis, spongiis decocto calente imbutis. Post hæc, illinatur solis oleis iam dictis, vel vnguento sequenti.

Vnguentum.

℞. Mucilag. althææ, & fœnugr. ana ℥i. ol. de capparibus, tamarisc. an. ℥iii. ol. lilior. aut sesamini, si emolliendum; aut rutac. si flatus discutiendi, ℥i. scolop. sicci, flor. agni, aut sem. eiusdem, ana ʒiß. pulu. irid.

irid. ʒi. styrac. calamit. ʒiii. ceræ parum, fiat vnguentum, quo vngatur regio lienis, addendo vnctionis tempore, aceti parum. Vel.

Litus. ℞. Olei amygd. amar. de capparibus, & irini lotor. aceto squillit. ana ℥ii. scolop. sicci, aristol. rot. ana ℈iiii. sem. portul. aut sem. rutæ, aut viticis, si flatulenta distentio est, ℈ii. asari ʒß. croci ℈i. ceræ citrinæ quantum satis ad vnguenti consistentiam, illinatur calidè. Cumque induratus lien emolliri debet, adde vnguenti resumpt. ℥iii. Probatur quoque hoc pauperibus accommodatum. *Cataplasma pro pauperibus.* Radices & stipites ebuli vino albo incoquito, tusasque colo transmittito; dein vino cui iam incoxerant, & aceti tantillo, atque adipe anserino, aut gallinaceo, in cataplasmatis modum subigito, quod exin calens parti superinduces. Sed vtilius fuerit quadrantem comarum absinthij cum ebulo concoxisse. Si per hæc lienis tumor non subsidit, ad vehementiora progrediendum, qualia sunt quæ succos cyclamini, centaur. bryón. oleis incoctis, aceto adiecto, excipiunt; & quæ ex fimo caprillo parata ad ascitem retulimus.

Aut hoc.

Vnguentum. ℞. Succi cyclam. aceti squill. mellis, ana ℥ii. lentè coquantur, dum despumauerint, & indita cera fiat vnguentum, cui, si placet, nonnihil puluerum licebit admiscere: Aperit & resoluit. Verùm cùm iam curatio processit, pugnandum est malagmatis, & clyster molliens frequenter iniiciendus. (Sed de his fusè in scirrho lienis: denique emplastra) Si maior duritia subest, vix prementi cedens, topicis illis alia nonnulla quæ euidentiùs emolliant subnectere oportet, vt ammon. sagap. opop. bdellium, styrac. œsypum, medullam cruris vituli, aut cerui, adipes, & alia quæ fusissimè in iecoris scirrho sunt comprehensa. Eadem enim vtrobique remedia, sed hîc paulò vehementiora conueniunt. *Vng: officinalia, duros lienis tumores emollientia ac discutientia.* Itaque vnguentum Agrippæ, resumptiuum, dialthæa, emplastrum de meliloto, de mucilag. diachyl. ireatum, ceroneum, filij zachar. oxycroc. oleis enarratis renouata, aut colliquata, duros lienis tumores molliunt, & discutiunt; quorum imitatione alia possunt concinnari, seruata lege quæ scirrhosum tumorem digerere vetat, priusquàm sit emollitus. Emollies decocto liliorum, rad. althæ. malu. squillæ, cort. cappar. cyclam. aut rad. mandrag. (quæ mirum in modum emollit.) centaur. minor. lini, fœnugr. caric. passul. flor. genist. ex aqua, cui aceti quadrans, aut sextans insit; quæ demùm in cataplasma cogi possunt, si magmati oleum irinum & liliorum affundas, cum medulla cruris vituli, aut gallinaceo adipe, ac farina fœnugræci.

Ceratum emolliens, ac digerens.

℞. Ammon. & bdell. aut huius vice opopanacis, ſolutor. in aceto ſquillit. ana ℥ij. muçag. althæ. & fœnugr. ana ℥iß. ſucci cyclam. ℥i. ſcolopend. ſicci, & ariſtoloch. rot. & rad. iridis puluerat. ana ℥ß. ſtyrac. calamit. ʒvi. olei de cappar. tamariſc. & ſeſamin. vel lilior. ana ʒiß. ceræ, quantum ſatis, vt in idoneam cerati conſiſtentiam redeant. Hoc etiam efficax habetur.

℞. Ficus pingues in aceto acerrimo die, ac nocte maceratas, num. x. tundantur, & cribro cernantur; deinde adde amygdal. amarar. cortice expurgatar. ʒvi. cortic. radic. cappar. ſcolopendr. ſicci, ana ℥iij. iridis ʒij. omnia ſubacta, & chartæ impoſita admoueantur lieni; cúmque tempus aduentat ſumendi cibi, detrahito, & locum oleo Keirino perlinito.

Cataplaſma aliud.

Emplaſtrum.

℞. Ammon. galban. opopan. ſagap. ſolutor. in aceto acerrimo, an. ℥ß. emplaſtri diachyl. ireati, & maſſæ emplaſtri de meliloto, ana ℥ij. flor. camomill. fol. aſplen. ariſtol. rot. ana ℥ß. roſar. rubrar. ʒiß. ſapæ, q. ſ. fiat emplaſtrum; aut loco ſapæ, adde mucag. ficuum ℥iij. extractæ cum decocto cyclam. vel enulæ, vel centaur. min. aut cum aceto. Hoc præſtantiſſimum eſt, cui & aliud ſubiungam.

℞. Emplaſtri filij zachar. & diachyl. ireati, ana ℥ij. flor. camomil. folior. aſplen. ariſtoloc. rot. ana ℥ß. gummi ammon. galb. opopan. ſagap. ſolutor. in aceto acerr. ana ℥ß. incorporentur omnia tereb. fiat emplaſtrum ſuper alutam admouendum regioni ſplenis, & mutandum bis per ſingulos menſes.

Aliud.

Item aliud quod accipit cepas in aqua cum aceti ſextante coctas & tuſas, & oleo lilior. & tamaricis in catapl. formam ſubactas: Id breui imponendum. Validius etiam ex ſcilla paratur, ſi huius adſit poteſtas. Aut rutam & capparis corticem in excauata cepa, & affuſo oleo & aceto, lentè coquito: Hinc manante oleo lienem perlinito, ſuperimpoſitâ cepâ. Vbi durus tumor aliquomodo emolliri cœpit, è candente lapide molari, vel pyrite ſublatus aceti acerrimi vapor in lienis ſitum dirigendus: Aut aceto cui ebulus incoxerit extinctus lapis, linteolíſque obuolutus, parti imponendus. Hoc autem identidem & per interualla factitandum; ſed mox ad malactica recurrendum, quæ tantiſper admoueri debent, dum inclinari vitium cœperit. Si verò ea parum iuuerint, ſiniſtro præcordio propter vltimam coſtam, è lienis regione cucurbitæ cum ſcarif. admoueri debent, & ſinapiſmi, aut dropaces adhiberi debent, quæ humores ex alto in ſumma trahant. At ſi ne per hæc quidem tumor finitur, vltimum auxilium eſt, illic vrens medicamentum

Suffitus digerens.

Malactica digerentium vſui interponenda.

Vſtiones per eſcharotica.

tum affigere; aut quod humores in profundo valdè conditos potenter resiccat, quale ex auripigmento, sandarachâ, pice, ammon. galbano, terebinth. cappari, & glande vnguentariâ Paulus expertus est lib. 3. cap. 49. Curationem candente ferro tentatam sunt qui probent, & lienis sedem priùs designatam quinque locis inurant, trium digitorum spatio inuicem distinctis, ac vlcera igne facta, vbi crustæ deciderint, manantia diu prorogent. Hippocrates lienem tumidum per fungos ardentes decem crustis inurebat, ex lib. de internis affectionibus: cuius vstionis meminit Paulus lib. 6. cap. 48. Nos autem loco ignis, vtimur cauterio frigido, seu potentiali, ad lienis regionem apposito; parabuntúrque globuli ex helleboro, cum pauca cera noua, vt attrahatur humor melancholicus.

Vstio operâ candentium ferramentorum.

Globuli pro fonticulo.

℞. Helleb. ʒi. excipiatur ceræ nouæ ℥i. fiant globuli pro cauterio. Quidam traiiciunt cutem hypocondrij, setone, sed efficacius multò mihi videtur cauterium potentiale interiori tibiæ sinistræ infra genu admotum; humor enim melancholicus suo pondere eò vergit: Ideóque si varices melancholicis aduenianr; sanatio; aphor. 21. lib. 6. Vnica itaque superest victûs ratio lienosis consentanea, quæ cap. de scirrho lienis commodiùs decernetur.

Setaceum.

Victûs ratio lienosorum.

In hydatismis & rugitibus hypochondrij laui, colica remedia prosunt.

Cæterùm vbi flatus plurimus sinistro hypochondrio cum murmure & rugitu euagatur, aut sonitus obauditur quasi fluctuantis aquæ, tum maximè cum premitur hypochondr. quod in virginibus frequens est, quas pallidus faciei color fœdat, equidem contra rugitus & fluctuantem aquam remediis colicis agendum, & propriè sacculis, qui flatûs dissipent. Verbi gratia:

Fotus siccus ex sacculis.

℞. Milij ℔. ß. salis communis ℥iij. baccar. laur. leuiter contusar. ℥ij. semin. cumini, ameos, viticis, rutæ, ana ℥i. flor. chamæmel. melil. stœchad. ana p. i. torrefiant in sartagine, sensim affundendo vini generosi, q. s. & confestim includantur sacculis, qui parti vicissim admoueantur. Quinetiam remedio est emplastrum ad contumaces & flatulentos lateris dolores scriptum.

Litus.

Auxiliatur etiam euidentissimè oleum laurinum, rutac. chamæmel. aneth. & quod à maioribus nostris proditum est, ex alumine & cinere aceto permistis; aut sulphure & alumine aceto incoctis, atque inflato lieni, rugientíque præcordio adhibitis. Sequens hoc oleum colicis & hystericis, & lienis inflationibus singulari præsidio est.

Oleum.

℞. Ameos, cumini, rutæ, baccar. laur. aristoloch. rot. gentian. iridis, absinth. sicci, melilot. tamaric. semin. viticis, origan. arefacti, & nitri, vel salis communis, ana partes æquales, trita in duplici vase coquantur ex oleo anethino, rutac. antiquissimo, communi, & vino cretico, ad huius consumptionem: percolato eo vtere. Eodem spectant emplastrum è baccis laur. cucurbitæ regioni lienis admotæ, Atque vt summatim dicam, in hoc casu ad colica remedia fiat recursus.

Porrò

Porrò si lien imbecillior sanguinis limum non attrahit, quod deprehendes cùm citra grauitatis & distensionis sensum Arquato nigro facies deturpatur: tum perfricandum læuâ parte hypochondrium, móxque illic leues cucurbitulæ sæpiùs agglutinandæ: Dein sinapismo, aut dropace, aliísque attrahentibus, eò proliciendi humores; atque roborandum viscus splenicis calfacientibus, vt cypero, acoro, cappari, tamarice, ammoniaco, de quibus iam plenè cumulatéque disseruimus.

Arquati nigri medela.

CAPVT XVIII.

Lienis Inflammatio.

INflammatio vera non sæpè in lienem incidit: fit enim affluxu sanguinis purissimi; at lienis sanguis crassus & fæculentus. Si quando tamen contingat, faciliùs noscitur ex 6. de locis aff. cap. 1. quàm hepatis phlegmone: nam tactu durius sinistrum hypoch. quia viscus id non ita amplum. Ideóque non solùm gibba, sed etiam caua lienis inflammati pars tactu deprehenditur. Adde quòd laxior & rarior lienis caro, in quâ tumor durus manifestior est. Ea verò similiter & iisdē ex causis atque in iecore, progignitur. Si lien inflammationem quandoque experitur, cum tumore feruor, dolor, ac distensio, ac molestissima pulsatio sinistrâ parte percepta, malum exprimit, febrísque insequitur assidua & ardens cum symptomatum syndrome, lentore & lingua nigricante, siti implacabili, cibi fastidio, iactatione, vniuersi corporis inquietudine, quæ tamen ex partis affectæ conditione melancholiæ naturam redolet. De prognosi, idem quod in iecinore sentiendum. Quod ad therapiam attinet, phlegmone hæc vt easdem quas iecoris efficientes causas habet, sic iisdem curari debet auxiliis. Quæcunque enim hepatis inflammationi opem ferunt, eadem magnâ ex parte lienis phlegmonen restinguunt. Id duntaxat interest discriminis, ex loci ratione atque situ. Nam iecore inflammato, interior cubiti dextri vena secatur; At verò malè affecto lieni succurrit interior sinistra, in cubito quidem validiùs, in manu languidiùs [saluatella.] Aliàs reuulsionum eadem lex. Atque hîc hæmorrhoidas euocare vtilissimum. Secundò remediis quæ assumuntur, aut admouentur inflammationis gratiâ, nonnil eorum quæ lieni apta esse diximus, perpetuò commiscendum, vt initio salicis corticem & florem, semin. portulac. & plantag. Deinde asplenium, tamaricem, capparum.

Signa phlegmones lienis.

Causa lienis inflammati.

Prognosis.

Therapia.

Indicationes.

Venæsectio.

Assumenda.

In topicis pariter alumen & aphronitrum, aut quæ huius vicem supplent. Neque adeò corroborandum viscus, neque ita validè repellendum, ne vel humor in iecoris substantiam remeet, vel in liene contumaciùs impactus scirrhum gignat. Quocircà melilotum, chamæm. & phyllitim, (lingua ceruina) quouis morbi tempore topicis remediis immiscere conueniet. Initio quidem in hunc modum.

Topica.

Pulmentum lieni admouendum. ℞. Succi folior. ſalicis, portul. plantag. ana ℥ij. ol. roſ. chamæmel. & aceti, ana ℥iß. agitentur ſimul. Panni linei eo liquore madentes inſternantur lienis regioni; aut addendo farinæ hordei ʒij. coquantur in formam pultis. Ac tum ſi aluminis, roſar. fol. ſcolopendr. & flor. melilot. pulueratot. ana ℥ß. adieceris, cataplaſma conficies. In hoc deinceps, vt morbus progreditur, digerentium vis augenda erit, adiuncto flore viticis, aut tamaricis, aut puluere iridis, aut oleis eâdem facultate præditis. Sed & decreſcente inflammationis impetu vehementiora & magis attenuantia, quàm iecore inflammato, ex vſu ſunt, qualia in obſtructione, & ſcirrho præcipienda.

Poſt ſtatum, per aluum purgandum. Poſtremò, cùm ſtatum morbus præterierit, lien infarctus non per vrinas, vt iecoris pars gibba, ſedper aluum, vt caua, quò natura ſæpiùs dirigit, expurgari debet. Si vel abſceſſus, vel vlcus inſequitur, non ex aliis fit cauſis, neque aliis notis oſtenditur, aliámve curandi methodum expoſcit, quàm in iecore comprehenſum eſt. Verùm vbi inflammatio neque concocta, neque digeſta, in ſcirrhum degenerat, valentioribus vti conueniet, vt etiam interdum cutis ſumma exulceretur. Itaque eam curationem quam ſuperiori capite ſcripſimus, tempeſtiuè adhibebis.

Quod ad diætam, vino abſtinendum, vtendúmque in cæteris, eâ victus ratione, quæ iecoris inflammationi eſt idonea.

Victus ratio lienoſorum.

Celſ. l. 4. c. 9. Si lienis tumor exercet, aut viſcus hoc duritiâ laborat, hoc vitium quies augere conſueuit. Itaque exercitatione & labore opus eſt, niſi febris ſuperſit, vnctiones & frictiones ſudoréſque neceſſarij, atque ſollicitudine & mœſtitia, rerúmque commentatione propulſa, frequens animi hilaritas pervtilis. Regio ſicca, locus editus, non paluſtris, & qui in ortum, aut aquilonem conuerſus. Acerba, cruda, flatulenta, ſed præſertim dulcia, inimica ſunt. Item lac & caſeus. Acida autem aliquando, acria ſemper conuenientiora ſunt. Cibus expedit tenuis, acris ſuccus, ac minimè viſcoſus. Ergò edenda ſunt ſalſamenta, tinctæ in aceto portulacæ, intybíque, piſtacia, amygdal. vuæ paſſæ, ſinapi, aſparagus, paſtinaca; Atque ſi ſcirrodes ſit tumor, pruna, auiculæ montanæ, eiuſdem generis venatio, multíſque modis huic rei cappari aptum eſt. Arcenda interim quæcunque humoris melancholici copiam exagerant, vt maiorum animantium carnes, thunni, balænæ, cetaceorum omnium, hirci, vaccæ, leporis prouecti, & cerui: quin & omnia leguminum genera, cicere excepto. Potio pauciſſima. Vinum poteſt dari tenue, omniáque in cibis & potionibus, quibus vrinæ mouendæ. E myricæ (tamaricis) trunco vaſcula excauantur, & aquâ aut vino replentur, vt ſubinde bibat lienoſus. Quidam è fraxino

Celſ. ibid. *Alimenta vſurpanda.* *Celſ. ibid.* *Cappari.* *Edulia improbanda.* *Celſ. ibid.*

eàdem

eâdem ratione cratêras fabricant. post cibum aqua è ferrario fabro, in qua candens ferrum sæpiùs tinctum sit, propinanda: hæc enim vel præcipuè lienem coërcet; sequendáque in cæteris ea viuendi ratio, quæ hepatis obstructionibus est accommodata. Cùm autem inflammatio lienem malè habet, vino abstinendum, & vtendum ea ratione victûs quæ iecoris inflammationi idonea. Si inflatio, & fluctuatio huic præcordio inest, colicorum victus sectandus.

Celf. ibid.

Diæta inflãmatione lienis laborantium.

CAPVT XIX.

Affectio Hypochondriaca.

Melancholia hypochondriaca, siue affectio flatulenta, vtriusque hypochondr. & præsertim sinistri, id est, lienis vitio suscitari solet. Ideò de hac nobis hoc cap. transigendum. Huius causa statuitur terrena sanguinis fæx quauis ratione incalescens, aut præassata bilis; interdum quidem in iecinore, at ferè semper in liene, viciníſque mesenterij venis, partibus, aut sedibus, vt mesenterio, aut pancreate congesta. Est enim melancholia duplex: vna naturalis, ac frigida, quæ tanquam sanguinis fæx est, & limus, qualem lienis tumores excitare diximus; altera, exusta & retorrida, quæ cuiusque humoris exustione talis euasit, & atra bilis propriè dicitur. Nam & à melancholia naturali supra modum incalescente, & à sanguine perusto, & à bile flaua caloris incendio, atra bilis præter naturam profertur. Hæc autem ex quocunque humore prodierit, hypochondriacam affectionem excitat, tantò quidem deteriorem, quantò illius author humor fuerit acrior, atque malignior: cuiusmodi est atra bilis ex cœruleâ orta, aut illi finitima æruginosa, quæ ex citrina & prasinâ ardoris vi fiunt. Quò autem pigrior & ignauior humor est. Hoc mitiorem affectum inducit, qualis à melancholica sanguinis fæce tum demùm oritur, cùm arctiùs coërcita, iam caloris, p.n. fit particeps. Humor porrò quando conquiescit, raró corpus exagitat; cùm autem irritatur, aut quouis modo concutitur, tanquam commotâ camarinâ, conditionis suæ vaporem in cor aut cerebrum effundit, illarumque partium functiones labefactat, cum metu & mœstitiâ. Teter enim & caliginosus vapor illinc in cordis arcem sublatus, graues palpitationes, interdum & defectiones infert. Metus hinc atque desperatio ægrum affligit, ac plerunque tanta, vt se mox interiturum putet, nullâque ratione in spem salutis erigi possit. At cùm in cerebrum effertur, modò simulatas & fictas imagines oculis repræsentat, tenebricosæ suffusioni persimiles, modò mentis functiones interturbat, & melancholicis deliramentis peruenit, nunc mitioribus nunc ferocioribus, vt maior vaporis impetus fuerit. Cúmque feruidus est humor, æstuante halitu sursum efflato, facies calore, ruboréque suffunditur. Hu-

Causa melãcholiæ hypochondriacæ.

Humor melancholicus naturalis.

Atra bilis.

Vnde diritas aut lenitas melancholiæ hypochondr.

Vaporum melãcholicorum noxa, pro naturâ partium quas impetunt.

iuſmodi apparent cùm humor excandeſcit, malíque acceſſio eſt; euaneſcunt autem illo planè diſcuſſo; tandémque redeunt modò citiùs, modò tardiùs, aliàs leuiùs, aliàs grauiùs pro humoris copiâ, malignitate, atque corporis ſtatu, & victûs modo.

Cauſa externa internam commouẽtes.

Etenim aromatum vſu, meraciore vino, & quouis potu, cibóque calido humor efferatur, ferociúſque ſæuit: Contrariis autem domatur, ipſiúſque ſymptomata miteſcunt; quemadmodum & ructu emiſſo, & vomitione, & alui deiectione non parum leuatur. Hoc ipſo intermiſſionis tempore, illorum fomes quaſi ſopitus & conquieſcens præcordiis inſidet, rarò quidem cum tumore, ídque ſi ex melancholico humore mali eſt origo: At ſæpiùs ſine tumore, cùm retorrida bilis, mole quidem minima, ſed viribus, quàm maxima, locis illis pertinaciùs inhæreſcit; aut craſſus & præaſſatus ſanguis interiectas meſenterij venas, tum eas quæ è iecinoris cauo in lienem, atque ventriculi fundum feruntur, implet, atque ita obſtruit, vt ægrè illinc diſtrahi poſſit. Hoc vitio imbutæ & inquinatæ ventris partes, tempore ſimilem, vel ex puriſſimis alimentis, ſuccum gignunt, qui ſenſim in omnes, aut ſaltem plurimas præcordiorum venas ſpargitur; Quamobrem illic humorum veluti quædam efferueſcentia & ſimplex inflammatio eſt, citra putredinem, nulláque febre comite. Quâ affectione qui tenentur, ſenſim marceſcunt, & cœcâ occaſione extenuantur.

In melancholia hypochondriaca aliàs tumor in hypochondriis adeſt, aliàs abeſt.

Signa melancholiæ hypochondriacæ.

Ex humoris ardore præcordia æſtu flagrant; in quibus arteriæ vehementer & moleſtè pulſant. Ilia ſæpè ſpiritu diſtenduntur. Venter ſupprimitur, ſolitóque pigrior, exigua quædam figurata remittit. Appetentia ferè perſiſtit, ſed ventriculi concoctrix offenditur. Ex cruditate chylus aquoſus pleriſque fluctuat. Expuitio multa ſine tuſſi è ventriculo redundat. Sitis nulla eſt. Ructus plurimus emittitur, flatúſque cum murmure euagatur. Frequens & aurium tinnitus, & oberrans partium corporis palpitatio. Metus & mœſtitia hominem diu habent, taciturnitas, ſolitudo, inanis rerum commentatio cum abiecto, ac demiſſo animo. Verecundia & ineptus pudor, vigiliæ pertinaces, ſomnus difficilis, turbulentus, & ſpectris horrendis agitatus. In vniuerſum hoc vitio preſſi, ſemper metuenda, terroríſque plena iactant animo, quæ prehendente acceſſione, mirum in modum exacerbantur.

Curatio.

Prognoſis.

Si quando affectio hypochondriaca ferociùs infeſtet, vitium longis annumeratur, vixque cùm iam inualuerit, vlli medicinæ paret. Itaque confeſtim remediis occurrendum, priuſquàm incremento, aut vetuſtate vires aſſumat.

Indicationes.

Summouenda primùm cauſa eſt, quæ tam ſæua ſymptomata incutit, omníſque viſcerum intemperies delenda; mox partibus principibus, vt cordi, ac cerebro proſpiciendum; atque ipſo acceſſionis inſultu, è fomite in illas ſublatus vapor, auertendus, eâ

ratione

ratione quam in cordis palpitatione, & melancholicâ desipientiâ prædiximus.

Clyster. Primùm ergò alui deiectionem moliri oportet indito clystere primo capite illic descripto; atque interdum vomitionem, vtique si facilis est, decocto inquam, seminis atripl. raphan. & rad. asari cum syr. acetos. simpl.

Venæsectio. Deinceps causa cognoscenda est, quò illam exscindas. Nam si exustus, aut feruidior sanguis, aut alioqui melancholicus, hypochondriorum venas inferciat, protinùs è sinistri cubiti interiore, vel mediâ venâ latiùs apertâ, plenitudo hæc melancholica commodissimè detrahitur. Paulò quidem vberiùs, si sanguinis copiâ turgescunt, fluentísque sanguinis substantia crassa, colórque niger est, vel suppressa, aut mensium, aut hæmorrhoidum euacuatio morbum auxit, ac tunc satiùs poplitis, aut malleoli vena secabitur. Parciùs autem & restrictiùs sanguis emittetur, si nil illorum affuerit. Reliquæ dein impuritati purgatio accommodabitur. Terrena autem sanguinis fæx, qualis in liene propriè reconditur, iam vetustate, aut victu acriore incalescens, quemadmodum & atra bilis, quæcumque vel ab exustâ melancholiâ naturali, vel flauâ bile prodiit, medicamento non venæ sectione ducenda: Verùm educi antè nequit, quàm planè sit edomita & præparata. *Catharsis, post præparationem humorum.*

Atram bilem demulcentia. Bilem atram feruentissimam domant, ac restinguunt, quæcunque sine astrictione conspicuâ, flauæ bilis acrimoniam refrænare, & compescere in calida iecoris intemperie diximus, vt omnia intybi genera, agrimonia, oxalis. Quibus etiam alia quæ leniant, & tetrum bilis atræ vaporem demulceant, probè adiicere conueniet, cuiusmodi moderatè frigida humida, aut temperatis proxima sunt, vt viola, borrago, buglossum, succus pomorum redolentium, melissa, passul. liquirit. quibus excocti humoris ardor & siccitas mitescit, ac diluitur.

Atram bilem ad purgationem præparantia. Porrò bilem atram ad purgationem præparant, eadem quæ in lienis obstructione notauimus; verùm non sola, sed hepaticorum & refrænantium, lenientiúmque, quæ dixi, permistione temperata, vt sunt rad. aperientes temperatæ, quæ obstructa recludant, capparis & tamarix, capill. vener. aliæque capillares, sed præsertim asplenium, fumaria, lupulus, cassutha. Et in purgantibus polypodium, senna, & epithymus, quæ præcipuè laxantibus apozematis inseruiunt & miscentur. Ex iis extant syrup. viol. pomor. redol. de borragin. de buglosf. capill. vener. scolopendr. melissophyll. sed qui incidente aliquo, vt byzantino, endiuiæ compos. syrup. ex radic. ad crassiorum humorum extenuationem, & obstructionum apertionem, iuuentur. Ad hæc syr. è fumar. è pomis composit. de epithymo, qui non nisi præmisâ præparatione, vsui esse possunt. Verum de iis iam satis multa. tum in lienis tumore & obstructione, tum in melancholica desipientia, tum in *Purgantia atram bilem.* *Compos. officinales.*

cordis

cordis palpitatione diximus, quæ in hanc rem conferantur; adiectâ attenuantium portione, ac planè detractis astringentibus, vt myrobal. quæ infarctûs augent. Hîc enim è purgantium classe lenientia potiùs quàm astringentia seligito, vt syrup. violar. è nouem infus. cassiam, diaprun. & quidquid iis est simile; modò quæ flatûs discutiant, vnà connectas. Si quando tamen rhéum, aut etiam syrup. rof. solut. in vsum conferantur, magna lenientium quantitate diluenda sunt. Nunc compositionis quædam experimenta proponamus.

Purgantia in melancholia hypochondr. potiùs lenientia, quàm astringentia esse debent.

Medicamentorum assumendorum formulæ.

℞. Syr. de bugloss.& endiu.simpl.ana ℥ii.syrup.viol.℥iß.aq.capill. vener.fumar.borragin.ana ℥iij. puluer.diamarg.frigid.ʒi. fiat syr. ad tres doses. Vel:

Iulepus. Alius.

℞. Syrup. byzant. capill.vener. & de fumar. ana ℥ij. aq.viol.bugl. & endiu ana ℥iiij. fiat syrup.in quatuor doses, aromatiz.pulu. triasant. & electar. lætific. ana ʒß. Vel apozema præparans conficiatur in hunc modum.

Apozema præparans.

℞. Radic. gramin. asparag. rusci, lapath. acut. & radic. oxalid. aut petros. ana ℥i. bugloss. cum toto, borragin. asplen. & reliquarum capillar. hepatic. agrimon. vtriusque cichor. fumar. lupul. & melissæ, ana M. i. chamædr. chamæp. ana M. ß. semin. melon. & cucurbit. ana ʒiij. semin. cuscutæ, & ocymi, ana ʒi. anis. fœnicul. & portulac. ana ʒiß. prun. dulc. passul. mundat. ana par. xij. iuiub. & sebest. ana par. vi. liquirit. ℥i. flor. viol. p. ij. flor. vtriusque bugloss. ana par. i. fiat decoctio: & in colat. ℔.i.ß. dissolue syrup. viol. ℥iij. succi pomor. redol. aut succi bugloss. ℥ij. sacchar. alb. quantum satis, fiat apozema in quatuor doses aromatiz. cum ʒi. puluer. diamarg. frigid. & ℈i. puluer. lætific. Laxandi vim hoc ipsum sortietur adiectis tamarind. ℥i. & follicul. senæ, atque polypod. ana ℥iß. quorum siccitas temperabitur maiore syrup. violat. quantitate adhibitâ, aut violar. recent. si tamen suppetant, p. iiij. decocto immersis. Nihil enim his præstantius excogitari potest. Post vsum apozematis, dein purgantis medicamenti accedet occasio.

Idem apozema purgans efficitur.

Potio purgãs.

℞. Liquirit. ℥ß. semin. melon. concisi, & semin. citri mundat. ana ʒi. semin. malu. ʒiß. anis. & fœnicul. ana ʒß. prunor. dulc. & passul. mundat. ana par. iiij. pulpæ tamarind. ʒiij. follicul. sennæ ʒij. epithym. ʒiß. flor. viol. recent. p. ij. flor. vtriusque bugloss. ana par. i. coquantur in aq. hordei, & in expressi iuris ℥iiij. infunde rhéi electi ℈iiij. cinnamom. gran. viij. expressione factâ, dissolue diaprun. solut. vel diasen. solut. ʒij. aut vtriusque ʒiß. syrup. viol. ex nouem violar. infus. ℥i. aut alterius ℥iß. misce, fiat potio, detur manè. Difficilè iis medicamentis cedunt, neque tamen sunt acrióribus mistis lacessendi; sed quadam vicissitudine & temporis curriculo noxius humor per epicrasim, id est, sensim & partitè detrahendus. Subsecutis diebus à purgatione, temperandus humor est reliquus, decocto melissoph. asplenij, chamæp. endiu. vuar. passar. & flor. borragin. additâ si minùs

Acriora cathartica hîc abdicanda.

nùs fastidiat, fumariâ, vel lactis sero, in quo huius comæ noctu præmaduerint. Per dies octo hæc præbeantur. Quinetiam ex succis parantur in hanc rem syrupi diu asseruandi, v.g.

Syrupus ex succis. ℞. Succi fumar. lupul. borrag. & bugl. an. ℥iiij. succi pomorum fragrantium ℥i. succi mercur. ℥vi. sacchar. alb. q. s. coquantur ad perfectionem syrupi, infusis sub finem ℥ii. follic. senæ; qui seruetur vsui in sequentem modum.

Iulepus. ℞. Præscripti syr. ℥ij. aq. fumar. & buglosſ. an. ℥iß. Misce, detur in hebdomade. Eandem vim obtinet syr. è pomis compositus, syr. è fumar. compos. At si liquidior forma tædio sit, imperetur solidior forma opiatæ.

Opiata blandè purgans. ℞. Cassiæ recèns extract. (quæ etsi flatulenta sit; humectando tamen, bilis atræ feruorem mirè temperat) & catholic. an. ℥iß. diasen. solut. & diaprun. solut. an. ʒvi. rhei aq. endiuiæ irrorat. ʒiij. cinnam. ℈ß. syr. violat. ex nouem infusionibus, aut alterius q. s. ad opiatæ formam, cuius ℥i. ex prædictis aquis, aut cum decocto fumar. buglossi, agrimon. capill. ven. mensis curriculo ter sumatur. Hoc loco, purgationes è iure galli, aut sero lactis, ad melancholiam & maniam paratas, silentio præterire non possum, quibus in aliorum vicem ex quatuor dierum interuallis vtendum.

Potio blandè purgans. ℞. Senn. mundat. & epithym. Cretens. an. ℥ß. anis. ℈ij. cinnam. ℈ß. infundantur totâ nocte in ℥v. seri caprini: manè paulùm efferuescant, dein colaturæ ℥iiij. dissolue mannæ recent. vel syrup. viol. ℥i. fiat potio, quâ post exactam purgationem pleniorem quarto quôque die, vel septenis circuitibus vti conueniet. Hoc enim medicamentum melancholiam & bilem exustam blandè alioqui, sed tamen lentè purgat, nullâ qualitate infensâ. Idem iure galli præstabitur antiqui, cum quo polypodium, cnicus, sena, epithymus coxerint.

Iusculum galli purgans. ℞. Gallum decrepitum deplumem, cursu & flagellis fatigatum, qui inferciatur liquir. rec. ʒi. fol. sennæ mund. polypod. quern. recent. & medullæ cartham. contus. epithym. an. ℥iß. decoquantur ad saturitatem, adiectis passulis, prunis, zinziph. violis, borrag. bugl. capill. ven. Dein expressum, & percolatum ius detur manè ad ℥vi. in tres doses.

Porrò interiectis spatiis confectiones cardiacæ assumantur.

Confectio cardiaca, instar opiatæ. ℞. Conseru. viol. ℥iß. conseru. capill. vener. & rad. bugl. an. ℥i conseru. flor. borrag. & flor. cichor. an. ℥ß. pulu. diamarg. frig. & confect. alkerm. an. ʒi. pulu. triasant. ʒß. pulu. lætit. ℈i. aut si magis æstuat, ℈ß. cum syr. pomor. redol. aut violar. aut conseru. rad. buglosſ. (si mitior est humor) quantum satis, fiat confectio instar opiatæ; detur singulis diebus manè quantitas castaneæ, hausto dein tantillo aquæ stillat. buglosſ. & endiuiæ. Eadem in conditum facilè conformabitur, loco syr. apposito saccharo violato, vel rosato recenti. Huiusmodi plurima in melancholica desipientia, & cordis palpitatione scriptis mandauimus.

Atque hæc quidem in assumptis exustum humorem obtúndunt, temperant, diluunt, & ad excretionem præparant.

Medicamentorum admouendorum formulæ. *Balnei vtilitas.* Alia verò extrinsecùs idem præstant, vt dulcis aquæ balneum, quo tamen sudores minimè proritentur, sed duntaxat emolliatur & colliquefiat terrenus vacuandus humor. Id melancholicis & squalidis accommodatissimum est, atque tum antè, tum post purgationem vtile. Cui proximam vim obtinet fomentum quod humores altè impactos attenuat, colliquat fluxilésque reddit. Balneum in melancholica desipientia expressum habes: fit tamen eiusmodi.

Decoctum pro balneo. ℞. Radic. althæ. lilior. an. ℔i. fol. lactuc. cucurbit. acanth. viol. malu. borrag. bugl. cum toto, an. manipul. iiij. semin. lini, & althæ. aut malu. ana ℥iiij. hordei integri parum confracti, part iij. flor. camom. & trium cordial. ana part. ij. rosar. part. i. coquantur in iure capitis, pedum & intestinorum veruecis, affundendo sub finem decoctionis, olei dulcis ℔ii. aut ol. viol. lilior. & amygd. dulcium ana ℔ß. pro balneo, in quo tepente residere debet æger ad voluptatem. Dein ex oleo, aut communi, aut violac. aut amygd. dulc. leniter perfricari.

Nunc fotus subnectendus, qui blandè attenuet, resoluat, & rarefaciat.

Fotus humidus. ℞. Radic. althæ. & lilior. an. quart. ß. radic. cappar. & apij, an. ℥ß. matricar. abrotan. asplen. adianti, beton. melissæ, chamædr. chamæp. fumar. an. manipul. i. sem. lini, fœnugr. an. ℥i. polypod. quern. follicul. & epithymi, an. ℥iß. flor. camom. bugloss. an. p. i. coquantur in an. aquæ & vini albi, addendo sub finem, aceti ℥i. tepidè per spongiam sinistrum hypóchondrium, mediáque ventris regio foueatur. Dein illinatur vnguento quod subiiciam.

Litus hypochondrij sinistri. ℞. Ol. lilior. amygd. dulc. an. ℥i. olei è cappar. & violat. an. ℥ß. scolopendr. sicci ʒi. flor. genist. chamæmel. & aneth. an. ʒß. croci ℈ß. ceræ quantum satis, fiat vnguentum. Inter hæc, præstantissimum erit

Hæmorrhoidũ & mensium prouocatio. concitare hæmorrhoidas, aut menses in mulieribus euocare, si substiterint, (sic enim testatur Hipp. 6. aphor. xi.) quinetiam sæpius cucurbit. inguinibus aut cruribus admouere iuuat. Et cùm excandescit ma-

Frictiones, & vincula. *Cauterium.* lum, frictionibus & vinculis extremarum partium, à cerebro & corde melancholicos vapores auertere; Denique cauterium potentiale interiori tibiæ sinistræ infra genu ex arte apponere, & decisâ escharâ seruetur vlcus longo tempore apertum, quod vltimum, vt & alia chirurgica præsidia, magno cum fœnore sæpiùs sumus experti in artis operibus.

Symptomatũ mitigatio. Reliquum est vt symptomatum vehementiam compescas, & partium principum affectioni suis remediis antè expositis prospicias, somnum concilies, deliramenta auertas, denique cordis palpitationem discutias, quæ singula ex sequentibus, & ex propriis curationibus repetenda sunt.

Pri

Primùm quidem principes partes, scilicet cor ac cerebrum conuenienter recreabuntur opiatâ & condito anteà notatis; Quòd si vigiliæ vrgeant, vt ferè sunt in hoc affectu pertinaces, diacodion, aut syr. de papau dandus, & ad ea recurrendum quibus in phrenitide somnum conciliare solemus: quadam tamen calidorum permistione, narcoticorum vis corrigenda est, vt chamæmelo, anetho: idem quoque in somniferis potionibus seruandum.

Potio somnifera.

℞. Pulu. diamarg. frig. ℈ii. confect. alkerm. aut de hyac. ℈i. syr. è papau. ℥iß. aq. lactuc. nymph. aut bugloss. an. q. s. detur horâ somni. Quo tempore crura vtilissimè narcoticâ decoctione fouebuntur; tempora & partes extremæ illinentur; soporifera naribus iniicientur.

Decoctum pro crurum & pedum ablutione.

℞. Summit. populi, & vitis viniferæ, salic. & fol. nymph. lactuc. vel cucurbit. an. m. iij. cortic. pap. alb. & cortic. iusquiami albi, (nigrum enim & vehementius, & deterius est) an. ℥i. sem. lactuc. & quatuor frigid. mai. an. ℥iii. flor. nymph. viol. borrag. & rosf. rubr. an. p. iij. flor. chamæm. & aneth. an. p. ii. hordei mundat. p. i. coquantur ad crurum & tibiarum lotionem in ingressu lecti.

Vnguentum somniferum pro litu temporum, pedum, atque manuum.

℞. Vnguenti popul. ℥iij. vnguenti rosf. ℥iß. ol. viol & nymph. an. ℥ij. opij g. iij croci g. ij. semin. papauer. alb. lactuc. & iusquiam. albi, an. ʒiß. flor. viol. & nymph. an. ʒi. rosar. rubr. & semin. aneth. ana ʒß. ceræ albæ, & aceti parum, fiat vnguentum quo illinantur tempora manuúmque volæ, atque plantæ pedum; hinc quippe in cerebrum per neruosas partes continuatione quadam vis narcotica transmittitur, quæ ferocientes humores & vapores sedat, & spiritûs supra modum impulsos consopit, & somnum accersit. Neque etiam prætermitti debent quæ naribus obiecta, vel indita, sursum ascendentes vapores compescunt, & somnum conciliant, qualia sunt rosa, viola, nymphæa, caphura lacte soluta. Aut:

Litus narium interiorum.

℞. Ol. viol. & è sem. lactuc. aut cucurbit. aut de papau. an. ℥ß. Misce, linantur narium interiora. Hæc si in promptu non sunt, vtere sequenti.

Alius.

℞. Semin. lactuc. & cucurbit. ana ℥ß. ol. violat. & nymph. an. ℥i. tundantur simul, & expresso oleo nares illinantur. Denique cor roborandum epithematis & sacculis, quæ ipsius palpitationem inhibent.

Sacculus cardiacus.

℞. Pulu. diamarg. frig. & lætit. Gal. an. ℈iiij. rad. cyperi, calami aromat. galang. crassioris, fol. meliss. siccorum, & sem. ocymi odorati, an. ʒi. gran. tinctor. caryoph. cortic. citri sicci, macis, cinnam. an. ℈ij. pulu. elect. de gemmis ʒß. croci, & galliæ mosch. an. ℈i. rosar. rubr. & flor. bugloss. an. p. ß. puluerentur, & serico rubro excipiantur, interiectóque bombace fiat sacculus transsutus figurâ rotundâ, qui vapore vini aromatici perfusus, admoueatur regioni cordis.

Epithema liquidum pro regione cordis.

℞. Rosar. rubr. flor. trium communium, & flor. aneth. an. part. i. pulu. diamarg. frig. ℈iiij. santal. omnium, semin. acetos. & portul. an.

 ʒi.

ʒi. fol.melissæ siccor. & granor. tinctor. an. ℈ij.orobi ℈i.pulu.elect.de gemmis,& lætific.an.ʒß.aq. bugloss.scab. & cardui bened.an. ℥iiij.vini albi generosi ℥iij. Misce, fiat epithema cordi imponendum tepidè, cum pannis coccineis liquore illo imbutis & expressis. Quin & gallinacei pulli & columbini per medium dissecti,ac proprio calore tepentes,cordi præsertim identidem superimponuntur vtiliter.

Pulli gallinacei cordi admouendi.

CAPVT XX.

Atrophia.

Cels.l.3.c.22. *Atrophia, quid.* *Causa atrophia.*

DIutiùs sæpè & periculosiùs eos malè habet Atrophia quos inuasit. Hæc nutritionis est priuatio,quâ corpus cæcâ ratione extenuatur,& nullâ prægressâ occasione sensim emarcescit. Causa est vel in corde, vt per febres hecticas, illíque assidente pulmone, vt in phthisi; vel in iecore, aut in alio viscere corporis nutritioni addicto. Iecinoris enim intemperies, maximéque calida sicca longiùs progressa, atque æstuantis bilis tum flauæ, tum atræ perfusio, aut vetus & contumax obstructio, distributionem præpediens, aut substantiæ corruptela, eam toti corpori maciem sæpè inurit, quâ alimenti benignitatem non sentit. Quod cùm Hippocrates, attentiùs spectaret, ita pronunciauit: Ventre calidi, frigidâ carne, venis conspicuis, & iracundiores existunt. Quidquid enim à iecore tum proficiscitur, quanquam inanem sanguinis speciem quandam repræsentet, illud tamen & à concrescendi ratione, & à nutriendi substantiâ longissimè distat. Hinc minimè instauratâ substantiâ quæ continenter dissipatur, corpus atrophiâ elanguescit, lentéque consumitur.

lib.6.Epid.s. 4. text.24.

Curatio.

Indicationes.

Siquis ad maciem abditâ causâ perducatur, & strigosior reddatur, atrophiæ causam attendere oportet, eámque primùm suis remediis, si fieri possit, euincere. Deinde macies depelletur, corpúsque squalidum reficietur alimentis boni succi, modicè & sæpiùs offerendis,quibus insit facultas causæ aduersa, quæ cacochymiam emendet. Et reuerà hoc vitij genus cibo potiùs quàm medicamentis depellendum. Itaque quod vitiosè se habet,paulatim vacuare expedit,& minutatim salubre quippiam per epicrasim pro eo reponere vsque dum natiuum robur restauretur. Alendum ergò corpus lacte, vitellis ouor.nucleis pineis, pistaciis, vuâ passâ,hordeatis,tortiuo decocti furfuris cremore, carnium expresso, destillatis instaurantibus,gelatinis, pineolato,pastâ regiâ; necnon cardiacis confectionibus, & conditis, quæ intemperiem emendent. Sed propriè morsellis, qui maciem,depellant.

Atrophia cibo potiùs quàm medicamentis occurrendum.

Alimenta atrophiæ idonea.

Mor

Morselli analeptici.

℞. Pulpæ perdicis, & caponis, an. ℥ii. amygdal. dulc. mundat. & in aq. rosac. infusar. ℥iß. granor. pini, pistaciorum recentium, eodem modo infusorum, an. ℥i. medullæ semin. melon. & cucurbit. an. ℨiij. pulu. diamarg. frig. & electar. analept. an. ℨi. sacch. albi aq. rosar. aut bugloss. soluti, quantum satis, fiat confectio per morsellos auro coopertos, quibus rasuram eboris, vnicornu puluerem, & simil. adiicere licet.

Eodem quoque spectat electarium analepticum consumptis destinatum. Atque vt summatim dicam, eâ viuendi lege, & iisdem auxiliis atrophiâ laborans recreetur, quæ hecticis, tabidis, & bulimo languentibus idonea sunt. Sed & dulcis aquæ tepente balneo tabidis accommodato, & leni, mollíque frictione habitus corporis restituatur. Quibus si non fuerit æger adiutus, scire licet malo victum esse. *Electar. analepticum.* *Balneũ dulcis aquæ.*

CAPVT XXI.

Cachexia.

MAlum corporis habitum cachexiam Græci appellant. In hac partes omnes, tum substantiâ, tum colore à pristinâ naturâ desciscunt, quòd vitioso nutriantur succo. Is enim quanquam alendis partibus & apponitur, & agglutinatur, minimè tamen potest assimilari. Quocircà hîc non, vt in atrophiâ, corpus extenuatur, sed vitiatis humoribus onustum & turgidum ingrauescit, & alieno colore inficitur vel albicante, vel flauo, vel liuido & obscuriore. Huic illud quoque nonnunquam accidere solet, vt per assiduas pustulas, aut vlcera, summa cutis exasperetur, vel aliquæ corporis partes, ac primùm pedes intumescant. *Cachexia, quid.* *Signa cachexia.* *Cels. l. 3, c. 22.*

Causa mali est corporis impuritas & cacochymia, aut ex improbo victu, aut ex viscerum prauâ affectione contracta. Etenim alimenta sanguinem & humores proferunt naturæ suæ consentaneos: At mala viscerum, maximéque iecinoris constitutio, in alimenta etiam purissima, concoctione imprimitur. Atque hæc interna, illa externa causa est. Hinc sanguis aliàs crudus, aliàs biliosus, aliàs melancholicus gignitur, quo partes imbutæ ac nutritæ similem nanciscuntur naturam, fitque cachexia nunc pituitosa, nunc biliosa, nunc melancholica. Ex quibus tandem graues ac diuturnos morbos inferri constat. Pituitosam sæpiùs in puellis pallido colore fœdatis deprehendimus, quibus naturâ & ætate menses subsistunt: hæcque leucophlegmatiam minatur; quemadmodum melancholica longiùs progressa elephan- *Causa cachexia tam interna quàm externa.* *Cachexia differentia.*

tem anteuertit. At biliosa, vel ascitis, vel atrophiæ internuncia est.

Curatio.

Cachexiæ pituitosæ curatio.

Ex cachexiæ varietate, & cacochymiæ ratione instituenda est. Si pituitosa, frigidioris & obstructi iecoris, atque vniuersalibus leucophlegmatiæ remediis profliganda est, à qua solâ duntaxat magnitudine distinguitur. Sed interim attendendum, an suppressi menses, aut hæmorrhoides cachexiam intulerint, vt è malleolo sanguinem mittas, vt menses pessulis, hæmorrhoides hirudine, aliisque remediis euoces. Si biliosa, icteri, & calidioris iecoris medicamentis vincitur. Si melancholica, auxiliis ad lienosos conscriptis persanatur.

Cachexiæ biliosæ, & melãcholicæ curatio.

SECTIO QVARTA,

De morbis & symptomatis intestinorum.

CAPVT XXII.

Colicus dolor.

Colicus dolor, quid.
Causæ doloris colici.

COLVM intestinum dolore plerunque immani & intolerabili cruciatur, quem ab affectâ parte colicum nominant. Huius causa aliàs flatus est in illius flexuosis anfractibus, & cellulis coarctatus, atque à duris fæcibus interceptus, qui vbi exitum naturalem non reperit, impetu sibi viam quærens, ac nimioperè distendens, vehementem dolorem infert; aliàs frigidus & crassus ac viscosus; tum etiam aliquando vitreus humor illic copiosior collectus, qui intestino firmiùs adhærescens, illud tam acriter ferit, vt rosionis sensum inuehat, & quasi pali infixi vel terebelli perforantis modo, ingentem cruciatum excitet. Aliàs biliosus, acer & mordax humor illic infixus, cuius ardore nonnunquam intestinum inflammatur. Hic calidis tum assumptis, tum admotis incandescit, à quibus etiam prodierat, deprehenditúrque ardore, siti, vigiliis, recrementorum specie, ipso præterea corporis temperamento, & habitu, atque prægresso victu. Rarior equidem huius euentus notatur, priores autem causæ frequentiores, quas ita signis discernes.

Signa colici doloris ab humore calido.

Signa colici doloris à flatibus.

Flatulentus dolor ferè vagus est, nec diu eâdem sede persistit, sed calore & fomentis mitescit, atque etiam sæpiùs discutitur: ortus quoque est à frigore, aut ab aliis causis flatulentis, iisque euidentibus. hinc multus flatus sinistro præsertim hypochondrio, euagatur, cum murmure & rugitu,

rugitu, non quidem cùm ipsius doloris est accessio, tum quippe aluus astricta, & reddendis excrementis durior, spiritum coarctat, sed vel instante, vel declinante illius impetu. A pituitâ verò, dolor fixus & stabilis, cum nauseâ, & pituitæ crebrâ vomitione, nec flatu erumpente remittitur. Hunc multa ingluuies, crapula, alimentorum viscidorum esus, otium, aliæque causæ cruditatis effectrices sunt prægressæ.

Signa colici doloris à pituita.

Porrò colicus à nephritico distinguitur, doloris situ. Hic enim fixus eo cauo quod inter costas nothas & coxendicem est, vreteris tractu in vesicam, & directum testem protenditur, nec semper alui deiectione conquiescit: colicus à sinistro hypochondrio in dextrum, sublimiore, aut mediâ ventris regione fertur, in quo præclusæ adeò viæ sunt, vt neque ructus, neque strepitus ventris exire possit. Aluus enim supprimitur, solitóque durior, vix quicquam nisi coacta reddit. Itaque aluo expurgatâ & liquatâ, emissísque flatibus mitescit, vel etiam prorsus abigitur. Resiccata stercora in aquam coniecta innatant, à coërcito intùs flatu, nec aliorum ritu in fundum demerguntur.

Signa colicum dolorem à nephritico distinguentia.

Curatio.

Quum immanitate & ferociâ vires nimioperè conuellit, huic tanquam sæuiori symptomati inprimis & diligenter succurrendum, causâ etiam interdum prætermissâ; Quanquam enim sublatâ causâ, dolor protinus conquiescit, si tamen nimiùm excruciat, & infensus est, ne violentiâ & effrænatione iugulet, leniendus protinùs, ipsáque methodus inuertenda. Lenitur autem dolor, aliàs sublatâ causâ medicamentis, vel contrariâ qualitate huic aduersis, vel euacuantibus; aliàs relaxantibus & diaphoreticis modicè calidis & humidis, quæ familiari & iucundâ qualitate corporum naturæ ac insito calori consentiant: hæcque verè anodyna & paregorica sunt; aliàs narcoticis, quæ vbi dolor acerbior est, nec mitioribus mansuescit, partis sensum frigore consopiunt. Præstantissima quidem doloris curandi ratio iis remediis instituitur, quæ simul causam oppugnant, & dolorem sedant, vt omnibus eadem operâ medeamur: eáque semper optanda, si doloris clementia sinit, & quandiu virium robori fidimus, methodus tenenda. Horum remediorum alia vacuant, alia vitiosum affectum contrariâ quantitate immutant. Quæcunque id præstant, vel intrò assumuntur, vel iniiciuntur, vel extrinsecùs adhibentur, singula ex causarum varietate particulatim distincta. Quoniam autem frequentior colicis doloribus origo est à crassâ lentâque pituitâ, aut flatulento spiritu intercluso, inprimis horum curatio decernenda alterantibus, euacuantibus, anodynis iísque assumptis, iniectis, admotis, ex hac simplicium materiâ depromendis.

Dolori nimiùm vrgenti succurrendum, omissa causa, ex Gal. l. 12. m. m. c. 1.

Tria remediorum dolorem lenientium genera, ex Gal. 5. simpl. c. 19.

Causam doloris, tollentia, vel sunt vacuantia, vel alterantia.

Colici doloris à crassa lentáque pituita, vt & à flatu curatio.

Alterantium & anodinωn materia, incidente ac detergente vi prædita.

Radix pæoniæ, acorus, enula, galanga, iris, ariſtol. rot. aſarum, origan. calament. puleg. mentha, hyſſop. thymus, betonica, ſatureia, ſerpillum, artemiſ. matricar. chamædr. chamæp. polium, ſampſuchum, abrotanum, praſſium ſiccum, ſcordium, dictam. ruta, centaur. minus, aſparag. Semina quæ flatûs diſcutiunt, aniſi, fœnic. aneth. ſemen. apij, cumini, viticis, ameos, dauci, carui, ſeſel. libyſtici, rutæ, ſemen vrticæ, nigellæ, baccæ lauri & iuniperi, additis ſem. lini & fœnugr. quæ indurata emolliunt, ſemen carthami, ſi pituita educenda; flores chamæmeli, aneth. melil. ſtœchad. roriſmar. Huc accedunt quaſi ad cumulum, omnia aromata, crocus, cinnamom. macis, caryoph. calamus odorat. zedoaria, piper, zinziber, amomum, coſtus, cardamom. cubebæ, ſpica, ſchœnanth. folium indum. Ad hæc bdellium, ammoniac. caſtoreum, euphorb. ſagapen. atque in ſummâ, omnia ferè calfacientia & exſiccantia. Olea etiam ex iis comparata, tum particulatim anethinum, chamæmel, irinum. Keirin. de lilio, ſicyonium, nardinum, rutaceum, è ſemine carthami etiam potum; laurinum oleum, nucum, de ſpica, coſtinum, ricininum, de piperibus, petroleum, de caſtor. de euphorb, in quibus ſenſim & cautè progrediendum à mitioribus ad validiora.

Carminãtia. *Aromata.* *Olea.*

In materiæ copiâ, vehementer calefacientia ſuſpecta ſunt.

Neque temerè protinùs in materiæ copiâ, quæ vehementer calfaciant, vſurpanda; his quippe flatuum acceſſio fit, quàm diſſipatio maior: nam pituitoſi lentíque humoris pars maximâ illorum vi faceſſit in flatum, quo dolor efferatur & excandeſcit. Quare his non antè vtendum, quàm noxij humoris maiore parte ſubductâ. Expurgatâ enim priùs materiâ vnde flatus erumpit, vehementiùs calida, quæ relictam intemperiem emendent, tutò præſcribi poſſunt; vix enim poteſt ſolus flatus citra humoris permiſtionem colligi. At verò ſi à frigore ortus ſit, nullo vel exiguo humore fouente, tum calidiora primo quouis tempore intrepidè vſurpentur. Atque hæc obſeruatio non modò in internis, verùm etiam extrinſecùs admotis, arctè, accuratéque tenenda.

Calidiora ſtatim vſurpanda, ſi dolor à frigore ortus ſit, paucâ præſente materiâ.

Porrò in euacuantibus quanquam noxius humor publicis viis inſidens omni morbi tempore vtiliter, nulla expectatâ concoctione, educi poteſt; adhibenda tamen conueniens priùs præparatio, quòd admodum craſſus, lentúſque ſit, & inteſtinis tenaciùs adhæreſcat. Itaque corpus ſic præparatum & comparatum eſſe debet, vt viæ per quas medicamentum decurret, liberæ ſint & expeditæ, ne in inteſtina coarctata obſtructione, noxiorum humorum curſum impediant.

Præparandus humor ante purgationẽ. *Viæ per quas purgandum, priùs expediendæ.*

Etenim concitati ſi ſubſiſtant, aut ventris torſiones, aut animi defectiones mouent, corpúſque iactatione multâ fatigant. Itaque corpus quà

quà purgari debet, patens nec impeditum esto. Alioqui medicamentum conturbat magis quàm vacuet, dum noxium humorem proritat, non autem educit. Primùm ergò suppressa iamdiu aluus clystere mollienda, aut si quid aliud intestinis adhærescat, detergendum id & eluendum est, flatibus vnà discussis.

Clysterũ magnus hic vsus.

Clyster emolliens, & laxans.

℞. Radic. althæ. & lilior. ana quart. i. maluar. pariet. mercurial. ana M. i. ß. pulegij, orig. calament. centaur. min. ana M. i. caric. ping. num. vi. sem. lini & fœnugr. ana ℥ß. anisi, fœnicul. cumini, ameos, ana ʒiij. semin. cartham. ℥i. vel agaric. in panno ligati ʒiij. flor. chamæmel. melilot. stœchad. & aneth. ana p. i. fiat decoctio in æquis partibus aquæ & vini generosi: & in quart. iij. colaturæ dissolue diaphœnic. & benedictæ, ana ℥ß. (aut vnius horum ℥i.) olei camomil. & aneth. si flatûs discutiendi, vel olei de lilio & butyri, si emolliendæ fæces induratæ, ana ℥iß. mellis anthos. ℥ij. fiat clyster, qui iniiciatur ieiuno ventriculo, ac prorsus exinanito: cùm nempe concoctus cibus descendit. Axungiæ gallin. anatis, anseris, anodynis vtilissimè infunduntur, assumuntur, & extrinsecùs admouentur.

Alius laxans & anodynus.

℞. Betonic. siccæ, centaur. minor. abrotan. chamædr. chamæpit. siccorum, & foliorum rutæ siccorum, ana M. i. cumini, dauci, seseleos, ameos, carúi, ana ʒiij. baccar. lauri ʒij. flor. aneth. rorismarin. sambuc. ana p. i. fiat decoctio in aqua & vino: cape de colatura ℥x. in quâ dissolue hieræ picræ ℥i. vel si pigrior aluus sit, hieræ diacoloc. aut logadij, aut indi maioris ℥ß. vel ʒvi. vel ℥i. aut trochisc. alhandal, olei rutac. & nucum, vel laurini ana quart. ß. mellis squillit. ℥ij. fiat clyster. His vtique venter resoluitur, quibus non modò semel, verùm & secundò, & tertiò, pro rei necessitate, expediet vti: Humores enim crassos & lentos in coli cellulis defixos & hærentes incîdunt & extenuant, detergunt, secúmque multa detrahunt, quæ nullâ purgationis vis excuteret; sæpè etiam cùm vehementes cruciatûs torquent, clyster subsistit, ac manet, dolor enim omnia absorbens, euacuationem cohibet. Ferè tamen remorantem clysterem acrior alter, aut glans reuocat. Imminutâ recrementorum copiâ, prædictis clysmis, si laxantia detraxeris, aut sequenti vtendum.

Clysteres si intus subsistant, vt reuocentur.

℞. Semin. anethi, viticis, rutæ, fœnicul. & cumin. ana ℥ß. flor. stœchad. camomill. melilot. ana p. ij. fiat decoctio in vino & oleo nucum, ânethino, rutac. vel oleo antiquissimo: cape de colatura ℔. i. & iniiciatur. Huic addi commodè potest euphorbij vel castor. ʒi. atque interdum confect. de baccis lauri ℥i. aut theriacæ antiquæ, vtiliter inseri.

Clyster anodynus sine laxantibus.

Clysteres laxantes, & clysteres discutientes alternatim iniiciendi.

Neque verò frequentior acriter euacuantium clysterum vsus institui debet, sed nunc horum, nunc discutientium alternatus & tempestiuus vsus accommodatior, vbi priùs fæces emollieris. At si pituita vitrea altiùs excruciat, & tenaciùs intestinis adhærescens, clysteris vi educi nequit, calidioribus colliquescat. Itaque decoquantur prædicta in iure pingui intestinorum veruecis aut gallinæ, dissoluendo vini Cretici ℥iiij. olei rutac. vel anethini ℥iij. vitellos ouorum, num. ij fiat clyster, qui & pituitam præparat, & dolorem demulcet. His si nil efficitur, dolórque immaniter iactat, narcoticis tandem doloris impetus remittendus, obtuso & consopito partis sensu. Commodè verò id fiet aliquot papaueris capitibus superiori decocto annexis, aut philon. Roman. ʒiß. aut ʒij. dissolutis, aut castorei ℈i. opij ℈i. aut gran. viij. Hæc de clysteribus, quibus vel solis plerunque morbus cedit; alioqui toto curationis decursu iis alternatim vtendum, aut etiam glande acriore ex hieræ puluere & melle anthosato confecta.

Dolore sæuiẽte atrociùs, narcotica clysteribus adiicienda.

Glans discutiens flatus.

℞. Rutæ contritæ, & mellis, ana part. i. cumini partem mediam, salis gemmei quartam partem, fiat suppositorium. Vel:

Aliud suppositorium.

℞. Cumini, ameos, baccar. lauri, sileris mont. fol. rutæ siccorum, ana ʒi. salis pyrethri, & pulpæ colocynt. an ℈i. aristoloch. gentian. an. ʒß. fiat puluis, & cum melle & succo cyclamini fiant glandes, ita vt ℈iiij. vnamquamque conficiant. Quinetiam rutæ contritæ ℥i. puluer. cumini ℥ß. melle excipiatur, fiat glans. Licet interdum acerbiùs premente cruciatu, ex narcoticis glandem vtiliter parare, qualis ex philonij ʒij. circùm iusquiami radicem lanâ inuolutis, ac filo ligatis; aut lanâ vel bombace, imbutis oleo lilior. cui castor. ʒß. & opij ℈ß. infusa & dissoluta sint. Nonnulli folle depresso in anum demisso flatum extrahunt, cannlâ aut buxeâ, aut ferreâ, aut argenteâ, octo digitorum longitudine anum subeunte. Quidam præterea ductum buxeum multis ea parte quà intrò subit, foraminibus peruium, ano inditum continent, quò liberiùs flatum excludant.

Aliud.

Suppositorium narcoticum.

Follis in anũ immissus.

Assumpta.

Intereà vno aut altero clystere iniecto, mox assumptis strenuè oppugnanda doloris causa, primò euacuantibus, dein calfacientibus, & incidentibus. In euacuantibus hæc lex statuenda: mitiora deligito cathartica; mochlica verò & valentiora planè arceto. Illa quippe è ventriculo tantum, & ex intestinis humorem facilè, ac citra offensionem detrahunt; hæc è visceribus, venis & corporis habitu in intestina, magnâ corporis perturbatione, deturbant; quod colicis aduersissimum. Itaque præstat humorem intestinis impactum lentè, ac sensim mitioribus excludere,

Purgantia solùm mitiora exhibenda.

quàm

quàm temerè valentioribus impetere. Vomitione id moliendum, si sursum vergit, & ventriculum, superioráque intestina impuris humoribus occupari portendant cibi fastidium, nausea, humoris vomitus, ventriculi grauitas, & distensio. Tunc ergo ex naturæ motu & inclinatione cienda vomitio, haustâ potione olei & vini maluatici tepescentis, pondo selibræ, aut ℥viij. aut aquâ cui incoxerit rad. anethi ℥ij. semin. anis. & aneth. contusor. ana ℥ß. sinapi ℈ß. in colat ℥iiij. dissolue oxymel. simpl. ℥ij. Alui autem deiectione, si eò declinat. Agaricus in id parum idoneus. Accommodatissima est hiera picra, mensurâ ℥ß. aut ʒvi. cum saccharo; aut aliud blandum, quod neque ex astringentibus, vt myrobalanis; neque vehementer attrahentibus sit compactum. Ipsúmque exiguâ quantitate, ac solidiore potiùs formâ, aromatis, aut rei cuiuspiam suauioris permistione condiendum, vt ventriculo quadam odoris, aut saporis suauitate occurrens, feliciùs vires suas exerat.

Vomitus quãdo locum habeat.

Deiectoria medicam. quando adhibenda.

Pilulæ.

℞. Massæ pilul. elephang. & de hiera, ana ʒß. castor. ℈ß. cum syr. de stœchad. fiant pil sex, capiat tres. His secundò, ac sæpiùs vti conueniet. Neque ad vehementiora progrediare, excepto diaphœnicone, quo non præstantius vllum; aut indo maiore, vbi durior sit aluus.

Diaphœnicũ hic tutò vsurpatur.

Pilulæ vehementissimæ.

℞. Sagapeni, pulpæ diacoloc. diagrid. salis gemmæ, ana ℈i. cinnam. galang. macis, croci, cumini, ana ℈ß. aloës ℈iiij. fiat massa pilul. capiat ℈ij præsertim præparato iam humore. Innoxiè etiam atque vtiliter purgare licet iure galli antiqui, hac formâ.

℞. Gallum antiquum cursu fatigatum & euisceratum: Immitte sem. cartham. contus. ʒi hyssop. & polypod. quern. ana ℥ß. sem. dauci, aneth. fœnic. anis. ameos, ana ʒiij. salis gemm. ʒiiß. turbit. elect. ʒij. fiat decoctio in ℔. xij. aquæ ad medias, sumat ℥vi. ieiuno ventriculo. Ex eadem clysmi etiam parentur. Auicennas terebinth. ℥ß. ad ℥i. purgat colicis doloribus obnoxios. Nonnulli miscentes narcotica purgantibus, magnâ admiratione euentûs, has pilulas commendant.

Ius galli purgans.

℞. Aloës succotrin. ʒi. croci, & opij, an. g̃. i. fiant pil. vij. aut pro croco, castorei g̃. i. dentur ieiuno ventriculo, dolorem quippe protinus sedant; atque si purgationem accelerare velis, adde diagrid. g̃. ij. vel iij.

Pilulæ cathartico-narcotica.

Iam verò contrariâ medicamentorum qualitate intestinorum affectus abigendus, & intemperies frigida immutanda, delendáque est, iis quæ natiuum calorem sopitum & torpescentem exsuscitant. Mitioribus quidem primò, deinde nisi malum cedat, validioribus, quibus in flatulento dolore solitario, cui exiguus humor assideat, primo quouis tempore vtendum. Id genus sunt calida aromatica, maximè sy-

Intestinorum intemperies frigida suis abigenda contrariis.

Alterantia per os sumenda.

rupus mentæ, syrup. de stœchad. vinum absinthij, vinum aromatit. aut quod ex melle, pipere & cardamomo paratur. Oleum amygdalar. dulc. recens epotum dolorem blando calore lenit. Aromaticum rosatum, rosata nouella, diagalanga, diatriumpiper. diacyminum, electar. ducis, theriaca antiqua, mithridat. ad ʒi. (Quæ duo etiam lumbricis colicum dolorem inferentibus prosunt) confectio de baccis lauri ad ʒij. Et si vires labant, diamoschum, confectio pretiosa ex granis tinctoriis, puluis de gemmis. Quinetiam amuleta quædam ingeniosè ad colicos dolores excogitata, quæ totius substantiæ proprietate iuuant, quale inprimis habetur intestinum lupi præparatum per artem, stercus eiusdem resiccatum & pulueratum, cornu cerui vstum, & aquâ betonicæ lotum, pelliculæ internæ ventris gallinæ, priapus cerui lotus & resiccatus, aut tauri, astragalus porci vstus, ac tritus, potuíque datus, decoctum cancror. epotum, sapphirus optimè tritus & sumptus, galeritæ siue vpupæ assæ puluis, scorpionis etiam assi colicis, vt & nephriticis, opitulatur. Sed iam ex alterantibus composita proponamus.

Specificâ proprietate colicos iuuantia.

Iulepus.

℞. Syrup. de stœchad. vel de arthemis. & mellis anthos. vel squill. vel de calament. ana ℥iiß. aquar. beton. absinth. & melissæ, vel hyssopi, vel fœnicul. ana ℥iiij. puluer. diagal. vel aromat. rosat. ʒi. fiat syrupus clarific. pro tribus dosibus.

Apozema.

℞. Radic. acori vulg. galang. calami aromat. enul. camp. ana ℥i. radic. pœon. Rom. & aristol. rot. ana ʒvi. folior. betonic. origan. calamen. puleg. polij mont. hyssop. chamædr. chamæpit. ana M.i. anis. fœnicul. cumini, ameos, & sileris montani, ana ʒij. semin. vitic. & carúi, ana ʒiß. zinziberis, cardamomi, & piperis nigri in panno raro ligator. ana ʒi. flor. stœchad. & rorismarin. ana p. i. fiat decoctio in duabus partibus aquæ, & vnâ vini generosi: in colaturæ ℔.i.ß. dissolue sacchar. quantum satis, cinnamom. ℥ß. macis ʒß. transfundantur per colum Hippocrat. capiat in 4. aut 5. dosibus.

Aqua pretiosissima.

Aquam singularem effeceris, si præscripto apozemate comprehensa, infundantur & macerentur in ℔. iiij. vini Cretici, diei naturalis spatio. Deinde addas theriacæ decem annorum, aut antiquioris ℥iß. reponantur & recludantur vaporario, & aqua illinc stillans reseruetur vsui, exhibendo ℥ij. cum aq. betonic. pari pondere.

Arida medicamentorum forma in colicis liquida præferenda.

Cæterùm in hoc affectu, arida medicamenta liquidioribus sunt accommodatiora, quòd frigidi, crassíque sint humores, & magna cruditas in primis visceribus, vt liquida in morbis præferuntur, cùm altiùs & in exilibus venis conditi sunt humores in sicciore corpore.

Puluis

Puluis.

℞. Inteſtini lupi in vino generoſo loti, & in clibano non admodum vrente exſiccati ʒij.cornu cerui vſti, & aq.abſinth.loti,ʒi. cumini, galang.ana ℈ij.ſterc.lupi reſiccati,& cinnam.ana.ʒß.piperis,zinziberis, & croci,ana ℈ß.ſacchari,ad medium ponderis, miſce, fiat puluis. Loco inteſtini lupi,commendatur inſigniter puluis lumbricorum,etiam ſolus, ad ʒß.cum vino. Aſtragalus pedis ſuilli, vſtus & pulueriſatus, idem præſtare videtur.

Succedanea inteſtini lupi.

Puluis omnium efficaciſſimus, tum præſenti, tum imminenti dolori.

℞. Aniſ.fœnic.cinnam.zedoar.galang.ana ʒiij.pulu.diacymin. ʒij. carui,ameos,calami aromat.dictamn.Cretẽſis,ana ʒiß.cornu cerui vſti & aquâ beton.loti ʒij.pulu.corall.rubr.eodem modo præparat. & pellicul. internar.ventrium gallin.lotar.in vino maluat.& exſiccat. ana ʒi. macis, caryoph.ana ℈ij.raſur.eboris & margarit.electar.ana ʒß.croci,zinziberis, & piperis longi,ana ℈i.ſpicæ nardi ℈ß.fiat puluis,è quo ʒi. aut ℈ij. capiat cum vino generoſo.Quod ſi minùs gratus appareat,addito ſacchari ad pondus omnium. Vel cum ſaccharo in aqua vitæ,aut betonic.aut rutæ diſſoluto,fiat electarium in tabellis,pond.ʒiij.capiat vnam.

Tabella.

Pauperibus autem, huiuſmodi electarij vice, diacyminum, vel diagalang. & ſimilia imperabuntur.

Tragema.

℞. Zinziberis albi & inciſi ʒiij.liquirit.cinnam.interioris conciſor. ana ʒiiß.galang.piper.albi,zedoar. diſſector. ana ʒi. macis ʒß. coriandr. præparat.& aniſ.conditor.ſaccharo, ana ℥ij. fiat tragema, capiat cochl. i. vltimâ menſâ.

Si nihil etiam remittatur dolor,ad narcotica neceſſariò deſcendendum,quibus inननbilioſa tutiùs, in pituitoſa non æquè tutò vti licet. Hæc quanquam cauſæ morbi planè aduerſentur, & lentæ pituitæ prorsùs obſint,cuius dein aut difficilior, aut longior futura ſit extenuatio & euacuatio : Illud tamen optabilius eſt, quàm vrgentioris doloris ferociâ & effrenatione affligi & proſterni ægri vires. Læſio enim morte tolerabilior. His autem non temerè, ac ſine iudicio vtendum, & compoſitis repreſſis potiùs quàm ſimplicibus,& indomitis,admotis quàm intrò adhibitis, iiſque iniectis quàm ore acceptis, omnibus autem rariſſimè. In aſſumptis ex vſu erunt philonium Rom. vel theriaca recens, drachmæ vnius pondo : aut vtatur ſequentibus pilulis.

Narcoticis quando, & qualibus vtendum.

Gal.lib.12.m. m.c.1.

Pilulæ Narcoticæ.

℞. Puluer. rosat. nouell. & diagalang. ana ʒiß. puluer. diacymin. ʒi. castor. ʒß. euphorb. gr.x. opij exactissime contusi, mortario, ac pistillo calidis, & soluti vino maluatico ℈i. myrrhæ, croci, piperis, ana ℈ß. formentur pilulæ de stœchade x. pro ʒi. capiat quatuor, aut quinque, vel sex in virium constantiâ, dolore non remisso.

Admota.

Cucurbitula. Confert præterea remediis quæ foris admouentur, doloris acerbitatem demulcere, ac primò cucurbitulâ ampliore ventris regioni ita adhibitâ, vt vmbilicum vndique comprehendat. Hæc enim vi flammæ, atque caloris, spiritûs in intestinis coërcitos expeditè dissoluit & dissipat, humorem intestinis impactum deriuat, & eum qui in alto corpore demersus est, euocat in summum. *Gal lib.12.m. m c.8.*

Rarefacientia. In id deinde conferunt ἀραιωτικὰ, & διαφορητικὰ dicta, quæ rarefactâ cute, prætenui substantiâ intrò subeunt, & humores intus penitus abstrusos calfaciunt, extenuant, forâs euocant, resoluunt in vaporem, qui subinde expirat, & in halitum digeritur. Comparanda & seligenda horum materia, quæ corporum naturæ, & humoris conditioni respondeat, idque sensim & ordinatim à mitioribus exordio ducto. Ex iis autem, fotus, balnea, olea, vnguenta emplastra, sacculi parentur, vehementiæ doloris accommodata. Cúmque ita dolor acerbior inuadit, fomenta ventri adhibeantur quæ spiritum digerant.

Fotus.

℞. Parietar. malu. cum toto, rutæ. betonic. matricar. arthemis. prass. origan. calament. puleg. chamædr. chamæpit. centaur. min. ana M.i. semin. lini & fœnugr. ana ℥ß. anis. fœnic. ameos, sileris mont. carui, cumini, & baccar. laur. ana ʒiij.ß. rutæ, viticis, ana ʒiß. flor. camomil. melil. stœchad. rorism. & aneth. ana p.i. furfuris pß. fiat decoctio in æquis partibus aquæ & vini, quâ foueatur regio ventris spongiâ imbutâ, vel filtro, aut vesicâ decocto repletâ. Præstantissimus fouendi modus est, si fili crudi stamina lixiuio incocta, aut præscripto fotu madentia superimposueris. Ex iisdem plantis atque seminibus, maiore tamen copia præscriptis, additis brassicâ & mercuriali, solium comparandum, in quod resupinus æger à genibus ad vmbilicum demergitur, leniendo dolori in virium constantiâ destinatum. Efficacius etiam reddes, stercoribus vaccæ, capræ, vel lupi, in eo decoctis. Hac ratione dum tormina magis opprimunt, fomentis venter muniendus.

Filum lixiuio incoctum pro fotu

Semicupium.

Oleum.

Oleum.

℞. Ol.camomil aneth.& rutac.an.℥ij.misce,illinatur,adiectâ si vis, aquæ vitæ ℥i. Dein foueatur vino decoctionis stercoris columbini, & aliorum quæ flatûs absumunt. Aut:

℞. Ol.de lilio,laurin.& nucum,ana quart.i.misce,impleatur vesica, quæ calens ventri admoueatur.Olei lilior. ℔ ß.castor. & euphorbij, ana ʒiß. fiat vnguentum. Castoreum etiam solum extrinsecùs impositum cum oleo sicyonio medetur. Si per hæc, tormenta non discutiantur, à sequentibus auxilium petendum.

Fotus ex vesica.

℞. Fœnicul.cumini,ameos,semin.rutæ,viticis, & baccar.lauri, ana ʒij. flor.camomill. aneth. sambuc.ana p.i. zedoar. galang. cinnamom. caryophyll.ana ʒiß.castor.ʒi.spicæ nard.& schœnant.ana ʒß. decoquantur in æquis partibus olei aneth.camomill. & vini maluat. ad aliquam vini consumptionem; Deinde vngatur, & velamina quædam satis calida ventri conuoluta substringantur. Licet etiam eodem vsu panem recens è clibano eductum vino maluatico, aut oleo chamæmel. & rutaceo irrigare, atque ea quæ superiori oleo incoximus in puluerem redacta detracto, si vis, castoreo, inspergere.

Fotus humidus valentior, ad flatus discutiendos.

Vnguentum.

℞. Vnguenti resumpt. ℥iij. puluer. iridis ℥ß.flor.camomill.aneth. & cumini, ana ʒij. semin. rutæ ʒiß. ol.aneth.& lilior.ana ℥i.misce.

Aut:

℞. Vnguenti aregon, vel marciati ℥v. vngatur. In vehementissimis est oleum euphorbij cum exigua cera. Vel:

℞. Absinth. sicci, balsamitæ, centaur. minor. siccor.ana ʒi.fœnic. ameos, cumini,rutæ,sileris montani,baccar.lauri,ana ʒiß. zedoar.calam. arom. cinnam.macis, caryophyl.nucis mosch.ana ʒi. castorei,nisi odore molestum sit, ʒß.spic.nard.schœnanth. ana ℈i. olei aneth. & de spica, ana ℥ij.ceræ parum, fiat vnguentum. Hæc itaque dum vehemens est dolor, adhibenda consulo.Dum mediocris, etiam fomenta ex milio sufficiunt, simúlque frictiones ad extremas partes.

Fomenta ex milio,vbi dolor mediocris.

Emplastrum.

℞. Massæ emplastri de baccis lauri ℔. ß. sem.cumini,rutæ, viticis, galang. ana ʒij.fol.dictamn. & zedoar.ana ʒi. flor. camomill. stœchad. & aneth. ana ℈iiij. sulphuris vini ʒiß. malax. cum oleo rutaceo, vel sambucino, & fiat emplastrum. Confert etiam ex stercore boum,ouium

&capræ

& capræ cum melle, & diſcutientibus, potiſſimùm ex ſtercore lupi, ſi haberi poſſit. Poſtremò nonnunquam ſinapiſmo, aut phœnigmo vti neceſſe eſt. Vt:

Emplaſtr. rubificans.

℞. Cineris caulium & baccarum lauri, ana part. i. fol. rutæ & pyreth. ana p. ß. caſtor. in aceto ſoluti, & agaric. ana tertiam partem vnius, olei laurini & ſcorpion. ana quantum ſatis, fiat emplaſtrum: ſem. vrticæ & fimi columbini, ana partem ſemis addere licebit. Gallinacei proprio calore tepentes, aut pulli columbini, aut catulus per medium diſſectus, & puluere cymini, rutæ, ameos, anethi, galang. caryophyl. zinziberis, cardamom. ſpicæ, aſperſus, ventríque admotus iuuat.

Pulli gallinacei ventri admoti.

Sacculus.

℞. Milij & furfuris macri, ana p. ij. ſemin. lini & fœnugr. ana ℥ij. flor. camomill. melilot. ſampſuch. aneth. ana p. iij. flor. ſtœchad. & roriſmar. ana p. ij. aniſ. fœnic. cumini, carui, ana ℥ß. ſalis leuiter contuſi ℔. ß. omnia hæc in ſartagine calfacta linteolis concludantur, fiántque duo ſacculi, qui vino generoſo irrorati, calentes viciſſim admoueantur; Aut ſacculi cineribus calidis impleti, aut ſcutella cinere calente plena, aſperſo inſuper fœniculi & cumini puluere, viníque tantillo, ac parti impoſito, ita vt puluis affectam partem attingat. Aut extinctiones, inuolutíque panniculis, & ſic circundati. Hoc præſidij genus tutiſſimum eſt; deinde fomentis vtare ſæpius repetitis: ſemel enim duntaxat atque iterum adhibita materiam conſopitam excitant, diffundunt, atque flatum amplificant; in frequentiâ abſumunt & diſcutiunt, quod ſemel agitârint.

Fomenta ſæpius repetenda.

Primùm ergò fotus dolorem exacuit & concitat, quem ille perſeuerans remittit, ac planè compeſcit. Quanquam euacuatâ materiâ nihil iſtiuſmodi verendum. His niſi dolor conquieſcat, & tormina magis opprimant, fomento potiùs narcotico, quàm aut clyſtere, aut aſſumptis ea ſtupefaciente vi præditis, vtare. Id fiet quàm facillimè, additis ſuperioribus, aut vnguentis, aut emplaſtris, ʒij. iuſquiami, & ʒß. caſtorei, tum opij ℈i. aut fiat ſequens

Fomenta vt reddantur narcotica.

Fotus Narcoticus.

℞. Radic. iuſquiam. (quæ etiam collo ſuſpenſæ iuuare creduntur) ℥i. capitum papau. alb. num. iiij pomorum mandrag. vel rad. eiuſdem ℥ß. aneth. flor. camomill. ana p. ij. ſpicæ ʒi. croci ʒß. fiat decoctio in aqua, ad quartæ partis conſumptionem, foueatur.

Ceratum Narcoticum.

℞. Stercoris ouilli, q. ſ. teratur cum ſeuo hircino in mortario, deinde

deinde adde baccar. lauri ʒiii. castorei & piperis, ana ʒi. rursùs terantur demum immisce semen iusquiam, & papau. alb. ana ℈i. opij ℈ß. aut g̃. vi. plus minùs, pro necessitatis conditione, fiat emplastrum.

Amuleta.

E lupi intestino cingulum carnem proximè attingens colico dolori maximè succurrit. Pedi eiusdem suspenso eandem facultatem ascribunt, aut iusquiami radici collo subnexæ. Si dolorem ventris lumbrici creauerint, vt quando vermes vicinas partes lancinant, suisque vellicant morsibus, tum suprà scriptis lumbricorum remediis erit pugnandum, quibus dolor finietur.

Ad dolorem ventris ex lumbricis.

Colicus dolor, & Iliacus, ab inflammatione.

Hactenùs remedia exposui, quæ dolores colicos à crassa pituita, aut flatu intercluso genitos leniant. Ad ea deinceps accingar, quæ ab acri & erodente humore, aut etiam ab inflammatione ortis doloribus succedunt, si priùs inflammationis signa expressero.

De doloris colici ab humore calido orti remediis.

Inflammatio febre deprehenditur, rigore inordinato, dolore acerrimo & lancinante, qui fixus & constans est, sine vlla intercapedine, non dysenteriæ modo intermittens aut remittens, nec in varias sedes, vt ferè colicus se contorquens. Et vbi phlegmone crassiora obsidet intestina, inanis premit, ac irritus desidendi conatus. Hæ notæ inflammationem profitentur. Quæ verò dolorem ex bile distinguant, antè proposuimus. Nunc vtriusque curationem subnectamus.

Signa inflammationis colo conceptæ, aliisve intestinis.

Cùm ergò biliosus humor vellicans, & se in intestini substantiam altiùs figens, ventris torminum, dolorisque causa est, primo quouis tempore clysteres imperentur mediocri abstergendi facultate præditi, qui & dolorem remittant, & humoris acrimoniam obtundant; nisi enim celeriùs alui excrementa exigantur, periculo locus est.

In colica calida quales esse debeant clysteres.

Clyster detergens & anodynus.

℞. Hordei integri, aut (acriùs feriente dolore) mundati, p. ii. malu. viol. pariet. endiu. an. M i. anis. ʒi. trium flor. communium, an. p. i. flor. viol. camom. nenuphar. an. p. ß. fiat decoctio: & in colat. ℔ i. dissolue cassiæ recent. extractæ ℥i. aut, si vehementiùs laxandum, electar. de psyllio ʒvi. sacchar. rubri, & mellis violat. an. ℥ii. ol. rosac. & violac. an. ℥iß. vitellos ouorum num. ii. fiat clyster, qui sæpiùs iniici potest. Atque in vehementi ardore, addita mucag. psyllij, aut capitib. papau. si ferociùs sæuiat, incoctis, aut opij tantillo dissoluto, promptiùs dolor conquiescit. Qui ex caprino lacte cum saccharo paratur, cōmēdationē habet non obscuram.

Clysteres vt narcotici reddantur.

Potio.

℞. Summit. maluar. m. ß. prunorum dulc. p.v. sebesten, p.iij.anis. ʒß. flor. violar. p. ij. fiat decoctio in aqua hordei perfectè cocti: cape de colatura quart.i.in quo dissolue cassiæ recèns extract.cum vapore decocti maluar.℥i.rhéi optimi in aqua endiu.infusi & expressi ʒiß.cinnam. eodem modo præparat. ℈.v. syrup. violat. ℥i. Misce fiat potio, exhibeatur die sequente à sumptione clysteris.Vel:

Pilulæ. ℞. Syrup. rosat. solut. ℥ii. decocti hordei & anis. quart. i. Misce, fiat potio. Pilulæ dialoës cum syr.rosato maceratæ iuuant. Aut vomitio

Emeticum blandum. cienda haustu tepentis aquæ cum oleo amygd. dulcium.

Syrupus Alterans.

℞. Syrup. violat. ℥iij. syrup. de papauer. ac endiu. simplicis, ana ℥i. decocti maluar. portul. cichor. endiu. flor. nenuph. & violar. addito aniso, ℔i. aut aquar. endiu. violar. & solatri, an. ℥iiij fiat syrupus clarific. & aromatiz. cum pulu. triasant. & diatrag. frig. ana ʒß. pro triplici dosi.

Conditum.

℞. Conseru. violar. & flor. cichor. ana ℥i. conseru. nenuph. ℥ß. pulu. triasant. & diatrag. frig. an. ℈ii. sacchar. quantum satis, fiat conditum. Si his remediis prorsus reluctetur dolor, & inuictus maneat catapotia,narcotica iam suprà descripta conuenienter imperabis, detracto euphorbio,pipere,& castoreo.

Epithema.

℞. Succi endiu.succi cichor.& lactuc. an. ℥v. aceti ℥iß. boli armen. ʒii.santal.omnium,coriandr.præparat. an.ʒiß. florum violar.& nenuph. an.ʒi. sem.endiu.& portul.an. ʒß. spicæ nardi, ℈i. Misce,fiat epithema è regione hepatis,& partis dolentis.

Vnguentum.

℞. Vnguenti rosac. ℥iiij. vnguenti popul. ℥ii. ol. violat. & de nenuph. an. ℥iß. Misce fiat vnguentum, quo vngantur partes prædictæ, addendo vnctionis tempore aceti parum.

Cataplasma.

℞. Althææ, & maluæ cum toto, violar. acanthi, solatri,an. m.i. flor. violar.

violar. & nenuph. an. part. i. decoquantur, & contuſa per colum ſetaceum tranſmittantur; Deinde adde farinæ ℥iiij. olei roſat. & violat. an. ℥ii. fiat in modum cataplaſmatis. Cui ſi ardoris violentia ſit maior, addes, mucag. pſyll. ℥iß. aut procedente morbo ſeminis lini aut farinæ eiuſdem, parem modum. Hîc vino planè abſtinendum, atque frigidâ vtendum, cuius largiore potu nonnulli ſanantur.

Frigida potus.

Ex inflammatione.

At verò ſi inflammationis vel præſentis vel imminentis vlla ſit ſuſpicio, aut venæ immoderatâ copiâ turgeſcunt, aut incaleſcentis ſanguinis ſymptoma quoddam acriùs vrget, vt pulſans capitis dolor, corporis iactatio, ſitis, æſtus penè ſuffocans, venæ ſectio, præmiſſo clyſtere protinùs adhibenda. Hæc enim non modò in inflammatione eſt neceſſaria, ſed etiam in dolore ex bile orto tum demùm vtilis, cùm aut doloris & ardoris vehementia, aut ſanguinis copia inflammationem minatur. Itaque tum venæ ſectio, non præſentis cauſæ vi, ſed incipientis aut impendentis morbi magnitudine atque metu præmittenda. Porrò ſanguine pro virium ſtatu detracto, ac fluxione interceptâ, cucurbitulis vtrique inguini adhibitis, frictionibus, extremorúmque vinculis, clyſter præſcriptus iniici poteſt, additis rad. althæ. & refrigerantibus quibuſdam atque humectantibus, (non aſtringentibus, ne dein inteſtinum nimiùm contrahant) vt folio cucurbit. cucumer. ſolani, flore camomill. ac roſar. & ſimil. inflammationis initio, cum violacea, & roſac. & album. oui, cæteriſque iam deſcriptis. Etenim, vt ſummatim dicam, iiſdem tum aſſumptis, tum admotis remediis, bilis & inflammatio extinguenda eſt. Illa tamen purgatione educenda, hæc venæ ſectione quamprimum reuellenda: hic enim quia purgationis vias morbus intercipit, aliò humorum motus conuertendus, neque purgantibus in partem affectam deducendus, excepta caſſia cum hordei decocto, quæ ſola vi leniente & emoliente prædita, neque fluxum concitat, neque qualitatis noxiæ labem vllam inurit. Ardori remittendo omnium efficaciſſimus vtriuſque mali punici ſuccus ad ℥v. dolori ſedando recentis olei amygd. dulc. ℥ii. ſuccurrunt, aut mucago pſyllij. In ſtatu quædam reſoluentia aſſumptis & iniectis miſceto, vt decoctum hordei & ſebeſten cui miſcenda liquirit. paſſul. & malua. Quemadmodum clyſteri ſemen lini & fœnugr. melilotum, chamæmelum, caules, & oleum amygd. dulc. aut ſeſaminum, aut axungia gallinæ, ſapa, caſſia. Et in topicis, cataplaſma ex farina hordei & fœnugr. butyro vel axungia porci, & oleo violat. ac chamæmel. paranda, ac flores eorundem incoquendi. Neque in harum partium phlegmone vſquam aſtringentibus locus eſt, quæuis adhibeantur. In declinatione paulò acriora enemata erunt conſentanea, quæ in cæteris temporibus, mirum in modum dolorem exacuunt, & in affectam partem fluxionis impetum aduocant.

Venæſectio quo caſu hic adhibenda.

Cucurbit. frictiones, ligatura, clyſteres.

Bilis purgationem, inflammatio phlebotomen indicat.

Alterantia interna.

Alterantia externa.

Præcautio.

Purgatio. Acceſſione ſedata, & doloris impetu remiſſo, ne poſt hanc laborans illis doloribus ſit obnoxius, purgandum corpus agarico in oxymelite ſquillit. infuſo, electa r. Eleſcoph. aut indo maiore, aut diaphœn. cum decocto cartham. puleg. hyſſopi. Ita expurgato corpore, vini guaiacini vſus ad proliciendos ſudores imperari debet, quò mali ſeminarium radicitùs extirpetur.

Vinum guaiacinum hidroticum. ℞. Raſur. ligni ſancti ℥x. cortic. eiuſdem, ℥ii. infunde in xx. ℔. vini generoſi per 24. horas: deinde fiat decoctio in vaſe vitreato lento igne ad medias: colaturæ adde hyſſop. puleg. aneth. ana M. ii. atque in minori vaſe rursùs decoquantur ad tertiæ partis conſumptionem. De colatura cape quolibet manè ℥viii. proliciendo ſudores.

Decoctum ſecudarium pro potu familiari. ℞. Fæces prædicti ligni guaiac. quibus adde ℥iiii. recentis: inque xx. ℔. vini decoquantur ad tertias: facta colatura vtatur tempore paſtus, loco alterius vini. His diæta xxv. dierum ſpatio definienda.

Victus ratio colicorum.

Inediæ vtilitas. His tenuior & parcior victus ſalubris eſt; & apprimè vtilis quæ per inediam fit euacuatio. Per hanc enim calor inſitus noui cibi copia minimè implicatus, vim ſuam exerit, crudoſque humores concoquit, craſſos attenuat, lentoſque detergit. Particulatim autem panis ſit biſcoctus, nauticus, aniſo conditus. Aſſæ carnes, maximè verò auiculæ montanæ. *Cibi vſurpandi, aut fugiendi.* Iuſcula ſi quæ ſint, è mentha, hyſſopo, fœniculo & petroſ. paranda, & aromatum ſuauitate condienda. In ſumma, quæ flatus gignunt, vel inibi commouent, prorsùs erunt prohibenda. Cætera in victu his ſimilia eſſe debent, quæ in paralyſi & cruditate præcipiuntur. Niſi verò finito tormento rectè neque cibus, neque potio aſſumitur. Interim omni modo æger frigus euitet; item dulcia omnia, cruda acidaque; legumina, magnam potionem, & quidquid aliud inflare conſueuit.

CAPVT XXIII.

De Alui profluuio.

NVnc de alui profluuio tractandum eſſe duxi, quod vbi diutiùs protractum fuerit, aut inueterauerit, animanti periculum adfert. Huius diuerſa notantur genera de quibus ſeorſim & particulatim agemus, vbi priùs vniuerſalis profluuiorum & notio & curatio fuerit enodata.

Celer

Celer alui deiectio causas habet aliquas quidem externas, in assumptorum vel substantia liquidiore lubrica & pingui; vel in copia grauante; vel acrimonia pungente & vellicante. Alias verò internas, aut humorem, aut vaporem, aut qualitatem; quæ modò immodicè ventriculum & intestina relaxat & emollit, vt pituita dulcis: modò expultricem facultatem vel copia, vel acrimonia extimulat, vt bilis: modò pernicie, facultatis ipsius robur infestat & infringit, vt maligna febris qualitas. Hæc celerem alui deiectionem promouent, per quam & liquida, & sæpiùs quàm pro consuetudine fluunt. Ex iis autem quæ exeunt, variæ profluuiorum differentiæ statuuntur: lienteria, diarrhœa, dysenteria, tenesmus. Lienteria est crudorum ciborum; diarrhœa, sinceriorum humorum; dysenteria, cruoris ab intestinorum vlcere manantis excretio; vt tenesmus est inutilis deiiciendi conatus, seu crebra & inanis voluntas egerendi: de quibus deinceps agendum.

Causæ profluuij aluini aliæ sunt externæ, aliæ internæ.

Differentiæ fluoris alui.

Curatio vniuersalis.

Immoderata alui deiectio tametsi in symptomatis est, quæ sublatis causis efficientibus protinùs euanescunt: quoniam tamen haud aliter quàm cæteræ vacuationes effrænatæ, ægros prosternit; huic, tanquam vrgentiori symptomati, inprimis diligenterque succurrendum, præsertim si (quod sæpiùs accidit temporis progressu) vel noxia fluoris materia maiori parte subducta est, vel vires dissolutæ iam sunt. Alioqui dum virium robori confidimus, aut fluor in principio est, ad causam veniendum, & causæ occasionem,

Aluinus fluor cur, & quando compesci debeat.

Fluxum autem sistunt ac reprimunt, reuellentia, & astringentia, incrassantiave, quæ humorum motum & fluorem compescunt. Postremò, quæ exquisitiorem corporis sensum obtundunt, vt narcotica, de quibus in dysenteriæ curatione. Præceps humoris fluxus in aluum vomitione reuellitur, sudore, ac perspiratione (vbi cutis densitas, & frigoris immoderata vis profluuij causa sit) frictionibus, arctissimisque superiorum partium vinculis; denique affixis cucurbitulis, ad scapulas, & ventriculi regionem, vt contineatur cibus.

Alui fluxum sistentia variorũ generũ.

Reuellentia præsidia.

Astringentia (quibus neque protinùs initio, nec nisi noxij humoris maiore parte excreta vtendum) aut partium substantiam acerbitate cogunt, & meatuum latera coangustant, vt hinc retinendi facultas inualescat; aut incrassando, humorum impetum acrimoniamque hebetant, & frigore consopiunt; aut siccitate absorbent fluctuantem humorem, vnde retinendi vis firmatur; siccitas enim retentioni adiumento, humiditas eidem impedimento esse solet. Astringentium medicamentorum alia simplicia, à quibus auspicanda curatio; alia composita vsurpantur, quæ rursus vel calida, vel frigida existunt.

Astringentia.

Astringentia alia simplicia, alia composita.

Aſtringentia ſimplicia.

Frigida. roſæ, balauſtia, galla, rhus, hypociſt. acacia, nux cupreſſi, virga paſtoris, grana mali punici, vuarum, ſemen acetoſæ, ſemen plantag. portul. roſar. papaueris aſſum, rubi fructus, berberis, ribes, coriand. cauda equina, thapſus barbatus, cortex medius caſtan. & glandiferæ quercus, hordeum torridum, oryza aſſa, cydonium, & corna, oſſa bouis vſta, meſpila, nucleus dactyl. vſtus, charta cremata, cryſtallus, margaritæ, corallium, cornu ceruin. vſtum, ſmaragdus, polygonon, burſa paſtoris, arnogloſſum, myrtus, ſymphytum, terra lemnia, lapis hæmatites, bolus arm. ſanguis draconis, ſacch. roſ. antiq. ſandala, aqua pluuia chalybeata. calida, cuminum aſſum aceto infuſum, aniſum aſſum, gummi arab. tragacant. ſemen naſturt. torrefactum, ſemen porri aſſum, ocymi, coagulum hœdi, coagulum leporis, caſeus antiquus lotus, & coctus aqua & exſiccatus, abſinth. mentha, ſaluia, ſpica nardi, cortex nucum vſtus, caryophyll. calam arom. lignum aloës, ſuccinum, thus, maſtiche, ſtyrax, pix, vinum craſſum.

Aſtringentia compoſita.

Frigida. ſacch. roſ. rob. cydonior. ſyr. cydon. ſyr. de ribes, ſyr. de berberis, ſyr. de roſ. ſiccis, ſyr. granat. ſyr. myrti, conſeru. roſ. antiqua, conſeru. ſymphyti, caro cydon. trochiſc. de ſpodio, de carabe, de berberis, de terra ſigillata, de roſis.

Calida. ſyr. de abſinth. ſyr. de mentha, puluis roſatæ nouellæ, conſeru. arom. roſ. miua cydonior. aromatica, trochiſc. diacorall. micleta Nicolai tum aſſumpta, tum adiecta, diacyminum, diatrion pipereon, diagalanga, theriaca antiqua.

Olea.

Frigida. melinum, roſatum, omphacinum, lenticiſnum, myrtinum.

Calida. De abſinthio, maſtichinum, de mentha, nardinum.

Rectus aſtringẽtium vſus, ex differẽtiis & cauſis alui fluxus petendus eſt.

Horum omnium præſidiorum recta atque conueniens vſurpatio ex profluuiorum differentiis atque cauſis depromenda. Etenim lienteriæ calida, & roborantia magis. Diarrhœæ, vehementiùs aſtringentia. Dyſenteriæ verò, potentiùs exſiccantia ſunt accommodatiora. In vniuerſum autem ex hac remediorum ſylua clyſteres comparari poſſunt; & in aſſumendis, potiones, pilulæ, ſyrupi, condita, opiatæ, pulueres. In externis, vnguenta, emplaſtra, cataplaſmata, fomenta, ſuffitus, ſacculi, denique pulueres extrinſecùs præunctis partibus inſpergendi.

Cap.

CAPVT XXIV.

De Lienteria.

Lienteria velox est assumptorum exitus, quo per aluum cruda, nihilque ferè mutata exeunt. Etenim quæ aluus reddit substantia & colore alimentis similia sunt, liquida, humentia, cineritia, spumosa, multa, & sæpè olida, nunquam sanguine perfusa, solo ventris murmure ac rugitu, nulloque vehementi doloris sensu. Fit autem cùm imbecillior ventriculus, atque vel ab intemperie humida, vel à lubrico lentóque humore dissolutus, cibum continere non potest: aut cùm vel copia vel acrimonia, vel malignitate humorum, vaporumve eò vsque proritatur, vt minimè cibum vel amplectatur, vel conficiat. Quemadmodum enim infirmato, vel lacessito ventriculi ore, vomitio obrepit; ita alui deiectio, quòd in ventriculi fundum & intestina noxius humor illabatur, eaque debilitet: vt proinde omne id ventriculi, atque intestinorum vitium videri possit; praua enim intestinorum constitutio malè affecto ventriculo planè consentit. Quapropter lienteriam excitat ventriculi & intestinorum imbecillitas, quâ continere nihil possunt, & quidquid assumptum est, imperfectum protinus reddunt. Hanc autem contrahunt, aliàs impensè refrigerata vt immoderato frigidæ potu, & lactucarum esu; aliàs relaxata, immodico olei tepentis haustu & pingui læuore; aliàs vel copia, vel extraneis assumptorum aut humorum qualitatibus lacessita. Hoc & epoto veneno, & in exanthematis sæpè obtingit: quibus cardiaca remedio sunt; & lumbricis infestantibus, quod moribundis, tabidis, & hydropicis sæpè accidit, & ex longo morbo languente ventriculi robore; & à bile ventriculi fundum ac intestina vellicante, qua alimentorum descensus acceleratur; & nonnunquam ex maxima intestinorum, præsertim gracilium, exulceratione, atque à cicatricibus ex dysenteria relictis læuitas intestinorum oritur.

Lienteria quid. *Vide Gal. com. in aph. 1. lib. 6.* *Lienteriæ signa.* *Lienteriæ causa.* *Cels. l. 4. c. 16.*

Curatio.

Lienteria ægros interdum trahit, interdum præcipitat, vt idcircò pluribus diebus neglecta difficiliùs possit curari. Curatio completur primùm vitiosi humoris euacuatione, & reuulsione; deinde ventriculi, & intestinorum retentrice firmata comprimentibus. Vt ergò perfectior instituatur curandi ratio, peculiarem lienteriæ causam priùs excindere conuenit, immutata victus ratione; atque purgatione noxij humoris fluorem excitantis, conuenienter instituta.

Cels. ibid. *Prognosis.* *Indicationes.*

Si Pituita mucosusque humor refrigerans & emolliens læuitatem intestinorum facit, quod frequentissimum est, purgetur hoc modo.

Potiuncula purgans. ℞. Cortic. myrob. cebular. ʒii. rhabarb. electi, & pulu. ʒi. syr. capill. ven. aut myrtini ℥i. dissolue cum aqua plantag. aut absinth. fiat potio. *Alia pro pueris.* Pueris oxymel. paululum ex diluto rhabarb. & agarici, adiecto hieræ picræ puluere, propinandum. *Pilulæ.* Aut purgetur pilulis de hiera, de arom. cum agarico & mastiche. At si quis neglecta humorum purgatione, intempestiuè fluorem cohibere tentet, sæuissimos dolores ventris distentiones, lipothymias, aliaque grauiora symptomata inuehet. *Reuellentia.* Nec verò quæ humores in aluum illabentes reuellant, hîc aspernenda sunt: sed vt cap. vniuersali præcepimus, instituenda. *Cels. ibid.* Paulatim deinceps iis quæ astringunt & calfaciunt, firmari intestina debebunt, aliquibus quotidie adiectis, ne ventris impetus subitò cohibeatur. Quemadmodum autem quæ immoderatè laxant, soluunt robur, partisque virtutem, & quæ supramodum refrigerant, natiuum calorem extinguunt: *Qualia astringentia lienteriæ conueniant.* ita astringentia, quorum vis est ad corporis constantiam & firmitatem, hîc inprimis commendantur. Calida enim quæ insitum calorem sopitum & torpescentem exsuscitant atque fouent, intrepidè vsurpantur, quibusdam tamen refrigerantibus admixtis, quibus efficacior astringendi vis inest.

Lienteria ex frigida pituitosaque materia remedia, Cels. ibid. Quinimò si expugnanda calidior intemperies, refrigerantibus calida, parciùs tamen misceantur. Ergò cùm frigida pituitosaque materia lienteriam excitat, remedia ita comparata sint, vt calore imminutam concoctionem iuuent, & mucosum læuorem siccitate absorbeant, atque retinendi vim astrictione firment, qualis est, confectio arom. ros. diagal. rosat. nouellæ, diacydon. aromat. aliaque id genus. Et cùm in omni fluore vetris, tum in hoc præcipuè necessarium est non quoties libet desidere, sed quoties necesse, vt hæc ipsa mora in consuetudinem ferendi oneris intestina deducat. Alterum quoque, quod æquè ad omnes similes affectus pertinet, in hoc maximè seruandum est, vt cùm pleraque vtilia insuauia sint, qualia sunt astringentia, ea potissimùm ex iis dentur, quæ maximè æger volet, vel quæ magis grata futura sunt, etiamsi minùs vtilia, dum cibi cupiditas excitetur. Sed iam auxilia proponamus.

Sumenda.

Potio astringens. ℞. Sem. nasturtij torref. ʒiii. dissolue cum lacte chalybeato, & fiat potio. Idem præstat pulu. cortic. castan. assar. Aut

Alia. ℞. Trochisc. de terra sigillata, & de corall. an. ʒi. pulu. diarrh. ℈ii. syrupi myrtill. ℥iß. aquæ plantaginis q. s. misce, fiat potio.

℞. Pulu.

℞. Pulu. arom. rosſ. maior. & trochiſc. de terra ſigill. ana ℈ii. coral l. rubr. vſti, & aquâ roſ. loti, & pulu. electarij de gemmis, an. ℈i. ſyrup. de mentha, vel de abſinth. ℥i. aquarum meliſſæ & menthæ, an. quart.ß. Miſce. Vel aquæ ſublimationis nucum, & foliorum cupreſſi, quart. i. fiat potio, quæ ſubinde repetenda. *Alia.*

Puluis.

℞. Cymini in aceto infuſi, & aſſati, ſemin. naſturtij, ameos, carûi, garyoph. cardam. pellicul. internarum ventriculi gallinæ lotarum in vino generoſo & exſiccatarum, corall. rubr. acinorum paſſul. & maſtic. ana partes æquales, fiat puluis: ſumat ʒii. cum vino generoſo & craſſo. Prætereà elect. præſcribantur, quæ tum roborent, tum ſopitam ventriculi & inteſtinorum facultatem ſuſcitent & erigant, ſimúlque pituitæ affluentiam exſiccent & abſumant, quale eſt hoc.

Confectio efficax.

℞. Semin. naſt. torrefacti ʒiij. acinorum vuæ ʒiiß. granor. myrti exactè pulucrizator. balauſt. conchul. maris aduſt. thuris, fruct. thamar. ana ℈iiij. cymini in aceto infuſi per diem naturalem, & deinde aſſi, ameos, ana ʒiß. ligni aloës, ſi haberi poſſit, nardi, galliæ moſchatæ, cyper. calam. arom. myrobal. emblicor. in ſucco cydon. infuſorum & torrefact. an. ʒi. ſem. porri torrefacti ℈ii. pulucrizentur omnia ſubtiliſſimè, & macerentur in vino generoſo, deinde exſiccentur; rurſus macerentur in ſucco antiquo cydon. aut aquâ myrti, & ſiccentur. Poſtremò trita excipiantur miuâ, hoc eſt, gelatinâ cydoniorum: Doſis eſt ʒiij. cum ſyrupo conuenienti, vt de abſinth. vel cydonior.

Syrupus.

℞. Syr. de abſinth. cydon. & de ribes veri, ſi haberi poſſit, an. ℥i. Miſce, capiat. cochlear. duo.

Eodem vſu maſtich. ℥iij. vel iiij. per interualla deuorentur. *Maſtiche.*

Conferunt etiam chebuli conditi, zinziber. condit. aliáque ſimilia, in imbecillitate ventriculi à frigore, & dolore eiuſdem à pituitâ, deſcripta.

Possunt & parari condita, quibus per interualla quatuor horarum vtendum.

Conditum.

℞. cortic. citri ſacch. conditi, & carnium cydon. eodem modo condit. an. ʒvi. conſeru. roſ. antiq. ℥i. conſeru. ſymphyti ℥ß. pulu. elect. de gemmis ʒi. pulu. diarrh. abbatis, & pellicularum interiorum ventrium gallinæ, an. ℈iiij. pulu. diamarg. frig. ℈ij. corall. rubri ℈i. flor. origani, N. x. ſacch. q. ſ. fiat conditum auro coopertum; aut loco ſacch. cum ſyrupo de menta.

Conditum.

Aliud.

℞. Theriacæ antiquæ ℥ß. ſacch. roſat. antiqui ℥iiij. miuæ cydon. quart. v. Miſce, fiat conditum auro coopertum, cuius ſemunciam quotidiè manè aſſumat, nihil ſuperbibendo; ſenibus inprimis accommodatiſſimum, & perutile.

Electuarium.

Tabellæ.

℞. Diagal. ʒi. pulu. diatrium pipereon ʒß. corall. rubri, maſtich. aniſi torrefacti, an. ℈i. trochiſc. de terra ſigillata ʒß. cortic. citri ſacch. conditi, & carnium cydon. condit. an. ʒii. ſacchari albiſſimi in aqua menthæ diſſoluti, quart. ß. Miſce, fiat elect. in tabulis, ponderant. ʒiij. cape vnam.

Caro cydon. ſacch. condit. vnius horæ ante cibum ſpatio ſumi vtiliter poteſt, atque vtiliùs multò diacydon. arom. deſcrip. Meſuei, miuam appellant, aut confectio Micleta Nicolai dragmæ pondere exhibita. His aſtringentibus aluus conſiſtit. Alia via eſt vbi velis ſupprimere, ſed non adeò tuta: per ea quæ vrinas mouent, ita quippe apium. adiant. ſimiliáque epota deriuationem moliuntur: Quomodo obſeruatione Hippocratis, mictio plurima noctu facta, paucam deiectionem ſignificat. Si quid huiuſmodi tentandum eſt, id cùm ſuſpicio eſt obſtructionis, maximè tentandum, repetendáque huius facultatis remedia ex iecoris obſtructione. Omnibus tamen antiqua theriaca præferenda eſt.

Diuretica. *Aph. vlt. l. 4.* *Theriaca vetus.*

Syrupus.

℞. Aquæ menthæ, abſinth. & meliſſ. an. ℔i. in quibus extinguatur aliquoties ignitus chalybs, deinde infunde nucum cupreſſi, ſummitatum tamarind. ſem. naſturtij integri, ameos, ſem. porri, cym. torrefacti, cyperi, calam. arom. an. part. æquales, fiat decoctio ad medias. Et in colat. diſſolue pulu. macis, & diarrh. abbat. an. ʒi. fiat ſyr. cuius ℥ij. ſumantur cum aqua ciſternæ extinctionis chalybis.

Hacte

Hactenùs protulimus quæ ore aſſumpta, ruentem aluum ſiſtunt; nunc reliqua perſequamur.

Vbi iam aſſumptis interiorum viſcerum robur firmaueris, clyſteres aſtringentes & exſiccantes imperabis; præmiſſo tamen aliquo detergente ex furfuris aut hordei decocto, cui tum quæ flatûs diſcutiant, tum quæ pituitam inteſtinis adhæreſcentem eluant, acceſſerint: alioqui minimè abſterſo humore mucoſo, vix tutus eſſe poſſit aſtringentium enematum vſus.

Clyſter.

℞. Semin. naſturtij, aniſi, cumini, an. ℥i. ameos ℥ß. flor. camomill. roſar. rubr. & florum chamæleon. an. part. i. fiat decoctio in duabus partibus aquæ pluuiæ, & vnâ vini aſtringentis: cape de colat. ℔i. in quâ diſſolue mell. roſ. col. & ſacch. rub. an. ℥i. fiat clyſter.

Alius aſtringens.

℞. Radic. acor. vulgar. cyperi, & biſtortæ, an. ℥ii. ſummitatum cupreſſi, rhapſi barb. an. M. i. flor. myrti; ſummitat. abſinth. & menthæ, an. m. ß. ſem. naſturt. torrefacti, gran. rhois ℥ß. plantag. & aniſi, an. ʒii. roſ. rubr. p. i. fiat decoctio in aqua ferrata; cui poteſt addi hypociſt. & acaciæ, an. ℥ß.

Alius clyſter. ℞. Balauſt. ℥i. nucum cupreſſi, & myrtill. an. ℥ß. menthæ, manip. i. aniſi, carui, an. ℥ß. thuris, maſtich. an. ℥i. roſ. rubr. part. i. fiat decoctio: & in colaturæ ℔i. diſſolue ſucci abſinth. ℥i. confect. Micletæ ʒiii. aut trochiſc. de carabe, de ſpodio, aut de terra ſigillata, ana ʒiß. fiat clyſter.

Admouenda.

Iam verò admotis fluxionis impetus ſiſtendus, partiúmque internarum vires roborandæ, vel fotu, vel litu, vel vnguento, vel emplaſtro, vel ſacculis: progreſſo tamen duntaxat aliquandiu morbo, neque temerè ac auidè ad horum vſum eſt veniendum, vt quæ initio conuenientem humorum deterſionem præpediunt, & materiam impingunt, vnde fluxus augetur. Quinimò ſi fluor ſit ab obſtructione viſceris, aſtringentibus abſtinendum, augent enim obſtructionem, ac proinde diarrhœam. His rationibus adhibitis, fotus aſtringens præſcribatur hoc modo.

Ad topica aſtringentia non properandum, niſi morbo iam progreſſo.

Fotus aſtringens.

℞. Radic. biſtort. & ſymph. an. ℥ii. folior. abſinth. menthæ,

& ſummitatum myrti, an. manipul. i. folior. plantag. & tapſi barbati, an. M. ß. nucum cupreſſ. gran. myrti, an. ℥i. cyperi, galang. alum. an. ℥ß. garyoph. ʒiij. roſ. rubr. part. ii. fiat decoctio in æquis partibus aquæ chalybis, & vini adſtring. quâ foueatur ventriculus, & totum abdomen, ex ſpongiis imbutis, & expreſſis.

Sacculus

℞. Fol. meliſſ. ſicc. abſinth. ſicc. menthæ ſiccæ, an. manipul. i. galangæ craſſæ, cyperi, cort. citri ſicc. an. ℥i. acinorum vuæ, nucum cupreſſi, balauſt. gran. myrti, & ameos, an. ℥ß. roſ. rubr. flor. ſtœch. an. p. i. maſtich. cort. thur. an. ʒiij. garyoph. ſpicæ nardi, & ſchœn. an. ʒii. puluerizentur, fiant duo ſacculi interpuncti ad regionem ventriculi geſtandi. Litus parari poteſt ex oleo maſtich. lentiſc. cydonior. & de abſinth. Vnguentum autem ſic compones.

Litus regionis ſtomachalis.

Vnguentum.

℞. Thuris, ſang. drac. maſtich. an. ʒiß. folior. menthæ, abſinth. ſiccorum, gall. myrtillorum, roſ. rub. an. ʒi. ſtyrac. calam. garyoph. cort. citri, an. ℈ii. pſidiæ & hypociſt. an. ʒß. cinnam. macis, ſpic. nard. & ſchœn. an. ℈i. olei de abſinth. ℥ii. olei melini & nardini, an. ℥i. ladani & ceræ, an. ʒii. fiat vnguentum, quo vngatur regio ventris. Huic addi poteſt ſucci menthæ & cydonior. an. ℥i, vini ℥ß. quibus præcoctis cum oleis ad ſucci conſumptionem, reliquis conuenienter immixtis, vnguentum componetur efficaciſſimum.

Vtiliſſimè etiam commendatur theriaca antiqua ſucco menthæ diſſoluta, ventríque vniuerſo adhibita.

Emplaſtrum.

℞. Maſſæ emplaſtri contra rupturam ℔ß. olibani, thuris. nucis cupreſſ. maſtich. & ſeminis naſturt. torrefacti, an. ℥ß. ladani puri ʒiij. garyoph. ʒij. incorporentur ſimul cum exiguâ quantitate olei maſtic. & terebinth. fiat emplaſtrum toti ventri applicandum.

Aliud in materia mixta.

℞. Sang. drac. boli arm. vulgar. an. ℥i. ſemin. plantag. torref. & mumiæ, an. ℥ß. ſemin. naſturt. aſſi, & gran. myrti, an. ℥iß. gummi tragacanth. ʒii. caſei veteris ʒiij. tereb. picis naualis, & ceræ, an. q. ſ. fiat emplaſtrum, applicetur ſtomacho, ventri & iliis.

Cera-

Ceratum singulare & efficax.

℞. Absinth. menthæ, cyperi, calam. arom. spic. nard. schœnanth. thur. mastic. garyophill. an. ʒii. sumach, acaciæ, gall. hypocist. rosar. & seminis earum, santali albi & rub. cymin. assi, an. ʒiß. cinnamom. garyoph. macis, an. ℈ii. gall. mosch. ʒß. ladani ʒiij. gummi tragac. & arabici assorum, an. ʒvj. ceræ ℥iß. terenda terantur; cera, ladanum, & reliqua quæ fundi possunt, ad ignem dissolue; deinde aliis addantur, & concoquantur cum vino acerbo, cui tantillum succi citoniorum sit admixtum: fiat ceratum.

Aliud Mesuéi. Mesuës sumit aquæ ros. succi fol. arundinis, & plantaginis, & vini astringentis, cuiusque ℥iß. quibus incalescentibus infundit panis assi, ℥iij. dactyl. immat. & siccorum, num. xii. gummi arabici assi, ʒx. miuæ citon. ℥iij. decoquantur lento igne, dum mellis lentorem asciscant, quibus deinde immisce cerati præscripti puluerem, exceptis gummi. Omnia in mortario agitentur, donec ad emplastri formam redacta sint. Quin etiam præscribi conuenienter potest hoc cataplasma.

Cataplasma.

℞. Cydon. & dactyl. immat. aut sorborum, an. ℔i. macerentur in aceto & aqua cisternæ, in quibus decoquantur, addendo absinth. & menthæ an. m.i. corticis citri ℥i. cumini ʒiij. factâ decoctione contundantur; deinde adde cassiæ lign. ℥i. mastich. cyperi, gall. corall. spong. bedeg. an. ℥ß. garyoph. nucis mosch. & spicæ, an. ʒii. olei de absinth. & myrtini, an. ℥iij. incorporentur simul ad formam cataplasmatis, addendo decoctioni panis albi ℔i. admoueantur ventriculi partibus. Iam si *Sinapismus.* morbus in vetustatem incidit, cùm cætera parum proficient, super ventrem rectè ponetur ceratum ex sinapi, ipsúmque vt exulceratâ cute humorem euocet. Cæterùm si pituita è cerebro in ventriculum & intestina procumbens lienteriam, diarrhœámve inferat, &c. *Vide finem capitis de diarrhœâ, qui huc transponendus.* Si verò bilis è iecore profusa in ventriculum, crudos cibos, nec dum planè concoctos, in aluum præcipitat; *Lienteriæ biliosæ curatio.* atque ita lienteriæ causa est, tunc huic prorsus eadem, quæ diarrhœæ biliosæ adhibenda curatio. Si efferatis lumbricis & sæuientibus hoc vitij genus accessit, iis medicamentis vti conueniet quæ aduersus lumbricos fluori complicatos necessaria esse proponam. *Lienteriæ verminosæ curatio.* Lienteria autem ex prægressæ dysenteriæ cicatrice in intestinis relictâ, non facilè cedit remediis, víxque curationem admittit.

CAPVT XXV.

De Diarrhœa.

Diarrhœa propriè dicta, quid.

Diarrhœa differentiæ, ex cauſis deprompta.

Diſcrimen diarrhœæ à dyſenteria.

Diarrhœa alia critica, alia ſymptomatica.

Celſ. l.4.c.19.

DIarrhœa generatim quidem & amplâ nominis ratione omnem ventris fluxum comprehendit, vt quocunque modo liquata ſit aluus, diarrhœa ſit. At nomen contrahentes, particulatim eum fluorem notamus, quo ſinceriores humores ſine magno cruciatu excernuntur. Modò enim bilis flaua eſt, & quidem ſæpiùs è iecore & venis: modò pituita è cerebro vel toto corpore: modò melancholia, è liene in inteſtina confluens cumulatè deiicitur. Itaque ex deiectionis ſubſtantiâ & colore, facilè bilioſáne ſit, pituitoſa, an melancholica diarrhœa internoſcitur. Hîc autem nullus, aut tolerabilis dolor eſt, non vt in dyſenteriâ, grauiſſimus torminum ſenſus, quòd liberiùs per inteſtina vitioſus humor exeat, minúſque cunctetur in tranſitu, etiamſi plerunque acer eſt, calidus, atque graueolens. Accidit autem modò naturæ ſeſe deonerantis conatu, modò humoris effrænatâ vi, ac partium infirmitate. Illa ſinenda, niſi diuturnitate corpus viréſque carpat: fit enim naturâ duce, quæ nihil niſi conuenienter mouet. Hæc temperanda eſt, quòd irrita, præter naturam, nullíque vſui ſit. Sed vno die fluere aluum ſæpè pro valetudine eſt; atque etiam pluribus, dum febris abſit, & intra ſeptimum diem id conquieſcat. Purgatur enim corpus, & quod intùs læſurum erat vtiliter effunditur: verùm ſpatium periculoſum eſt. Interdum enim tormina, ac febriculas excitat, viréſque conſumit.

Curatio.

Indicationes in diarrhœa bilioſa.

Pituitoſa quidem diarrhœa iam definitis lienteriæ remediis reprimitur ac ſubſiſtit. Bilioſa autem, primùm bilis citrinæ, ardentis, ac plerunque ſpumantis eductione. Deinde reuellente præſidio, cucurbitulis, vinculis, frictione, ſudore, vomitu, fluxionis impetus inhibebitur. Poſtremò aſtringente vi aſſumptorum, iniectorum, & admotorum remediorum planè conquieſcet. Sed primis diebus impetum ventris cohibere non oportet.

Rhabarb non vſtum.

Rhabarb. non vſtum præſcribitur, vſtione enim purgandi vim amittit, cauſam non educit, & empyreuma adſciſcit, bilioſis morbis ac internis aduerſiſſimum. Quare non vtendum, niſi fortaſſis progreſſo morbo, ac noxij humoris maiore parte ſubductâ.

Potiuncula purgans.

♃. Corticum myrob. citrinorum ʒii. rhabarb. optimi in puluerem redacti ʒiß. ſyr. capill. vener. ℥i. aquarum endiuiæ, & roſarum, an. ℥iß. Miſce fiat potio, quæ exhibeatur in aurora. Quòd ſi humor vitioſus multus ſit, & languidiùs effluat, ſyr. adiantini vice, ſyrup. roſ. laxatiuum ſuppo-

ſupponito, cum aquâ hordei, vnâ cum rhabarb. & myrobal. quemadmodum prægreſſo vehementiore profluuio, ſyr. de roſ. ſiccis ex aquâ plantag. & roſar. Vel vt potenter reſtringas, infunde rhéum in aq. plantag. fiat fortis expreſſio, in qua diſſolue ſyr. de roſis rubris ſiccis ℥i. pulueris rhéi vſti ℈ii. Auicennas tamarindas non aſpernatur, huic affectui maximè idoneos, ſi æger febri, aut vehementiori æſtu exardeſcit. Eódem ſpectant ſequentes *Tamarindi.*

Pilulæ.

℞. Myrob. citrin. & cebul. an. ʒß. rhéi vſti ℈ii. maſtic. ℈i. cum ſyrupo roſ. laxat. formentur pilulæ. Educto humore noxio reuellentibus, aſtringentibus, & refrigerantibus pugnandum, quæ partes roborent, quæ humoris acrimoniam retundant, & quæ humoris influxum arceant.

Inter reuellentia & refrigerantia primas tenet venæ ſectio; Quoniam ergò hæc diarrhœa ab hepate feruidiore manat vt plurimùm, tundenda baſilica dextera, vt iecoris calor temperetur, & fluxionis impetus inhibeatur. In aliis autem diarrhœæ differentiis venam ſecare non licet, niſi febris affuerit. Ab his, aſtringentibus & refrigerantibus vtendum, quibus hepar, cæteræque partes roborentur, bilis acrimonia frænetur, & humoris motus præpediatur: primò quidem aſſumptis; qualia ſunt, aut potionis forma, aut conditi, aut electuarij. Oportet tamen proſpicere, ne frigidis omnibus adhibitis vitium contrarium per immodicas inflationes oriatur. Frigidis ergò contrahentibus admiſceri quædam calida debebunt. *Vena ſectio.* *Celſ. l. 4. c. 16.*

Potio.

℞. Trochiſc. ramich. ʒi. trochiſc. de ſpodio cum ſemine acetoſ. & de ſuccino, an. ℈i. corall. rubr. ℈ß. ſyr. cyd. ℥i. cum aquâ roſ. & plantag. fiat potio. Aut:

℞. Semin plantag. torrefacti ʒiij. diſſolue in lacte caprino vſtulato, fiat potio.

Conditum.

℞. Conſeru. roſ. antiq. ℥i. carnium cydon. ſacch. condit. & conſeru. radicis bugloſſ. ana ℥ß. pulu. elect. triaſant. & corall. rub. ana ʒß. trochiſc. de ſpodio ℈i. hyacinth. & cryſtall. exactiſſimè attrit. ana ℈ß. folia auri Num. x. ſacch. roſ. tabul. quantum ſatis, fiat conditum.

Electuarium.

℞. Pulu. elect. triaſant. & trochiſc. diacorall. ana ʒi. trochiſc. de ſpodio

ſpodio & karabe, an. ℈ii. antheræ, raſuræ eboris, marg. elect. & cryſtall. an. ℈i. conſeru. roſ. antiquæ, & carnium cydoniorum, an. ʒii. ſacch. ſolidi in aqua myrti aut roſ. diſſoluti, quantum ſatis, fiat electuarium in tabellis ponderantibus ʒiij. capiat tabellam vnam horis duabus ante ſcibum: cui etiam addi poteſt ventrium gallinarum tunica ſucco mali punici elota, ac macerata, & in puluerem redacta, ad ℈ii. Vel:

Opiata.

℞. Trochiſc. de ſpodio cum ſem. acetoſæ ʒi. ſem. portul. plantag. myrtill. ſem. roſæ, an. ʒß. pulu. elect. triaſant. duplicato rhabarb. ʒiß. conſeru. roſ. antiq. ℥iiij. confect. Micletæ ℥ii. cum ſyr. cydon. vel de roſis ſiccis, reducantur ad formam opiatæ.

Aut.

℞. Conſeru. roſ. antiquæ ℥i. cortic. citri, carnium cydon. ſacch. condit. an. ʒiij. pulu. diaciton. ſine aromat. & ſpeciebus, an. ℈iiij. corall. vtriuſque pulueriz. an. ℈i. ſyr. de ribes (Si haberi poſſit) vel ſyr. myrti, q. ſ. fiat confectio ad formam opiatæ, ex quâ magnitudine caſtaneæ aſſumat horâ vnâ ante cibum.

Confectio Meſuéi ſingularis.

℞. Granor. myrti ℥ß. gran. mali punici acidi teneriter vſti, coriandri in aceto infuſi, & aſſi, an. ʒii. roſ. ſpodij, ſumach. trium ſantal. balauſt. gummi arab. an. ℈iiij. ſemin. acetoſæ, plant. & roſ. an. ʒß. pulueriz entur exactè, & macerentur in ſucco oxalidis, vel myrti, cui aceti tantillum ſit admixtum, exſiccentur, & accipiantur manè. Doſes ʒiij. cum ſyrupo cydon. vel de roſis ſiccis.

Trochiſci.

℞. Roſ. gummi arab. corall. rub. croci, electri, cornu cerui vſti, rhois, gran. myrti, balauſt. an. ʒi. ſem. pſyllij & acetoſæ, an. ʒii. conficiantur cum ſucco plantag. & fiant trochiſci.

Syrupus in diarrhœa bilioſa, & omni ſanguinis fluxu.

℞. Caudæ equinæ, plantag. an. M. i. burſæ paſt. manipul. ß. balauſt. ſem. roſar acetoſ. portulac. gran. myrti, rhois, ſem. plantag. ſem. tamariſci, gran. mali punici, acinorum vuæ, berberis, an. ʒiij. decoq.

in aquæ plantagin.rof. & portul.ana ℔. i. ad mediæ partis consumptionem. In colatura dissolue syrup. de rof. siccis, cydonior.& facchar.rosat. ana quart.i. fiat syrup.aromatizat. cum ℈iiij.puluer.triasant. & ℈ij.coral. rubri : sumat ℥ij. cum aqua myrti aut plantagin. aut calicum rosar. Vel vtendum syrupis in dysenteriâ proponendis. Si æruginosa bilis & æstuans fluxum concitauerit, non inutili remedio crystalli margar. & corall. puluer. consperfa mica panis assa, mali punici succo madens exhibeatur. Si verò etiam narcoticis vtendum, aptissima sunt ea quæ in dysenteria describentur; sed iis vti, nisi in vehementibus malis alienum est. Porrò ea quæ vrinam mouent, si id consecuta sunt, in aliam partem, biliosum humorem auertendo prosunt : si non sunt consecuta, noxam augent. Itaque nisi in quibus promptè id facere consueuerunt, non sunt adhibenda : tutiùs enim astringente præsidio aluus consistit. Huic etiam vitio aptè clysteres succurrunt; primo quôque tempore detergentes; Deinde qui fluxiones cohibeant, & humorum motûs sistant.

In diarrhœa à bile æruginosa, sumenda.

Cels l.4.c.19.

De diureticorum vsu cautio.

Clysteres quales hîc adhibendi.

Clyster detergens.

♃. Hordei integri, & furfuris valde macri, ana p. i. ß. anisi ʒi. rof.rubr. p.ij. fiat decoctio, & in colat. ℔. i. dissolue mellis rosat. colat. & facchar. rubr. ana ℥ij. vitellos ouorum, num.ij. fiat clyster. Iniiciatur ante omnia; ab hoc enim diarrhœæ curandæ initium duci debet : quo frequentiùs vtendum, vbi purgatio institui non potest. Aut eius loco paretur ex sero lactis. Vel :

♃. Lactis chalybeat. ℔. i. vitell. ouor. ij. facchar.rosat. ℥ij. fiat clyster. Et si humor acer valdè fuerit, ac mordax, mundati hordei decocto, & luteis ouorum pro clystere vteris. Deinde producto malo clyster astringens subiiciatur.

Alius.

Clyster astringens.

♃. Hordei torrefacti p. i. folior. plantagin. vel summitatum cupressi, vel lentisci, vel virgæ pastoris, vel bursæ pastor. M. i. myrtill. balaustior. calicum glandium, ana ℥ß. gran. sumach. ʒiij. semin. portulac. plantagin. berb. & nucum cupressi, ana ʒi. anisi ʒß. rosar. rubr. florum chamæleonis, ana p. i. fiat decoctio in aqua pluuia : cape ex colatura ℔. i. in qua dissolue coaguli hœdi, (cæteris præstat, ob celerem concretionem) seui renum caprarum, ana ℥iß. trochisc. de terra sigillata, ʒi. oui vitellum i. fiat clyster, qui identidem repetatur. Atque si vehementiùs astringendum sit, addatur rad. symphyti & bistortæ, ana ℥i. in decocto prædicto.

♃. Succi plantag.succi virgæ past.& succi portul.& cydon.ana ℥iij. fiat clyster : addendo vitellos ouorum num. ij. boli arm.terræ sigill.sang. drac. pulu. & transfusor. ana ʒiß.

Admotorum vtilitas.

Poſtremò admotis innitendum, vt influxum arceas, & partibus viribus deſtitutis robur addas, aut fomentis, aut vnguentis, aut emplaſtris; vix enim fieri poteſt vt poſt hanc remediorum præſcriptionem, aluus non contrahatur. Vtendum ergò fotu, in diarrhœa pituitoſa præſcripto, atque etiam parato in dyſenteria, & in cap. de menſtruis largiùs fluentibus comprehenſo; atque etiam cataplaſmate ex fotu parato, aut epithemate ex ſuccis plantagin. portulac. cum oleo myrtill. & cydon. coctis, quibus acaciam, hypociſt. rhus, coriandr. & roſas rubr. licebit commiſcere. Deinde totum abdomen perungendum vnguento comitiſſæ, vel ſequenti.

Vnguentum.

℞. Maſtich. corall. rubr. antheræ, roſ. rub. ana ʒiß. ſemin. ſumach. balauſt. pſidiæ, gallæ, coriand. præparati & torrefacti, ana ʒi. ſantal. omnium ʒß. garyophyll. ℈i. olei roſat. omphac. & lentiſcini, ana ℥ij. ceræ parum, fiat vnguentum, quo vngatur à ventriculi regione vſque ad vmbilicum, addendo tempore inunctionis, aceti parum: Aut enim aceto vtendum, aut aſtringentibus alia quædam tenuium partium commiſcenda, ſine quibus inutilis illorum vis ſit futura; nam neque in altum facilè ſubit, & ſummas partes vehementiùs aſtringens fluxum ingeminat. Ex puluere huius vnguenti, cum ℥iiij. carnium cyton. decocto in vino acerbo ad vini conſumptionem, poteſt excellens cataplaſma parari: Aut eodem puluere conſperſum fruſtum panis exaſſatum, & aceto irroratum, ſi carnoſior; vel vino auſtero, ſi macilentus, admoueatur ventri.

Aceti neceſſitas in aſtringentibus topicis.

Diaphœnic. Meſuéi.

Nec ſilentio hîc prætereundum ſingulare illud emplaſtrum, diaphœnicon Meſuéi, & emplaſtrum ex cruſta panis, aut vnguentum comitiſſæ, & ceratum ſuperiori capite deſcriptum, inprimis efficax: aut illius loco, hoc vſurpandum.

Emplaſtrum.

℞. Sumach. berber. gran. myrti, roſar. rubrar. antheræ, ana ʒij. ſemin. plantag. boli armen. ſang. drac. coriandri præparat. & torrefacti, gallarum, hypociſt. acaciæ, gran. vuæ, ana ℥iß. omnium ſantal. corall. rubr. ana ʒi. ſucci cydon. & ceræ, ana quantum ſatis, aut farinæ hordei, fiat emplaſtrum. Denique epithematis, & vnguento roſato, aut cerato ſantal. cum oleo nenupharis iecori proſpiciendum, quod aut vehementiùs premitur, aut aliis mali occaſionem dedit. Melancholica ſimili remediorum ſpecie tractanda, purgationi myrobal. indis citrinorum loco appoſitis; lieni affixâ cucurbitulâ; in aſtringentibus, additis quibuſdam quæ lienem reſpiciant, vnde fluxionis eſt origo. Sublatis in hac cauſa calidis, & inſuper horum loco additis ſang. drac. ſuccino,

Iecori proſpiciendum.

Diarrhœæ melancholicæ curatio.

no,corall.puluer.myrtill. & appositis succis pampinorum vitis agrestis, summitatum myrti, & acetosæ, in eundem modum.

Quemadmodum in biliosa assumptis,& epithematis, vt vnguent.rosſ. cum oleo nymph.iecori prospiciendum,quod (vt dixi) aut vehementiùs premitur, aut aliis mali initium dedit.

Quæ si ne iis quidem acquiescat, etiam narcoticis erit vniuersali capite appositis, & dysentericis remediis agendum, cohibito defluentis humoris impetu emplastris tum attrahentibus,tum distillationem astringentibus, eodem capite vberrimè conscriptis; solet enim diutius perseuerans in dysenteriam facessere. *Narcotica.*

Quemadmodum si pituita è cerebro in ventriculum & intestina procumbens lienteriam, diarrhœâmve inferat, neque profectò aut concoctio restitui, aut profluuium pituitosum sisti potest, nisi & expurgato ventriculo, & inhibitâ adhuc priùs destillatione : neque hæc inhiberi, nisi vacuato cerebro, sublatâque frigidâ intemperie eius effectrice. Itaque nisi vrgentius quippiam sollicitet, primùm immutatâ victus ratione, & aliis quibusdam remediis corrigenda cerebri frigida intemperies. Deinde quidquid genitum est excrementi purgandum est pilulis aut potionibus anteà descriptis, addito etiam agarico, & turbith. quæ ebullierint in decocto cephalico, vt salu. beton. florum stœchad. rorismarin. addendo syrup.de stœchad. ℥i. ac si quid posthac gigni continget, id cursu naturali deriuandum in nares & palatum errhinis & apophlegm. eo modo quem cap. de catarrho expressimus; assumptâ interim theriacâ antiquâ, aut aurea alexandrina. Particulatim verò admodum consentanea erit hæc confectio. *Diarrhœa pituitosa remedia.*

Opiata.

℞. Conseru.cichor.vulg.℥ij. carnium cydon.℥i.conseru.rorism.vel stœchad. ℥ß.confect.arom.ros.ʒvi.diagal.ʒi.cineris intest.galli,in ditioribus adde myrob.emb.cond.num.i. Lotione pedum & crurum ex decocto eryngij nonnulli experti sunt alui profluuium quodcunque sisti, aut etiam eryngio in acerrimo aceto aliquandiu plantis pedum admoto; Extrinsecùs autem sequentia poterunt admoueri. *Experimentum.*

℞. Mastich. & emplastri de betonic. ana ℥i. malaxentur cum oleo costino, fiat emplastrum catarrhi suspensorium vertici applicandum. *Emplast.*

Vel:

℞. Emplastri de mucilag.℥ij.gummi ammon.picis & calami arom. ana ʒii. spic.nard. nucis mosch. mastich. ana ʒi. gran. kermes ℈ij. cum tereb. incorporentur, & fiat emplastrum.

Suffiantur & nocturna capitis integumenta ex saluia, beton. mastich. thure.

℞. Salu. & beton.ſtœcor.ana p.i.mastich. thuris, cortic.thuris, ana ʒij. *Paluis pro suffitu.*

ʒij. fiat puluis craſſus pro ſuffitu nocturnorum capitis integumentorum. Cùm deſtillatio expurgata & auerſa fuerit, & cerebri frigidior intemperies emendata, facilè tunc præſcriptis remediis aſtringentibus & roborantibus alui fluor conquieſcet, præſertim autem exſiccantibus, quæ in hac cauſa primas obtinent. Quibus annumerari poſſunt ſudorifica, quæ humores è cerebro in aluum illabentes potenter reuellere apta natáque ſunt, qualia ex decocto guaiaci, aut ſalſæ patill. vtiliter præparantur.

Alui profluuium ex tuſſi.

Siquando tuſſis cita alui deiectioni, aut diarrhϾæ complicetur, cohibenda eſt fluxio, non quidem acidis, neque vehementer acerbis (ea quippe tuſſim magis exaſperant,) ſed mediocriter aſtringentibus tum alimentis, tum medicamentis, quæ humores cum quadam lenitudine incraſſent, & eorum acrimoniam hebetent. His enim vtrique affectui medebimur eadem operâ. Id genus habentur myrt. maſtic. gummi arabic. & tragacanth. thus, amylum. In calidâ, ſemen pſyllij aſſum, ſpodium, aut potiùs antiſpodium: ex quibus hoc electuarium fiet.

Electuarium.

℞. Gran. myrti, ʒij. gummi arab. & tragacanth. aſſor. ana ʒi. amyli aſſi, ſpodij, ana ʒß. pulmonis vulpis ſecundum artem præparati, maſtic. thur. ana ℈ij. ſemin. papauer. albi torridi, ʒiß. penid. ſacch. roſati antiqui, ana q. ſ. fiat electuarium, ſumat frequenter ʒi. quaſi lambendo, aut ſumat cum ſyrupo myrtino.

CAPVT XXVI.

De Dyſenteria.

Dyſenteria quid ſit.

DYſenteria, inteſtinorum eſt difficultas, ſiue exulceratio, cruentam deiectionem inferens, cum vehementiſſimo torminum, doloríſque ſenſu. Hac incipiente mucoſa quædam &511 bilioſa ſtrigmenta, adépſque excernuntur. Dein ramenta ſanguine aſperſa, quaſi deſectæ pelliculæ; poſtremò vlcere magis, magíſque ſerpente, & ſordeſcente, putris inteſtini portio exit, purulentáque reiiciuntur. Intus verò inteſtina exulcerantur: Ex iis cruor manat, íſque modò cum ſtercore aliquo ſemper liquido, modò cum quibuſdam mucoſis egeritur; interdum ſimul carnoſa quædam deſcendunt. Frequens deiiciendi cupiditas, dolórque in ventre eſt; íſque non vt in inflammatione, lancinans, pulſans, fixus

Dyſenteriæ ſigna.

Celſ. l. 4 c. 15.

atque

atque perpetuus, sed abradens, mutabilis & intermittens. Cum eo dolore, etiam exiguum aliquid emittitur, atque eo quoque tormentum intenditur, idque post tempus aliquod leuatur, exiguáque requies est; somnus interpellatur; interdum etiam febris oritur, tum maximè cùm humor copiosior, calidior, acriórque fuerit, qui eò deteriorem dysenteriam infert. Huius causa statuitur pungens, ac mordax humor, interdum è iecore, vel è liene viciníśque sedibus interdum è maioribus venis in intestina profusus, qui per flexuosas intestinorum circuitiones sensim delatus, séque altiùs in illorum substantiam figens, ea corradit & exulcerat. Is autem vel bilis flaua est, vel atra, vel pituita salsa, mucúsque computrescens; Et in externis exedentia medicamenta, atque alimenta acria; quorum omnium vi, aliàs graciliora intestina, aliàs crassa exulcerantur, ventríśque tormina concitantur.

Cels. ibid.

Dysenteriæ causa.

Pars affecta sunt intestina, aliàs tenuia, aliàs crassa.

Est quoque genus quoddam vlceris, quod à crassiorum intestinorum inflammatione & abscessu relinquitur; sed rarum id & insolens. Idem malum etiam sæpè ex latente & occulta tempestatum, aërísque pernicie suboriri solet, quæ populares dysenterias, vt & lienterias profert eásque cæteris multò deteriores. Ad hæc verò vt perfectior instituatur medendi ratio, accuratiùs explanare oportet, in quo maximè intestino vlcus consistat, quòd superioribus potio clystere vtilior, inferioribus clyster potione conuenientior. Intelligitur autem ex doloris situ; ex mucoris adipísve copiâ, qui in crassis, quàm tenuibus multò densior est, & cumulatior; ex ramentorum magnitudine; ex permixtionis ratione: si quidem mucus, adeps, cruor, ramenta, aut putris exesi intestini substantia naturalibus excrementis exquisitè & ad vnguem fuerint commixta, in sublimioribus est affectus; si verò seorsum excidant, è vicinis sedibus eruuntur. Sed & stercora coacta & coaceruata, cruore perfusa, cum strepitu prodeuntia, inferiorum: si verò crudiora, humentia & liquida sint, superiorum vlcus arguunt. Denique excretionis interuallo, desidendíque cupiditate quàm mox à doloris exacerbatione, vlceris sedes pleniùs designatur.

Dysenteria epidemica.

Signa quibus dignoscitur, an tenuia, an crassa intestina vlcus obsideat.

Vide Gal. 1. de loc aff. c 4.

Curatio.

Curatio est in purgatione, clysteribus, potionibus, & externis remediis. Dysenteria quæ simplex est, cuius humor acer vel è iecore, vel è liene, vel ex vicinis partibus in intestinum irruit, venæsectione haudquaquam rectè curatur. Si quidem venæ sectæ vis eò vix vnquam pertingit, neque hinc humores vacuat; sed graui sanè dispendio, naturæ ordinem peruertit, qui impuritate derelictâ, purum, sincerúmque sanguinem profundit è venis.

Indicationes.

Venæsectioni quando locus sit in dysenteria, quando non.

At si è venis maioribus, átque ex ipso etiam corporis pleniore habitu humor acerrimus cum assidua febre, & magna perturbatione in intestina profusus dysenteriam infert; tum equidem sanguis conuenienter mittitur; parcè tamen, quia & febris ardorem restinguit, & sym-

ptomatum præſentium ſæuitiam compeſcit, & impendentis inflammationis diſcrimen arcet. Quanquam autem iis ex cauſis aut neceſſaria, aut vtilis ſit venæſectio; adhibenda tamen eſt & purgatio, quæ, vt proprium remedium, reliquias detrahat.

Purgatio dyſenteriæ proprium remedium.

Dyſenteriam quippe purgatio leuat noxiâ materiâ, eius efficiente cauſa detractâ, vt vomitionem ſedat vomitio, quæ proritantem humorem excutiat. Eſt enim ea exhaurienda regio, quæ aut vehementiùs premitur, aut aliis mali initium dedit. Et quamuis nuſquam humor in partem affectam ſit deducendus, ſed alioſum reuellendus. Hîc tamen offenſio & leuis & breuis eſſe ſolet, vt in maioris commodi ſpem dirigamur. Itaque in dyſenteria purgans medicamentum offertur, vt quod ſenſim & languidè per anfractûs inteſtinorum parum idoneos illabitur, affatim per ductûs conuenientiores deriuetur & defluat. Hoc autem mitioribus aggrediendum, quorum vis vniuerſam corporis molem neutiquam exagitet, & quibus expreſſa aſtrictionis veſtigia inſint. Id genus habentur rhabarb. non vſtum, cuius præ cæteris vſus probandus, myrobalani citrini, ſi bilis cauſa ſit, vt ferè eſt, quibus tragacanthi parum conuenienter aptetur, quod leniendo exaſperantem myrobalan. vim emendet; aut ſi febri, ac magno ardore vexetur, tamarindi, quibus humorum acrimonia obtundatur: aut chebuli cum agarici ℈i. aut ʒß. ſi pituita; aut Indi, ſi melancholia vlceri dederit originem. Nec de aſtrictione initio nimiùm cogitandum. Quare rhabarb. plus aut minùs imperetur, eâ formâ, quam diarrhœæ & lienteriæ curatio iam deſignauit. Neque temerè ad vehementiora tranſcendendum, ne ex vniuerſo corpore noxios humores in inteſtina deturbent. Cùm enim purgatione fluxum interceperis, aliò motum conuertes. Quòd ſi popularis dyſenteria eſt, & ſuſpicio virulentæ materiæ, cornu ceruinum crematum priùs, deinde elotum potioni ad ſcrupulum vnum miſceri poterit.

Purgantia qualia hic vſurpanda.

Initio dyſenteriæ, de aſtrictione non nimiùm cogitandum.

Reuellentia. Aſtringentia

A purgatione, præceps humorum curſus cohibendus; inhibetur autem reuellentibus auxiliis cap. de diarrhœâ præſcriptis. Deinde aſtringentibus, & aſſumptis & admotis, quæ venarum ductûs obſtruant, vel coanguſtent, per quos humores noxij decurrunt; tum humores tenues incraſſent, & acres retundant. Ita quippe quod fieri poteſt, futurúmque eſt inhibebitur, & intercipietur; Idque efficiente eius cauſa ſublata. Quo nomine parti tranſmittenti, vnde fluxionis eſt origo, proſpiciendum, vt epithematis, & vnguentis hepati admotis; cui niſi ſit antè proſpectum, vix cæteris dein poteſt arte ſuccurri.

Parti mandanti conſulendum.

Exulcerationis remedia.

Quod porrò morbi factum iam eſt, ſummoueri debet, per ea quæ vlcus detergunt, aut exſiccant, quæ exterſum agglutinant, & cicatrice obducunt.

Dolorum mitigatio magni momenti.

Tertiò cruciatûs atroces leniendi, ac torminum ſenſus remittendus. Huic quoque, tanquam ſæuiori ſymptomati, quod vires nimioperè conuellat, & proſternat, inprimis ſuccurrendum, morbo etiam prætermiſſo. Ergò quod ad clyſteres & cætera remedia attinet, initio aſtringentibus

ne

ne vtare; hæc enim febrem, si adsit, intendunt, inflammationem augent, vlcus exasperant, acrem humorem in parte principe retinent, aut vlceri impingunt, vnde excandescit dolor. Tempestiuè autem vsurpantur progresso iam morbo, aut educto humore, aut quo tempore benignus & salutaris humor multus, pariter cum pernicioso effluit, non citra insignem virium iacturam: tum quippe astringentibus præsidiis erit locus, si quidem à mitioribus ad vehementiora progrediare. Quapropter intestinorum, præsertímque crassorum vitiis, aptè clyster succurrit: Eò quippe integris viribus pertingit, quò epoti medicamenti vis nonnisi hebetior, & longo viæ prolapsu fracta, ignauiórque accedit. Quot igitur curandi vlceris intestinorum scopi, tot & clysterum genera vsus notauit.

Astringentibus quando sit vtendum in dysenteria.

Clysterum in dysenteria maxima vtilitas, ac multiplex vsus.

Alij dolores leniunt, & humores acres consopiunt; alij vlcera detergunt; alij agglutinant, & siccant; alij fluxionem cohibent, & astringunt.

Clysteres anodyni.

℞. Lactis recenter mulcti ℔. i. rosarum rubrarum, p. ß. fiat leuis decoctio, & in colat. dissolue vitellos ouorum, num. ij. sacchar. rubr. ℥ij. fiat clyster. Dolorem mitigabis, temperabis ardorem, vim acrium humorum obtundes, vlcera ablues, & detergebis, oblines intestinum, solidabis, roborabis.

Alius leniens, & leuiter detergens.

℞. Hordei integri p.ij. anisi ʒß. rosar. rubr. p.iß. fiat decoctio, & in colaturæ ℔.i. dissolue mellis rosati colati, & sacch. rubr. ana quart. ß. seui hircini ℥iß. vitellos ouorum num. ij. fiat clyster, qui dolorem compescit atque demulcet, acri humore deterso. Atque si flatûs tormina, dolorémque intendant, (quod sæpè dysentericis accidit) tum chamæmeli flos, aut anethi summitas adiicienda. Et in dolore acerbiore, ex mundati hordei, aut oryzæ decocto paretur: si quidem læuore quodam moderato exasperata lenit; haud aliter quàm in vehementissimo ardore, plantaginem, aut eius succum admiscemus.

Oleorum, adipúmve vsus arceatur, quod iis vlcus magis sordescat, excepto hircino seuo, atque rosaceo, quibus intestini vlcerati latera oblinuntur, & dolor demulcetur, vbi is nimium excruciat, & humoris acrimoniâ vehementer excandescit: tum quippe vel tragi succum, vel hircinum seuum, vel suillum adipem, vel rosaceum ceratum, vel oleum myrtillorum, vel rosaceum per inferiora indimus, quibus vtique præsidiis ipsa vlceratio intestinorum non sanatur, maximè si vel putredinis, vel sordis quippiam contineat; sed vires interim conquiescunt, quod optabilius est, quàm si vrgentioris doloris ferociâ prosternerentur:

Oleosorũ vsus in clysteribus cauendus.

Gal. lib. 12. m.m. cap. x.

Alius clyster. tur: læsio enim morte tolerabilior. Laudatum & aliud clysteris genus ex lacte vstulato minimè silentio prætereundum, cui rosarum, & lutei ouorum, ac sacchari vis insit. Hoc enim & dolorem placat,& vlcus extergit siccátque, & fluxionem reprimit.

Alius. Nonnulli decocto maluæ, seminis lini, althææ, & seminis cydoniorum, ac papauer. albi, florum nymph. rosarum & maluarum, aut cucurbitæ commodissimè ardorem remittunt; maximè vbi intestina vehementi caloris incendio flagrant, & dysenteriæ febris connexa est: etiam exedentium medicamentorum impressam labem restinguunt, acrimoniámque hebetant, siquidem illinc affectus duxerit originem. Cui si mucilagines psyllij in colatura, ad ℥iij. addideris, atque albumina ouorum, vehementer agitata num. ij. & boli armeni sæpiùs transfusi ℥ß. efficacius fiet; neque tunc astrictioni locus est, cùm calor, dolórque premit.

In dolore verò atroci, & vehementi calore, ac rosionis sensu, sequens clyster valdè profuturus est.

℞. Hordei mundati, & oryzæ, aut lentium mundat. ana p. i. seminis papaueris albi ʒiij. semin. maluæ & plantag. ana ʒii. florum nymph. maluar. rosar. & cucurbitæ, ana p. i. fiat decoctio: & in colaturæ ℔. i. dissolue mucilaginis psyllij ex aqua ros. extractæ ℥ij. adipis caprini ℥i. albumina ouorum contusor. num. ij. gummi arabici ℥ß. si velis, iis etiam adde opij gran. iiij. Idem præstat clyster ex papauere, lacte, & tragacant. hoc interna facies vlcerati intestini oblita, humorum iniuriis irruentibus magis obsistit. At ne emplastica & oblinentia quodam lentore humores acres cohibeant, & viscosâ substantiâ cunctando intestinis affigant, ad detergentem vicissim redeundum; quo reiecto, mox siccare, & astringere conueniet: Cùm enim vlcus satis detersum esse, ex eorum quæ reiiciuntur substantiâ, tum quantitate, ac colore deprehendemus; deinceps ad siccantia, & astringentia descendendum, quale hoc est, aut quod descripsimus superiori capite, vehementer astringens.

Lenientibus & emplasticis enematis detergentia interiicienda.

Clyster siccans sine morsu, vlcere vtcunque deterso.

℞. Hordei integri torrefacti, p. i. oryzæ tostæ p. i. verbasci, polygoni, symphyti maior. vel bursæ pastoris, aut vtriusque plantagin. aut myrti, aut lentisci, M. i. seminis plantagin. assi, & balaustiorum, ana ʒiij. anisi ʒß. rosar. rubr. p. i. fiat decoctio in aqua pluuiali, vel chalybeatâ, & in ℔. i. dissolue mellis rosat. colati, & sacchar. rubr. ana ℥ij. seui hirci eliquati ℥i. ouorum recentium vitellos duos, corticis cucurb. siccæ assi & exactissimè puluerizati ʒij. vel loco herbarum infunde

funde ſucci plantagin. vel polygoni, vel caudæ equinæ, vel burſæ paſtoris ℥ij. fiat clyſter, qui iniiciatur priùs detergente expulſo. Aut enim qui vtrâque facultate polleat, & ex permixtis detergentibus, aſtringentibúſque componatur; aut vtriuſque alternatus vſus eſt neceſſarius: Eâ quidem ſerie, vt priùs detergentium effectu inducto, protinùs aut eodem die agglutinante aſtringentéque vtamur. Quo ordine non modò ſemel, verùm etiam ſecundò & tertiò, atque etiam ſæpiùs, pro rei neceſſitate expedit vti. Pulueres non facilè admitto; dolorem quippe intendunt potiùs quàm commodi quidpiam adferant; niſi fortè vbi cicatrix ferè inducta, aut proximè inducenda: quo tempore emplaſticâ vi minùs vlceratas partes offendunt. Itaque ʒij. triúmve pondo immiſcere proderit, quibus & glutinabis, & cicatricem firmabis cum aſtringente decocto. Id genus habentur pulueres boli armen. thuris, amyli, terræ lemniæ, lapidis hæmatit. ceruſæ, plumbi vſti, ſang. dracon. chartæ combuſt. trochiſcorum alborum Rhaſis: quos vt collyria, in exactiſſimum puluerem pictorum modo, ſuper cotem diligenter affricare conuenit; quod in omni partium internarum vlcere etiam obſeruandum. Sin autem vrgeat ſanguinis fluxus, etiam impedimentum quoddam iniiciendum eſt; cinis lanæ ſuccidæ, vel ſpongiæ inanis pice liquida, vel ſanguine bubulo imbutæ, cum alumine liquido combuſtæ.

Detergentia, & ſiccantia in enematis, vel ſimul, alternatim vſurpanda.

Puluerum in enematis vſus ſuſpectus, niſi in morbi declinatione.

Paul.l.3.c.42

Porrò ſi inteſtinorum corpus leuior exulceratio occupat, quâ interior duntaxat pellicula abraditur, exulceratio inquam ſimplex, minimè ſordida, nec admodum impura, vel copioſo pure, vel putredine, vel quauis alia corruptione: tunc primo quouis tempore vbi ſemel acrem & mordacem humorem extraxeris, clyſteres agglutinantes, veluti ex gummi arabico & tragacant. & aſtringentes parari debent: vel qui vtriſque permixtis facultatibus pollent, quibus aut nulla, aut exigua detergendi vis inſit, qualis & ſuperior eſt; qui iam proximè ſequitur.

Dyſenteria leuioris curatio.

℞. Lentium à cortice mundatarum, & panici eodem modo præparati, ana p. i. balauſt. calicum glandium, ana ℥ß. ſeminis plantagin. aſſi, aut granor. myrti, aut ſumach. ʒiij. roſar. p.i. fiat decoctio: Deinde in colaturæ ℥x. aut ℔. i. diſſolue gummi arabici, ceruſæ, chartæ exuſtæ, puluer. corticis cucurbit. torrefacti, ana ʒi. boli armen. ℈ij. vitellos ouorum aſſos, & in oleo roſar. diſſolutos, num. ij. fiat clyſter. His aſtringentibus, magnâ aſtrictionis efficaciâ, adiicere licet Micleræ Nicolai ʒij. ad ℥ß. Hæc generosè dyſentericos iuuant, quos nondum vlcus putre occupauerit.

At ſi vlcus plurimâ aut puris, aut putridæ carnis colluuie ſordeſcat, quod deiectiones patefacient, tunc detergentibus mitioribus primò, deinde, (nî malum cedat) vehementioribus id expurgandum, eo ſeruato ordine qui ſequitur.

Vlcere ſordido exiſtente, quæ clyſterũ ratio obſeruanda.

Detergentium ordo in sordidis vlceribus.

Hordei decoctum cum saccharo; serum lactis cum melle, aut saccharo; aqua mulsa, & ea in qua furfur coxerit, hoc modo.

Clyster detergens pus.

℞. Aquam decoctionis furfuris, factâ priùs infusione, in ℔. i. rosar. p. i. in colatura dissolue mellis rosat. col. ℥ij. vitellos ouorum num. ij. terebinth. decies cum aqua frigida lotæ, ℥i. olei ros. ℥ij. fiat clyster. Deinde si ne iis quidem satis expurgetur, decoctione prassij, aut terebinth. semunciâ superioribus additâ satisfiet. Acerrimè etiam expurgant, & abstergunt lotium, lixiuium, muria, aut salsorum piscium, aut oliuarum colymbadum, quibus vix vti oportet, nisi putris sanies, pessimíque odoris descendat, vetúsque iam vitium est. A quibus deterso iam vlcere, ad agglutinantia progrediendum est, quæ suprà præcepta sunt. Cæterùm si pluribus diebus nihil illis remediis cruciatus remittitur, dolorísque vehementiâ, & effrænatione deiiciuntur, ac prosternuntur laborantis vires: narcoticorum, vt hyoscyami, papauer. albi, opij tantillum superioribus necessariò miscendum erit. Vel ita fiet.

Cels. ibid.

Dolorum magnitudo & peruicacia narcoticis placanda.

Clyster Narcoticus.

℞. Hordei torrefacti, oryzæ tostæ, ana p. i. capita papauer. albi num. vi. seminis hyoscyam. albi ʒi. fiat decoctio in aqua calicum ros. ad tertiæ partis consumptionem: in colaturæ ℔. i. dissolue vitellos oui num. ij. aut album crudum ex ouis, tragacanth. gummi arab. ana ʒi. boli armen. ℥ß. pilul. de cynoglosso ʒß. olei rosat. ℥ij. fiat clyster, quo eadem obseruatione vtendum est, quâ recentem theriacam, philonium Rom. athanasiam in assumptis propinamus, dummodò vires nondum sint prostratæ. Vt autem sedetur doloris impetus, ad detergentia protinus reuertendum est. Quinetiam aliud extat clysterum genus in putridis, serpentibus, ac depascentibus vlceribus intestinorum, in quibus caustica dissoluuntur, non sola, sed quibusdam lenientibus & anodynis temperata. Quæ, cùm non satis tuta, licèt interdum necessariò in vsum conferenda sint, malim ab aliis quàm à nobis depromantur.

Enemata caustica ad νομὰς intestinorum. Vide Gal. 9. κ. τ. c. 5. Trall. l. 8. c. 9.

Assumpta.

Iam verò vt inferioribus intestinis sauciatis, clyster potione conuenientior, ita superioribus potio vtilior, quanquam perpetuò vtri-

que remedio sit locus. Et potionibus quidem vti licet iisdem, & eodem seruato ordine, qui priùs in diarrhœa est descriptus. Itaque syrupi ex siccis rosis, myrtinus, cydoniorum, de ribes, si verus haberi possit, sin minùs de berb. conuenienter vsurpantur: necnon conseru. ros. diacydonion, conseru. symphyti, prunellorum caro saccharo conditorum, quibuscum conseru. radic. buglossæ exiguâ quantitate miscenda: Itémque trochisc. de spodio, de terra sigillat. de rosis, & exiguâ quantitate trochisc. diacorall. pulu. electri, diamargar. frig. triasant pulu. cornu cerui vsti, & loti aquâ ros. pulu. corall. margar. rasuræ eboris, ossium exustorum cinis elotus, crystalli, lapis hæmat. sacchar. ros. manus-Christi cum margaritis & corallis.

Astringentia per os sumenda in dysenteria.

Iis adduntur semen plantag. succus eiusdem, semen rosæ inprimis efficax, succus polygon. portul. bolus arm. terra lemnia, cera præsertim candida, thus, gummi arab. tragac. bistorta, nux cupressi, vuarum acini, & quæcunque frigida ordinatim vniuersali cap. descripta sunt. Sed vehementiùs astringentia hîc non æquè tuta sunt, ne nimium ventrem contrahant, & lacerata intestina exasperent. Ex quibus tum potiones, tum condita, tum confectiones, tum electuar. solida, tum pulueres conuenienter parari possunt, eo modo quem & superiori capite, & in fluxu mensium immoderato descripsimus. Interim tamen vt omnia fiant illustriora, hæc subnectantur.

Vehementiora adstringentia parum tuta in dysenteria.

℞. Trochisc. de spodio cum semin. acetosæ, & puluer. diamargar. frigid. ana ʒß. trochisc. de Karab. & corall. rubr. ana ℈i. semin. plantagin. cornu cerui vsti & loti, & rasuræ eboris, ana ℈ß. syrup. de ribes, si haberi possit verus, (nam primas obtinet) aut de rosis siccis, ℥i. aquarum plantagin. & ros. ana quart. ß. misce, fiat potio, quæ sæpiùs imperetur, in aurora exhibenda.

Potio adstringens.

Pauperibus.

℞. Gran. mali punici, interiorum ossium omnium myrob. assat. granor. berberis, semin. plantag. corall. rubr. ana partes æquales, exhibeatur ʒi. cum mucilagine gummi arab. & tragac. & aquâ extinctionis chalybis.

Laudatur & aliud remedium ex coagulo hædi vel leporis, vino veteri diluto, quod cum aqua decoctionis plantag. gran. sumach, mastic. ʒi. pondere exhibendum. Sed eo cum præmeditatione vtendum, cùm calidum sit.

Coagulum hædi, aut leporis.

Pastilli conuenientes.

℞. Ossium myrobalan. omnium assorum, boli arm. electi, ana partes æquales: trita excipiantur mucag. tragac. & gummi arab. extractâ cum succo plantag. exhibe cum lacte chalybeato.

℞. Succini, margar. corall. rub. sant. omnium, boli armen. ana ʒi.

Tabella.

gummi arabic. ſemin. plantagin. aſſi, & ſemin. roſæ, ana ʒß. ſacchar. ſolidi aqua roſ. & plantagin. diſſolut. quantum ſatis, fiat electarium in tabellis pond. ʒij. vtatur pariter.

Pilulæ.

℞. Gummi arab. maſtich. corall. rubr. ſuccini, boli armen. lapidis hæmat. ſemin. plantag. coaguli leporis, vel hædi, ana ℈i. formentur pilulæ cum ſyr. de roſis ſiccis: & vt dolorem remittant, & ſomnum concilient, addi poteſt ℈i. opij, & croci ℈ß. ſumat ſine opio ℈i. vel cum opio ℈ß. Oui candidum, vel ſeuum hircinum aſſumpta, humorum acrimoniam, ac torminum vim infringunt, & leniunt.

Syrupus aſtringens, & hepar refrigerans.

℞. Syr. de berber. & de roſis ſiccis, ana ℥ij. ſyr. cydon. ℥i. aquarum plantag. aut portul. & roſ. aut myrti, ana quart. i. puluer. diamarg. frig. ʒi. fiat ſyrupus clarific. pro tribus doſibus.

℞. Syr. de ribes, vel cydon. vel de roſis ſiccis, vel de berberis ℥vi. vtatur cum aqua chalybeata, tempore ſitis. Syrupus de ribes, verus ſi extet, validè ſine vllâ ſtomachi noxâ ventrem tenet. Duo aut tria cochlearia vno die ſumpſiſſe ſat eſt. In eundem vſum veniet conditum in diarrhœa præſcriptum; ſolida enim diutiùs cunctantur & hærent: eóque nomine in vniuerſum liquidioribus huic malo ſunt accommodatiora. Si vigiliæ laborantem exerceant, ſomnus concilietur ſequenti medicamento, quod etiam humorum ferocitatem frigore compeſcit, & defluxiones ſiſtit, ac doloris acerbitatem remittit.

Solida liquidioribus in dyſentericorũ aluo ſiſtenda præſtant.

Potio ſomnifera.

℞. Syrup. de papauer. ℥i. ſyr. cydon. ℥ß. puluer. diamarg. frigid. & trochiſc. de karabe, ana ℈i. corall. rubr. lapidis hæmat. & boli armen. veri, ſi haberi poteſt, ana ℈ß. aquarum plantag. & endiu. quæ omnibus partium internarum affectibus opitulatur, ana ℥iß. miſce, fiat potio, propinetur horâ ſomni.

Confect. alkermes in dyſent. nõ vſurpanda.

In virium deiectione, tum iis, tum aliis quibuſdam cardiacis vtendum, exceptâ confectione pretioſâ ex granis tinctoriis, quæ ob lapidis cærulei vim, neutiquam hic vſurpanda.

Compoſ. narcoticæ quibus hic vti licet.

Laudanum.

Ad ſomnum inſuper conciliandum etiam theriaca recens idonea eſt, & philonium Rom. athanaſia, pulu. requiei Nicol. probantur & vſurpantur drachmæ pondere, veluti pilulæ de cynogloſſo, pondere ſemidrachmæ in virium conſtantia. Sed his omnibus efficacius multò eſt laudanum Paracelſi, pilulæ formâ cum pauca conſerua roſ. aut confect. de hyac. à gr. iiij. ad vi. ſub horâ ſomni exhibitum. Quoniam autem nonnunquam acria & exedentia medicamenta, vt colocynthis, necnon vitioſa & acria alimenta ingeſta, dum ſe altiùs in inteſtinum figunt, dyſenteriam cient: tunc particulatim præſidiis vtendum, quæ illorum furorem, vim, acrimoniámque hebetant, & conſopiunt.

Obtun

Obtundetur ergò vel butyro, vel hircino adipe, vel anſerino, ſuillo, vel iure pinguioris carnis, vt inteſtinorum; vel maluæ, pſyllij, althææ, lini, fœnugr. florum cucurb. decocto; ptiſanæ cremore, vel lactis potu pleniore, maximè ſi aut chalybe, aut lapill. fluuialibus vſtulatum ſit; horum omnium ſiquidem vis leniendo, veneni acrimoniam hebetat, ipſúmque quaſi conſopitum in aluum deturbat, ſiue aſſumatur, ſiue iniiciatur. In id prætereà efficaces ſunt bolus arm. & terra lemnia, quæ etiam peculiari dote proſunt. Item althææ, oryzæ, tragi, aut tritici pulu. quin etiam tragacant. aſſæ ad ʒiij. aut ℥ß. in lacte acido hauſta, (quibus etiam in bilioſa virus infrænatur) & ſmaragdi pulu. ℈ß. pondere cum aqua hauſtus.

Acrimoniam ſeu alimentorum dyſenteriam inferentium obtundentia.

Externa.

Progreſſo aliquandiu morbo, expurgatóque humore vlcerante, confert prætereà, quæ aſtringunt & refrigerant, ventris partibus, lumbíſque excalfactis admouere, quibus excrementorum impetus cohibeatur; qualis eſt fotus.

Fotus reprimens.

℞. Thapſi barbati cum toto, plantag. ana M.ij. fol. myrti, M.i. ſem. plantag. granor. myrti, & rhois, gall. an. ʒiij. roſ. rub. & florum chamæleon. ana p.ij. flor. camom. p.i. contundantur, & fiat decoctio in quinque partibus aquæ, & vna vini craſſi, quâ foueantur partes inferiores. Eadem foueri poteſt regio podicis, magno vſu.

Quinetiam ſi carnoſum eſt corpus, ſpongiâ imbutâ aceto extinctionis chalybis, ventris partes nonnulli vtiliter fouent.

Ex iiſdem etiam parari poteſt ſemibalneum additis inſuper balauſtiis, cortice mali punici, hypociſt. burſâ paſt. caudâ equinâ, foliis pyraſtri, & ſimil. Et vbi frigidæ cauſæ eſt ſuſpicio, addatur abſinth. mentha, nux cupreſſi, maſtiche, cum quarta vini aſtringentis parte.

Semicupium.

Deinde vngantur eædem partes oleis ſequentibus.

℞. Olei lentiſcini & roſat. omphacini, vel cydon. & myrtini, ana ℥ij. aceti ℥i. miſce, vngatur regio ventriculi, & renum, ſuperaſperſo puluere ſequenti.

℞. Corallij rubr. maſtiches, roſ. rubr. bol. arm. ſantal. omnium, ana ʒiß. gran. myrti, ſem. plantagin. nucum cupreſſi, balauſt. ana ʒi. ſem. roſar. coriand. ana ʒß. fiat puluis, inſpergatur vt dictum eſt.

Poſteà ex cydon. carne emplaſtrum, admixto aſtringenti puluere, confectum; aut emplaſtrum diaphœnic. Meſuës vſurpandum. In vniuerſum, vnguentis & emplaſtris cap. ſuperiore præſcriptis ſedulò vtendum. Ex quo, & ex choleræ morbi curatione multò plura eliciantur, huic inprimis conſentanea.

Puluis epipaſticus.

Omentum veruecis vētri admotum. Infantibus verò, quibus alia præſidia neque commodè admoueri, neque admota opis quicquam afferre poſſunt, veruecis recenter mactati omentum proprio adhuc calore tepens ventri admouendum eſt, ídque faſciis tutò, ac firmè obuolutum diu contineatur; quo ſublato vnguentum comitiſſæ vſurpetur. Denique aquâ ſtillatitiâ è pullo fruſtulis cydonij mali, corall. margaritarúmque puluere conſperſis nutriatur, vnà cum lacte. Porrò autem in adultis cùm iecur vt plurimum fluxionis ſit origo; vt cæteris mali initium dedit, ita illius ardor temperetur roſaceo vnguento. Aut:

Vng. refriger. & roborans pro iecore. ℞. Cerati ſant. ℥iij. pulu. corall. rub. ſem. endiuiæ & portulac. ana ʒi. abſinthij, & roſ. ana ʒß. olei roſat. & nymph. ana ℥i. miſce, fiat vnguentum.

Nec verò admodum diſſimilem, ei quam ſalſa pituita concitârit, curationem aptare oportet; ſi modò iiſdem remediis quædam adſtringentia calida admiſcueris; quale eſt ſemen naſturtij torrefactum, maſtich. trochiſc. diacorallion. *Suffitus ad dyſenteriam* Nec minùs dyſentericis ſuccurrunt, quæ ſuffitu aut vaporis ſpecie ſphincterem ani muſculum roborant. Itaque anguillæ ſuffitu, aut pineæ calentis in picem coniectæ fumo, aut præſcripti aſtringentis fomenti vapore, aut ſuffitu proximo capite exprimendo coërcendus & compeſcendus eſt moleſtus, & frequens deiiciendi conatus. Atque hæc de dyſenteria, nunc de teneſmo pauca quædam ſubnectenda ſunt.

CAPVT XXVII.

Teneſmus.

Tenaſmus quid ſit. Teneſmus eſt crebra & inanis deiiciendi libido, quâ vix quicquam præter muccoſum quiddam, & interdum ſubcruentum egeritur. Hîc ſummus eſt, ſed irritus conatus, cuius vi ſæpè accidit conuerſio procidentiáque inteſtini illius quod ad ſedem ſpectat. *Cauſa tenaſmi.* Cauſæ huius nonnunquam eædem, quæ dyſenteriæ; vt recti inteſtini vlcus, aut acer & erodens quidam humor extremo inteſtino infixus, aſſiduè ad excretionem proritans Eandem deſidendi cupiditatem inteſtinorum inflammatio profert, & acrioris aut clyſteris, aut balani vellicatio. Nonnunquam muſculi ſphincteris refrigeratio, aut à duro reſiccatóque ſtercore inteſtini tenuioris obſtructio.

Curatio tenaſmi, ex vlcere, aut ab humore acri. Quinetiam vbi internæ hæmorrhoides doloris immanitate excruciant, aut aſcarides vrgent, inanem hanc recti inteſtini irritationem inuehunt. Malum hoc aliàs dyſenteriam comitatur & inſequitur; aliàs præcedens in hanc tempore faceſſit. Quoniam autē in morbis curandis primas tenet cauſarū obſeruatio, mali huius, vbi cauſa aut vlcus, aut humor pungens, *Glans. Clyſter.* ac mordax extiterit, curatio eadem quæ dyſenteriæ. Non neglectis glandibus

dibus & ſeuo hircino,cum maſſa pil.de cynogloſſ.adiecto vno vel altero opij grano. Aut iniiciatur clyſter ex lacte vaccino & oleo roſaceo omphacino, adiectâ earundem pilul. ʒß. & opij granis duobus vel tribus, gummi tragacant.& arab.exiguâ quantitate diſſolutâ,non neglecto ſeuo hirci, ac recenti butyro. Quinetiam doloris vehementia, ac tenſionis moleſtæ ſenſus leniendus ſequentis decoctionis fotu vel inſeſſu.

Inſeſſus.

℞. Rad.althæ.& maluar.cum toto,verbaſci,acanthi,ana M.i.ſem.lini & fœnugr. ana ℥ij. flor.chamomill. & roſ. ana p.ij. fiat decoctio in ℔. xx. aquæ, cui adde olei roſ. & chamomill. ana ℥iij. pro ſemibalneo tepente; aut foueatur cum filtro regio podicis. Vlcere verò magis ſordeſcente, Ægyptiacum vnguentum, melliſque roſati plurimum enematis detergentibus immiſcendum, quibus centaurij minoris & abſinth.nonnihil ſit adiunctum. Atque iam emundato vlcere,vnguentum pompholygos, aut diapalma in decocto exactè diſſolutum, vlcus perſanabit.

Enemata detergentia, vlcere ſordeſcente.

Vel hoc:

Vnguentum clyſmaticum, pro vlceris in teneſmo exiccatione.

℞. Plumbi vſti, ceruſæ lotæ, lapidis hæmat. corticis thuris, maſtic. ana ʒi. mucaginis gummi tragac. & arab. (aut in ardore, ſeminis pſyllij extractæ cum aqua roſ.an.℥ß.miſce,fiat vnguentum,diſſoluatur in decocto hordei, pro clyſtere, aut in ſecundo clyſtere dyſenterico.

Curatio teneſmi ab inflammatione.

At ſi ab inflammatione affectus hic prouenerit, ea primò curanda venæſectione,cucurbitulis,& iam proximè dicto fotu,atque aliis remediis in inflammatione inteſtinorum ſanandâ deſcriptis:poſtremò reuulſione præmiſſa, vbi fluxionis impetus iam reſedit, inflammationem interdum deriuabis per fluentes hæmorrhoïdas, quas affixâ hirudine conuenienter euocabis.Extrinſecùs verò calidâ hordei polentâ,& fotu ex vino,oleo myrtino, vel roſaceo, vel omphacino lumbis & pubi adhibito lenire conuenit. A frigoris autem immoderatâ vi,aut à duro & coacto ſtercore. ſi malum oriatur,alia inſtituenda curatio.Primum igitur exploranda cauſa:prægreſſo enim frigore, & mucoſâ craſſaque pituitâ podici inhærente,ani regio decocto calfaciente fouenda,aut ſuffitu roboranda,vbi priùs mucum clyſteris idonei ſelibrâ deterſeris.

Curatio teneſmi ex frigore.

Fotus.

℞. Polij montani, abſinth. rutæ, origan. puleg. calament.hyſſopi, arthemiſ. ſummit. lauri, ſampſuch. ſaluiæ, meliſſ. ana M.i. ſemin.lini & fœnug.an.℥i.ſem.fœniſi aniſi,cumini, ana ℥ß.florum chamæm.meliloti, ſtœchad. & anethi, ana p.i. roſ.rubr. p.i.ß. fiat decoctio in vino,quâ foueatur aut ſpongiâ,aut filtro regio ſedis & perinæi, admouendo deinde cataplaſmatis modo calentes herbas. Licet etiam conuenientiſſimè vapore hinc emergente inferiora ſuffire, deinde linteis calentibus munire, ne refrigeſcant. Idem præſtant ſacculi ex furfure, milio, rutâ, &

Fotus ani ex ſacculis.

ſupe

superioribus herbis, seminibus ac floribus in sartagine frixis confecti, anóque calentes admoti, quibus insidere optimum. Adhæc inferiora rutaceo oleo, vel laurino, vel anethino, vel liliorum, aut lateribus calidis, vel quadris, vel orbiculis, aut similibus calidis fouenda. Nec silentio prætereundi suffitûs ex nuce pinea, pice, bitumine, thure mastiche, styrace, sandaracha, nuce cupress. garyophyll. semin. nasturt. assi, quibus terebinthinâ, aut gummi arabico exceptis parentur formulæ similes lupinis, immissâ vnâ, aut duabus in carbones, residente ægro in cathedra.

Suffitus ani.

Suffitus.

℞. Thuris, mastich. sang. drac. boli arm. ladani, corticum pineæ, ana partes æquales, omnia in pollinem reducta excipiantur resinâ, & terebinthinâ, fiat massa: ex cuius ℥i. carbonibus impositâ vaporem excipiat.

Procidentis ani præsidia.

Siquando autem in ipso egerendi conatu anus procidat, appareátque sphincter inuersus & prouolutus, tum fotu astringentium frigid. ex chalybeata aqua vtendum, si calida causa sit; Aut calefaciendo exsiccantium ex vino crasso, si frigida. Iam verò si à coactis, retentísque fæcibus, pars relaxanda leniendáque assumptâ cassiâ, vel pinguioribus ficubus; iniecto decocto maluar. & althæ. seminis lini, fœnugr. & flor. chamæmel. melilot. tum iure pinguiore, seuo hircino, cremore hordei, & similibus. Quòd si nec his etiam remittatur, ad colica præsidia erit refugiendum. Quemadmodum si ardor, dolórque vehemens, ad dysenteriam. Si hæmorrhoides, aut ascarides mali causæ sint, ex propriis capitibus repetenda curatio.

Curatio tenasmi ex alui fæcibus induratis.

CAPVT XXVIII.

Cruenta alui deiectio, atque hepaticæ fluxiones.

Cruentæ alui deiectionis causæ.
Signa causarum.

Cruenta alui deiectio sine ventris torsione, aut vllo desidendi conatu fatigans, nisi ex apertis internis hæmorrhoidibus fiat, causam habet, aut iecoris imbecillitatem, aut sanguinis vitium. Quæ ex iecore imbecillo prodit, sanguinem exhibet aquosum, liquidum, subcruentum, & loturæ carnis recèns mactatæ similem, infirmatâ hepatis retentrice facultate. Quæ verò ex ruptis, apertis, vel exesis præcordiorum venis originem sumit; aut in sanguinis copiam, aut acrimoniam referenda, per quam vel sanguis multus, vel picis instar ex longo intestinorum anfractu retorridus, ac niger descendit.

Curatio

Curatio.

Curatio cruenta alui deiectionis ex iecoris imbecillitate.

Cùm iecoris retinendi vis languet, chylúſque rudi quadam ſanguinis formâ adumbratus dimanat, ſpeciem aliquam ſaniei exhibens, mali curatio ex imbecillitate iecoris depromenda. In ſummâ, vbi ſemel imbecillitatis cauſam hepaticis oppugnaueris intemperiei aduerſis, hîc potiùs aſtringentibus calidis aſſumptis & admotis, maſtic. cypero, ſpicâ, naſturtij ſemine aſſo agendum, quæ præſente febri refrigerantibus temperanda.

Curatio eius deiectionis alui, quâ ſanguis niger aut rubicundus exit.

Qui verò ſanguis aut niger, aut rubicundus & rutilus, pleniore quaſi riuulo exit; ſiſtendus iiſdem planè eſt præſidiorum generibus, & ſingularibus remediis, quæ in menſium immoderatâ eruptione expreſſimus. Tum aſſumptis, capite de Diarrhœa, & dyſenteriâ præſcriptis, ex corall. cornu cerui, hæmat. lapide, bolo arm. electro, vnione, tragac. maſtic. amylo, & ſimilibus, puluere florum, vel corticis, vel foliorum ſalicis. Priùs tamen concreti ſanguinis grumus in inteſtinorum flexuoſo circuitu retentus, detergente clyſtere diſſoluendus, educendúſque eſt; quo reiecto, paulatim deinde faciendus eſt tranſitus ad ea quæ ſanguinem reprimunt & coërcent. Quin & aſtringentium enematum vſus maximè erit opportunus, vt eorum contactu oſcula venarum in inteſtina pertinentium cogantur, agglutinentur, & coaleſcant: qualia ſunt quæ proximis capitibus deſcripſimus, ex plantag. burſæ paſt. polygoni, & ſimil. ſucco, vel decocto, cui ſang. drac. bolum arm. amylum, tragac. farinam volatilem, ſimiliáque adieceris. Hæc ſi minùs iuuant, nequaquam aſpernanda erunt, quæ ex aſini, ſuiſve fœcibus, aut caſei eloti, aſsíque puluere, aut ranarum, aut papyri cinere comparari poſſunt.

Clyſteres detergentes.

Clyſt. aſtringentes.

CAPVT XXIX.

Cœliaca.

Cœliacæ affectionis, & lienteriæ cognatio, & diſcrimen.
Fern. l. 6. pathol. cap. 10.

Coeliaca fluxio quanquam lienteriæ quadam ſimilitudine finitima ſit, cauſis tamen maximè diſcrepat, ex quibus inprimis medendi ratio depromitur. In vtraque ab aluo continenter defluunt aquoſa, diluta, humentia, graueolentia, ſolo ventris murmure & rugitu, nullo vehementi torminum ſenſu. Verùm in lienteria quæ exeunt, inæqualia, cineritia, alimentis tum ſubſtantiâ, tum colore ſimillima. In cœliaca autem æqualia, & quadam chyli aut cremoris ſpecie.

Cauſa cœliacæ affectionis.

Cauſa huius eſt, non vt lienteriæ, primæ concoctionis imbecillitas, ſed præpedita chyli diſtributio ex iecore infirmiùs trahente, aut meſenterij obſtructione profecta. In vtraque corpus

alimenti benignitate destitutum, atrophiâ contabescit & absumitur, quòd cibi maior pars indistributa præterfluat.

Curatio.

Cœliacæ ab infirmitate facult. attractricis iecoris; curatio.

Cœliacæ ab obstructione lactium curatio.

Primùm ergò si iecoris attrahendi facultas infirma sit(elanguescit autem ferè ex frigoris intemperie) corroboretur cucurbitulâ, & medicamentis calidis imbecillitati hepatis suo capite destinatis, quale est diatriumpip. & quæcunque substantiâ prætenui, cum permeandi impetu, angustas admodum vias subeunt. Si verò qui ad iecur patére debent aditûs, minimè sint liberi, & venarum ductûs, per quos à ventriculo, intestinísque omne debet alimentum traduci & exportari, obstructi sint; atque vel à crassis vel à lentis, vel à multis humoribus intercepti, quod frequentissimum: tunc equidem obstructiones expediendæ detergentibus, incidentibúsque medicamentis, vel assumptis vel extrinsecùs admotis, eâ ratione quam iecoris obstructi curatio definiuit, feréque sola. Præmittenda tamen est leuior purgatio (nisi aluus iam supra modum fluxerit) quæ pituitam crudúmque humorem aut in ventriculo, aut in intestinis cumulatum, atque vicinis locis tenaciùs adhærentem expurget & extrahat, sine quâ, vix tutus aperientium vsus esse potest.

Pilulæ cathartica.

℞. agaric. recenter trochisc. ℈ij. cinnamom. ℈ß. schœnanth. gr. v. cum syrup. de duabus radicib. aut de bizant. formentur pilulæ vj. quas capiat horâ tertiâ post mediam noctem. At si iam deiectione immodicè prægressâ, superuacui humoris plurimum sit euacuatum, præscribito catapotia ex hiera, vel de aromat. ad ʒj. vel ℈ij. Deinde siquid intestinis corrupti, mucosique humoris insit, eluendum id clystere detergente, proximo capite expresso; est enim hoc profluuij chylosi genus pueris verminantibus inprimis familiare, haud secùs quàm lientericum.

Pueri cœliacæ & lientericæ affectioni obnoxij.

In cœliaco fluxu ab obstructione profecto, adstringentia nocet.

Iam verò hîc, non, vt in cæteris alui profluuiis, astringentibus agendum; iis quippe obstructio, & mali causa inualescit; sed incidentibus, detergentibúsq; aliàs calidis, aliàs frigidis, obstruĕti causæ oppositis; quibus & humores præparentur, & viæ patentiores fiant ac liberæ. Id genus habentur quæ tenuium sunt partium, vt syrup. duarum vel quinque radic. bizantinus, de absinth. acetosus simplex & compositus, decoct. rad. gram. cyperi, rub. maior. dauci, & similium temperati; eâ formâ quam accuratè in hepatis obstructione, & hydrope præscripsimus.

CAPVT XXX.

De Lumbricis.

Lumbricorũ causa materialis, & efficiens.

LVmbrici ex loci conditione & frequentiores & cumulatiores intestinis, quàm cæteris partibus innascuntur. Horum origo ex crassa

crassa est, lentáque pituita in intestinis à cruditate cumulata, & putrescente, aut putri chylo, (non enim bilis acris & amara, aut melancholia illis procreandis accommodata est materia) idque vi insiti caloris, qualem in animalium corporibus manere, & principium vitæ habere auctor est Aristoteles. Hoc planè indicant quæcunque ex recrementis putrescentéque materiâ, gigni cernimus animalia. Quanquam enim putria corporis excrementa recesserint à naturâ eius à quo manârunt, eíque sint aduersa: naturalia tamen sunt & accommodata aliis gignendis quæ inde prodire solent. Sic putridus calor extraneus est vituli cadaueri, non autem apibus quæ ab eo suscitantur: qui enim calor rei putrenti putridus est, naturalis est certæ speciei ab eo educendæ: quod enim vni naturale, alteri p. n. Sunt porrò tres vniuersæ lumbricorum differentiæ, ex putrescentis materiæ figurâ ortæ. Prima eadémque simplicissima, est teretum, qui longiusculi & terræ lumbricis non absimiles, in tenuioribus intestinis ferè procreantur: è quibus inediâ, aut alimentorum blanditiis suscitati, interdum in ventriculum conscendunt, atque illinc per gulam in os & nares subrepunt: altera breuiorum & latorum, seminibus cucurbitæ persimilium, quorum est origo frequens in cœco intestino & coli cellulis: ex quibus serie quadam inuicem nexis (vt plerisque visum est) nonnunquam producitur lumbricus longitudine incredibili coagmentatus, quatuor quinquéve cubitorum mensuram exæquans, qui aliàs integer, aliàs in fragmenta dissolutus redditur, quasi fœturam pariat: A Plinio ex fasciarum similitudine tænia dictus: quòd per flexuosa intestina extensus, & longè latéque implexus, illa fasciæ modo cingat. Hic ille est cuius morsu aut suctu laborans sensim atrophiâ & bulimo contabescit. Huiusce magnitudinis in lanione quodam pleuritide correpto quartâ die excretum nuper conspeximus, quem etsi breuibus, æqualibúsque spatiis ita discretum obseruauerim, vt manifestos nexûs habere videretur, vix tamen in animum meum induci potest ex pluribus actu persistentibus & seorsum animatis vnum fieri. Itaque satius est, rarum hunc & portentosum vermem nouo genere & singulari naturâ definire: Tertiũ genus est ascaridum, qui exigui sunt & tenues, casei putris vermiculis finitimi, quales aliàs seorsim, aliàs membranâ obducti conglobatíque recto intestino atque ano magnâ molestiâ insident. Etenim totum corpus inhorrescit, vbique pruritus, sed maximè in sedis ostio excitantur. Hæ quidem lumbricorum differentiæ habentur, antè comprehensæ. Quædam tamen aliorum forma interdum spectatur, rarissimo euentu hominum admirationem mouens: qualis hirsutorum, virentium, aut lacertis similium. Omnibus materiam suppeditant cruditas & crapula; dein eorum, vsus quæ facilè putrescunt, vt lactis, casei, fructuum dulcium & fugacium. Itaque pueri, quàm adulti his multò sæpiùs affligantur, tum quia cruditatibus abundant ob voracitatem, tum quòd illorum calor humidior sit, & confertiore halitu perfundatur; ij verò modò ex

Lumbricorũ differentia.
Teretes.
Cucurbitini.
Tœnia.
Historia.
Ascarides.
Fern. l.6. pathol.c.10.

Celſ. l.4.c.17. ex inferioribus partibus, modò fœdiùs ore redduntur; ſæpiùs concluſi intùs latitant, qui cum moleſtiùs exuperant & torquent, hæc ſigna apparebunt.

Lumbricorum intus latitantium ſigna. Prægreſſa victûs ratio cruditatis effectrix, & eorum vſus quæ facilè corrumpuntur, faciei pallor ac decoloratio, intermittens genarum rubor, oculorum ſugillatio, narium pruritus, dentium ſtridor & colliſio, anhelitus acidus, ac teter, inanis tuſſicula, ventris & inteſtinorum morſus, & compunctio, aliàs cum lienterico & chyloſo fluxu, aliàs cum pigriore aluo, ventris inflatio cum murmure & rugitu, nonnunquam alui fæces ſemini cucurbitæ ſimiles, inordinatæ febres cum extremorum frigore, per exigua interualla excandeſcentes, ac noctu ferè ſæuiores, pulſûs inæquales, vrinæ turbidæ, ſopor grauis, ac crebri per ſomnum pauores, magna corporis iactatio, quâ corpus modò in dextrum, modò in ſiniſtrum latus inquietum deuoluitur; modò ob dolorem quo premitur, ſeipſum flexuosè contrahit, móxque ſine ratione erigitur; quin etiam pueri ſuperuacuè mandunt, linguam exerunt, lambúntque os ad ſimilitudinem lactentium, ſaliuam emittunt, oculis conniuent: in iis tamen per ſomnum palpebræ non committuntur: taciturni mox de repentè clamoribus inſtant; his accedunt nauſea, deiecta appetentia, deuorandi labor, vomitus. Atque ſi quando ſurſum lumbrici obrepant & nimium ſæuiant, ſtrangulandi metum inferunt, βουλιμίαν, lipothymias, tremores, ſingultus, conuulſiones, proximo laborantium exitio. Hæc lumbricorum ſigna, non ſemper omnia, ſed tamen plurima neceſſariò eluceſcunt, nonnunquam cum febre, proüt teter ac malignus vapor partes principes variè laceſſit; & è putreſcente illuuie in cor ac vniuerſum corpus effunditur.

Non omnia hæc ſigna in omnibus ſemper occurrunt, ſed ſaltem plurima

Curatio.

Quanquam lumbricis plerunque lenta, interdum etiam acuta febris, quaſi comes aſſideat; iis tamen, non neglectâ febre, inprimis diligenter occurrendum, tanquam infenſiſſimis naturæ hoſtibus, quibus plerique ſunt extincti. Expelles vbi interfeceris; interficies amaris. In genere ergò conueniunt, quæ enecant, illos & excludunt; acria, amara, & quæ abditâ quadam proprietate huic viuenti impuritati aduerſantur. Atque illorum, alia frigida ſunt, alia calida. Illa in febre, hæc in ἀπυρεξίᾳ ſedulò vſurpanda. Calida tamen etiamſi febris adſit, non omnino cenſentur aliena, modò & mitiora ſint, & quadam frigidorum permiſtione temperentur.

Indicationes interficere, & expellere.

Frigida vermineca. In frigidorum cenſu habentur ſemen coriandri, ſemen atriplicis, portulaca, & aqua eiuſdem, rubus, aqua ſalicis, cornu cerui, raſura eboris, ſedum maius, aſtragulus bouis vſtus, corallium, corallina, aceto ſa, criſpini fructus, oxiacantha, ſebeſten (myxaria) gramen, cichorium, ſuccus arantiorum & citri, aqua ſtillatitia è limoniorum ſucco pota, ſuccus mali punici, præſertim confracto cortice expreſſus, vbi nimis

nimis soluta aluus est, quemadmodum & myrtus, arnoglossum (plantago) rhus, acacia, & hypocystis, terra sigillata, bol. arm. quæ etiam ventris profluuium coërcent.

Calida vermineca. Calida sunt lupini, absinth. scriphium, mentha, menthastrum, nasturtium, hyssopum, matricaria, dictamnus, tormentilla, scabiosa, enula campana, persicaria, calamenthum, narcissus, zedoaria, gentiana, cruciatæ radix, cardamomum, semen contrà, semen citri, santonicum, semen caul. apij, erucæ, semen porri, nigella, baccæ lauri, persicorum folia, & nuclei, radix filicis fœminæ & iridis, sabina, allium, ruta, eiusdémque oleum, aristolochia longa, centaurium minus, tanacetum, scordium, oleum amygd. amararum potum, chamæleonis radix extrinsecùs ventri imposita, cubebæ, ammoniacum, cortex mali punici, capparis, radix mori, oleum nucum haustum, macis, lignum aloës, myrrha, gummi iuniperi, oleum eiusdem, vinum absinthites potui datum, coctum in oleo absinthium, carduus benedictus. Interea autem quæ peculiari & occultâ vi id efficiunt, recensentur cornu cerui, ras. eboris, astrag. bouis vstus, corallium, corallina, vermium terrenorum puluis, terra sigillata, bolus armena, & ex compositis pil. Rufi, theriaca, mithridat. præsertim grandioribus, confectio de hyacinth. iunioribus; & vt summatim dicam, quæcunque pestilentibus morbis aduersantur, eadem iis quos vermes torquent, occultâ quadam facultate, præsidio sunt. *Occultâ proprietate lumbricos necantia.* Istis subuerti possunt syrupi de limonibus, de acetositate citri, de bizantiis, de agresta, qui præsente febre idonei sunt: tum syrupus de absinthio, de prassio, de calamentho, absente febris ardore consentanei. Prætereà cathartica; tum simplicia, vt agaricus, rhabarb. carthamus, polypod. aloë, turbith, colocynthis; tum composita, vt diaphœnic. diacartham. hiera picra, diaturbith. *Cathartica.*

Cardiaca. Cardiaca: puluis diamarg. frig. de gemmis, confectio alkerm. de hiacintho, theriaca, & mithridat. electuarium de bolo, & bezoardicum. Ex quibus omnibus variæ remediorum formæ parantur.

Porrò nonnunquam enecandis, interdum eiiciendis lumbricis occupatur medicus, quemadmodum eadem operâ tum extinguntur, tum deturbantur, hæc autem aptè præstabimus, si amaris præmittantur, aut commisceantur dulcia; non in iis modò quæ assumuntur, verùm etiam quæ admouentur. Quinimò quæ vermes excludunt, vix tutò propinari possunt, nî priùs illos extinxeris, alioqui dum viui propelluntur, fixi tamen, & inuolucris implicati maximè cohærent; aut in intestinorum latebras se recondunt, neque facilè medicamentis cedunt. *Cur vermes priùs necandi quã eiiciendi* At verò procliuiùs, vt extincti fuerint, deturbentur; ne morâ putrescant, febrémque accendant, augeántve. Itaque contra hoc vitium, huiuscemodi solertiâ vtendum. Cæterùm curatio aut materiam ex quâ lumbrici gignuntur, & putrescentem pituitam, quasi illorum seminarium, summoueat & euacuet, tempestiuè priùs adhibitâ præparatione, siquidem morbi clementia sinit; aut eos ipsos grauissimorum symptomatum, tum

præsentium, tum imminentium auctores, confestim enecet & excludat.

Præstantissima equidem, ac semper optanda est curatio, quâ omnibus malis, eadem operâ medemur. Medicamenta autem quæ id præstant, vel assumuntur, vel subiiciuntur, vel admouentur. Primùm de iniiciendis dicamus, à quibus ducendum est curationis exordium. Itaque vermes dulcioribus enematis, & detergentibus primò alliciendi, atque ad inferiora trahendi quadam iniectorum suauitate; amaris quippe immissis, periculosè sursum obrepunt, quâ ratione, nec oleum, quod maximè refugiunt, nec purgantia aliqua immiscere conuenit clysteribus.

Iniicienda per clysteres.

Clyster ad inescandos lumbricos.

℞. Hordei integri p. j. passul. mundat. par. x. caricarum ping. par. iiii. glycyrrh. recent. ℥i. anisi ʒi. trium florum commun. an. p. j. decoquantur, & in colat. ℔. i. dissolue mellis ros. col. & sacch. rub. an. ℥ii. fiat clyster. parari etiam potest ex hydromelite, aut iusculo pulli, aut lacte, addito saccharo, vel melle, & butyro recenti, nisi puellulum febris malè habeat: quâ præsente vnà cum ventris profluuio, ex decocto potiùs hordei mundi assique, exemptis passulis & caricis, ac loco florum adiectis rosis: ex lacte prætereà vstulato, si eius detur occasio, aptissimè fiat. Vel nimium vrgente alui fluore, hoc modo.

Alius clyster.

℞. Hordei assi p. j. fol. myrti, M. j. ros. rubr. & flor. chamæm. an. p. i. ß. sem. rosar. & plantag. an. ʒii. decoquantur in iure pulli; dein in colaturæ ℥viii. dissolue sacch. ℥ii. vitellos ouorum num. ij. fiat clyster. Assumenda verò erunt hæc.

Assumenda per os aduersus lumbricos.

Syrupus.

℞. Syr. de limonibus, aut de acetositate citri ℥i. syrup. de agresta ℥ß. aquarum portul. & graminis, vel acetosæ, an. ℥iß. pulu. diamarg. frig. ℈j. misce, fiat syrup. clarific. qui per triduum reiteretur.

Apozema præparans.

℞. Rad. acetosæ, rad. filicis fœm. (vbi scilicet nulla aut exigua febris est) aut bistortæ, si tunc venter profluit, nec febri æger conflictatur, an. ℥ß. rad. aspar. gramin. & rusci, an. ℥i. vtriusque cichorij, portul. acetosæ, scabiosæ, ana M. i. sem. endiuiæ, portul. & acetosæ, ana ʒi. anisi ʒß. flor. vtriusque buglossi, ana p. j. decoquantur, & in colaturæ ℔. i. dissolue syr. de limonibus ℥iii. syr. capill. ven. ℥ii. pulu. diamarg. frig. ʒi. fiat apozema clarific. pro iii. vel iiii. dosibus. Deinde exhauriatur sentina omnis impuritatis, pharmaco pituitam expurgante, ex qua vermes generantur.

Potio

Potio.

℞. Rhabarb. optimi in aquâ gramin. vel cichorij infusi ʒj. cinnamom. eodem modo præparati, g̃. vj. elect. diacarth. ℈ij. aut diaphœn. ʒi. plus minúsve, sem. contrà ʒß. rasuræ cornu cerui, & corallij, an. ℈i. syr. ros. lax. ℥i. cum aquarum gram. & scabiosæ sufficiente quantitate, fiat potio, detur in aurora; quæ poterit etiam exhiberi ante vsum syrupi, aut apozematis præscripti.

Si febris absit, & grandioribus.

℞. Agarici recenter trochisc. ʒi. turbith electi & gummosi, ℈ij. Zinzib. g̃r. iiii. infundantur in oxymelite, & factâ expressione dissolue diacarth. ʒii. sem. contrà ʒß. cornu cerui ℈i. syr. ros. lax. ℥i. aquar. absinth. & gramin. an. quart. ß. misce, fiat potio, quæ detur naribus compressis, si fieri possit, atque anhelitu tantisper cohibito, ne illius odor intrò insiliens vermes auertat. Vel præscribatur bolus eiusmodi.

Bolus laxans in maioribus natu.

℞. Pulu. hieræ picræ ʒii. aut aloës, ʒi. diaphœn. ʒiii. sem. contrà, ʒß. sacch. q. s. fiat bolus, crustulis (obeliis) vino madidis ob amarorem inuoluendus. His addi possunt selectiora quædam remedia, quibus supradicta intereunt & excluduntur animalia.

Potio vermes extinguens.

℞. Sem. contrà, seminis citri minutatim incisi, aut caulium rubror. aut præsente alui fluxu, sem. plantag. & corall. rubr. an. ℈i. rasuræ cornu ceruini ʒß. pulu. diamarg. frig. ℈ß. syr. de limonibus, aut de absinth. absente febre, aut citonior. alui fluxu infestante, ℥i. aquarum acetosæ & portul. an. ℥iß. misce, fiat potio. Cui siquando parcè purgandum est, puluer. rhabarb. ʒi. misceri potest. Hoc modo supradicta intereunt & excluduntur animalia.

In lumbricis mira sæpè symptomatũ complicatio, vnde & medendi difficultas.

Porrò mira in hoc affectu symptomatum complicatio, lumbrici, febris, alui profluuium; quapropter variè concurrentibus his malis, diligentissimè obseruandum, ne vni officias, dum alteri prospicis. Vehementer enim amara & febri & ventris fluxui; astringentia verò & exsiccantia febri non parum aduersari solent. Itaque assidente febre, medicamenta laxantia, si venter compressus est: sin profluit, leuiter astringentia deligantur. In febribus autem, ab obstructione, medicamenta aperientia commodiùs vsurpabuntur. Ergò si vermibus cita alui deiectio complicetur, tum extinguendi amaris, aliísque quibus astringendi

Vermes cum alui profluuio quid indicãt.

vis

vis inſit, vt rhabarb. ſucco menthæ, acaciæ, ſumach, corallio, cornu ceruino & ſimilibus: quibus inſuper addes ſyrupum citoniorum, de abſinthio, de ribes. Quinetiam pilul. Rufi, præſertim grandioribus vtiliſſimæ habentur; theriaca item vetus, ſumpta ʒi. pondo, vel per ſe, vel ex pauco vino, niſi adſit febris, plurimùm adiumenti eſt allatura. Sed & ſola bolus armena, febre etiam correpto data, imptimis eſt efficax.

Si reſiccatis in tegulâ ignitâ vermibus terrenis, puluis ad ʒij. ex aqua graminis aut acetoſæ verminantibus exhibeatur, reliquos eiici continget: dantur verò ſeptem.

Proderit quoque non mediocriter electuarium ex myxariis, ſebeſten dictis, cui portio armenici boli fuerit admixta. Nos hoc vti ſolemus auxilio.

Conditum febricitantibus ſalutare aduerſus lumbricos.

℞. Conſeruæ rad. acetoſ. ℥i. conſeru. flor. cichorij, ʒvi. pulu. diamarg. frig. ℈ij. corall. rubr. raſuræ ebor. raſuræ cornu cerui, an. ℈i. ſacch. q. ſ. fiat conditum auro coopertum, quo vtatur cum aqua decoct. gram. tempore ſitis.

Hic quoque puluis verminantibus futurus eſt vtiliſſimus.

℞. Sem. cardui benedicti, ramentorum cornu cerui, raſuræ eboris, ſem. contrà, an. ℥ß. corticum rad. mori, ſeminis braſſicæ, ſem. citri minutim inciſi, & cortic. ſalicis, an. ʒiii. cortic. rhapont. vel rhabarb. coriandri præparati, ſem. ocymi, ſem. arnogloſſi, corticum mali punici, cațui, rhois, an. ʒi. fiat puluis, cuius ʒi. ex vino hyeme detur non febrientibus; vel æſtate, atque febrientibus, oxycrato, aut portulacæ aquâ diluatur.

Semen ſantonici ſaccharo incruſtatum ʒiij. aut ſemunciæ pondere ex aqua portulacæ, graminis, vel acetoſæ datum, animalia ventris eximit.

Alius puluiſculus σκωληκοκτόνος.

℞. Corticum rad. capparis, abſinth. nigellæ, an. ʒß. corticis citri, ſem. apij, cornu cerui vſti, ſeminis caulium, an. ℈i. croci ℈ß. aloës ʒi. dictamni, tormentillæ, an. ʒiß. pulueris diamarg. frig. ʒii. miſce, fiat puluis, detur medij cochlearis menſurâ quotidie, ei quem citra febrim lumbrici malè torquent. His tertius ſubiungi poteſt ſpectatiſſimus.

Alius.

℞. Seminis ſantonici, corallinæ, an. ℥ii. dictamni albi, biſtortæ, torment. cornu cerui vſti, an. ℥ß. corticis mali punici, rhabarb. electi, cinnamomi, an. ʒii. fiat puluis, detur ʒß. aut ſacch. aquâ acetoſæ diſſoluto exceptus, aut portulacæ: in electuarium conformetur, offeratúrque tabella ponderis ʒii. huic corruptelæ obnoxiis.

Accenſa

Accensâ febre, qui ſequitur, accommodatior exiſtimandus.

℞. Tormentillæ ℥i. terræ ſigillatæ, coriandri præparati, rhois, cornu cerui vſti, ſem. acetoſæ, an. ℨß. aloës ℨiß. omnia redigito in puluerem, qui exhibeatur cum aquâ portul. aut acetoſæ.

Puluis corallinæ herbæ, drachmæ vnius aut duarum pondo ſumptus, inter cætera principatum obtinere creditur. ſequens etiam vtiliter verminationem arcet. *Corallina.*

Electarium.

℞. Sem. contrà ℥ß. cornu cerui vſti ℨiii. zedoariæ ℨiß. cinnamomi electi, & macis, an. ℨi. ligni aloës ℨß. coral. rub. vſti, & raſuræ eboris, an. ℈ii. cardamomi ℈i. ſacch. in aquis gram. abſinth. & menthaſtri diſſoluti, quod ſufficit: fiat elect.

Expeditiſſimus verò eſt, & paratu facilis puluis, qui ſubnectitur.

℞. ſem. citri, & portul. an. ℈ii. ſem. contrà, & ſem. caulium, an. ℨß. corallij rubr. & raſuræ cornu cerui, an. ℈i. pulueris electuarij de bolo, & bezoart. an. ℨi. fiat puluis. gal. lib. 8. ſimplic. puluerem radic. filicis ℥ß. pondere ex melicrato ſumptum commendat ad latos præſertim lumbricos excutiendos & interficiendos. Cæterùm infantes bibant aquam graminis cum cortice citri, aut arantiorum, aut limonum infuſo. Tum eorum pulticula conſpergatur puluere cornu cerui; vel puluis corallinæ immiſceatur pulticulæ. Noſtrâtes mulierculæ dant eis puluerem contra vermes cum melle, aut ſyr. de limon. aut cum pomo cocto, cum prunis, cum vitello oui; aut paretur placentula ex farina & vitellis, miſcendo puluerem prædictum. Datur & barbotina vulgò dicta, quæ fit ex ſemine abſinthij pontici ſaccharo dulcorato. *Puluis alius ad vermes.* *Potus infantium vermiſorum.* *Barbotina.*

Selectiſſimum aliud remedium ventris animalia pellens.

℞. Santonic. cornu cerui vſti, corall. rubr. an. ℈ii. ſem. contrà ℨiß. rhabarb. ℈ß. miſce, fiat puluis, qui cum ſyrupo ex acetoſitate citri ad mellis craſſitudinem redactus, per triduum pari menſurâ diſpenſetur Plures autem remediorum compoſitiones adſcripſimus; non quòd ſingulas virium imbecillitate damnemus; ſed quò maior habeatur remediorum ſupellex, faciliúſque ſibi quiſque copiam vendicet, contumaciſſimo vitio accommodatam: variis enim remediis pugnandum, quibus vel iteratis plerumque non cedit; iam ergò ſubiiciantur externa.

Admouenda.

Cùm interanea vermibus ſcatent, extrinſecùs (modò nulla febris *Theriaca.*

adſit) theriaca antiqua ventri impoſita iuuat. Eandem ventris regionem oleo amygdal. amararum, & de abſinthio, laurino, rutaceo, ac ſimilibus illini par eſt, maximéque conſpergi puluere hieræ ſimplicis, vel colocynthidis, vt ab amaris compellantur ad quærenda dulcia. Aut ſi fluxus infeſtet, acaciâ, rhoë, ſumach, hypociſt. corall. bolo armenâ, pulueratis, aceti rore conſperſis, atque mixtis omnibus, inque oleo lentiſc. aut melino ſubactis. Si verò nimis aſtricta ſit aluus, ex aloë, myrrha, abſinthio, mentha, taurino felle (modò febris non reclamet) auxilia externa parentur.

Fluente aluo, cum lumbricis, topica.

Aſtrictâ aluo cum lumbricis, topica.

Vnguentum.

℞. Abſinthij ſicci, menthæ ſiccæ, coral. rubr. an. ʒi. aloës in aceto infuſæ ℈iiii. cort. citri, myrrh. garyophyll. & cinam. an. ʒß. vel præſente febre cum alui fluxu, roſ. & ſantali albi, an. ʒß. ſpicæ nardi, ℈i. ladani puri, ſtyracis calamit. & ſeminis contrà, an. ℈ii. cum oleo amygdal. amararum, & de abſinthio, fiat vnguentum, additâ paucâ cerâ. Aut præſente alui fluore, cum oleo cydoniorum, ſublatâ aloë, & additis cornu ceruino, granis ſumachij, aliiſque aſtringentibus. Meliùs reſpondet, ſi plantarum conuenientium ſuccos adieceris, hunc in modum.

Aliud vnguentum pro regione vmbilici.

℞. Succi perſicariæ, & vermicularis, aut ſucci abſinthij, an. ℥i. olei amygdal. amarar. & de abſinthio, aut rutacei, an. ℥iß. aceti ℥ß. ferueſiant ad quandam ſuccorum conſumptionem: Deín præſcripta commiſceantur cum ʒii. aut iii. farinæ lupinorum: vngatur regio ventris ad vmbilicum; ventriculum enim hæc lædere poſſunt. Itaque regio ipſius corroborantibus firmetur, ne lumbricos ſurſum obrepentes facilè admittat: quo nomine acacia, ſumach, hypociſtis in vino diſſoluta commendantur. Eundem effectum præbet emplaſtrum ſequens, quod in febre, & alui profluuio aptè vſurpabitur.

Ventriculi regio corroborantibus firmanda.

Emplaſtrum.

℞. Maſtic. ℥ß. ladani depurati, aloës, an. ʒii. farinæ lupinorum ʒiß. rhois, hypociſt. an. ʒi. corall. vtriuſque, ſantali albi & rub an. ℈ii. abſinth. roſar. an. ʒß. ſantonici, & ſpicæ nardi, an. ℈i. pauca cerâ & terebinth. excipiantur vt in emplaſtrum coëant, quod ad ſcuti formam redactum ventriculo imponatur.

Aliud.

℞. Maſtiches ʒvi. vtriuſque corallij, an. ℈ii. ladani depurati, ʒii. farinæ lupinorum ℈iiii. ſantonic. ℈ß. incorporentur ſimul cum pauca cera & terebinthina, fiat emplaſtrum ad formam ſcuti.

Vnguentum.

℞. cydon. myrtillorum, & amygdal. amararum, an. ℥ii. ſucci plantag. & burſæ paſt. an. ℥ß. incorporentur ſimul cum pauca cera, fiat vnguentum, quo vngatur regio inteſtinorum.

Taurino

Taurino felle laborantis vmbilicum impleri, sæpè fuit auxilio. Itidem nigella cum rosaceo, aut seriphij, absinthiíve vulgaris decocto, ac medullâ cerui, vmbilico, pectini & lumbis adhibita profuit.

Duo præstantissima olea iamdudum ab illustribus viris memoriæ prodita sunt, oleum ex thure, & oleum de vitriolo, chymisticâ arte extracta. Verùm hoc cautè vsurpandum. Sed quia ferè nos talia deficiunt auxilia, vice illorum substituamus composita.

Olea ex thure, & ex vitriolo.

Ceratum.

℞. Mithridat. ℥i. myrrhæ, aloës croci, ana ʒi. cum cera, & pice, & oleo amygdalarum amararum, fiat ceratum.

Cataplasmata.

Cataplasma fiat ex farina hordei, lupinorum, absinth. santonico, abrotano, psylliis, acaciâ, gallis: vel hunc in modum, nî febris obstet.

℞. Farinæ lupinorum, centaurij minoris, foliorum persicæ, absinthij & prassij, ana partes æquales. Pistentur & distemperentur cum aquâ, cui decima aceti pars sit mixta, & imponatur ventri; cui parum fellis, (nisi adsit febris) addi poterit, & aloës succotrinæ, & nigellæ. Aut:

℞. Succi absinthij, succi foliorum persicæ, aut prassij, ana ʒi. aceti ℥ß. fellis ʒij. aloës, pulpæ colocynthidos, semin. contrà, nigellæ, ana ʒi. olei amygd. amarar. ℥ij. farinæ lupinorum, q.s. misceantur, & fiat cataplasma. Pauperibus allium satis erit cum aceto tritum, & formâ cataplasmatis ventri admotum. Vel:

℞. Farinæ lupinorum ℥ij. coquantur in oleo de absinthio cum aceto aut vino: adde pulu. hieræ diacolocynth. ʒij. aut trochisc. alhandal. ʒi. fiat cataplasma. Liniatur etiam venter circa vmbilicum vnguento de artanita, quo vermes & interficientur, & deturbabuntur.

Vng. de artanita, pro epomphalio.

℞. Panem assum, tantisper aceto perfusum & maceratum, dum planè mollescat: Dein panno lineo validè expressus atque percolatus, succis persicariæ, absinth. menthæ, & marrub. paribus mensuris permisceatur. Omnia fictili nouo coquantur; & vbi modicè conferbuerint, iniicito aloës contritæ, & pulpæ colocynth. ana ʒi. cùm vsus exposcit, linteola iis imbuta, ac expressa, ventri sæpiùs insternantur. Si prætereà succum centaurij, rorismarini, & frondium lupinorum adieceris, longè reddes efficacius.

℞. Theriacæ electæ ℥i. lumbricorum terrestrium contusorum, ʒi. coriandri præparati ℈iiij. fellis tauri ℈ij. myrrhæ, aloës, croci, an. ℈i. aceti acerrimi parum, misce, incorporentur lento igne, & imponantur ad formam cerati circa ventris partes, quas priùs exactâ horâ, butyro aut melle inunxeris.

Si febris autem exæstuat, hoc cordi epithema parandum.

℞. Aquarum portul. acetosæ, scabiosæ, & rosf.an. quart.i. vini albi quartar.ß. aceti rosati guttas aliquot, pulu.diamarg. frig.℈iiij. coriandri præparati, santalorum omnium, seminis acetosæ & portulacæ, an.℥i. granorum tinctorum ʒß. croci gr. vj. florum vtriusque bugloss. an.p.i. conterantur terenda, & fiat epithema admouendum regioni cordis.

SECTIO QVINTA,

De Ani affectibus.

CAPVT XXXI.

De Hæmorrhoidibus.

Cels. l. 6. c. 18.

Hæmorrhoides quid.

ANVS quoque multa, tædiique plena mala recipit, necnon in se multum abhorrentes curationes habet; ac primùm in eo sæpè hæmorrhoides fatigant. Ita quidem vocant ora venarum tanquam capitulis quibusdam surgentia, quæ vel in ani margine prominent, vel intra sedis partes turgida reconduntur. Etenim venarum extrema modò conniuente osculo prorsus latent, túmque hæmorrhoides non sunt: modò manifestè exurgunt, & rotundo schemate extuberant, melancholico sanguine impletæ; quem nunc molestè continent, nunc vtiliter profundunt, vel etiam puriorem.

Hæmorrhoides, vel internæ, vel externæ: & vtræque vel cæcæ, vel apertæ.

Indicationes.

Quocircà hæmorrhoides aliæ internæ, aliæ externæ; & in quouis genere alia cæca, quum interiùs tumens, rubénsque nihil sanguinis emittit; alia verò aperta iam est, sanguinem interdum sponte, in conatu semper effundens. Sic quidem hæmorrhoides præter naturam, aut supprimuntur, aut immoderatè sanguinem eructant, aut vehementi dolore torquent: quorum quodque artis operâ indiget. Harum igitur aut præter consuetudinem suppressio euocanda; aut immoderata euacuatio supprimenda; aut acerrimus dolor, ardorve leniendus, remittendúsque est: horum enim quodlibet præter naturam existit, ac grauissimorum morborum causa fit; quandoquidem oportet eâ euacuatione corpus onere leuari, non infirmari. Atque in quibusdam parum tutò supprimitur, qui sanguinis profluuio imbecilliores non fiunt; habent enim purgationem hanc, non morbum.

Cels. ibid.

Curatio.

Hæmorrhoïdes suppressæ præter naturam, quibus euocandæ.

Vbi ergò ex longâ consuetudine fluentes hæmorrhoides cohibentur, plenitu

plenitudinemque inuehunt; siquidem illas euocare consilium est, ex inferioribus venis plenitudo haurietur; sin illas obcœcare ægrotus requirat, neque velit posthac illis obnoxius haberi, plenitudo ex superioribus erit detrahenda. Interdum etiam citra plenitudinem, præcautionis gratiâ excitandæ. Huius purgationis magna necessitas, vtilitásque subest: congruenter enim sectæ ac reseratæ, melancholicos affectûs, elephantes, vitiligines, cancros, psoram, herpetes, aliáque cutis vitia, quartanas, lienis & hepatis tumores, cachexiam, hydropes, epilepsias, manias, & hypochondriacas inhibent, dum terrenum exustúmque sanguinem exhauriunt. In quæ vitia præter naturam suppressæ nonnullos præcipitant, inclinatâ materiâ in viscera. Quin etiam reuulsionis vi deorsum trahunt; quo nomine interdum nephritim, ac sanguinis sputum anteuertunt.

Venæsectio ex venis inferioribus hæmorrhoidas, euocat.

Hæmorrhoidum debitè fluentium eximia commoda.

Vide Hipp. l. 6. Epid. s. 3 t. 37

Quemadmodum iisdem iusto largiùs inanitis, habitum in aquam intercutem resolui contingit, ac contabescere. Suppressæ quidem non priùs reserandæ quàm vniuersum corpus probè expurgatum fuerit, maximéque vbi cacochymia subest; idque crassos melancholicos humores attenuantibus, & educentibus modicè, in lienis obstructione commemoratis. Reserantur autem commodè venæ, quæ in ano extant, scalpello, angustiori osculo; commodiùs hirudine, quæ morsu trifido, sanguinem copiosum euocat, siquidem exinanita, & accuratè præparata, auidiùs tutiúsque sugit, vbi præsertim in prominentem hæmorrhoin fuerit infixa, loco interdum priùs aut columbi aut pulli sanguine designato, quò promptiùs adhærescat. Licet prætereà idipsum medicamentis aperientibus, acrioribúsque assequi, præsertim dum internæ hæmorrhoïdes sunt occlusæ, & intùs reconditæ consuetum sanguinem non eructant. In vtrisque autem, externis inquam & internis aptè medicamento reserandis, antequàm aggrediare, locus fotu emolliente atque aperiente præparandus; cuius tepore ac vapore per spongiam extremarum venarum ora, atro iam & melancholico sanguine turgentia, & præ loci duritie minimè inanita, blandè concalescant, & emolliantur. Quinetiam cùm pars vitioso humore atque crasso perfundatur, illic fortè diutiùs coërcito; fotus humores impactos excitat, emollit, attenuat, colliquat, fluxilésque reddit, vt facilè dein aperientium vsu patefactis venarum osculis, sponte exiliant. In id maximè conueniet fotus ex althææ decocto, & maluarum, seminis lini, fœnugr. flor. chamæm. meliloti, additis aperientibus, origano, calament. puleg. arthem. matric. nepeta, adiant. betonicâ, centaurio, cyclamino, & simil. Vel qui sequitur.

Ante hæmorrhoidũ apertionem, corpus melanagogis purgandum.

Quot modis aperiri possint hæmorrhoides

Fotus ani emolliens apertioni hæmorrhoidum præmittēdus.

Fotûs emollientis & aperientis materia.

℞. Radic. pentaph. & aristol. rotundæ, cyclam. filicis, ficulneæ, & ebulorum mundatorum frustatim dissectorum, an. ℔ß. centaurij minoris, ciclæ, prassij, abrotoni, staphisagriæ, pedis columbini, an. m. i. florum hyperici & roris. an. p. ii. fiat decoctio; & in eâ infundantur spongiæ duæ nouæ, longitudinis & latitudinis digitorum quatuor.

Fotûs paradigma.

Fotui proximam vim obtinent vnguenta emollientia, ac relaxantia, dolori

Vnguenta emollientia & chalastica.

dolori leniendo deinceps accommodata. Quæ quidem primo quouis tempore, etiam nondum ſectâ malleoli venâ, aut purgatione inſtitutâ tuto vſurpantur, vt laxatis inferioribus eò liberiùs humores confluant. Deinde prægreſſo fotu, ſi intùs hæmorrhoides reconditæ lateant, cucurbitulâ ano infixâ, aut cruribus admotâ euocandæ erunt, aut etiam acriore glande irritandæ & aperiendæ.

Cucurbitula.

Glans aperiens.

℞. Pulu. hieræ ſimpl. ſine maſtic. p. ij. myrrhæ p. i. melle excipiantur, & in glandes conformentur.

Glans ſecunda acrior.

℞. Amygd. amarar. ʒii. fol. rutæ, & pulpæ colocynth. an. ʒi. croci ʒß. cum medulla cerui, & exiguâ bdellij in vino albo diſſoluti, aut myrrhæ quantitate, fiant glandes oblongæ, immittantur.

Alia.

℞. Radicem braſſicæ, vel betæ, vel iridis, vel radicem raphani, molliore aut lanæ aut bombacis flocculo circunductam, oleo chryſomelorum, vel de nucleis perſicorum imbutam, quæ ano indatur. Vehementius erit, ſi taurino felle illinitur. At ſi externæ ſint, & copiâ tumentes appareant, aut hirudine, aut illitu fellis vaccini aceto diſſoluti, vel ſucco cepæ commixti, & exiguâ lanâ excepti referantur, aliiſque acribus & erodentibus, vt colocynthide, ſucco thymelææ, chamelææ, centaurij, & braſſicæ marinæ. Eodem ſpectant cataplaſmata ex puluere hieræ picræ, maſtiche detractâ, qui aut ficulneo lacte, aut ſucco cepæ ſit exceptus aut fimo columbino, & tithymali ſucco, addito vaccino felle, & cyclaminis puluere. Celeriùs agēt, ſi priùs aſperiore linteo, aut ficulneo folio ſedis partes perfricētur. Sed acria huiuſmodi non omni æquè naturæ congruere poſſunt, erúntque pro corporis ſenſu aliàs valentiora, aliàs mitiora præſcribenda.

Litûs acres.

Cataplaſm.

Emplaſt.

℞. Fimi columbini, & fellis taurini, an. ℥ß. ſucci chelidoniæ maioris ʒiij. ſucci cepæ, & cyclam. depurati, an. ʒiß. ſtaphiſagr. folior. rutæ, & pulu. iridis, an. ʒi. colocynth. & hellebor. nigri, an. ℈i. olei amygd. amar. & rutæ q. ſ. miſce, fiat emplaſtrum. Idem etiam condylomata extenuat.

Griffonij linimentum prouocans hæmorrhoidas.

℞. Lactis ficulnei, ſucci cyclaminis, & ſucci cepæ, an. ℥ij. ſucci perſicariæ, & centaurij minoris, an. ℥i. farinæ lupinorum, amygd. amar. pedis columbini, aloës ſoccrotr. an. ʒiij. fellis bouis ʒi. nucleorum perſicorum ℥ß. permiſceantur omnia in mortario, diu agitando, donec reducantur ad formam linimenti.

Immoderatum profluuium hæmorrhoidum.

Venæſectio è cubito hæmorrhoidas ſiſtit.

Iam verò profluentes affatim hæmorrhoidas ſecta in cubito vena ſupprimit; haud ſecùs quàm ſuppreſſas deducit, & euocat ſecta in malleolo. Cucurbitulis tum hypochondrio vtrique, tum ſcapulis, & lumborum regioni adhibitis; ad hæc partium ſuperiorū vinculis, & frictionibus vtendum:

dum: cæteris denique, vt summatim dicam, remediis, tam assumptis, quàm admotis, quæ in mensiũ profluuio, ac reliquis hæmorrhagiis sistẽdis comprehensa sunt. Quæcunque enim menses præter modũ emanantes coërcent, suppressósque euocant; eadem hæmorrhoides tum profluentes inhibent, tum suppressas deducunt, siue alimenta, siue medicamenta sint. Hîc tamen non ita tutum assumptis astringentibus vti, ne fæces nimium obdurescant; sed accommodatiora, quæ sanguinem incrassant, serum absumunt, eiúsque acrimoniam retundunt: vt quæ parantur ex conseru. aut syrup. ros. bolo armenâ, cornu cerui, osse sepiæ. Quædam tamen prætereà hæmorrhoidibus occludendis nunc particulatim adscribenda.

Astringentia per os sumpta sistendis hæmorrhoidibus minùs commoda.

Ex assumptis est trifera minor, cum scoria ferri secundum artem præparata, aut confectio ex eadem ferri scoriâ, descriptione Rhasis, 9. Almans. quæ habet in hunc modum.

Confect. Rhasis è scoria ferri.

℞. myrob. indorum, bellericor. embl. an. ℥ß. spicæ, iunci odorati, flor. cyperi, zinziberis, piperis, ameos, thuris, an. ʒij. scoriæ ferri in aceto septimanâ vnâ maceratæ, ac deinde vstæ ℥xv. excipiantur omnia melle emblicor. & nucis iuglandis instar quotidie exhibeatur. Ex admotis fomentum sequens vsurpetur.

Fomentum.

℞. Folior. & nucum cupressi, plantag. virgæ past. centinodiæ, & ceterach, an. m. i. corticum punici mali, berberis, myrtill. an. ℥ß. balaust. sumach, ros. rub. an. p. i. fiat decoctio in vino austero, quâ foueatur.

Linimentum ad hæmorrhoidum fluxum immodicum.

℞. Scoriæ ferri ex arte præparatæ ʒij. ossium dactyl. corticum ouorum exactissimè tritorum, nucis cupressi combustæ, corall. rubr. electri, lapid. hæmat. in cote fricati, rad. bistortæ, an. ʒi. acaciæ, boli arm. farinæ volatilis, hypocist. thuris, santali albi, calicum glandium, corticum granat. sem. portul. & plantag. an. ℥ß. cum succo menthæ, & succo bursæ past. aut thapsi barbati & ocymi, addito oui albumine, & pilis leporis incisis: misceantur posteà in mortario plumbi, si fieri possit.

Bufonis vsti cinis, aut hirudinis humano sanguine expletæ cinis conspersus, vt corticis oui puluis, cinísque foliorum oliuæ, sanguinem immodicè erumpentem inhibet.

Fotus ad cõpescendum nimium hæmorrhoidum fluxum.

℞. Rad. bistortæ. quart. i. folior. plantag. & thapsi barbati cum toto, & myrti, aut herniar. bursæ past. an. m. ij. & frigidiori aëris statu absinth. & saluiæ, an. M. i. corticum mali punici, gallarum, nucum cupressi, an. quart. ß. aluminis ℥i. flor. nenupharis, rosar. & chamæleontis, an. p. ij. fiat decoctio in aqua pluuia chalybeata, & vini astringentis exiguâ portione ad medias: foueatur pars frigidè; vel herbis iis insideat.

Litûs refrigerantes iecoris & lumborum.

At si internæ hæmorrhoides apertæ multũ sanguinẽ eructant, glande, pessulísq; astringentibus in mẽstrua eruptione sistendâ descriptis agendũ: aut syringâ parcè iniiciãtur, quæ simili facultate polleãt, in dysenteria, aut diarrhœa præscripta. Extrinsecùs hepatis, lumborúmq; regio illinenda refrigerantib. Deniq; suffitus ex nuce pinea in tenesmo descriptus vsurpari potest conuenienter. Quum autẽ hæmorrhoides odiosas in totum obcœcare desiderat aliquis; neque iis ampliùs obnoxius esse vult, præmissa euacuatione, ac reuulsione idonea, vtatur sequẽti vnguẽto. *Vnguen*

Vnguentum hæmorrhoidibus obcæcandis planéque delendis acccommodatum.

℞. Antimonij, tuthiæ præpar. lithargyri auri, cerusæ lotæ, an. ℈ii. cornu cerui vsti, corallij rub. lapid. hæmat. thuris, an. ʒß. oleo myrtino, aut cydonior. & succo thapsi barbati excipiantur, illinantúrque podicis venæ: Dein linteola insternantur eodem liquore imbuta. Hoc quippe hæmorrhoides ritè sanantur, si quidem consentaneâ victûs ratione, tempestiuísque & anniuersariis purgationibus, aut venæ sectione impendentes morbos arceas.

Puluis hæmorrhoides absumens.

℞. Radicum thapsi barbati lotarum, & in clibano non admodùm vrente exsiccatarum, ℥iii. in puluerem reducantur, sumat ʒii. cum oui luteo quotidie manè. Puluis ex capite piscis sale confecti, ac exsiccati, & casei antiqui pari pondere, ano inspersus, hæmorrhoides resoluit, ac planè absumit. Aut oleum conseruationis veteris casei.

Suffitus. Quinetiam suffitus ex sandaracha per infundibulum, aut ex tamarisco, hæmorrhoidas exsiccat. Idem præstat suffitus anacardi contusi, & adipi gallinaceo mixti, vapore per infundibulum excepto. Lana etiam succo recentium coruorum imbuta, si hæmorrhoidibus insternatur, eas absumit, deprimítque. Ad hæc foliorum oleandri semunciam olei ʒiii. incoquito, percolato, & lanam eo insuccatam admoueto.

Insessus. Prodest etiam residere in vino austero, aut aquâ extinctionis ferri, aut aluminosâ, cui incoxerint anacardi, tamariscus, sabina, rosmarinus. *Pulueres inspersiles.* Pannus quoque cæruleus, hircinúmque cornu, & frondes punici mali, aut myrti, aut rorismarini pari pondere vsta, ac in puluerem redacta, si inspergantur, resoluunt hæmorrhoidas priùs vrina perfusas. Idem pinea vsta præstat.

Hæmorrhoides autem consuetæ, etsi molestæ laboranti: non tamen sine iudicio ac temerè omnes delendæ, prorsúsque obcæcandæ sunt: Verùm Hippocrates consilio, reseranda vnica saltem, quæ imminentium malorum discrimen arceat. *Hipp. aph. 12. lib. 6. Cels. ibid.* Sed quoties prorsus occlusæ sunt, ne quid periculi afferant, multâ exercitatione digerenda materia est. Vbi verò missione sanguinis, purgatione frequenti identidem ac subinde repetitâ, cucurbitulis, topicis, rectâ victus ratione prospexeris, deleri tutò omnes possunt nullâ superstite, aliàs minimè.

Dolor hæmorrhoidum.

At si hæmorrhoides ingenti dolore excruciant, turgente scilicet venâ multo aut acri sanguine, qui sæpè inflammationem accersit; protinùs is lenien

leniendus anodinis, tum fomentis, tum linimentis, aliisque præsidiis, quorum materia depromenda è chalasticis modò digerentibus, modò in ardore refrigerantibus. Refrigerant oleum rosaceum, violaceum, nymph.papau. mandragoræ, albumen oui, mucilago psyllij, sem.papau. albi, cydon.ros. populeum vnguentum, opium. *Anodyna refrigerantia.*

Chalastica & mediocriter digerentia, oleum lumbricorum, asellorum, de lilio, camomillæ, Keirinum antiquum, oleum amygd. dulc. de vitellis ouorum, de chrysomelis, amygd.amar.è nucleis persicorum, hyperici, vitelli ouorum, mucilag. lini, fœnigr. butyrum recens, œsypus, adeps gallinaceus, anguillæ, & medullæ cruris vituli, cerui, seuum hircinum, crocus, flos camomillæ, & meliloti. *Anodyna chalastica.*

Fotus.

♃. Althææ cum toto, maluar. parietariæ, & thapsi barbati, an.M.i. apij M.ß. (aut in ardore, solani) sem. lini & fœnigr. an.℥iii. flor. camomillæ & meliloti, an.p.iii. limacum sine testâ repertarum quart.i. & dum partis dolor calórve affligit, adde foliorum hyoscyami, M.ß. capita papau.albi, num.iiij. foliorum nymph.p.i. fiat decoctio, quâ foueatur regio ani. aut inde contingentem vaporem excipiat. Ex residentià præscriptæ decoctionis contusâ, ac per setaceum colum transfusâ, parabitur cataplasma, addendo farinæ seminis lini & fœnigr. aut lentium, an.℥i. medullæ cruris vituli, & butyri recentis, an. quart.ß. vitell.ouorum num.ii. olei viol.℥ii. croci parum. *Cataplasma.*

♃. olei ros.℥iiii. ouorum vitell.num.i. croci ʒi. butyri recentis ℥iß. lactis mulieris ℥ii. fiat linimentum, oui luteo, ac oleo rosaceo exactè commixtis, addito croco; & feruente acerbiùs doloris vehementiâ opij gr.iii. agitentur in mortario plumbi aliquandiu, & fiat linimentum. Vtilissimum iis est in cruciatu vehementissimo, oleum de semine lini, cui aselli contusi incoxerint, vel scarabæi, vel limaces testâ carentes, præsertim si ardor & compunctio quasi ferientis candentis acûs ibi adsint. Aut vngatur oleo sesamino, in quo gallinaceus adeps aut anatis solutus fuerit. *Linimentum.*

Vnguentum.

♃. Mucilaginis sem. psyllij & cydon. vel sem. lini extractæ in aquâ rosar. an. ℥ß. axungiæ gallinæ, butyri recentis, an. ℥i. vitellum oui num.i. croci ʒß. opij gr. ii. pulu. flor. camomillæ ʒß. olei ros. & de nenuph. vel in magno ardore, olei de papauer. ana ℥i. misce, fiat vnguentum, quod super illitum panniculum imponendum est.

♃. olei de semine lini & de chrysomel. an.℥. i. olei de papau. ℥ß. vitell. oui, num.i. puluer. nenuph. exsiccati ʒß. croci ℈i. ceræ parum, fiat vnguentum: cui addi commodè potest vnguenti populeonis ʒi. aut.℥ß. *Aliud.*

Aliud. ℞. Butyr. recentis, vel confectionis pomatæ recentis, & medullæ cruris vituli, ana ℥i. muccag. ſemin. papauer. alb. extractæ cum decocto maluar. ℥ß. olei lumbricorum & de vitellis ouorum, vel amygdal. dulc. ana ℥i. croci ℈i. miſce.

Si dolor, ſine æſtu diſtendat.

Linimentum anodynum. ℞. Olei roſ.& amygdal.amar.& chryſomel.ana ℥ij.vitell. oui,num. ij. butyri recentis, medullæ ceruinæ, œſypi, ana ℥ß. flor. melilot. & camomill. ana ʒi. croci ℈ij. miſce.

Remedium dolorem remittens.

Cepam albam quàm optimè coctam, vnà cum butyro vaccino, tantiſper dum emolliatur,conterito,additâ chamomillâ & meliloto,& ita ano inflammatione tentato, ſubmittito; id namque mirificè dolorem reprimit: Idem porrum efficit. Eodem ſpectat ſi radices oleo amygdal.dulc. violaceo, & axungiâ porci aut gallinæ incoquantur, additíſque ouorum luteis & pulu. camomill. in cataplaſmatis formam ſubigantur.

Dolorem ardorémque reſtinguit hoc.

Cataplaſm. Poma dulcia per fruſtra diſſecta, ſublatis interaneis, excoquantur in oleo de ſemine lini, vel violaceo;dein adde micæ panis albiſſimi parem quantitatem, quæ omnia ſimul contuſa in formam cataplaſmatis reducantur, addito oui luteo, & croci ſcrupulo vno. Et in ſummo ardore vnà cum pomis, ſi ſemen hyoſciami incoxerit, multò fiet vtilius. At tutiſſimum, ac inprimis efficax,ſi violæ luteæ ſemen adieceris. Alij mala aliquot ſtuppis cannabinis aceto & aqua perfuſis obuoluta decoquunt, eorúmque pulpam ex roſaceo & pſyllij mucagine aqua roſarum extractâ ſubigunt: dolorem enim, ardorémque placat.

Hæc ſunt quibus miteſcit dolor, qui particulatim ſi cum ardore vexat, refrigerantibus, vt violaceo, nenupharino: ſi cum tenſione, digerentibus potiùs demulcendus:qualia chryſomelorum, & aſellorum olea, & oleum lini cui allia incocta ſint.

Si verò internâ tantùm parte dolor ardórve premit, anodyna prætenui ſyringâ iniici debent, & vnguenta liquidiora, quibus etiam illita linamenta blandè immitti poſſunt. At ſi inflammatione hæmorrhoidibus copulatâ ſenſus doloris torqueat, hoc vti conueniet.

Vng. aliud anodynum. ℞. Ceruſæ ʒv. litharg. ʒiij. maſtic. & hyoſcyami albi, ana ʒij. terantur, & albumine oui, aut oleo omphacino aut violac. excipiantur. Quinetiam vnguentum è ceruſa, cui opij parum addideris ſucco ſolatri dilutum: aut aqua roſarum infuſo opio, inflammationem reſtinguit.

Aluus

Aluus libera sit,& conatu exiguo reddat,quod emollientium alimentorum, vt prunorum & panis secalei esu fiet commodissimè. Item malua, lactuca, & beta, quæ pinguiori iusculo incoxerint. Atque è medicamentis, cassia cæteris præcellit leniente vi insignita. *Alui libertatem procurantia.*

CAPVT XXXII.

De Rhagadibus.

RHagades, ani fissuræ sunt, & oblonga vlcuscula, quibus sphincter musculus rimulis quibusdam, vt inferius labrum dehiscit, atque pluribus locis dilaceratur. Oriuntur autem, vbi dura aluus eum locum læsit, ac resiccatum stercus ægrè redditur. Aliàs ab acri bile, vel à putri, nitrosa, salsáque pituitâ eò se affigente. Itaque nunc dolor acerrimus cum ardore; nunc sine æstu molestus asperitatis sensus inest: rariùs vlcuscula hæc in fissuras producta humida, saniéque perfusa sunt. *Rhagades quid.* *Rhagadum causa.* *Rhagadum signa.*

Curatio.

Primùm ergò cum sine ardore sphincteris substantia siccitate & humoris penuriâ, ceu rimis quibusdam dehiscit, eiúsque interna membrana distenditur: tunc equidem humectantibus, maximè si callosis labris scissa horrida sunt calfacientibúsque & agglutinantibus partem illinito; nec quæ violentâ astrictione corrugant & exasperant,sed semper lenientia imponito, vt sphincter liberè tum distendi, tum contrahi possit. Id genus habentur oleum è vitellis ouorum,è semine lini cum exigua mellis parte,tum oleum amygd.dulc.oleum è frumento,keirinum,liliorum, è nucleis persicorum, mucilago althææ, citonior. lini, fœnigr.butyr. recens,axungia gallinæ, anseris, anatis,œsypus, seuum hircinum, medulla cruris vituli,cerui additâ etiam sarcoticorum & agglutinantium portione, vt tutiùs rimæ coalescant. Si verò recens vitium est,quiescere homo debet, & in aqua calida desidere, in qua althæa decoxerit: columbina quoque oua coquenda sunt,& vbi indurauerint, testis purganda: deinde alterum iacere in aqua benè calida debet, altero calido foueri locus, sic vt inuicem vtroque aliquis vtatur: tum quolibet ex iis lenientibus quæ subiiciam vitium perungendum. Sed quando vetustate quæ scissa sunt obduruerunt, iámque callum habent, commodissimum est spongiam calidam admouere,vt relaxentur & foràs prodeat:vbi in conspectu sunt, frictione renouare, deinde imponere linamentum molle, aut linteolum aliquo leni medicamento illitum ex iis quæ mox proponentur. *Indicationes.* *Humectantium & lenientium materia.* *Cels.l 6.c.18*

℞. Ceræ luteæ, olei sesamini,adipis anatis,medullæ cruris vaccini, seui hircini, bdellij scythici, cuiusque paria pondera. Bdellium seminis lini cremore soluitur, & alia excepta in linimentum rediguntur; eo *Linimentum ad rhagadas.*

Celſ. ibid. vitium illinitur; ſi quicquid læſum eſt, extrà eſt, neque intus reconditum, eodem medicamento tinctum linamentum ſuperdandum eſt.

Aliud.

Aliud. ℞. Olei amygdal. dulc. & de ſemine lini, & de vitellis, ana ℥i. mucilag. ſemin. cydoniorum extractæ cum aqua roſar. & butyri recentis, ana ℥ß. vitell. oui, num. i. lithargyri ʒij. aloës, ceruſæ lotæ, ana ʒi. miſce, fiat vnguentum.

Aliud quod manuum fiſſuris aptiſſimum eſt.

℞. Seui hirci caſtrati ℥ij. axungiæ anſeris, & anatis ſine ſale, ana ℥i. mucag. tragac. factæ cum aqua violarum ℥iß. terebinth. ʒx. olei violati ℥iiij. lithargyri auri ʒvi. ceræ parum, fiat linimentum, quo illinantur fiſſuræ, vbi priùs foueris vapore maluarum, althææ, lini, & fœnugr. quæ lex arctè accuratéque tenenda. Vnguentum diuinum, & citrinum admodum probata ſunt, ſi addideris parum myrrhæ, aloës, maſtic. & balauſt. cum roſaceo.

Vng. diuinũ, & citrinum.

At ſi fiſſuræ cum acerrimo æſtu partem affligunt, præmiſsâ acrium humorum purgatione & alteratione, (vt in calida hepatis intemperie dictum) inſtituto etiam victu qui mordaces humores temperet, aluúmque leniat; topicis refrigerantibus eſt opus, quæ humoris, vel ſalſi, vel acris morſum refrænent, tum ſarcoticis, quibus rimulæ coaleſcant, diffiſſæque particulæ agglutinentur. Horum materia eſt mucilago pſyllij, lac mulieris, emulſio ſeminis papaueris, & ſeminum frigidorum, adeps ſuillus, hircinus, oui candidum, olea myrtillorum, nymphææ, roſaceum, violatum, ſuccus ſolani, plantag. portul. ſemperuiui, è ſemine cucurbit. Quamobrem vnguento de ceruſa caphurato ani margines oblinendi, & aliis ſimili facultate præditis; quæ quidem ſine morſu mediocriter ſiccent, ob exactiorem partis ſenſum.

Refrigerantium & ſarcoticorum, ad rhagadas cũ æſtu valentium, materia.

Vng de ceruſa caphuratum

Aliud vnguentum.

℞. Olei de papau. & roſati, ana ℥i. vnguenti albi Rhaſ. caphurati ℥iß. ſeui hircini, & mucilaginis pſyllij extractæ cum aqua roſar. ana ℥ß. boli arm. ʒij. aloës lotæ, tutiæ præpar. ana ʒi. albumina ouorum num. ij. miſce, fiat vnguentum, quod tum fiſſuris, tum ani vlceribus erit accommodatum. Vlcera tamen citra inflammationem oborta, medicamentis indigent vehementer exſiccantibus. Quale hoc.

Ad Sedis & pudendorum Vlcera.

Vng. valde exſiccans, ad rhagadas citra inflammat.

℞. Lithargyri ʒiij. plumbi vſti & aquâ roſar. loti, antimonij eodem modo præparati, an. ʒiß. ceruſæ lotæ, tuthiæ præparatæ, & cineris cancrorum fluuiatilium, an. ℈iiij. aloës, myrrhæ, corticis thuris, boli arm. lapidis calaminaris, an. ʒi. balauſt. gummi tragac. an. ʒß. ſucci plantag. ℥iij. vitell.

oui num.i.olei myrtini & rosati, an.℥ij. ducantur diutissimè in mortario plumbi, solis radiis exposito, & fiat vnguentum.

Fissuris humidis, ac vlceribus virulentis.

℞. Lithargyri ʒvi.cadmiæ elotæ,& cerusæ,aloës lotæ,mastich.thuris, sarcocollæ,ostracorum,psidiæ,balaust.bol.armen.an.ʒi.pulverizata excipiantur oleo rosaceo ; huic quoque cinis cancrorum fluuiatilium addi potest, aut radix leucoij citrini sicca:quæ omni fissuræ opitulatur:aut pisciculorum salitorum capitula concremata,aut cucurbita combusta. Peculiari vi & reconditâ proprietate Auicennæ probatur ostracorum cinis, cum polypodij æquali pondere, & foliorum oliuæ quarta parte. *Linimentum.*

Aliud :

℞. Cerusæ ℥ij.pompholygos,vel cadmiæ & thuris ℥ß. succo solani paulatim affuso diluuntur,donec absumatur.Deinde ceratum ex ℥i.ceræ, & rosacei ℔. ß. confectum miscetur, validéque emollitur. Facit autem ad ani fissa, cum inflammationem sentiunt;quemadmodum etiam quod sequitur.

℞. Olei rosati,℥iiij.ceræ ℥iij.cerusæ ℥ß.plumbi vsti ʒij.amyli,tragac. an.ʒi.opij & caphuræ,an.ʒß.albumina ouorum num.v.fiat vnguentum. Item aduersus sedis exulcerationes cum ardore , aut rosione infestantes, faciunt plantago, pilosella, sanicula, consolida maior,& media;quarum decocto anus fouetur : sed præcipuè iuuat gummi iuniperi cum rosaceo aut myrteo illitum. Quinetiam rimas naturalium , sedísque lenit resina fricta cum rosaceo contrita,dum spissior euadat,adiecto etiam luteo oui, opiíque tantillo : vel hederæ foliorum combustorum cinis,cum rosaceo in plumbea pila tritus admouetur. *Vnguentum.*

Victus rhagadum.

In hoc autem vitio neque acribus cibis vtendum est, neque asperis, nec aluum comprimentibus ; ne aridum quidem quicquam satis vtile est , nisi admodum paulum , liquida, lenia, pinguia , glutinosa meliora sunt. Vino leni vti nihil prohibet. *Cels. verba loc. cit.*

CAPVT XXXIII.

Condyloma.

Condyloma autem est turberculum leui dolore in ani ostio molestè prominens;idque aut verrucæ,aut mori,aut vuæ,aut ficûs similitu- *Condyloma quid.*

 dine.

dine. Nunc enim molle, nunc verò durum & asperum est, atque aliàs latiore, aliàs tenuiore basi ano innititur. Huic originem dedit crassus & melancholicus sanguis, ibi sensim coactus & congestus. Vbi id ortum est, rectè primùm emollientibus fouetur, tum conuenienter absumitur medicamentis validè siccantibus & reprimentibus. Sed si vetus condyloma iam induruit; neque sub iis curationibus desidit; aduri medicamēto potest. Itaque emplastro diachalc. ex rosaceo diluto, adiectâ chalcitidis duplâ portione, aut vnguento ægyptiaco, aut apostolico exteri potest; aut si contumacius vitium est, puluere mercurij præcipitati, aut sublimato in aqua rosarum & plantaginis decocto, radicitùs extirpetur. Atque vt vniuersè rem complectar, seu id emollientibus fouendum, seu exsiccantibus deprimendum, siue causticis exterendum est; eadem præscribi seruaríque debent, quæ ad penis hypersarcosim scripta sunt. Vbi condyloma pensile est, basímque tenuem habet astringendum lino, aut serico filo arctissimè. Ita quippe sensim contabescens decidit, aut etiam vngue vel scalpello supra modum id exulcerandum est, vt euacuato sanguine celeriùs emoriatur. Quod nisi factum est, magni dolores subsequuntur. Si duo triáve sint, imum quodque primò curandum est. Si plura, non omnia simul, ne tempore eodem, vndique teneræ cicatrices sint. Si sanguis profluit, excipiendus est spongiâ; deinde linamentum imponendum, iis medicamentis inductum, quæ sanguinem reprimunt.

Condylomatis causa. *Condylomatis curatio.* *Cels. ibid.* *Catharetica varia.* *Ligatura cōdylomatis.*

CAPVT XXXIV.

Procidentia Ani.

ANi prolapsus quo sphincter euersus foràs procidit, atque è situ digrediens prouoluitur; pueros sæpiùs quàm adultos infestat. Causa est pituitosus mucosúsque humor ligamenta remolliens, ac dissoluens, per quæ laxatus podex ocyssimè quasi per lubricum in inferiora præcipitat. Quoniam igitur musculi dissoluti & laxiores ex copiosi humoris perfusione euaserunt: quoties anus prolabitur, blando digitorū impulsu sursum remeet, introrsúmque recondatur; vbi dum arctè retineri nequit; pars exsiccantibus, astringentibúsque firmāda, quæ ex calidis ac frigidis composita sint (nam frigidum & vtero & ano inimicum; at calidum per se astringendo inefficax.) At si reduci manu nequeat, interdum cucurbitulâ lumbis admotâ retrahitur, sed priùs fotu emolliente, lubrica reddantur loca. Tempus remediorum, exoneratâ iam aluo, vbi abluta sedes reposita fuerit. Primùm itaque noxio humore attenuato, atque expurgato corpore phlegmagogis medicamentis, capite de paralysi præscriptis, tum siqua sordes ano inhæret, detergenda priùs œnomelite, vel vrinâ, vel mitiore lixiuio; Deinde verò fotus conueniet ex vino austero, in quo mali punici cortex, balaustium, acacia, hypocist. plantago, lentiscus, myrtus, verbena, absin

Causa procidentia ani. *Curatio huius affectus, à fluxione.* *Fotus astringens.*

absinth.saluiæ,chamæpit.betonica, galla,nuces cupressi aridæ,rosæ,flores stœch. scoria ferri,alumen,ac similia astringentia coxerint,vt in mensium profluuio definiuimus, adhibitâ ratione quæ iubet mollioribus mitiora, durioribus validiora remedia aptanda. A fotu, vnctiones, inspersiones puluerum,suffitus,insessûs,cataplasmata resiccantia vsurpanda sunt.

Fotus.

℞. Fol.plantag.caudæ equinæ, bursæ past.verbasci,summitatum lentisci.an.M.i.absint.& saluiæ,ana M.ß.acaciæ,hypocist.an.℥i.gallarum viridium,nucum cupressi,ana par.x.corticum mali punici,balaustiorum,ana ℥ß.lentium mundatar.p.i.rosar.rub.flor.chamæleontis albi,ana p.ij.flor. stœch.gr.myrti,& fol.eiusdem,ana p.i. fiat decoctio in aqua extinctionis ferri, addendo quartam partem vini astringentis. *Alius.*

Insessus.

In eadem decoctione æger desidere potest,aut in aqua sulphurea,marina,aluminosa,bituminosa,ac similibus.Insessus tamen ex motu,& insidentis figurâ plerunque anum & vuluam è sede suâ deturbat. *Insessûs incommoda.*

Puluis.

℞. Cerusæ,balaust.orbiculorum cupressi siccorum gallar.stibij,corticis piceæ,thuris,mastic.singulorum pares modos,sicca in tenuissimum pollinem terito,procidentíque ano inspergito,intestino prius oleo rosaceo calente,vel mastichino circumlito,aut vino austero deterso;Deinde naturali loco repositum, fasciis firmè deligato.

Suffitus.

℞. Vsneæ ℥i.nucis cupressi ℥ß.picis naualis,masticis,thuris,garyoph. myrrhæ,an.ʒiij.cyperi,galangæ,nucis mosch.macis,flor.stœch.& rorism. an.ʒij.ladani puri,hypocist.exuuij serpentis,an.ʒiß.excipiantur terebint. & fiant formulæ similes lupinis,quarum vapore suffiatur anus,vt artis est, sedente ægro.Confert etiam qui ad tenesmum ex nuce pinea comparatus est. Quinetiam suffitus è lapide molari candente, consperso vino austero, in quo aliquid astringentium efferbuerit.

Cataplasma.

℞. Herniariæ, vsneæ,verbasci,an.M.i.saluiæ minutæ,M.ß. flor.stœchados,saluiæ, chamæleontis, & rosarum,ana p.i. fiat decoctio in æquis partibus aquæ pluuiæ & vini austeri, & contusa admoueantur.

℞. Mast.

Aliud. ℞. Mast.thur.rosar.rub.corticum mali punici,seminis rhois,an.℥ß. balaust.baccarum myrti,ana ʒvi.garyoph. nucis mosch. ana ʒij. contusa excipiantur astringente vino calido, podici admoueantur.

Cæterùm si anus inflammatione obsessa,reduci nequeat,fluxionis impetum reuelles, materiam inflammationis, anodynis, & resoluentibus, chamæmelino, anethino, ac lenticula digeres, adiecta primùm adstringentium exiguâ portione,vt rosæ,solani,& rhois;Denique inflammationi succurres iam commemoratis remediis, quâ extinctâ intestinum impelles, & astringentibus corroborabis.

Si ne iis quidem contineri potest, cauteria duo ossis sacri regioni vtrinque à lateribus imponenda. Porrò si anus prolabitur resolutis musculis qui sedem sursum reuellunt, atque iis neruis paralysi affectis qui è lumbis in eos inseruntur musculos,(quod prægressarum causarum obseruatione innotescet) topicis sedi admotis nulla, aut admodum parua curationis vis inest. Quæ verò extremo spinæ termino adhibentur remedia, conuenientiora sunt: redeundúmque ad genus curationis capite de paralysi cumulatissimè definitum.

Curatio procidentiæ ani, à musculorum ipsius resolutione.

CAPVT XXXV.

Inflammatio ani.

Signa inflãmationis ani. ANi inflammatio dolore se prodit, & podicis calore, atque interdum tumore satis conspicuo, qui etiam pressu excandescit, febrémque infert. In hac fæces præ obstruentis tumoris magnitudine,præterlabi nequeunt, & raro, nec nisi summâ vi, ac ingenti cruciatu exeunt. Huius origo eadem, ac cæterarum inflammationum, sanguine è vena caua in podicem irruente, ictu aut casu, aut asperâ, diuturnáque equitatione in anum accersitâ fluxione.

Causa huius mali.

Curatio.

Reuellentia varijgeneris. Primo quouis tempore venam cubiti secare, tum frictionibus, vinculis partium superiorum, & cucurbitulis ad scapulas, & hypochondria fixis, necnon hirudine brachiis admotâ, sanguinis impetum reuellere conuenit. Cauendum ab esculentis siccioribus, acerbis, & astringentibus, quæ præsertim primâ mensâ assumpta sunt. Vsui verò conuenientissima erunt, quæ leniente, ac lubricante vi prædita, alui fæces emolliunt, tum alimenta, tum medicamenta, vt nullo, aut minimo conatu, quasi per lubricum deturbentur alui reiectanea. Conuenit ergò siliqua Ægyptia, pruna, tamarindi succus, vel syrupus rosatus, aut aliud quoduis blandum. Clyster vel anodynus dolorem mirum in modum exacuit, quòd tumorem comprimat; nec purgantia medicamenta tuta,imò verò infen

Aluum mollientia.

Purgantia hic suspecta.

infensissima : noxios quippe humores in affectam sedem deriuant, & conuertunt,quos aliorsum,vt vomitum,reuellere par est. Iam verò parti inflammatæ particulatim succurrendum,factâ,per morbi tempora,remediorum mutatione : fluxionis quidem initio astringentibus , quæ hanc repellant,atque inhibeant : In statu cùm fluxio planè consistit,digerentibus : incremento,vtrisque mixtis vtendum. Quo nomine,in principio rosaceum,candido oui liquori aut plantaginis succo,plumbeo vase immixtum vsurpabitur ; ac tepens podici admouebitur,ne frigore partem grauet. Eodem spectat vnguentum ex cerusa , aut sequens medicamentum.

Topica pro ano inflãmato, varianda iuxta morbi tempora.

℞.Succi plantag.succi,aïzoi,& solani,an.℥ii.albumina ouorum N.ii. boli armeni ʒiii.santali albi & rubri,an.ʒiß.olei ros.omph.℥iii.misceantur simul,fiat linimentum,quod parti admoueto.

Linimentum principio inflammat. aptum.

℞. Succi solani, plantag. lenticulæ aquæ, an.℥v. vini austeri ℥i.olei ros.& nenuph.an. ℥iß. farinæ hordei ℥ij. farinæ lentium ℥i. decoquantur simul ad consumptionem succorum , fiat in modum cataplasmatis. Cui si corticis granatorum , & rhois in puluerem redactorum,cuiusque ℥ß. addatur, potentiùs repellet.

Cataplasma.

Incremento.

℞. Farinæ hordei ℥ij. farinæ seminis lini ℥iß. florum chamæmeli, ʒii. ros. rubr. ʒiii. folior. myrti ℥i. decoquantur omnia diligenter in passo & aqua rosacea , ad liquoris consumptionem. Deinde terantur diligenter miscendo axungiæ gallinæ , quart. i. olei chamæm. & ros. an.℥ii.fiat cataplãsma.

Cataplasma.

In statu.

℞.Foliorum maluæ, althææ,absinth. & caulium,an.M.i.flor.nenuph. & ros.rubr.an.p. i. flor. anethi & sambuci , an. ʒii. farinæ sem.lini ℥iß. farinæ hordei ℥iij. coquantur in vino & aqua,& per colum medicum transfundantur ; addendo posteà olei rosati,quart.i. olei chamæmelini, quart.ß.axungiæ gallinæ recentis , vel butyri recentis ℥ii. Misce,fiat cataplasma. Cui adiungere licet , grauiter vrgente dolore , pomorum coctorum ℥ij. vitellos ouorum N.ij.croci ℈ii. aut ʒß. quinetiam in vehementi ardore,addito foliorum hyoscyami stuppis obuolutorum,sub prunis coctorum. M. i. Aut illorum loco, populeône, rosatóque vnguento vtare. Confert prætereà in earundem rerum decocto residere,aut huius vaporem ano excipere.

Aliud.

Declinante inflammatione.

℞.Farinæ fœnugr.farinæ sem.lini,an. ℥ij. farinæ orobi ℥i. flor. chamomill. meliloti , & sambuci , an. p. i. ros. rub. ℈iiij. pulu. iridis,

Aliud resoluens.

ʒiij. coquantur in vino mulſo, vel ſucco apij: Deinde miſce olei liliorum ℥iiij. olei chamomillæ, ℥ii. fiat cataplaſma, aut decoquito cum iis rad. althææ & liliorum.

Cæterùm tumor, ſi reſoluentibus medicamentis nequaquam ceſſerit (quod tamen inprimis optandum) & congeſta materia digeri minimè poſſe videatur, eiuſdem ſuppuratio procuranda.

Aliud ſuppurans. ♃. Radicum liliorum & althææ, an. ℥iiij. folior. maluæ, branc. vrſinæ, violæ, an. m. i. caricarum ping. paſſul. mundat. an. p. x. coquantur & diligenter terantur, addendo farinæ tritici, farinæ lini, an. ℥iß. adipis ſuill. & gall. an. ℥ii. olei liliorum & camomill. an. ℥iij. fiat cataplaſma. Atque in humore craſſiore, huic medicamento appones radicis bryoniæ ℥ii. aut cepam.

Vomicæ apertio. Porrò aperienda hîc priùs eſt vomica, quàm phlegmones materia integrè in pus faceſſat, ac proinde illius abſolutam ſuppurationem ſcalpello anteuertere conuenit. Alioqui abſceſſus in recti inteſtini cauum, quàm in cutem potiùs erumpit. Nam partem molliorem exedens pus, ſibi promptiùs viam parat: hinc rupto abſceſſu vlcus manet ſordidum, quod in fiſtulam breui degenerat, loco ſcilicet excrementis ac putredini obuio. Apertâ vomicâ, roſaceum vitellis ouorum exceptum, triduo adhibendum, dolorem quippe lenit: Poſteà detergendum melle roſato, & terebinth. in hunc modum.

Vng. detergẽs. Sarcoticum. ♃. Mellis roſ. aut ſyrupi roſati ℥ii. terebinth. ℥iij. coquantur parum, adde farinæ hordei ʒiß. croci modicum, & oui luteum. Sarcoticum facies, ſi detracto vitello oui, admiſceas thuris ʒiß. myrrhæ & aloës, ſingulorum ʒi.

Ita abſceſſu rupto tunc detergendum & ſiccandum vlcus, præſertim ſi ſordidum, aut apoſtolico, aut in ſicciore naturâ & ſordidiore vlcere, Ægyptiaco. Mollioribus ſufficiet, quod ex duabus baſiliconis partibus, & vnâ apoſtolici parabitur. Sed vlcera quomodo curanda ſint, anteà expoſui.

In phlegmone obdureſcente vſurpanda. At ſi phlegmone obdureſcat, radice cucumeris agreſtis, bryoniæ, aut azari, liliorum, althææ, ſuperioribus incoctis, caricíſque ac anſerino adipe, aut gallinaceo admixtis opportunè emollies.

Emplaſtrum. ♃. Rad. liliorum & alth. an. quart. ß. rad. bryoniæ, cyclamini, & cucumeris agreſtis, an. ℥ii. decoquantur in vino albo, & tundantur. Subinde addatur fimi caprini ℥i. ammoniaci in aceto ſcillitico eliquati, opopanacis in oleo ſeſamino diſſoluti, an. ℥i. ſtyracis liquid. ʒx. picis naualis, q. ſ. fiat emplaſtrum. Aut aliis vtitur ſæpius in ſcirrho ſuperiorum partium annumeratis.

Ad ani dolores.

Cataplaſma. Alterci folia tenera, portulac. folia, micas panis in vino tinctas, ouorum toſtorum lutea pari pondere, roſacei quantum ſatis eſt. Vbi locum meliloti & roſarum decocto foueris, cataplaſma imponito.

CAPVT

CAPVT XXXVI.

Fiſtula ani.

EX grauiore ani inflammatione, abſceſſus; ex abſceſſu vlcus, ex hoc, vt ex teneſmo diuturno, ſinus, fiſtuláque oritur. Inflammationem ex longâ & laborioſâ equitatione, aliíſque fluxionis cauſis genitam, dolor acerrimus prodit; íſque lancinans qui febrem accerſit; tumor, rubórque in ani margine ſæpè conſpicitur; præ obſtruentis tumoris magnitudine, excrementorum exitus tardus, difficilis, dolore plenus eſt. Interdum preſſo veſicæ collo, vrina ſupprimitur, aut ægrè it. Cùm pus conficitur, dolores, febréſque intenduntur. At rupto abſceſſu, pus exit, ídque diu ex ſordido vlcere manat, ſæpiùs quidem per anum, interdum etiam ruptâ cute foràs erumpens. Cùm autem vlcus negligitur, iam ſinuoſum facillimè in fiſtulam abit, quòd locus arctis, oblongíſque ſinubus, ex ſuâ figurâ ſubiectus ſit, & aſſiduè excrementis, putrediníque pateat. Fiſtula autem hæc nonnunquam penitus intrò foráſque penetrat, nonnunquam cæca eſt. Si vtrinque peruia eſt, per eam flatus, liquidioráque alui excrementa protruduntur; minimè verò, ſi alterâ parte tantùm patet. Atque hæc inter os & inteſtinum variè propagatur, & nunc ſurſum tendit, nunc ad coxam vergit, aut in caudæ os peruenit, aut intra carnem deſinit, aut in veſicæ ductum fertur; ídque modò rectè, modò obliquè, modò ſimplici, modò duplici, triplicíve ductu ab vno ore intùs profecto. Sed & fiſtularum differentiæ multò plures ſunt, quas Celſus accuratiſſimè perſtrinxit, expreſsíſque ſignis patefecit.

Cauſa fiſtulæ ani.
Signa inflammat. ani.
Fiſtularum ani differentiæ, earúmque ſigna.
l.5.cap.28.

Curatio.

Fiſtula in ano difficillimè ſaneſcit; expeditior tamen curatio eſt in fiſtula ſimplici, rectâ, breui, recenti, intra carnem, adiuuátque ipſũ corpus, ſi iuuenile, ſi firmum eſt. Inimica contraria his ſunt. Ante omnia autem demitti ſpecillum plumbeum (aut petroſelini, vel maluæ cauliculũ) in fiſtulam cõuenit, vt quò tendat, & quàm altè perueniat, ſcire poſſimus. Simul etiã protinùs humida, an ſiccior ſit: quod extracto ſpecillo patet. Sed diligentiùs animaduertendum, eáne intra carnem deſinat, an in inteſtinum penetret. Si illæſo inteſtino, intra carnem ea finitur, cùm recens eſt, iam patefacto eius ore, (vbi non ſatis hiat) primùm detergentibus, deinde agglutinantibus curatur. Sin vetuſtate callum contraxit, validioribus medicamentis opus eſt, quæ hunc exterant, alioqui nunquam dura latera inter ſe coëunt. Ergò à leuioribus orſi, blandè recentis vlceris ſordem purgabimus œnomelite, ex auſtero vino; vel ſi putris caro ſubeſt, oxymelite, aquâ aluminoſâ, cui mel adiectum ſit, aliíſque vehementioribus ſi res poſtulat. Vt autem curatio illuſtrior euadat, tres detergentium ordines hîc quoque conſtituendi ſunt.

Prognoſis.
Celſi verba loc. cit.
Indicationes.
Detergentiũ tres ordines.

Leuiora,ſaniem púſve,ex ea fiſtula purgant, quæ circùm inflammatione cingitur, aut dolore affligit.

Valentiora, craſſiorem ſordem eius quæ ſine inflammatione eſt.

Validiſſima, inueteratæ fiſtulæ callum exterunt.

Vng. detergens leuius. Iniectio.

℞. ſucci agrimon.& apij,an.℥iii.ſucci plantag. & mellis roſati colati, an.℥ii. miſce, coquantur. Vel.

℞. agrim. ceterach, apij, plantag. an. M.i. hordei p.i. fiat decoctio, & in colaturæ ℔i. diſſolue mellis roſati colati, ℥iii. miſce, ad iniectionem; cui etiam addi poteſt ſuccus roſ. aut imminuto pure,ſyrupus è roſis ſiccis. Si autem nulla, aut iam reſtincta inflammatio eſt, loco plantag. adde abſinth. & ſi craſſior ſordes eſt, marrub. meliſſ. centaur. ſcordium, ariſtol. irim, aut gentianam: vel aloën, myrrham, & terebinthinam.

Alia validior.

℞. rad.irid. & ariſtol. an. ʒi. folior. oleæ & abſinth. aut centaur. an. manipul. i. fiat decoctio: in cuius ℔i. diſſolue mell. roſ. col. & ſyrup. de abſinth.an.℥ij. myrrhæ & aloës,an. ʒii.

Vel purgabimus œnomelite ex vino auſtero, vel oxymelite, vel aquâ aluminosâ, cui mel adiectum ſit,aliíſque vehementioribus.Si verò è ſinu aut fiſtulâ exterendus eſt callus, aut putris & corrupta caro exedenda, vnguentum apoſtolicum, vel Ægyptiacum admiſcebitur, vel imperetur id quod doctiſſimis probatum eſt, ad omnes calloſas fiſtulas.

Validior alia, ad fiſtulas calloſas.

℞. Abſinth. centaur. min. ſabinæ, fol. oliuæ, agrim. plantag.an.M.i. rad. ariſtol.rotundæ, & gentianæ contuſæ, an.℥i. fiat decoctio in vino albo: in quo col. diſſolue mell. roſ.& ſyr. abſinth.an.℥iß. ſi infirmius id eſt,diſſolue vnguenti Ægyptiaci ℥ß. Vel.

Alia.

℞. Vnguenti Ægypt.℥i. aquæ plant. & roſ.an. ℥iiii. miſce, iniiciantur. Prodeſſe ſimiliter poteſt iniectum lixiuium tonſoris; aut comparatum ex cineribus braſſicæ, abrotani, & corticum fabarum, in quo mel. roſ. ſolutum ſit. Et in liquoris ſelibrâ, pulu. præcipitati, ʒij.tréſve ſint permixtæ. Sed neque inutile eſt ab iniectione emplaſtrum diacalcitheos ſuperimponere. Iam ſi parum his proficitur; vltimum eſt, duriorem callum exedere, non medicamentis cauſticis, ſed candente ferro potiùs adurere: vtique ſi intra carnem fiſtula eſt, nec altiùs penetrat. Verùm antè ampliandum fiſtulæ os eſt, au per ſpongiam præparatam, aut ſectione idoneâ. Ac minùs operæ eſt, ſi ſub cute fiſtula fertur, quàm ſi rectè intùs tendit.Ab iis autem eadem quæ ſuprà diximus,facienda ſunt, dum purum vlcus euadat. Quod vbi contingit, imponenda glutinantia ſunt, præcipuéque myrrha,aloë, thus, cortex thuris, ſarcocolla, maſtic. tereb. reſina, iris,aliáque id genus; purum nempe corpus,puro corpori iunctum facile coaleſcit. Diſiunctáque latera in vnum coëunt, adiectis medicamentis ad id efficacibus: quale hoc eſt.

Fiſtulæ calloſæ vſtio.

Celſ.l.7.c.4.

Celſ.lib.5. cap.28.

Vnguentum, ad fiſtulas inſiſas.

℞. Myrrhæ, thur. aloës, an. ʒij. boli arm. ſang, drac. ſarcoc. & rad.irid.an.ʒiß.conterantur omnia.& tereb. ℥iii. mell. ſeſquuncia, olei

hype

hyperici ℥iiij. ceræ vnciâ, excipiantur in vnguentum, quo illita linamenta in præcisam fistulam inducenda sunt; hísque superimponenda sunt lintea vino rubro tepido madefacta. At si fistula incisa non est, verendum est ne remedium vnam partem curet, reliquas omittat, & ad vltimas demitti non possit. Itaque eadem medicamenta arida in calamum scriptorium coniicienda sunt, ísque ori fistulæ aptandus, inspirandúmque vt ea medicamenta intùs compellantur. Aut eadem ex vino austero liquanda, sic vt pulu. drachma, vini ℥iij. soluta iniiciatur. Vel eadem infundenda, ex diluto vino, in quo verbena, plantago, cynoglossum, absinthium, millefolium, pilosella, symphytum maius, hypericum, scabiosa, vel equisetum, polygonum, aliáque id genus coxerint; vel eorum succis miscenda, atque ita iniicienda. Superimponendum est autem, vt dixi, emplastrum diachalcitheos. Neque alienum est, vbi quis resoluerit, antequàm rursus alia medicamenta coniiciat, per oricularium clysterem fistulam vino eluere. Si plus puris fertur, etiam mulso. Sub iis fistula sanescit, quæ in carne, & recens, & simplex est; atque etiam quæ callosa est, modò nec altè feratur, nec in intestinum subeat, quæ nullâ ratione ferro attingi debet. Porrò iam purgata fistula, etiamsi ea ex se mitior est, exítque sanies non multa, sed tenuis, neque in eâ malus odor est, medicamentis exsiccantibus, quorum in ægilope mentio facta est, tandiu tractari potest, dum nihil planè residet, ac sæpè vino foueri, in quo verbascum & rosa coxerint, sic vt huic aluminis parum adiiciatur.

Cels. ibid.

Puluis in fistulam non incisam inspirandus.

Cels. ibid.

Fistulæ iam probè purgatæ medicamenta exsiccantia conueniunt.

Præcipuum verò est, id quod habet aloës, thuris, sang. drac. balaust. antimon. alum. sing. partes æquas, floris æris, quartam vnius partem, quæ conteruntur, & ex succo plantag. coaptantur in collyrium, ídque proüt opus est, ex aquâ rosar. vel plantag. liquatur, & iniicitur. Sub hac enim curatione quanquam perfectè non sanescit, diu tamen obtegitur & leuatur malum, minuuntúrque eius indicia, nullo metu grauioris periculi. Quò enim maior vis in fistula tolerabili adhibita fuerit, eò minùs proficitur, magísque interim æger infestatur.

Iniectio exiccans, curam fucatam præstans fistulæ ani.

Si grandior fistula manu curanda est, sic ei manus iniiciatur, vt à Celso, Paulo, Rhasi, expertísque chirurgis fusissimè proditum est. Eò tamen minimè perueniet quicunque nominis sui existimationem tueri volet.

Chirurgia fistulæ ani grandioris.

SECTIO SEXTA.

De Renum ac Vesicæ affectibus.

CAPVT XXXVII.

De calculo.

Calculus renibus ac vesicæ familiaris morbus.

CALCVLVS, etsi variis corporis partibus, ex superuacuâ & & hærente materiâ innascatur, vt pulmonibus, intestinis, vtero, fellis vesiculæ, mesenterio, iecori, lieni, & aliis quàm plurimis locis, in renibus tamen, & in vesica tum frequentior, tum grandior, solidiórque prouenire consueuit. Huius causæ tres existunt, crassa tenáxque materia, diu multúmque iis partibus inhærens, & loci angustiis intercepta, quam assiduæ cruditates sensim cumulârunt. Efficiens calor, aliàs quidem immodicus, interdum etiam tepidus & mitior. Caloris enim vis & actio, non exuperantia requiritur: qui tamen vbi vehementior est, breuiori tempore calculum solidiorem profert, quem diuturnitate, moráque mitior calor etiam gignat, sed non ita durum. Adiuuantium ergò causarum præcipua statuenda, materiæ aptæ cunctatio, quam partis imbecillitas, densitas, astrictio atque meatuum angustia, vel obstructio cohibeat: His quippe retentus crudus ac crassus humor, caloris vi tenui parte dissipatâ, cogitur, ac tandem laterum modo, in lapidem concrescit. Sic & aqua limosa in vastissimis antris stillans sensim concrescit in lapidem. Eundem etiam profert assidua arenularum coagmentatio, quæ humore quodam viscido, tanquam visco, & quasi glutino interiecto fieri solet: hoc argumento, quòd in easdem plerunque dissoluatur, ex quibus humoris interiectu iampridem concreuerat. Hic quippe connectendis partibus terreis, quæ alioqui per se minimè cohærerent, aptari solet. Arenulas enim profert crassus quidem, at non viscosus humor, qualis terrenus & exustus; siue is aliunde prosilierit; siue ex propriâ renum, præsertim calidorum nutritione, tanquam recrementum derelictum sit; siue etiam ex nitrosa & crassiore vrinæ substantiâ quasi fæx quædam asseruetur, quoties illa aut diutius restitat, (vt in matularum fundo videre licet) aut per angusta quod tenuissimũ est transilit, & quasi percolatur. Ita ergo genitæ & asseruatæ arenulæ, modò in renum substantiâ, modò in eorundẽ cauo, nisi tẽpestiuè illinc exciderint, coagmentatione assiduâ increscunt, coguntur, ac tandem in verum renũ calculum conformantur, interiacente, vel pituitâ, vel pure, vel interdum sanie. Hic porrò siquãdo aut equitatione violẽtâ, aut motu valido, aut aperientium vsu, aut aliâ quauis causâ euulsus & excussus, in vreteris caput impellatur, nephriticos tunc propriè dictos cruciatûs, immanésque dolores mouet, tantò quidem certè acerbiores, quantò fuerit ille asperior: vbi enim scaber inæqualísque, & grandiusculus fuerit, ipso vreteris transitu membranas distendit, & miserè dilacerat. Atque ea quidem est, nepharitici doloris

Calculi causæ.

Præcipua causarum adiuuantium lithogenesin, materiæ aptæ cunctatio.

Arenularum materia.

Renum calculi ex arenulis concretio.

loris acceſſio, eò vſque perſeuerans, dum calculus vel in veſicam deſcenderit, vel à ſummo vreteris capite, in renis cauum remeârit (tum quippe remittitur. Illic ſenſim magis ac magis increſcit, & in molem ingentem aſſurgit, latiúſque per emulgentes venas, & vreteres propagatur, ac quaſi fruticat, corallij ſpecie.

Signa calculi renalis.

Deliteſcentem in rene calculũ eſſe docent affecta partis grauitas, atque dolor fixus, in eâ inanitate quæ inter coſtarum extrema, & os coxæ interiecta iacet, recto vreteris tractu. Directus teſtis ſæpè condolet, rectúmque femur ſtupeſcit; ſpina ægrè inflectitur, totũque corpus ingraueſcit: Aluus pigra & aſtricta; vrinæ, interdum quidem tenues, ſæpiùs verò craſſæ, turbidæ, & vſque adeò rubræ, vt prope nigreſcãt, præſertim ab exercitatione, dũ calculus vel attritu, vel pondere renis ſubſtantiã exedit. In vrinis ſæpè ſubſidentes craſſæ ac multæ arenulæ. Inſita parentum calculoſa conſtitutio, quæ lapidem nonnunquam detegit, aliis quibuſlibet ſignis incomprehensũ, quod inter morbos maximè ſit hæreditarius. Prehendente verò nephritici doloris acceſſione, nauſea inſuper accedit, varia excitatur vomitio, vicinæ partes magnâ vi diuelluntur, crebrior emictionis cupiditas; ac tum vrinæ, non, vt anteà, craſſæ & coloratæ, ſed obſtructo vretere tenues & aquoſæ nihil arenoſi exhibent; éſtque tunc arenularum conſuetarum ſuppreſſio, quæ inter præcipuas calculi, tũ orientis, tũ augeſcentis, cauſas ſtatuenda. Quibus enim per ſanitatem arenulæ amplâ & patente viâ liberè exeunt, ij rarò calculo tentantur, quanquam tum calor renes exercet. Quanã verò ratione nephriticos dolores à colicis diſtinguas, in côli doloribus expreſſimus. Sic per huiuſmodi acceſſiones exaſperantur omnia, per inclinationes miteſcũt, ac vrinæ multæ, craſſæ, & arenoſæ profluunt, aluúſque ſoluitur, præſertim calculo in veſicã prolapſo. Cæterùm calculus in veſica ex loci conditione tum durior, tum ſolidior euadit, tum colore albicante vel cineritio. Qui verò in renibus eſt, flauo, rubente, aut fuſco, niſi fortè ſordidi vlceris pure obductus quodãmodo albeſcat. In veſica ferè rotundus & æquabilis, atque multò quàm in rene grandior excreſcit. Ille in iuuenibus ob renũ ardorem; hic in pueris, ob crudi humoris præterlabentis copiam, ex voracitate, lactíſque vſu, frequentiùs naſcitur, ſenes & obeſiores in vtrumque parati. Non igitur omnis veſicæ calculus à renibus originem ducit, cùm paruuli eo malè afficiantur, in quibus nullum nephritici doloris veſtigium vnquam fuit. Quòd ſi in veſicâ lenti humoris, ſordiúmque coagmentatione, is poteſt increſcere, cur non etiam gigni: Non enim ex aliâ materiâ, non ex alia efficiente cauſa oritur, ex aliâ incrementum capit. Atqui craſſus, crudúſque humor ibi ad coagmentationem aptus eſt. Ergò & ad generationem eſſe poteſt. Is autem ſæpiùs medio veſicæ ſpatio liber vagatur: interdum etiam fixus manet, & illius fundo, aut lateribus quadam veluti membranâ concluſus innititur ac cohæret. Vagantur alij perexigui, qui vrinam facilè ſupprimunt, vbi in veſicæ ductum præterlabentis vrinæ vi impelluntur; Alij grandiores, qui veſicæ fundo ponderis grauitate incumbentes, ac vix

Nephritici paroxyſmi ſymptomata.

Differentia calculi veſicæ à calculo renum.

An omnis veſicæ calculus à renibus originem trahat, contra Fernelium l. 6. pathol. c. 13.

Calculi veſicæ variæ ſpecies.

dimoti

dimoti vrinæ curſum minimè intercipiunt,quemadmodum neque priores. Calculus in veſicâ alius per ſe fit ; & illinc non minùs quàm in renibus, primam trahit originem ex craſſo, crudo & viſcido humore, diutiùs imbecillitate veſicæ & viarum anguſtiis cohibito, ac reſiccato: quò etiam coguntur arenulæ, ſiue prætereà ex vrinæ fæce. Alius ab excuſſo,& in veſicam deturbato renum calculo,nec excluſo, rudimentum aſſumit; quod dein allatarum ſordium colluuie ac materiâ lateribus continenter adiectâ,craſſeſcit,& in ſolidiorem molem excreſcit.Sic igitur de renum & veſicæ calculo ſtatuendum. Hunc dolores nephritici præceſſerunt.

Signa calculi veſicæ. Signa lapidis in veſicâ hæc ſunt. In pube ac perinæo grauitas, & moleſti ponderis ſenſus; præſertim quoties laborans, aſperâ ſcabrâque viâ,& lapidoſo ſolo progreditur,frequens & inuoluntaria penis erectio, extenſio,& pruritus, glandem maximè infeſtans. Hinc laborans genitalem exerit partem, ac ſæpè ægrâ titillatione ſcalpit; ſubinde volutatur, clunéſque demittit, & vrinam interdum guttatim reddit, quaſi micturientis ſpeciem præbeat. Sæpè tamen crebrior, atque augeſcente malo, ferè aſſidua emictio. Vrina interdum aquea, ſæpiùs alba, craſſa, turbida, ac verè lactea; ſedimentum in quiete fæculentum deponens, & narium muco perſimile : vnde reliqua vrina inclareſcit; ſed & in eâ nonnunquam arenulæ reſident.His interdum accedit repètina vrinæ ſuppreſſio, aliàs quidem primo,aliàs medio curſu intercidens, obuiam facto calculo. Ac tum ſummus,ſed irritus meiendi conatus, quem etiam deſidendi cupiditas plerumque inſequitur,calculi magnitudine irritato inteſtino. Tum ſi quid mictione egeritur,certior euadet ſignificatio, quemadmodum ex reiectis anteà lapillis,perſiſtente lapidicinâ in renibus aut veſicâ. In ſuppreſſione,ægro incumbente ſupino, elatíſque cruribus, ſi facto corporis ſuccuſſu,conſuetus vrinæ curſus redit, calculus meatum obſerabat. Certiſſimè tamen calculum explorabis candela, aut cathetere in vrinæ viam inſerto, aut digito in anum immiſſo; at non ſine dolore.

Aph.6.l.6. Prognoſis. Omnia autem renum & veſicæ vitia in ſenibus curatu difficillima : ſed calculi curatio planè deſperata.

Curatio.

Indicationes. Vt in cæteris rebus agendis, ita maximè in frangendo & exturbando calculo, antequàm aggrediare, diligens eſt adhibenda præparatio, qua neglecta,ægro plurimum offenſionis impendeat. Corpus enim ſic præparatum comparatúmque eſſe debet, vt tum ventriculus, inteſtina, ac primæ venæ omni recrementorum ſorde vacent,ne illorum in renes fiat traiectio; tum viæ per quas medicamentum decurret, aut calculus excludi debet,ſint patentes ac liberæ. Primùm ergo ſuppreſſa aluus clyſtere mollienda : ita quippe reiectis excrementis dolor aliquantulum miteſcit: & laxatis viis calculus promptiùs excluditur.

Clyſter. ℞. Rad. alth. & lilior. alborum, an. quart. ß. maluar. violar. pariet. ſiſymbrij,

ſiſymbrij, acanthi, folior. cucurbitæ (ſi adſint) an. M. i. paſſul. mund. prunor. dulc. an. par. xv. quatuor ſem. frigid. maior. an. ʒiii. ſem. lini & fœnugr. an. ℥ß. aniſi & fœniculi, an. ʒi. flor. camomil. melilot. & borrag. an. p. i. fiat decoctio: & in colat. ℔i. diſſolue caſſiæ recenter extractæ ℥i. diaprun. ſimpl. ℥ß. vel (ſi aluus nimiùm ſit ſuppreſſa) ſolutiui ʒiii. aut diaphœnici, vel benedictæ, ſi pituita cum flatibus inteſtinum diſtendit, aut tereb. abietis ℥ß. olei amygd. dulc. & chamomill. vel lilior. an. ℥iß. butyri rec. ℥i. fiat clyſter: quo non modò ſemel, ſed ſæpiùs vti expedit. Atque extra nephritici doloris inſultum, quoties excludendus calculus, purgato iam corpore, vehementiùs aperientia clyſteri adiicere conueniet, vt radic. fœnic. & petroſ. raphani folia, ſemin. petroſel. & ciceris. Vel.

♃. Medullæ caſſiæ recenter extractæ, cum vapore decocti maluar. ℥i. vel ʒx. cum ſaccharo cando, fiat bolus, qui per ſe aſſumatur, vel cum decoctione glycyrrh. capill. ven. ſem. frigidor. diſſolutus; addito etiam interdum agarico, ſi quidem aluus mitioribus parciùs ſe remittit, aut indo maiore. *Bolus leniẽs.*

Vomitio præterea ciẽda, niſi ſponte adſit; hæc enim ventriculum, ſummáque præcordia expurgat, & reuulſionis vi antecedentem calculi materiam ſubtrahit. Cietur autem commodè raphani, & atriplicis decocto cum oxymelite. Hippocrati & Galeno venæ ſectio placuit, quod in vehementi dolore venis tumentibus non tam præſentis morbi ratione audiendum, quàm impendentis inflammationis metu. *Vomitus.* *Phlebotome.* *6. Epid. ſ. 1. text. 6.*

Laxantur porrò tum renes, tum viæ per quas deducendus eſt calculus, ac dolor remittitur, fomentis, balneis, cataplaſmate, vnctionibus lenientibus: Sic enim mollitis viis, faciliùs & minore vi excutietur. Fotus quidem ac inſeſſus ex præſcripti clyſteris decoctione comparari poſſunt: quibus in magno cruciatu, & nephritici doloris acceſſione ſæpiùs vtendum, adiectis etiam interdum pro rei neceſſitate quibuſdam narcoticis, vt papauere, & hyoſcyamo. Dein ex horum magmate cataplaſma parandum, adiectâ farinâ lini & fœnigr. cum axungiâ cuniculi & anſeris, atque oleo conuenienti. Vnctiones prætereà conuenient, ex oleis amygd. dulc. chamæmel. violaceo, ſeſamino, nardino, laurino, irino, keirino, liliorum, oleo ex ſemine lini, vel cucurbitæ. At crudeliùs efferato dolore oleum de papau. vtiliſſimum, quemadmodum in aſſumptis recens theriaca, & philonium, Axungiæ gallinæ, anatis, anſeris, butyrum recens. Et vbi excludere conſilium, axungia cuniculi, oleum ſcorpionum, oleum è citri ſemine, quæ hoc modo compones. *Viarum relaxatio, per quas deducendus calculus.* *Externa præſidia.*

♃. Vnguenti reſumptiui recentis, vel dialthææ, ℥iiij. olei liliorum & amygdal. dulc. an. ℥i. miſce. Vel *Linimentum, pro renibus.*

♃. Butyri rec. & axungiæ gallinæ, vel anatis, an. ℥i. axungiæ cuniculi ℥ß. olei ſcorp. & chamæmeli, an. ℥iß. miſce: vngatur regio renum poſt fotum. Implacabiles renum & veſicæ ex calculo & pure dolores, parietaria ex oleo chamæmel. & liliorum in ſartagine frixa, & *Aliud.*

cataplaſmatis formâ impoſita, mirificè compeſcit. Similem opem adfert ſiſymbrium pari modo ſubactum, aut in calenti latere toſtum, vinóque albo (niſi dolor acerbiùs inſtet) conſperſum, ac ſuper renem dolentem impoſitum. Aſſumptis etiam viæ laxandæ, atque in renem aditus reſerandus incidentibus & aperientibus, citra inſignem caloris vim, hoc modo:

Interna præſidia.

Iulep. aperiens temperatus.

℞. Hordei integri p.i. quinque radicum aperient. rad. ononis mundatæ, & liquiritiæ recentis, an. ℥i. capill. ven. ſummit. maluar. an. m.i. paſſul. mund. prunor. dulc. an. p.xij. ſem. melon. & cucurbitæ, an. ʒiij. gran. halicacabi, num. x. aniſi & fœnic. an. ʒß. flor. geniſtæ, maluar. & cucurb. & cicerum rub. an. p.i. fiat decoctio: cape de colaturâ ℔i. in qua diſſolue ſacch. candi, ſyr. capill. ven. & liquiritiæ, an. ℥ij. pulu. diairis ſimpl. ʒi. fiat ſyr. clarific. qui tribus doſibus abſumatur. Deinde caſſiæ ℥i. cum liquiritiæ ℈i. rurſus imperetur. Atque hæc quidem blanda, & lenia medicamenta, quæ ſolas alui fæces emolliunt, citra corporis perturbationem excludendo calculo aptè præmittuntur. Neque temerè ad cathartica progrediare, quibus imprimis affectus exaſperatur, niſi lenientium permixtione temperata ſint: qualia cenſentur pruna, myxaria, tamarindi, ſiliqua Ægyptia, & ſiquid eiuſmodi haberi poſſit, quo tum viæ leniantur, tum antecedens materia ſubtrahatur.

Cathartica nonniſi blanda adhiberi debent.

Terebinth.

Perendie à medicamento terebinthinam Venetam propinare expediet, drachmarum duarum, triúmve pondo, cum pulu. glycyrr. adiectâ, ſi videatur, ſacch. candi portiunculâ. Illa enim & ad præcautionem calculi, & eius excluſionem facit: Quippe molliens, tergens, expurgans, renum obſtructiones, viarúmque anguſtias liberat, & vrinas ciet. At emolliendis ductibus oleum amygd. inprimis accommodatur.

Oleũ amygd. dulc.

Quæ hactenùs protuli remedia, non modò ipsâ nephritici doloris acceſſione ritè peraguntur, cruciatúmque placant; ſed etiam cùm eius deceſſio & intermiſſio, medicamentis calculum frangentibus neceſſariò præmittenda ſunt. At quæ calculum conterant, excludántque, non excandeſcenti, ſed miteſcenti morbo, aut potiùs intermiſſo, tutò præſcribi poſſunt. Nulla igitur huiuſmodi violenta præſidia in tantâ, acceſſionum & dolorum acerbitate adhibenda: ſed duntaxat remiſſionis, intermiſſioníſve tempore, cùm maxima eſt tranquillitas.

Lithontriptica extra paroxyſmum nephriticum sũt vſurpanda.

Iam ergò ita laxatis viis, & patefacto in renes aditu, propriis remediis poſteà vtendum, quæ vrinas ducant, calculum comminuant, excludántque. Primùm quidem lenioribus, Deinde vehementioribus, renum calculus paulatim atterendus, alioqui fruſtrà expellere tentes. Vbi iam durior & maior penitùs ſubſtantiæ renum impactus eſt, & quaſi actis radicibus altiùs inhæſit, fruſtrà oppugnatur. Qui verò non ita obduruit, nec confirmatus eſt, paulatim confringendus & excludendus eſt.

Quinam calculi renum comminui expellique poſſint.

Remediorum enim alia atterunt, alia exturbant calculum, veluti quæ vrinas mouent, quædam vtrumque faciunt. Quæcunque id præſtant, aut manifeſtis qualitatibus eam vim exerunt; aut abditâ ſubſtantiæ proprietate, aut vtroque modo. Manifeſtâ vi calculum propriè frangunt, quæ attenuant & incidunt, nullo exuperanti calore, nulláque inſigni ſiccitate: qualia ſunt quæ ſubſtantiâ prætenui

Manifeſtâ vi calculũ frangentia.

tenui angustas admodum vias subeunt; interdum quidem frigida, vt limonum succus, radix asparagi; sæpiùs verò mediocriter calida, sed quadam annexâ lenitudine. Quæ enim siccant nimium, acrioráque sunt, violento calore concretum iam calculum magis excoquunt & obdurant; qui occallescens inexpugnabilis euadit: huiusmodi sunt quæ diuretica propriè nuncupantur. At verò calculos incipientes atterunt, & illorum rudimenta, quæ iampridem ex arenularum adhæsu leuiter concreuére, dissoluunt, eximúntque; arenulas pariter exturbant, quæcunque vrinas validè mouent. Diuretica enim sunt, quæ tenuitate substantiæ ac siccitate sanguinem attenuant, serúmque secernunt, atque in renes deducunt, acrem ex parte sortita qualitatem; vt apium, fœniculum, petroselinum, daucus, asarum, pastinaca, &c. Quare hæc tum præcautionis gratiâ ritè præscribuntur, impendentémque calculum arcent: quandoquidem renes & vrinæ ductûs abstergendo, incidendóque expurgant, actū exorientes cálculos confringunt, tum firmatos & solidiores, iam propriis medicamentis detritos, exturbant. Sed & commodè lenientibus, vt bombacis & maluæ semine, frigidísque diureticis, vt melonum & cucurbitæ semine, temperata, confirmatis calculis etiam frangendis in compositione aptantur. Ipsa verò per se sola ac simplicia calculum obfirmant. Atque ea quidem diureticωn & lapidem comminuentium obseruatio; quæ omnia manifestis qualitatibus agunt. Hoc autem genere continentur, mitiora quidem, betonica, chamædrys, lupulus, althææ decoctum, capillares herbæ, asparagus, radix rubi, graminis, rusci. His accedunt rad. fœniculi, petroselini, apij, quæ propriè vrinas cient, rad. capparis, cyperi, pentaphylli, tamarisci, calamus odoratus, raphanus, & eiusdem aqua, succúsve cum vino albo, saxifragia, pimpinella, pilosella, filipendulæ radix, cortex radicis ononis, eiúsque stillatitius liquor præpotens, & fragorum, quemadmodum ex stillantibus vitis lachrymis collecta aqua, herniaria, sion, sisymbrium aquaticum, crithmum, parietaria, semen lappæ quæ philanthropos, halicacabi rubentia grana, cucurbitæ cinis, flos mori albi, hyperici, flos genistæ, eiusdem stillatitia aqua, & conserua, sed inprimis illius semen; chamæmeli flos, ciceris rubri & nigri ius, lithospermon, tribuli vtriusque semen, maximè terrestris, semen cucurbitæ, melonum, &c. semen apij, seseleos, hyperici, fœnugræci, fructus cynosbati, detractâ interiori lanugine, cortex medius coryli, baccæ lauri & iuniperi, nardus omnis, præcipuè celtica. Fortiora, iris, scilla, enula, cortex radicis lauri, gentiana, aristoloch. asarum, daucus, meon, peucedani radix, phu, smyrnium: quorum omnium acrimonia quatuor frigidis seminib. cōpescenda, & lenientib. quibusdam, vt ziziphis, myxariis, passulis, amygd. nucleis pineis, gummi amygdalino, althæ. semine, aliísq; remittenda est, lignum sanctū, quod iustâ quidē ratione efficax est; virtute scilicet incidente, astringente, & leniente, qualia esse oportet quæ calculosis imperantur. Succus limonū, qui & calculum frāgit, & calida tēperat, sed Cretico vino mixtus, renes infarctu expeditiùs liberat; radix oxalidis, oxymel scilliticū, & acetū scilliticū eōdē spectāt. Iis adduntur tereb. eiúsq; aqua, & oleum.

Diuretica propriè dicta, vt differant à lithontripticis.

Lithontripticωn blandiorum materia.

Lithontripticōn validiorum materia.

Abditâ ſubſtãtiæ proprietate calculũ frangentia.

Reconditâ facultate lapidẽ frangunt, excludúntque ſanguis hircinus arte præparatus, ſeſquidrachmæ pondo ex vino albo , lapis iudaicus in cote tritus ʒi. pondere ex oxymelite, lapis in ſpongiis repertus, lapis lincis vocatus , lapis in capite limacis ſine cochlea, ſemen paliúri, ſuccus portulac. electrum, gummi ceraſorum, & eorum nuclei , atque perſicorum, cinis leporis, eiuſdémque pellis & renes, ita ſicci vt atteri poſſint. Quinetiam maxilla lucij piſcis, (brochetum nominant) drachmæ pondere ex vino albo ; vermium terrenorum cinis , & aſellorum, cinis vngulæ equi, motacilla auis, tremula vocata, decoctum galli curſu fatigati, cinis ſcorpionum, qui horrendo odore grauis ; cicadæ aridæ; axungia ſerpentis, & ſumpta ex vino albo, & impoſita.

His accedunt quæ nonnulli exiſtimant ſuâ aſperitate ſummam calculi faciem abſtergere, & attritu comminuere, vt vitrum vſtum, teſtæ ouorum excluſis recenter pullis. Item cancrorum & cochlearum detrita putamina, auellanæ cortex in puluerem redactus, & meſpilorum nuclei attriti, cinis corticis auellanæ.

Compoſ. officinales nephritica.

Ex iis componuntur extantque medicamenta huiuſmodi in officinis aſſeruata : ſyrupi capill. ven. è glycyr. de limonibus, elect. diaſpermatωn, lithontribon, elect. ducis, Iuſtini. At multò plura & excellentiora, quæ Medici induſtriâ comparari poſſunt.

Leges in præſcribendis nephriticis auxiliis obſeruandæ.

In iis autem præſcribendis, ſimplicia præſtantiſſima & præcipua, tanquam remediorum baſes , primum conſtituito, quibus cætera innitantur : Deinde alia accommodato , quorum permixtione iuuetur vis illa effectrix , vt cientia vrinas , quæ illorum effectum promoueant. Tertiò, prauam medicamenti qualitatem & acrimoniam benigniorum permiſtione obtundito. Renum ſiccitatem, ſcabritiem, viarum aſperitatem leuigato iis quæ leniunt & refrigerant, vnde ardor vrinæ miteſcat, & calculus atque arenulæ faciliùs exeant. Denique nonnihil vel minimum ſubaſtringentis, lentæue ſubſtantiæ adiicito, quò & partis robur firmetur, & medicamentum renibus diutiùs inſidens fœliciùs vires ſuas exerat. Ita quippe flos mali punici, aut roſa , aut nardus, aut maſtich. aut tragacanth. ſed maximè ceraſorum gummi, interdum calculorum remediis inſeri ſolent: quæ aromatis cuiuſdam, vt cinnamomi, macis, ſuauitate iucundiùs condiuntur. Sed iam particulatim compoſita attexantur: Horum alia liquida ſunt, alia ſolidiore formâ imperantur. Ac primum de liquidis.

Syrupus aperiens.

Præſcriptiones aliquot nephriticæ, liquidæ formæ, per os ſumendæ.

℞. oxymel diuretici, vel ſcillitici, & ſyrupi de limonibus, an. ℥i. decocti betonicæ, adiant. milij ſolis, & cicerum rubrorum, ℥iiii. miſce, fiat ſyrup. clarific. & aromat. cum ℈i. ſpicæ, vel macis, vel cinnamomi, cuius ſtillatitia aqua eximiè calculos minuit. Succus item parietariæ ſeſquiunciæ pondo hauſtus cum vini albi ſemuncia, calculoſa renum rudimentã abſtergit efficaciſſimè.

Apozema

Apozema calculum confringens.

℞. rad. apij, fœniculi, petroſelini, raphani, glycyrrh. recentis, & corticis radicis ononis, an.℥i. (vel rad. pentaphylli, enulæ campan. radic. rubi, althææ, cyperi, & calami aromat. pares modos) ſaxifragiæ veræ (aut eius vice, pimpinellæ) auriculæ leporis, parietariæ, herbarum capillar. ſummitatum lupuli, turionum, aſparagi, crithmi, betonicæ, an.M.i. paſſ. mundatar. par.xv. iuiubar. & ſebeſten, an.par.viii. milij ſolis, ℥i. ſem. paliúri, (ſi quidem verum habeas) aut illius loco, nucleorum ceraſorum, ʒvi. granor. halicacabi ℥ß. quatuor ſem. frig. maior. contuſ. an.ʒiii. ſem. petroſelini, fœniculi, dauci, ſeſeleos, an.ʒii. ſem. bombacis, maluæ, & endiuiæ, an.ʒiß. cicerum rub. flor. geniſtæ, mori albi, (ſi queat haberi) aut hypericonis, an.p.i. fiat decoctio in duabus partibus aquæ, & vnâ vini albi: & in colaturæ ℔iß. diſſolue ſyr. limonum, & ſacchari candi, an.℥iii. pulu. cinnamomi interioris, ʒii. fiat apozema clarificatum, ſumat ℥vi. vel vii. pro doſi, triduo.

Potio lapidem proterens.

℞. Præſcripti apozematis ℥iiii. in quibus diſſolue confectionis lithontribon ℈ii. ſang. hirci ſecundum artem præparati, vel lapidis Iudaici, ℈i. miſce fiat potio, detur. Quo tempore inſeſſu ac fotu præſcripto partes laxandæ erunt. Aut.

℞. Electri, lapidis ſpongiæ, vel lyncis & pulu. ſaxifragiæ, vel pulu. corticum ononis, an.ʒß. ſyr. de radicibus ℥i. ex aqua geniſtæ, vel raphani, vel parietariæ, fiat potio, exhibeatur poſtridie ab emollitâ aluo ex caſſia: vel hauſto maluarum decocto, atque oleo amygdalarum dulcium. Alia.

℞. Electuar. ducis, & pulu. Iuſtini, an.ʒß. (aut in calidiore renum conſtitutione, alterius loco, diaſpermat. pulu. glycyrrh. & vitri combuſti, ℈i. vini albi, ℥ß. cum aqua conuenienti, fiat potio. Vel.

℞. Terebinth. in calenti latere inuſtæ, vt infriari poſſit, ʒß. lapidis Iudaici, & pulu. caudæ tremulæ, an.℈i. cum aqua fœniculi, & capill. veneris miſceto. Atque hæc quidem liquidiore formâ præſcripta in repentinis exturbandi calculi occaſionibus vſurpantur commodiùs. Solidiora verò in frequentiores vſus, vt lapidicina extirpari queat, ex interuallis aſſumenda reſeruantur: idque aut pulueris, aut electuarij, aut opiatæ formâ.

Præſcriptiones nephriticæ, formæ ſolidioris, per os ſumendæ.

Puluis, & electuar. quod renum & veſicæ calculos abigit.

℞. Cort. rad. ononis in vmbra exſiccatæ, & ſang. hirci ſecundum artem præparati an.ʒii. lap. Iudaici, lap. ſpong. vitri combuſti, cineris leporis, cineris ſcorpionum, teſtæ ouorum in exactiſſimum pollinem

redactæ, cyperi,& gummi Arabici,an.ʒi. gummi cerasorum,sem. petrosel.dauci, milij solis, pulegij, sem.althæ.& glycyrrh. an.ʒiß. cinnamomi interioris, spicæ nardi, piperis nigri,macis, an.ʒß. fiat puluis, cuius ℈ii. aut ʒi. cum liquamine accommodato exhibeto; aut cum sacchato in aqua betonicæ dissoluto, electuarium conformato. At si calor renes exerceat, idem puluis detur ex decocto sem. melonum, ziziphorum, addito maluæ tum semine, tum flore, ac rubro cicere. Horum autem nihil priùs experiendum quàm pridie vel clystere,vel deiectione ex cassiâ, prima corporis regio exoneretur solutáque sit. Ita verò nos præcautionis, curationísque ratione per circuitûs quosdam arenulas exturbamus,& calculos comminuimus proximis duobus præsidiis.

Opiata leuiter purgans præmittenda calculum frangenti.

℞. cassiæ recenter cum vapore decocti summitatum maluar.extractæ, ℥iii. pulpæ sebesten extractæ cum aqua halicacabi, vel decoctione glycyrrh.℥ii. agarici albi & fœminæ,aut in oxymel. scillitico infusi, aut in melle rosato,donec mollescat,ʒii.rhabarb.vino albo macerati ʒiß. cinnamomi interioris ℈ß. anisi parem modum, cum syr.rosat. laxatiuo reducantur ad formam opiatæ, de quâ capiat ad quantitatem ℥i. ter in mense, per se, vel dissoluendo cum decoctione galli antiqui,aut endiuiæ & capill.veneris.

Opiata calculos exterens & depellens.

℞. Pulpæ passul. ℥ii. conf. capil.ven. ℥i. conseru.eryngij,& flor.genistæ. an.℥ß. pulu. herbæ auriculæ leporis,& pulu. ononis,an.ʒii. sang. hirci ex arte præparati,vitri vsti, lap. Iudaici,lap. spongiæ,& milij solis an.ʒiß. betonicæ siccæ,sem. saxifragiæ & cineris scorpionum(vel si nimiùm sit ingratus,cineris leporis,aut motacillæ auis)an.℈iiii.gran.halicacabi, & medullæ quatuor sem. frig. maior. minutim incisorum, sem. apij,sem. fœniculi & petroselini, an.ʒi. sem. bombacis & maluæ, gummi cerasor. succi glycyrr. & pulueris eiusdem,an.℈ii. cum syrup. de limonibus & de quinque radic.conformentur in modum opiatæ, ex qua ad quantitatem castaneæ detur, superbibendo tantillum vini diluti aquâ raphani,vel parietariæ,vel cretæ marinæ.

Si alio modo componere tibi sit animus, en Opiata leniens.

℞. Diaprunis simplicis, & cassiæ recenter extractæ, an. ℥iß. pulpæ passul.& sebesten, an.℥ß. pulu. glycyrrh. ʒiij seminis fœniculi ʒß. syr. capill. veneris q. s. vt reducantur in formam opiatæ. Hæc mitissima est.

Opiata

Opiata calculo atterendo idonea.

℞. Pulu.elect. iithontribon ʒii. pulu. Iustini ʒiß. ſang. hirci vt decet præparati, & pulu. leporis vſti,lap. iudaici, milij ſolis,gran. halicabi, ſem. raphani & ſaxifragiæ, an. ʒi. ſem. petroſel. apij, dauci,an. ℈ii. calami odorati, betonicæ ſiccæ,& cyperi,an. ʒß. ſem.maluar. melonum, & cucurbitæ, mundat. an.℈ii. ſpicæ nardi, & cinnamomi, an.℈i. melle deſpumato excipiantur.

Aqua ſingularis, ad eadem valde efficax.

℞. corticum recentium radicum ononis,℔ii.glycyrrh.recentis ℔iß. minutim in ℔iiii. vini cretici macerentur. Deinde adiicito mellis roſ. & tereb. Venetæ, an. ℔i. iuiubar. ſebeſten, & nucleorum pini,an. ℥iiii. fructuum rubentium halicacabi, ſeminis melonum, apij, petroſelini, & milij ſolis,an.℥ii. flor.maluar.geniſtæ recentium,vel fabarum & hyperici,an. p.iiii. factâ radicum infuſione, ſemina ac reliqua ſolida conquaſſentur,cæteriſque miſceantur. Deinde alembico vitreo,in aquâ calentis balnei collocato eliciatur aqua, quæ ſelibræ pondere, aut ℥v. hauſta, calculos atterit, detritóſque pellit, & arenulas, nullâ qualitate noxiâ in corpus inductâ ſtrenuè excludit.

Hæc Confectio magnam vim adfert.

℞. ariſtol. dauci, iris, ſchœnant. carpobalſami, ſpicæ nardi, croci, méi, chamædryos, adianti, ameos, origani, carui, ſeſeleos, tragacant. corticum rad. cappacis & aſparagi ſiccorum, ſem. fœniculi, ſcillæ aſſæ, piperis albi, an.ʒi. lap. ſpongiæ, & ſang. hirci præpar. an. ℈iiii. ſemin. melonum, & cucurb. mundati & minutim inciſi, an. ʒiß. granor. pini recentium, ad pondus omnium, trita conficiantur cum melle deſpumato, & fiat electuar. molle, aut cum ſyr. de glycyrrh. dentur ʒii. quotidie manè. Cæterum vbi iam enarratis remediis, calculum eximere contendimus. Vtiliſſimum fuerit extrinſecùs etiam quæ eodem ſpectant fomenta, inſeſſus, & vnguenta admouere, vt coniunctim omnibus illis in vnam effectionem conſpirantibus, expeditior ſequatur effectus.

Externa remedia nephriticorum & calculoſorum.

Balnei decoctio ita deſcribi poteſt.

℞.[a] Maluar cum toto, parietar. ſiſymbrij, fol.braſſicæ, ſummitatum fœniculi, petroſel. & rad. eorundem, ſummitatum anethi, an. M.iii. ſemin. lini & fœnigr. an. ℥iii. aniſi fœnicul. ameos, an. ℥ß. quatuor

ſem.

ſem.frig.maior.an.℥iß.milij ſolis,& gran.halicacabi,an.℥ij. flor.chamæmeli, meliloti, an.p.i. decoquantur in tribus aquæ partibus & vnâ vini pro inſeſſu, in quo reſidens laborans ad vmbilicum vſque idoneam potionem hauriat. In vniuerſum fotûs ac inſeſsûs comparari poſſunt tum ſedandis doloribus, tum ciendis vrinis, tum comminuendis calculis apti,ex radicibus liliorum,althææ,raphani,fœniculi,eryngij,petroſelini, arthemiſiæ foliis,additâ maluâ,parietaria,ſiſymbrio,pimpinella,crithmo, atque(niſi impendiò caleant renes)origano, betonicâ, naſturtio, cymis fœniculi,& petroſelini,ſem.lini, fœnigr. cum flore chamæmeli ac meliloti: foueatur regio renum,pubis,ac perinæi; deinde vngatur ſubſcripto vnguento.

Fotuum ac inſeſſuũ materia.

Vnguentum calculo excludendo aptum.

℞. Olei liliorum,& ſcorpionum,an.℥iij.mucag.ſem.alth.& axungiæ cuniculi,an.quart.ß.cineris ſcorpionum,axungiæ vitri,& ſang.hirci arte præparati,an.℈ii. miſce, & fiat illitus manè & ſerò. Eadem regio calido hirci ſanguine vtiliter inungitur. Quinetiam illinitur aptè oleo chamæmelino,cui geniſtæ flores præmaduerint, in vaſe fictili,fimo circumſepto. His ſi nondum dimoueatur, cucurbitulâ affixâ recto vreterum progreſſu ad ilia,plerunque deturbatur in veſicam. Calculus autem veſicæ inſidens non ſolùm aſſumptis iiſdem & admotis, paulò tamen vehementioribus,ſed etiam immiſſis,vt iniecto ſcorpiorum oleo, atteri ac excludi debet. Sunt qui calentem leporis aut vulpis ſanguinem in veſicam coniici probent.

Cucurbitula ilibus affixa.

Epilogus.

Collectis ergò rebus omnibus, hanc curationis ſummam facio. Primùm clyſtere aluus mollienda.Leniendus venter è caſſia.Vomitio concitanda.Laxandæ viæ anodynis.Deinde leuiter incidentibus & aperientibus,calculus ad excluſionem præparandus,paulatimque gradus faciendus ad ea,quæ vehementiùs extergent,attenuant,calculúmque comminuunt & expellunt. Quibus tum maximè vtendum, vbi iam remittitur dolor,& calculus loco dimouetur. At ſi iis quæ bibuntur nihil proficitur;cucurbita renibus primum,deinde perinæo & inguinibus affigenda, quâ lapis detrahatur,pacato priùs dolore,relaxatis partibus,nullâque inflammationis ſuſpicione. Si verò neque hoc etiam remedio exit calculus; ad initium curationis,quaſi periodo quadam redeundum. Iam ſi in veſicam deſcenderit, validis tam aſſumptis & admotis, quàm immiſſis excludendus. Sed dum illinc, deſcriptis remediis, præſertim validioribus, extrahi non poteſt, (fortiora namque efflagitat, quibus vel iteratis plerumque non cedit) tum neceſſariò manum deſiderat.

Methodus calculi renum excludendi.

Calculum veſica excludendi ratio.

Itaque ad ſectionem deſcendere oportet;verùm non temerè, nec ſine iudicio. In chirurgia & ſecandi conſilio videndum quâ parte ſit, & an ſine periculo extrahi poſſit, an pertinaciter hæreat; an ſit in veſicæ ductu. Quinetiam multa alia in conſilium vocanda, virium robur, ætas, ſexus, (quòd viris quàm mulieribus, ob viæ flexum difficiliùs extrahitur) tempus, & quæ eodem ſpectant. Alioqui iis minimè perſpectis, mors irruit: Quia febris, inflammatio, conuulſio, præſertim ſi lapis ſit iuſta ſectione grandior, quem intrà frangere inſtrumentis oporteat. Quanquam & qui perexiguus eſt non facilè eximatur. Diſſecandi ea ratio & forma tenenda, iſque apparatus inſtituendus, quem Paulus lib.6.cap.60.pleniſſimè expoſuit.Sed interim eruto calculo,diligenter attendendum, ne quæ ſuperſint lapidis reliquiæ; quin potiùs omnes vel minimæ apto cochleari per veſicæ cauum & circumlatera verſo, comprehendendæ, & extrahendæ ſunt: ſiquidem hæ rurſum in priſtinam molem excreſcerent.

Lithotomia.

Cap.60.

Victus ratio.

Calculum præſentem minuit, impendentem arcet moderatus, ac tempeſtiuè ſumptus cibus, qui & boni & tenuis ſit ſucci: Vitanda igitur omninò cruditas, nimiáque ſatietas eſt, & quæcumque craſſiorem humorem gignunt, præcipuè oriza, amylum, caſeus, lac, oua, caſtaneæ, legumina, excepto ciceris iure, frumentacea omnia, glutinoſa & pinguia, omniáque acerba; maiorum animantium carnes, aues paluſtres, & piſcium vſus; vinum item nigrum, turbidum & dulce, aquæ tum impuræ, ac cœnoſæ, tum crudiores & vehementer frigidæ; hæc quippe materiam calculo ſuggerunt. Vitanda nihilominùs ſupra modum calida. Apta verò ſunt iis contraria. Vinum tenue & album, aqua puriſſima. Ex volucrum genere perdices montanæ iuniores; coturnices ſuâ naturâ, attagenæ, turdi, merulæ, ficedulæ, laudatiſſimus paſſer troglodytes, & paſſerculi in turribus degentes, & pulli columbini, & gallinacei, & gallinæ in editioribus locis connutritæ, & lepuſculi, & hœdinæ carnes,præcipuéque renes; ſimili modo ex piſcibus, ſaxatiles; & ex maritimis herinacei recentes, gammari, & cancri. Ex fructibus & oleribus, quæ maximè vrinam mouere conſueuerunt; vt ficus, piſtacia, amygdala, ſtrobyli, melopepones, ceraſia, vuæ paſſæ, petroſelinum iuſculis incoctum, ſcolymi radix, paſtinaca & ſion, & crithmon aceto conditum, capparis, geniſtæ flores tenerrimi aceto conditi; (anonidis cauliculi, antequàm ſpinis muniantur, ſale conditi; ſiſymbrium, aſparagus, & tenerrima fœniculi germina culturâ candicantia, quæ acetariis immiſcentur: ſed interim adhibitâ obſeruatione, in qua maximè peccatur, ne vlla ſubſit in ventriculo, aut primis venis, cruditas, quæ illorum vſu in renes rapi, impellive poſſit. Cúmque huiuſmodi vitæ ratio extenuet, gracilibus vix citra corporis tabem decerni

Alimenta noxia calculoſis.

Alimenta boni commatis.

Diureticorum vſus non eſt tutus, niſi purâ prima corporis regione.

cerni poteſt, niſi refrigerantium vſu quodammodo temperata ſit; vt cremoris hordei crebro eſu, adiecto melonum ſemine, amygdalis, & ſaccharo. Vitandum omnibus eſt otium, & exercitatio, quàm mox à cibo, & ſomnus diurnus, & nocturna vigilia, decubitus ſupinus, concubitus nimius ſtatim cibum ſequens, & quidquid lumbos arctiùs cingit, renéſque premit, infirmat, aut impenſiùs calefacit. Prima autem eius curatio eſt exercitatio, quæ ſemper antecedere cibum debet. Si lucubrandum, non poſt cibum id facere, ſed poſt concoctionem, oportet, non tam inflexo & ſedente, quàm erecto corpore. Magis verò grauibus locis, nubilóque cœlo iſta ſeruanda ſunt: Atque vrbanis & literarum cupidis eò maior obſeruatio neceſſaria, quò ſæpiùs calculis affliguntur; vt quod vel corporis, vel loci, vel ſtudij ratio detrahit, cura reſtituat.

Exercitatio. *Parodia verborum Celſi, l.1.c.2.*

CAPVT XXXVIII.

De Inflammatione Renum, ac Veſicæ.

INflammatio non ſæpè in renes incidit, quòd denſâ compactáque ſubſtantiâ firmati, non facilè irruentis ſanguinis fluxum recipiant. Quandoque tamen ea obtingit, lumbis ictu vel caſu violentiùs concuſſis, aut nimiâ ſarcinâ grauatis; aut renibus violentâ equitatione attritis, ac ſanguine, doloris vi, ab emulgentibus venis eò pleniùs confluente. Euidentes hæ cauſæ fluxionem promptiùs concitant, ſi prætereà ſanguis aut multus, aut tenuis, aut acer fuerit, & renes vel naturâ, vel morbo imbecilliores ſint.

Cauſa inflãmationis renum, ſeu nephritidis.

Nephritis calore deprehenditur, & graui pulſantéque dolore in renum ſitu defixo; niſi quòd partium adhæſu, longè latéque in vicina præcordia, extremas coſtas, lumbos, coxendicem, & directum teſtem protenditur. Atque hæc omnia decubitus in affectam partem lenit, in aduerſam exaſperat. Tum quippe grauitatis, ac moleſti ponderis ſenſu ex ſuſpenſa phlegmone, adhærentes membranæ diuelluntur; ſed quàm grauiſſimè, ægro in ventre decumbente. At multò acerbiùs dolor exacuitur, vel tuſſi, vel ſternutamento ſuperueniente. Laborans pedibus inſiſtere non poteſt, neque ob lumborum contentionem, corpus erigere. Cruris etiam, quod è regione affecti renis eſt, torpor quibuſdam ineſt. Frequens meiendi deſiderium cum ardore, vrinam primò tenuem & paucam, deinde craſſam & coloratam emittens. Aluus nonniſi difficilè exit, ac interdum dies multos ſiſtitur; vnde etiam venter inflatur, ſi phlegmone inſignis eſt. Præter hæc, febris adeſt aſſidua, nullo ordine excandeſcens, neque vehementer adurens: ſed inæquali horrore & rigore laboranti grauis, ſæuíſque comitata ſymptomatis, maximè verò nauſeâ, vomitione aliàs bilioſâ, aliàs pituitoſâ, cibi faſtidio atque ructu,

Signa inflãmationis renum. *Vide Aëtium lib.11.c.16.*

ructu, & stomachi, & capitis dolore: Interdum etiam extremorum frigore, lipothymiâ, vigiliis, ac mentis alienatione. Hæc porrò inualescunt, sanguine in pus transeunte, horroresque subeunt; remittuntur autem, confecto iam pure, ac maturata phlegmone: sed grauitas in parte nihilominùs persistit, dum tandem vrina crassa, turbida, subcruenta, & multa profluxerit.

Signa inflammationis vesicæ. Horum signorum plurima in vesicæ, aut sphincteris musculi phlegmone spectantur: Nam & acutus dolor, ardórque ingens in perinæo premit, quo loci cutis plerunque circuntensa rubescit: & febris ardentior, mentisque alienatio, ac varia vomitio inest. Sed vrina auctiore malo supprimitur, tametsi huius reddendæ inanis libido continenter lacessit. Quin & sæpè dolor genitalem partem exercet. Raró quidem vesicæ corpus inflammationem experitur; quòd tenue, frigidum, ac membranosum sit; nisi accersita defluxione, vi doloris quem aut scaber & inæqualis calculus, aut irritatum vlcus, aut acerrimum medicamentum, vel acris salsique humoris adhæsio mouit. *Causa inflammationis vesicæ.*

Curatio.

Indicationes. Renum & vesicæ inflammatio generatim & vniuersè aliarum more curanda. Fluxionis quidem initio astringentia medicamenta, quæ hanc depellant, sola ex vsu sunt. In statu digerentia & anodyna, incremento verò vtraque permixta. Particulatim hac incipiente, quàm mox fluxionis impetus, venæ sectione, cucurbitulis, frictionibus oppositarum partium, vinculis inhibendus. *Venæsectio.* Recens renum inflammatio, quam copia sanguinis comitatur in venis, ex interiore cubiti reuellatur, dextri quidem, si ren dexter; sinistri, si sinister afficitur. Quum verò non immodica plenitudo premit, aut non ita recens, præcépsque est, aut fluxio remissior; tum quidem tutiùs validiúsque ex inferioribus, quæ è directo sunt, vel in poplite, vel in malleolis retrahetur. *Cucurbitula.* Sed & cucurbitulæ humeris potiùs admouendæ, si renes inflammantur: cruribus, si vesica phlegmone correpta est.

Sic tamen opportunè vena secanda, vt vel præmittatur, vel quàm mox iniiciatur clyster.

℞. Maluar. violarum acanthi, brancæ vrsinæ, althæ. cum toto fol. cucurbit. aut lactuc. ana M. i. quatuor semin. frigid. maior. ana ʒiij. anisi ʒß. semin. lini ℥ß. prunorum dulc. par. xx. flor. violar. nymphææ, buglos. & ros. ana p. i. fiat decoctio in aqua hordei, & in colat. ℥viij. dissolue medullæ cassiæ, & sacchar. rubr. ana ℥i. olei rosati (aut progresso morbo, olei violati) quart. i. fiat clyster: supponatur ante sanguinis missionem; quo etiam pigrior aluus toto morbi decursu commodè moueri potest, hordeo insuper addito. Nec vsquam quæ aut nitrosâ substantiâ, aut acrimoniâ proritent, in clysterem conferri debent.

Bolus ex cassia.

℞. Medullæ cassiæ recenter extractæ ʒx. cum saccharo, fiat bolus, horâ vnâ ante cibum assumendus, vel dissoluendus in decocto hordei, aut sero lactis. Quinetiam præceps humorum cursus in inferiora, vomitione reuellitur: si præsertim ventriculus nauseabundus sit. Extrinsecùs autem repellentibus, & mediocriter refrigerantibus, fluxionis impetus coërceri debet, vt succis, vel aquis lactucæ, portulacæ, plantaginis, solani, polygoni, lenticulæ aquæ, semperuiui, vmbilici vener. bursæ pastor. intybi, psyllij, & similium. Conferunt etiam olea violarum, rosarum, myrti, cydoniorum, nenupharis, de papauere, cum aquis succísve, & cum aceto immixta, quibus imbuta linteola, insternantur lumborum regioni.

Vomitio.

Topica principio inflammat. renum, apta.

Epithema.

℞. Succi semperuiui, lactuc. & solani, ana ℥ij. olei myrtini, rosac. & de nenuphare, ana ℥iß. rasuræ cucurbit. ℥i. santal. albi & rubri, semin. portul. & papaueris albi, ana ʒiß. corall. rubri ʒi. myrtill. & rос. rubr. ana ℈ij. aceti vini albi ℥iß. misce, illinatur regio renum.

Aliud:

℞. Olei rosati omphac. aut cydonior. aut lentiscini ℥iij. succi plantag. & lenticulæ aquæ, aut portul. ana ℥iß. albumina ouorum, num. ij. aceti ℥i. misceantur.

Aut Vnguenti forma.

℞. Olei myrtill. de semin. lactuc. & rosacei, ana ℥ij. succi semperuiui, & bursæ pastoris, & aceti albi, ana ℥ß. spodij ℈iiij. myrtill. ℈ij. trochisc. è caphura gran. v. vngatur regio renum frigidiusculè. Eodem spectant rosaceum vnguentum, ceratum album Gal. & santalinum elota, succísque refrigerantibus aucta. Hæc renum inflammationes, fluxionésque reprimunt: Eadem renum & lumborum ardores extinguunt, hincque exortas sanguinis mictiones cohibent, atque in diabete vrinæ profluuio medentur.

Topica principio inflammat. vesicæ idonea.

Vesicæ autem malè affectæ eadem remedio sunt, maximè primo phlegmones insultu. Alioqui si iam increuerit, mitiora, & quæ refrigerent quidem, sed aut nihil, aut parum astringant, eligere conuenit: quale oleum rosaceum, è nymphæa, violaceum, cum succo endiuiæ aut solani, ac rasurâ cucurbitæ, aut mucilagine psyllij, & cydonior. Quæcunque refrigeratio & astrictio, vesicæ inflammationi accommodabitur, leuis & breuis esse debet, quòd exanguis, membranosáque illius substantia frigoris occursu grauiùs offendatur; quódque remediorum astrictione, vrinæ difficultas celeriùs intercidat. Vicinas tamen partes oxyrhodino perfundere, atque renes & iecur cerato Galeni, aut aliis quæ diximus, refrigerare vtilissimum est.

Assum

Assumpta.

Iam verò quacumque in parte phlegmone consistat, assumptis. Præterea humorum feruor, primo quouis tempore extingui, impetúsque sanguinis sedari debet, iis quæ refrigerant, quæ humorum acrimoniam retundunt,& bilis influxum arcent: qualia habentur hepatica,admixtis quibusdam astringentibus. Itaque syrupo granatorum, de agresta, myrthino, de rosis siccis vtendum. Deinde violaceo, nymphææ, syrupo è papauere,præsertim vbi dolor, ardórve immaniùs excruciat.

Syrupus refrigerans.

℞. Syrupi myrth. & de nenuph. ana ℥ii. syrup. endiuiæ simpl. ℥i. aquar.plantag.& ros.an.℥iiij. aquæ cichorij,vel portul.℥ij. pulu.triasant. ʒi. misce, fiat syr. clarific. pro tribus dosibus.

Apozema.

℞. Folior.plantag.portul.lactucæ, vtriusque cichorij cum toto,oxalidis, & bursæ past.ana M.i. prunor.dulc.par,xij. pulpæ tamarind.elector. ℥i. sem.papauer.albi, plantag.& portul.ana ʒiij.semin.berber.& granor. sumach, ana ʒij.rosar. rubrar.flor.nymph.& violar.ana p. i.fiat decoctio: & in colat. ℔. i. dissolue syrupi de rosis siccis,& sacch.solidi, ana ℥iiß. pulu.triasant. & trochisc. de spodio cum sem.acetosæ, ana ʒß. fiat syrupus mediæ decoctionis, clarific. pro tribus dosibus. Inflammatâ vesicâ, astringentium modus imminuendus est. Cæterùm quoniam dolor plerunque vehementiùs vrget, ísque astringentibus non parum exasperatur, præsertim auctâ inflammatione, tum quidem leniendus: ac vel clystere, vel vnguento, vel fotu compescendus, cui althæ. meliloti, anethi, violæ purpureæ, ac similium magna vis insit; additâ interdum narcoticorum vi, vt psyllij & papaueris, aut foliorum hyoscyami tantillo; præcipuè si ægrum dolores sæuiùs torquent.

Dolore vehementiùs vrgente, anodyna vsurpanda.

Quinetiam si renes exardescunt, necessarium est vnguentis, aut epithematis, opij grana duo, triáve, croci vnico gran. correcta immiscere, aut vnguento populeo & rosato vnà cum rosaceo mixtis, lumbos illinere. Sic oleum papaueris, chamæmelino, aut violaceo temperatum, vtiliter imponitur.

Vnguentum anodynum.

℞. Olei nenuph. de semin. lactucæ, & amygdal. dulc. ana ℥ij. olei viol. & lactis mulieris, ana ℥i. spodij & santali albi, ana ʒi. ceræ quantum satis, fiat vnguentum; cui, si videatur, addes mucag.

Clyster anodynus. *Narcotica.*

psyllij, ℥i. Probatur ex lacte clyster anodynus, aut quiuis alius ad intestinorum inflammationem descriptus. Si nec iis doloris acerbitas cesset, opium erui magnitudine, cum modica myrrha & croco lanæ illitum, in podicem indere oportet, præcipuè si vesicam dolor malè habet. In id etiam philonium Romanum, siquidem renes igneo calore conflagrare videntur, aut puluis requiei, aut syrup. è papauere, aut è nymphæâ, assumpta conferunt: aut lacteus sem. frigidorum cremor, ac psyllij. Quo tempore condita, aliàque interna ad iecoris ardores dicata benefaciunt. Quinimò inflammatâ vesicâ, non solùm in statu, sed quouis etiam morbi tempore, quum vrina supprimitur, chalasticis vtendum, ipsáque methodus inuertenda. Nam vbi inflammatio concepta peruasit, ægrè lotium redditur, quæ causa acerbiores dolores mouet. Itaque adhibendi fotûs, qui interceptum vrinæ cursum reuocent, quales ad Ischuriam descripsimus. Adhibenda item quæ ex illorum magmate parantur cataplasmata, aut quæ ex rapis, napísve concoctis instituta sunt: túmque paregoricis & relaxantibus vtendi locus est, vt vnguento resumptiuo, dialthæ. oleo violaceo, anethino, liliorum, chamæmelino, è lini semine, amygdal. dulc. aliisque anodynis: Non autem repellentibus & exasperantibus, quæ vrinam ægriùs sinunt effluere. Atque hoc non modò in externis, sed etiam in assumptis, & immissis quodammodo inaudiendum; cùm scilicet ex vesicæ inflammatione vrina non redditur. Cui conuenit dictum locum, spongiis aquâ calidâ, & oleo, aut maluæ decocto imbutis fouere, & medicamentis quæ infunduntur remorantem vrinam elicere. In ídque distentam pubis regionem placidè comprimere: atque ita blandè contrectare, ne dolor grauiùs distendatur. Reuocato vrinæ cursu, idonea dein phlegmones curatio per auxilia exsequenda. Medicamentorum purgantium & diureticorum vsus hìc planè interdictus est. Illa quippe tum calore, tum trahendi facultate humores exagitant, corpúsque auctâ inflammatione in grauius discrimen adducunt, vt idcircò semper à clystere præcipuum sit petendum auxilium. Hæc noxios humores in partem affectam conuertunt & transferunt. Atqui longissimè ab inflammata parte reuellere, non autem in eam trahere conuenit: neque renibus inflammatis, aut vlceratâ vesicâ, ad vrinas; sed clystere, aut leniente medicamento, ad intestina vitiosus humor est conuertendus. At verò inclinante iam morbo obiicienda sunt, quæ vrinas cient, & humori mouendo sunt; vt iis quidquid ab inflammata parte resudârit, per loca proxima & conuenientiora deriuetur: sicuti etiam in hepatitide inclinante præmonuimus; cuius remedia maximam nephritidi opem sunt allatura, modò pro longiore viæ tractu, & partium quas permeant, numero, attenuantiora effeceris. Quamobrem in statu, astringentium loco, præscriptæ decoctioni, glycyrrhizam, adiantum, aliásque capillares herbas, pruna, passulas, iuiubas, semina frig. maior. semen endiuiæ, anisi, fœniculi, apij, hordeum substituere oportet, ac quæcunque alia

Chalastica in inflāmat. vesica, quando locum habeant.

Purgantium, & diureticorum vsus in vesica renúmque phlegmone improbādus.

alia mediocrem aperiendi & detergendi vim nacta ſunt, nullo euidenti acrimoniæ ſenſu, vt hydromel, aut hydroſaccharum, quæ nonnunquam leuiores inflammationes ſola diſcutiunt. Etenim vehementiùs calida hîc vitanda, quòd vomicam ſuſcitant: nec minùs arcenda quæ impendiò refrigerant; quippe ab iis renes facilè obdureſcunt, qui ſi occalluerint, remedium non habent. Illud ergò decoctum mediocriter detergens vſurpetur. Quinetiam inſequens emulſio non minorem vim habet ad renum ardores extinguendos, & ad leniendam vrinæ acrimoniam.

Impensè aut calida, aut frigida in partium prædictarum inflammat. repudianda.

Emulſio.

℞. quatuor ſemin. frigid. maior. mund. ana ℥ß. ſemin. lactuc. & papauer. albi, ana ʒiß. ſemin. portulac. & althæ. vel maluæ, ana ʒij. conterantur omnia in mortario marmoreo, ſuperinfuſa paulatim ℔. i. aquæ decoctionis hordei, glycyrrh. & violar. quæ iam refrixerit. In colatura diſſolue ſacchar. roſati, augeſcente phlegmone, aut candi, aut alterius; ſed efficaciùs, ſyrupi violati, è glycyrrh. aut capill. ven. ℥iiij. dentur ℥v. triduo. Decreſcente malo vuas paſſas, & capill. vener. vtiliſſimè decoctioni adieceris. Iucundior euadet, ſimul contuſis amygdalis, atque illorum candido ſucco expreſſo. Cùm autem fluxionis impetus iam planè reſedit, nec nouæ vlla eſt ſuſpicio; quinimò concoctione phlegmones, vrinæ craſſeſcunt. In quibus album, læue, & æquale ſubſidet, tunc detergentibus, & aperientibus ſolis, quod naturales exitûs obſidebat, tutò eximetur.

Iulepus detergens & aperiens.

℞. Glycyrrh. recentis & raſæ ℥i. endiuiæ, cichorij, herbarum capillar. recentium, agrimoniæ, ana M. i. paſſul. mundat. par. xx. caricas, num. vi. (maximè ſi phlegmone in abſceſſum vergat) ſeminis melonum & cucurb. ana ʒiij. granor. halicacabi ℥ß. ſemin. endiuiæ, aniſi & fœniculi, ana ʒiß. flor. trium communium, & cicerum rubr. ana p. i. fiat decoctio in aquâ hordei: & in colat. ℔. i. diſſolue mellis roſ. col. & ſyrupi de glycyrrh. ana ℥ij. ſacchar. candi, & ſyrup. capill. ven. an. ℥i. puluer. triaſant. ℈iiij. fiat ſyrup. clarif. pro tribus doſibus. Si verò pigrior materia ſit, decoctioni adde ſub finem, radicis iridis, ℥ß. aut radices in aperientium ordine temperatiores incoquantur. Dein perfectè concocta inflammatione, quæ vehementiùs vrinas mouent, vſurpentur, vt acorum, fœniculus, apium, petroſelinum, chamæpitys, polium, chamædrys, origanum, pulegium, viticis ſemen, aut apij. Demum quò vrina craſſior exciderit, aperientium, diureticorúmque modus pariter increſcat; quorum ſi vlla eſt acrimonia, refrigerantium & lenientium permiſtione temperanda eſt. At verò, ſi concoctione phlegmones, pus gignitur, abſceſſúſque fit, (quod febris, dolor, & grauitas, vrinæque difficultas auctior, & rigor ſubinde repetens declarabit) tum decoctum ficuum ſemin. lini, althæ. & glycyrrh. cum ſyrupo adiantino præbeatur. Quibus maturata inflammatione, diuretica mitiora addantur; atque etiam acriora, quæ recenſuimus, pure non erumpente. Sed vbi mitioribus phlegmone diſcuti poſſit, acrioribus fruſtrà impetitur.

Inflammat. renum, aut veſicæ plenè concoctâ, diureticis vehementioribus eſt vtēdum.

Dige

Digerentia & anodyna.

Extrinſecùs autem chalaſtica, digerentia, ac diſcutientia auxilio ſunt: videntúrque eam facultatem habere, vnguentum reſumptiuum, dialthæa, emplaſtrum filij Zachariæ, additâ iridis, florum camomillæ, meliloti, ſambuci portione, atque cum oleo irino, vel chamæmelino, vel anethino, vel amygd. dulc. vel de ſemine lini, vel keirino, vel lilior. vel butyro, aut adipe gallinaceo, anſerino, vel anatis, ex quibus fiat vnguentum eadem formâ, quam in pectoris affectibus deſignauimus. Túmque illic deſcripta fomenta vſui ſunt. Mediis temporibus vtraque permixta, repellentia, inquam, digerentibus, aliàs pari, aliàs impari menſurâ erunt conferenda.

Qualia adhiberi debeãt topica, in incremento & ſtatu inflammat. renum aut veſicæ.

Cataplaſma.

℞. Rad. alth. & lilior. ana ℥iß. folior. alth. & maluæ, ana M. i. fol. abſinth. & braſſicæ, ana M. ß. flor. camomill. meliloti, & anethi, aut viol. (ſi caloris ſuperſint veſtigia) ana p. i. farinæ ſemin. lini ℥iß. farinæ hordei ℥ij. coquantur, & per colum medicum transfundantur: addendo poſteà olei chamæmelini, & irini, ana ℥iij. fiat cataplaſma.

Vel hoc modo.

℞. Farinæ fœnugr. farinæ ſem. lini, ana ℥i. flor. camomill. meliloti, & ſambuci, ana ℥i. pulu. iridis Florentiæ ℥ß. decoquantur in ſucco apij, & œnomelite, vſque ad ſuccorum conſumptionem: quibus præparatis adde fæcis olei de lilio ℥iiij. olei camom. aut axungiæ gallinæ ℥ij. fiat cataplaſma; vel additâ ceræ ſ. quantitate, fiat emplaſtrum.

Sunt qui præcipiant lanam imbutam oleo, cui althæa, anethum & artemiſia incoxerint, lumbis inſternere; præſertim ſi phlegmone digeri minimè poſſe videatur, cúmque eius ſuppuratio procuranda eſt. Ac tum etiam malagma è ficubus in mulſa coctis, præſidio eſt, adiectâ farinâ lini, & chamæmeli flore; aut cataplaſma lumbis inducendum, quod chamæmelo, ſemine lini, furfuribus, oleo ſeſamino, aut lilior. conſtat. Eadem veſicæ inflammationi auxiliantur pubi admota. Abſceſſu facto, ſi pus ſubſiſtat, polium, chamæpit. cyperus, ſchœnant. aſarum, petroſelinum, parietaria, ſpica, iris, cum lilior. aut althæ. aut bryoniæ radicibus, ac farinâ lini, aut fœnugr. aut orobi, coquantur in cataplaſma: cui adde fimi columbini parum. Illud verò certiſſimè deprehendes, cum ſedato dolore, ac febris violentiâ remiſsâ, grauitatis ſenſus etiamnum perſeuerat, nullâque puris excretio ſuccedit. Rupto enim abſceſſu, purulenta materia, ſordéſque plurima cum vrina defertur: Idcircò ád motum cogendus eſt laborans, & ſternutamentum proritandum, vt corpus concutiat.

Puris excluſionem promouentia.

concutiat. Aliquando tamen ad inteſtina puris eruptio fit, aut aliorſum diuertit. Interdum etiam huius copia in rene ſubſiſtens, foràs ſibi viam parat; vt idcircò nonnunquam ſcalpello, vel candente ferro ſit opus. Iam verò balneum inflammationibus aduerſiſſimum eſt, antequàm principium morbus, ſtatúmque præterierit: Quippe liquatus humor in partem languidam decumbens, phlegmones diſcrimen auget. Id autem opportunè adminiſtrabitur inclinante iam morbo, & puris colluuie aut renes aut veſicæ ductum intercipiente, aut maturatâ, nec ruptâ phlegmone. Quâ in re balneum eſt efficax, primo capite ad iſchuriam deſcripto. In hæc etiam veſica oleo ſemiplena, aut decocto digerente, commodè locis affectis imponitur. Quod ſi tumor obdureſcat, cuius grauitas in renibus, tanquam ab iliis ſuſpenſa, abſente febre ægrum moleſtè habet, remediis ad iecoris & lienis ſcirrhos idoneis emolliendus eſt. Ita quidem renum & veſicæ affectibus ſuccurrunt, tum quæ ſumuntur, tum quæ admouentur conuenientia remedia.

Balneum inflammationibus aduerſiſſimum, niſi poſt morbi ſtatum.

Veſicæ prætereà, quæ in illiuſ ceruicem immittuntur, peculiariter aptari ſolent; ſed hoc ſedulam animaduerſionem deſiderat. Neque temerè in veſicam fiſtula ænea inſerenda eſt. Nam meatus ille qui à genitali ad iter vrinæ tendit, inflammationis iniuriæ patet; eſtque inprimis loci huius periculoſa irritatio, tum ſcilicet, cum præ loci anguſtiâ, non facilè catheter immitti poteſt. Si quidem manûs attritu, aut fiſtulæ titillatione, maior inflammatio, dolórque vehementior concitatur. At ſi laborans facilè perfert iniectiones, plurimùm adferunt auxilij, modò non altè fiſtula inſeratur. Illæ autem morbi initio refrigerent: Deinde ſi dolor acerrimus eſt, leniant & mitigent: tandem ſymptomatum vehementiâ miteſcente, detergant. Ita quidem ab illis ad has ſenſim pro morbi decurſu, inſtituenda mutatio, hoc ferè ſeruato ordine quem mox ſubiiciam.

Veſicæ inflammationi peculiariter aptãtur iniectiones.

Iniectionum varia genera, pro ratione temporum morbi.

Iniectio refrigerans.

℞. Lactis caprini ℔ß. olei roſati ℥ij. ſucci ſolani ℥iß. miſce, iniiciatur ipſo tantum inflammationis appulſu, aut non vltra primum diem. Deinde poſtero etiam, atque tertiò imperentur ex mucilagine, vel pſyllij, vel althæ. Vel papaueris, cum lacte.

Anodyna.

℞. Seri lactis ℔ß. olei violati ℥ii. ſucci cucurbitæ, vel maluar. ℥iß. album. oui num. j. miſce, fiat iniectio.

Sequentibus diebus.

℞. Decoct. hordei, & lactis aſinæ, an. parem modum, miſce.

Dolorem eximiè lenit aqua ſublimationis florum maluarum immiſſa.

Detergentes ex lactis ſero, aut hordei decocto & ſaccharo, atque interdum melle parantur, quarum plenior enarratio in ſordido renum vlcere proponenda eſt.

Diæta inflãmatione renũ aut veſicæ conflictantiũ.

Victus qui in febribus, & internis inflammationibus arcendis dari ſolet, vtilis eſt: at multa potio vitanda, niſi acris, bilioſúſque humor ſuperat; tunc enim potui quoque liberaliori ac cumulato indulgendum, cui ſyrupus granatorum, & è roſis aptiſſimus eſt. Quin etiam primò die à cibo abſtinere oportet; non tamen in multos dies inediam extendere: per hanc enim bilis efferueſcit, & vrinæ acriores euadunt, quæ ſuo dein morſu inflammationem augent. Itaque primùm lenientes ſorbitiones idoneæ ſunt. At quæ vrinas cient, aduerſiſſimæ. Inclinante malo, victus qui leniter detergat, & vrinas nullâ acrimoniâ moueat. Sic hordei cremor, cui frigida ſemina incoxerint, præſtantiſſimus eſt; & potioni aqua hordei, aut mulſa conuenientiſſima.

CAPVT XXXIX.

Vlcus partium per quas vrina fertur: atque de purulentâ mictione, & dyſuriâ.

Cauſa vlceris partium per quas vrina fertur.

VLcus renes, vreteres, veſicam, eiúſque ceruicem pernicioſè occupat, id autem aliàs ex rupto abſceſſu relinquitur, aliàs ex aſſumptâ cantharide, aut cauſtico medicamento inuritur: aliàs exeſâ partium ſubſtantiâ ab humore acerrimo, ſiue ſit pituita ſalſa, aut pus aliunde confluens, aut bilioſus humor, qui eò delapſus morſum infligit: aliàs illorum vaſis ab aliquo caſu vel ictu diſruptis; ſed frequentiſſimè ab aſpero & grandiore calculo, renes, aliáſve partes obterente, cùm præſertim aut labor, aut exercitatio valida hunc loco dimouet. Vlceris cauſa non obſcurè noſcitur ex propriis aut calculi, aut prægreſſæ inflammationis ſignis, ipſáque euidentium cauſarum animaduerſione; alioquin ad humoris acrimoniam referenda, quam temperamenti notæ certò declarabunt.

Signa vlceris organorum οὐρητικῶν

Porrò vlcus ſubeſſe intelligimus, excreto cum vrina vel pure; vel ſanguine, quorum perfuſione vrinæ aut cruentæ, aut purulentæ redduntur, quæ fæce depoſitâ inclareſcunt. Sanguis purus aut in grumum concretus, recens vlcus; pus autem inueteratum ac ſordidum portendit. At quanam in parte vlcus conſiſtat, intelligitur ex iis quæ cum vrinâ exeunt, ex doloris proprietate & ſitu, atque excernendi modo, ſiue permiſtionis ratione. Etenim rene vlcerato, lumborum grauitas & obtuſior dolor eſt, nulla aut perexigua vrinæ difficultas: ſanguis vel pus vrinæ toti exquiſitè permiſcetur, atque vlcere renis ſubſtantiam magis exedente carunculæ cum vrina prodeunt, ſi autem in veſica, aut eius ceruice vlcus ineſt,

Signa partis in qua vlcus conſiſtit.

Vlcerati renis ſigna.

Vlceratæ veſicæ ſigna.

ingens

ingens dolor & indesinens circa pubem, & perinæum excruciat; vehementior etiam ipso emictionis tempore; acerrimus autem & quasi adurens sub emictionis finem. Vrinæ difficultas, crebrâque cupiditas vrget, quòd vlceri vrina continentur assidens, ad sæpiùs meiendum stimulat, neque retineri potest: pus redditâ vrinâ mox subsidet, squammulæ fœdi odoris lamellis similes, aut furfuracea quædam cum vrina feruntur, atque vlcere magis sordescente, lentor, nariũ muco persimilis emanat; qui adhærescens plerumque vrinæ cursum intercipit. Altiùs autem depascente vlcere, vrina non tantũ pus trahit, sed per hanc cruor aut sanies editur. Quin & rigores & febriculæ magnâ inæqualitate fatigant. Si vreteres vlcus experiantur, filamenta albis capillis similia potiùs in vrinis spectantur: lotium suo tempore continetur, nec ægrè it: cũ quo nec multus sanguis, nec puris copia effluere potest: dolor mediâ regione inter renes & vesicam acerrimè ferit. Fiunt præterea in penis ductu exulcerationes ab iisdem causis, sed maximè à luis venereæ contagione, quâ parastatæ & vasa spermatica primum inquinata virulentam saniem in penis meatum eructant. Sed & immoderato concubitu, aut febrili æstu resiccata vasa illa quæ ceruici vesicæ vtrinque adstant, vrinæ ardorem gignunt: quandoquidem exhausto humore lubrico, vrina transiens acriùs ferit. Dysuria ergò aliàs à vesicæ, aut eius ceruicis vlcere fit, quod puris excretione deprehenditur; aliàs ab vrinæ acrimoniâ quæ tandem vlcus accersit. A pene vlcerato, pus, cruórve vel seorsum sine vrinâ, vel sub emictionis initio profluit: vrina diutius asseruatur, & tempestiuè extruditur: nec dolor, vt vesicâ exulceratâ, assiduè ferit, sed duntaxat cùm vrina emittitur: maximéque cùm illa fluere vel incipit, vel desinit. Interdum etiam purulenta mictio è iecoris aut partium sublimiorum abscessu prodit: quod & accuratâ puris permistione, & propriis affectæ partis indiciis, atque antecedentium morborum obseruatione declarabitur. Porrò in quamcunque partem vlcus inciderit, ab iis quæ cum vrina exeunt, & à puris vel copiâ, vel qualitate, vlceris tum magnitudo, tum conditio innotescit. Malignum enim vlcus suspicandum est, quod saniem aut pus multum, liuidum aut virens, tetríque odoris & acre profert: contrà verò quod album, læue, æquale, & minimè fœtidum.

Vlcerati vreteru signa.

Vretra exulcerata causa.

Dysuria causa.

Vrethra exulcerata signa.

Purulenta mictio interdum à partibus rene sublimioribus.

Vlceris maligni aut benigni signa.

Curatio.

Renum ac vesicæ vlcera prorsus curationem non admittunt, quòd vrinæ acrimoniâ continenter irritentur & abluantur, & locus excrementis assiduè pateat. Neque verò aut renum parenchyma, aut neruosa vesicæ substantia facilè coalescat & cicatrice obducatur, præsertim si iam altè vlcera penetrârint. Sed multò quoque difficiliùs remediis parent, quæ à calculo renes aut vesicæ substantiam atterente, & semper assidente excitantur & augentur. Afferenda tamen

Prognostica.

quædam áuxilia, per quæ si vlceris sanatio compleri non possit, atrocissimi saltem dolores minuantur.

Indicationes. Vniuersalis equidem curatio est, vt causam adimas, vlcus cures, immanes cruciatûs demulceas. Atque hoc postremum, sæpè curando primum est, feréque per omnia alia remediorum genera excurrit.

Animaduertenda nihilominùs vlceris conditio, eiúsque situs obseruandus. Id si sordidum est, detergentibus; si purum, agglutinantibus solis curari debet, modò vlceris causa esse desierit. Alioquin hac persistente nequeat vlcus omninò sanescere. Quocircà eximendi primum & mitigandi humores acres, qui vlcus aut excitârunt, aut aliunde illatum tamdiu fouent, & amplificant. Catharticis autem id minimè tentandum; sed neque rhéo, aut sennâ aut agar. aut myrobal. Etenim iis vlcus grauiter irritatur, & dolor mirum in modum exacuitur.

Catharticis abstinendum in curat. vlceris renum ac vesicæ.

Clysteres. Lenientia medicamēta. Accommodatissima verò quæ tum clystere emolliente in nephritide exposito, tum leniente medicamento fit euacuatio. Neque minùs vtilis quæ proritato vomitu, & partium superiorum frictione tentatur reuulsio. Verùm neque assumptis mouendus sudor est, neque validioribus & incidentibus concitanda vomitio; sed pingui iure, aut violaceo syrupo, vel adiantino, cum tepente hordei aquâ; vel mulsâ cùm detersio expetitur, cui olei amygd. dulc. ℥i. adiecisse iuuat. Atque id non modò semel, sed etiam sæpiùs ipso mali decursu faciendum. Primum ergo clystere iniecto, bolus ex cassiâ imperetur.

Vomitoria blanda.

Bolus ex cassia. ℞. Cassiæ recèns extractæ cum vapore decocti maluar. ℥i. pulpæ sebest. ʒiij. grana berberis num. v. cum saccharo fiat bolus, qui detur horis duabus ante cibum, addito, si libet, puluere radicis dulcis, aut ʒß. sem. maluæ. Vel decocto prunor. passul. iuiubar. myxariorum, & violarum; vel decocto hordei, vel lactis sero dissoluta cassiæ pulpa exhibeatur. Vtilior tamen boli, quàm potionis forma. Vel:

Potio leniens.

Alius bolus. ℞. Diaprun. simplic. ʒvj. pulpæ sebest. ʒiij. cum sacch. fiat bolus. Vel:

Alius. ℞. Pulpæ sebest. ʒx. pulpæ passul. ℥ß. sacch. q.s. & fiat bolus. Hæc mordaces humores aliò auertunt. Porrò vis acrium humorum qui vlcus sanari prohibent, aut vrinæ difficultatem inuehunt, commodè obtunditur tum syrupis, tum decoctis refrigerantibus & lenientibus. Hæc enim simul & causam oppugnant, & dolorem, ardorémque leniunt Quo sedato vlcus sordidum repurgari, & purum agglutinari commodè potest.

Ab anodynis ad detergētia, tandemque sarcotica veniendum. Primum itaque vel inuerso ordine, anodyna, quæ omni vrinæ difficultati, & sine vlcere, sunt vsui; secundò detergentia; postremò sarcotica exponemus, quæ vlceribus propriè destinantur. Sed in iis omnibus præscribendis, cauendum ne diuretica, præsertim ex acriorum ordine immisceantur. Quæ hîc anodyna appello, aut qualitate humorum acrimoniam & feruorem retundunt, & lactuca, portul, malua. aut lentore vlceratæ parti adhærescunt, & abrasam illius faciem oblinunt, vt tragac.

Anodyna præsidia.

gac. bolus armena, & quæ emplasticis annumerantur; aut partis sensum frigore consopiunt, vt papaueris semen, psyllij, iusquiam. nymph. & quæ ex his comparata sunt: ardorem enim extinguunt, vlcus exsiccant, & humorum influxum arcent. Nunc compositionum formas exprimamus.

Syrupus vrinæ ardorem leniens.

℞. Syrup. violat. & è nymph. aut syrup. è portul. descript. Mesuëi, (modò suppetat) & è papau. an. ℥iij. decoctionis summit. malu. endiu. liquirit. ℔j. pulu. diatrag. frig. ʒi. fiat syr. clarific. in tres doses. Vel:

Apozema.

℞. Liquirit. recent. vel radic. althæ. ℥i. summit. malv. endiu. cum toto, cichor. fol. lactuc. portul. (si tum haberi queat) an. M. j. tamarind. ℥ß. prunor. dulc. iuiubar. & sebest. an. par. xij. passul. mundat. (cùm detersione opus est) parem modum, sem. melon. cucurbit. cucumer. (quæ alioqui per se officerent) an. ʒiij. sem. malu. & bombac. mundat. vel sem. cydon. & portul. an. ʒij. at si dolor & ardor laborantem angit, sem. papau. alb. & psyll. an. ʒiß. flor. malu. p. ij. aut flor. cucurbit. viol. & nymph. an. p. i. interiorum inuolucrorum pinei nuclei, an. ʒij. fiat decoctio: & in colat. ℔. j. dissolue syrup. violat. ℥v. aut sacchar. q. s. pulu. diatrag. frigid. ʒi. aut trochisc. halicac. tantundem, fiat syrupus in tres doses distribuendus, aut subinde repetendus. His tum vrinæ acrimonia restinguitur, tum dolor conquiescit; A quibus ad cassiæ vsum redire vtilissimum est. Cùm autem simplex dysuria est, & vrinæ ardor sine vlcere premit, minimè alienum est, bilem acriorem subducere potione ex rhei infusi ʒiß. cassiæ ℥ß. syr. ros. solut. ℥iß. quæ myrobal citrear. prunor. passul. myxariorum, tamarindor. violar. & liquirit. atque hordei decocto soluta sint.

In dysuria sine vlcere vsurpanda.

At si vlcus inest, bolus è cassiâ præstabit: aut eadem cum syr. viol. & fructuum lenientium decocto. In cuius vicem tum clysteres frequentes iniicientur, tum sequens opiata ex interuallis vsurpabitur.

In dysuria cũ vlcere vsurpanda.

Postridie verò terebinthina, si vlcus sordidum est, & indolens; aut etiam ex lue venereâ vrinæ difficultas, & gonorrhæa virulenta incessit, opportunè exhibebitur hoc modo.

℞. Terebint. venetæ, aquâ endiu. vel hord. lotæ ʒiß. vel ʒii. cum saccharo fiat bolus; aut cum pulu. liquirit. æquo pondere fiant orbiculi. Ita quidem iam propriè vlceri sordido succurritur detergente auxilio; nî dolor vel ardor prohibeat, ac demum agglutinante, cum iam id purum euasit, curatio completur.

Bolus è terebinth.

Detergentia præsidia. Detergentia hîc non omnia indiscriminatim, sed quæ leuiter & citra morsum pus & adhærescentes vlceri sordes eluant, aptissima sunt. Hæc notantur hordei decoctum, passul. serum lactis, adiantum, liquirit. & eiusdem succus dilutus, saccharum. At si crassiore pure vlcus obductum est, quemadmodum rupto abscessu fit, ex quo vlcus manet sordidum, huic decoctum furfuris, fœnugr. hyssop. prassij, chamædr. chamæpit. iridis cum melle rosi. idoneum est. Atque si quando puris lentore, aut crassitie vrina supprimitur, acriora semina, vt apij, fœnic. aut petros. illis addere necesse est: Sed lenientium permistione temperata. Ficûs autem arcendæ, quòd abstersione immodicâ, vel asseruatâ quadam pristini lactis acrimoniâ, partes illas magis exulcerent. Sic autem opportunè detergentia administrentur, vt neque dolor vrgeat, neque purum vlcus sit.

Cúmque detergentibus vti expedit, illorum vis, puris tum copiæ, tum conditioni aptè conferatur. Et saniei tenuiori & acriori mitiora ac refrigerantia; puri autem crasso & glutinoso extenuantia, atque vehementiora destinentur. Et vt summatim complectamur, quæcunque leniendis pulmonibus conuenire diximus, eadem renum, & vesicæ vlceribus expurgandis consentanea sunt. *Agglutinãtia præsidia.* Agglutinantia remedia, quæ iam expurgatis accommodantur, sunt bolus arm. lemnium, sigillum, amylum, albumen oui, tragac. gummi arabic. quæ dum lentore quodam vlcus oblinunt, suo illitu, præterfluentis vrinæ vim eludunt, & partem ab illius contactu vindicant; vt hinc promptiùs sanescat. *Epulotica.* Sunt & alia quæ cicatricem inducunt, vt rosa, spodium, corall. electrum, quod admirabili proprietate simul & calculum comminuit, & sanguinem retinet, atque vlcus exsiccat. His accedunt myrtus, plantago, symphytum, rasura cucurbit. siccæ, equisetum, ferulæ medulla & cinis, polygonum, & alia quæ in ventriculi vlcere plenius exponuntur. Eadem enim renum & vesicæ vlceribus, detractâ astringentium portione, auxiliantur, si vel liquiritiam vel adiantum, vel semina frigida addideris, quorum adminiculo illa in partem distantiorem feruntur. Ad sordida ergò renum & vesicæ vlcera hoc conuenientissimum est.

Iulep. ℞. Hordei part. i. liquirit. recentis, quart. i. capill. vener. Manipul. i. granor. halicac. Num. x. sem. melon. & cucumer. an. ʒij. semin. althæ. & malu. an. ʒiß. (vix enim solâ detersione opus est) passul. mundat. par. xx. iuiubar. & myxariorum, an. par. viii. inuolucrorum subtilium nuclei pinei ʒiß. fiat decoctio: & in colat. ℔iß. dissolue syrup. capill. ven. & liquirit. vel sacchar. candi, an. ℥iij. Aut si magis sordet, mellis rosat. colat. ℥vi. fiat syrupus ad trium dierum potionem, quâ vlcus detergas. Idem præstabit, ac simul dolorem leniet sequens.

Emulsio. ℞. Emulsionis quatuor sem. frig. maior. & papau. albi, extr. cum decocto hordei ac liquirit. ℔i. in quâ dissolue sacchar. ℥iij. Misce. Sed præcipuas in detergendo laudes sibi terebinth. vendicat, præsertim si

renes

renes vlcus obſedit. Etenim exulcerata veſica, vtpote membranoſa & tenuis ſopitos ac puris adhæſione conquieſcentes dolores, detergentium vſu rurſus experitur, neque parum exaſperatur. Itaque quibus vetuſtate aut negligentiâ vlcera ſorde obtecta ſilent, pro curatione interdum expedit victu opportuno atque oblinentibus remediis blandiri potiùs, quàm detergentibus tacitam anagyrim commouere. Quod idem in vlcere cui calculus aſſidet, audiendum. Is enim purum vlcus magis excauat, ac vehementiore cruciatu exterit, cùm fuerit deterſum. Omnibus autem earum partium vlceribus atque etiam omni vrinæ ardori lactis potio inprimis auxiliatur. Lactis delectus & vtendi ratio ex phthiſi depromenda. Hîc tamen vtiliùs maluâ ac lactucâ nutritur animal, cuius lac expetitur. Sunt qui ſeminis lactuc. & portul. attriti, an. ʒi. ſacchari ʒij. lactis caprini ℥iiij. quotidie imperent. Facit etiam ad mordaces exulcerationes tragac. ʒiß. pondere in paſſo diſſoluta, aut potiùs lacti immerſa; Quemadmodum bolus armena & quæ eandem facultatem habent. Sed præcipuè ouum recentiſſimum crudum ſæpè epotum, præſertim ſuo adhuc calore tepens. Hoc enim lactis vires aut æquat, aut ſuperat. Inter probatiſſima autem remedia, quibus vlcus oblinitur, & vrinæ difficultas (dyſuria dicta) miteſcit, eſt aqua ſublimationis flor. malu. non ſolum aſſumpta, ſed etiam iniecta.. Cúmque detergendi vis aliqua deſideratur, huic mellis roſati, aut vt robores, ſacchari roſati, aut vt lenias, violati puluis tenuiſſimus inſpergitur. Nos felici euentu ſtillatitium liquiritiæ liquorem huic permiſcere conſueuimus, aliàs pari, aliàs ſuppari menſurâ, quam Medici induſtria, pro vlceris ſtatu, nunc ſubduplam, nunc ſubtriplam decernet. Hac enim potione Epiſcopi Carcaſſonenſis phagedænicum vlcus veſicæ in multos menſes iudolens prorogauimus. Confert pari ratione illius ℥iiij. ſyrup. violac. ℥ß. permiſcere; aut liquiritiæ ſuccum affundere, qui veſicæ ſcabiem ſanat, eiuſque aſperitatem lenit. Etenim liquiritia renum & veſicæ vlceri, ſiue purum id ſit, ſiue impurum, ſiue dolens, ſiue indolens, mirè auxiliatur.

Vlcera veſicæ detergentium vſu exaſperari ſolent.

Galactopoſia.

Varia alia anodyna, vlcuſque oblinentia.

Hiſtoria.

Quemadmodum etiam nuclei pinei aquâ hordei abluti, cum æquali ſeminum frig. mundator. Portione crebrò accepti conſperſo ſaccharo, & pari ratione pineolatum. Proderit quoque maluæ flores ſaccharo condire & inſolare. Conditum ergò flor. malu. violar. nymph. cichor. vrinæ ardorem. reſtinguit, ex quibus ſequens compoſitio habetur.

Opiata lenie͂s vias vrinarias.

℞. conſeru. violar. & flor. nymph. an. ℥iß. conſeru. flor. cichor. vel ſymphyti, & mucag. ſemin. pſyllij extractæ cum decocto ſummit. malu. an. ℥i. puluer. diatrag. frigid. recentis ʒiß. pulu. triaſant. ʒß. cum ſyr. viol. reduc in formam opiatæ, quâ licet quotidie vti, ſuperbibita portul. aut maluar. aqua.

Sunt qui partium ſimilitudine, & animantium naturâ ducti potiùs quàm ratione, putent areſactos hædi renes renum affectibus, & veſicam tauri aut capræ exſiccatam veſicæ vlceribus, & vrinæ difficultati ſuccurrere, vt idcircò poſſit horum quidpiam opiatæ

miſceri

miſceri. Dolores etiam ex vlceribus contractos, & omnem dyſuriam, hoc lenit.

Trochiſci.

℞. Sem. lini, cucumeris domeſtici, tragac. & ſucci liquirit. an. ʒii. ſem. malu. & papau. albi torrefact. an. ʒiß. amyli, boli armen. an. ʒi. nucleos pineos num. xv. paſtill. finguntur cum mucag. pſyllij, quorum vnum quotidie aſſumet cum lacte, aut paſſo, aut dulcis radicis decocto. Præſtantiſſimo etiam remedio eſſe ſolet emulſio, quam priore capite deſcripſimus. Sed ℥ij. amygdal. dulc. cum ſeminibus contundendæ, aut lacteus amygdal. dulcium cremor adiiciendus, aut amygdalinum lac decocto ſemini lini, melon. althæ. cydonior. papau. albi, & pſyllij eliciendus. Vel ita paretur.

Emulſio.

Alia.

℞. Sem. althæ. malu. cydon. an. ℥iß. melon. & cucumer. ana ℥ß. atque vbi ardor nimium affligit, ſem. pſyllij parem modum, infund. in decocto hordei, rad. althæ. ſem. papau. alb. granor. halicacab. & liquirit. dum mucilago fiat. Ex hac cape ℥iiij. prædictæ decoctionis ℥viij. ſacchar. ℥iij. aut ſyrup. violat. æqualem modum in tres doſes, quas ſubinde repetere conuenit, vt in viij. vel plures doſes vſus prorogetur. Trochiſci alkekengi renum & veſicæ exulcerationes, hincque natam vrinæ difficultatem, & ſanguinis mictionem compeſcunt, ſi horum vnus ʒiß. pondo quotidie detur, lactis ſero ſolutus, aut aquâ hordei, vel hac formâ.

Trochiſc. alkekengi.

Potio.

℞. Trochiſc. halicac. ʒi. ſyrup. viol. ℥iß. decocti malu. & liquirit ℥iiij. miſce, detur cum ardor maximè vrget, aut quouis alio tempore, detracto opio. Horum vim proximè æmulantur troch. Gordonij: qui detergunt & agglutinant, atque vrinæ ardorem reſtinguunt, vt omnibus eâdem operâ ſuccurramus. Plerumque enim difficilè internoſci poteſt detergendúmne potiùs ſit, an agglutinandum, vt idcircò pro re natâ mutare remedia ſit neceſſe. Trochiſcorum autem deſcriptio ſic habet.

Troch. Gordon. cap. 10. part. 6. pract.

℞. Quatuor ſem. frig. corticibus liberatorum, ſem. papaû. albi, maluæ, bombacis, portul. cydonior. baccar. myrti, tragac. gummi Arab. amygd. dulc. ſtrobylor. recent. piſtacior. ſacch. cand. penidior. liquirit. raſ. hordei mund. mucag. pſyll. an. ℥i. boli arm. ſang. drac. (aut eius vice, lapidis hæmatit.) Spodij, roſar. thuris (loco myrrhæ) an. ℥ij. ex hydromelite paſtill. formentur: detur vnus lacte, aut decocto liquirit. ſolutus, cùm neceſſitas expoſcit: Vel ſæuiente dolore ℥i. ſyrupi papau. albi detritus offeratur. Eadem cum ſaccharo aqua roſar. ſoluto in electarium concinnari poſſunt. Ita vlcus ad cicatricem perduces agglutinantibus & exſiccantibus. In id quoque offeruntur ſyrupi de roſis ſiccis, myrtinus, conſerua ſymphyti; conſerua roſar. trochiſc. è carabe, & è ſpodio, cùm bolo armena & terra ſigillata, atque plurima alia tum

Vlcus glutinantia.

ſimpli

ſimplicia, tum compoſita. Hæc tamen quæ ſubiiciam, minimè ſilentio prætereunda ſunt.

Syrupus agglutinans & epuloticus.

℞. Radic. ſymphyti, & plantag. an. ℥i. liquirit. ʒvi. equiſeti, fol. plantag. portul. polygoni, an. manipul. i. baccar. myrti ʒiij. ſem. papauer. aſſi, aut ſem. portul. torref. & thuris, an. ʒii. ſeminis fœnic. aut apij, (etſi per ſe non conferat) ʒi. hordei torref. p.i. fiat decoctio: & in colat. ℔i. diſſolue ſyr. è portulaca deſcriptionis Meſuéi, aut illius defectu ſyr. è roſis ſiccis, aut myrtini, vel ſacchar. roſ. ℥v. trochiſc. halicac. ʒiß. aut cùm cicatrix magis acceleranda eſt, trochiſc. è carabe, vel de ſpodio ſine ſemine acetoſæ, parem modum, in trium dierum potionem diſpenſetur. Eadem prorumpentem è renibus ſanguinem cohibet, ac diabeti medetur. Hauſto ſyrupo inſequens compoſitio quotidie inſtar iuglandis accepta, magnum affert auxilium.

℞. Sacchar. roſat. antiquiſſ. ℥iiij. electar. diatrag. frig. ℥ii. granor. halicacab. ſemin. cydonior. mundati, ſemin. malu. & althæ, an. ʒiß. corall. rubr. ſuccini, an. ℈iiij. ſemin. papau. albi, & granorum myrti, leuiter aſſatorum, an. ℈ii. ſemin. apij & fœnic. an. ℈i. in pollinem redigantur quæ teri poſſunt, & excipiantur omnia ſyrupo è portul. fiat confectio mollis, ſingulis diebus exhibeatur, ſuperepotâ myrti aut plantag. aquâ: Vel. *Confectio mollis.*

℞. Pulu. diatrag. frig. ℥ß. pulu. triaſant. ʒi. ſacchar. albiſſimi aquâ halicac. ſoluti, q.ſ. fiat electarium: detur ſæpè tabella vna. *Tabella.*

Puluis hippuris (id eſt, equinæ caudæ) nullo morſu exſiccans, aut per ſe, aut cum pari boli arm. portione datus, exterſum vlcus, præcipuè veſicæ, ad cicatricem perducit, adeò vt commodè ſuperioribus compoſitionibus inſeri poſſit. Hauſtus eiuſdem ſuccus cum vſtulato lacte, ad eadem eſt efficax, vt & ſtillatitia eiuſdem aqua.

Ita quidem de aſſumptis ſtatuendum, quæ renum & veſicæ vlceribus ſuccurrunt. At ſi exulcerata veſica eſt, aut vrinæ difficultas angit, ſiue hæc à penis vlcere eſt, ſiue à puris acrimoniâ, vel bilis ardore, tum certè immiſſa præcipuè iuuant. Iniectionum differentiæ ex vlceris ſtatu, atque dyſuriæ causâ ſtatuuntur. Harum enim aliæ ad dolores compeſcendos, aliæ ad detergendum vlcus, aliæ ad idem exſiccandum, & cicatricem inducendam comparantur; de quibus ſigillatim diſſerendum eſt. Lac proprio calore tepens vtiliſſimè iniicitur, ſed præſertim mulieris bene habitæ. Aqua ſtillat. florum maluæ, moderato & tepido calore prædita, atque glutinoſa, acres & mordaces humores iniecta non minùs quàm aſſumpta, temperat & dolores lenit, oui candidum veſicæ ardores demulcet, atque cum lacte miſtum & iniectum, dyſuriam à ſiccitate conceptam propriè temperat. Quemadmodum & oleum è nymphæa, aut *Iniectionum multiplices differentiæ, vnde ſumantur.*

violatum, tametsi vlceribus minimè possit adhiberi. Mucago rad. althæ. semin. cydon. lini, malu. tragac. quodam lentore acrimoniam vrinæ mitigat, & erosionibus prodest. mucago semin. papauer. & quæ eâdem naturâ vigent, inducto stupore, partis sensum obtundunt. Hæc autem cùm dolor efferatur, aliàs per se, aliàs inuicem commista induntur.

Iniectio anodyna.

℞. Lactis caprini, vel asinæ ℥viij. mucag. althæ. vel psyll. vel papau. extractæ in aquâ violar. aut nymph. ℥iij. Misce, iniiciatur quàm frequentissimè

℞. Mucag. sem. psyllij, & cydonior. extractæ in aqua cucurbit. violar. aut maluæ, an. ℥ß. lactis mulieris ℥i. album oui agitati ℥ii. Misce, iniiciatur tepens mox ab emictione. Si doloris causa magis vrget, illiúsque sensus acriùs intendatur. adde mucag. sem. papau. & sem. iusquiam. vel misce opij ǧ. duo.

℞. Syrup. violat. ℥ii. syrup. è liquirit. ℥i. decocti summit. malu. althæ. lini, papau. albi, halicacab. ℥vi. Misce. Hoc & assumi & iniici potest. Excogitatum à nobis, probatúmque sæpè est hoc remedium, ad intolerabiles vrinæ cruciatûs.

Alia iniectio.

℞. radic. althæ. concisæ, liquirit. recèns euulsæ & contusæ, an. quart. i. summit. maluæ, m. i. tenellorum hyoscyami florum Num. vi. sem. cydonior. & cucurbit. contus. an. ℥ß. tragac. & sem. papau. alb. an. ʒiij. flor. malu. part. iiij. flor. cucurbit. vel horum vice flor. violar. & nenuph. an. p. ii. destillentur in duplici vase. Liquor hinc emanans tepefactus iniiciatur; vel fiat decoctio, & colatura seruetur vsui. Ipso enim iniectionis tempore vel oui album, vel mucilago aliqua, vel lactis portio, vel vbi leuiter detergendi consilium est, sacchari parum, aut syrupi violacei triens quadránsve immisceri potest.

Detergentia quàm maximè ἄδηκτα iniicienda.

Sedato dolore, si vesicæ, aut eius ceruici vlcus inest sordidum, detergentia immittantur, non indiscriminatim omnia, sed quæ prorsùs morsu careant: Etenim ob exquisitiorem sensum partes hæ medicamenta valida & acria ferre non possunt, videntúrque eam facultatem habere serum lactis. decoctum hord. sacchar. mel. rosat. decoctum liquirit. passul. & iuiubar. adiectâ tamen anodynæ portione.

Iniectio detergens.

℞. Seri lactis ℔i. sacchari ℥iii. misce, aut mellis rosat. colat. parem modum, si crassior materia vlceri tenaciùs adhærescit: Itaque vrinis animum adhibeto. Aliud.

Alia.

℞. Decoctionis hordei ℔i. mellis rosat. colat. quart. i. aut persistente dolore, quart. ß. vel syrup. de rosis siccis tantundem, Misce. Aut:

Alia.

℞. Liquirit. ℥i. passul. mundat. par. viij. sem. melon. & cucurb. an. ʒij. semin. althæ. & cydonior. an. ʒi. flor. viol. p. i. fiat decoctio in aquâ hordei: & in colat. ℔i. dissolue sacchar. ℥iiij. aut syrup. è liquiritia tantundem.

Agglutinantium materia pro iniectionibus.

Quod purum vlcus est, agglutinante & exsiccante auxilio indiget, qualis enim assumptorum, talis & iniectorum ratio est. Itaque bolum arm.

arm. terram sigill. lapidem hæmatit. calaminarem, tragac.thus,lacti aut recenti aut chalybeato,aut aquæ polygoni, symphyti, bursæ pastoris, rosar.plantag.immiscere conuenit: Sed & sarcocollam, tuthiam,cerusam, lota,& in exactissimum pollinem redacta in collyrium reducere; verùm quia pars hæc sensu eximio prædita,facilè puluerum contactu offenditur, satius fore putem, collyria hæc linteolo raro sæpiùs percolare, vt in opthalmia & dysenteria præmonuimus.

℞. Collyr.albi Rhasis ʒij.emulsionis semin. papau. alb. & melonum extractæ cum aq. solani ℥ii. aq. plantag. & calycum rosar. an. quart. i. Misce,fiat iniectio. Rhases priùs mulsâ iniectâ vlcus abstergit, quâ mox emissâ, insuper collyrij huius portionem asinino lacte solutam, per siphonem vesicæ infundit. Hoc idem præstat candidus oui liquor cum pompholyge,vel alio quod simili facultate polleat. *Iniectio agglutinans. & exsiccans.*

Soluuntur item aptissimè prædicti trochisci ad cicatricem inducendam aquâ aluminosâ.

Aliud.

℞.Trochisc.halicac.aut troch.Gordon.præscriptorum ʒii.infunde in lacte muliebri xii.horas, qui dein exsiccati in cote fricentur, & rursùm lacte soluti iniiciantur.Quod sequitur cicatricem inducit.

℞.Hordei parum torref.p.i.radic.symphyt.℥ij.folior.equiset.plantag. & bursæ pastoris,an.m.i.rof. p.i. fiat decoctio in aqua, in qua plumbum sæpiùs extinctum sit,& in colat.℔i.dissolue syr.myrtini,vel de rosis siccis ℥iij.trochisc.de carabe ʒi.rursum percolentur ipso iniectionis tempore. Simili effectu succum symphyti & equiseti lacti vstulato commistum iniicimus. *Alia.*

℞. Sarcocoll. nutritæ in lacte asinæ ʒiß. ceruf. lotæ, tuthiæ præparat. plumbi vsti,& aq.rof. loti,an. ʒi. lapidis calamin. & amyli,an. ℈ij. flor. viol.nenuph.& sem.althæ.an.ʒß.sem.iusquiam.albi,& opij,an.℈ß. croci g̃ v.cum emulsione sem.papau.alb. fingantur pastilli duo vel tres,qui in pollinem redacti,lacte soluantur ad iniectionem. *Alia.*

Neque omittendum id genus auxilij,quod extrinsecùs impositum ardorem restinguit,& dolorem leuat: huiusmodi plurima extant superiori capite,quibus nonnulla alia subnectam huic affectioni apta.

Fotus dolorem sedans.

℞.Althæ.cum toto,& radic.nymph.an.℥iij.maluar. & pariet. an. m.i. sem.lini & althæ.an.℥i.baccar.halicac.℥ß.calami aromat.ʒii.flor.nymph. violar.camom.melil. an.p.i. fiat decoctio quâ foueatur lumborum, aut pubis regio. Deinde vngatur sequenti.

℞. Ol. viol. & ol. rosar. an. ℥iß. ol. nenuph. ℥ß. abluantur succo plantag.aut aq.endiu.posteà adde mucag.althæ.& cydon.an.℥i.berberis, santali albi & rubri, sem. plantag. gummi arab. corall. rubr. an. ℈i. caphuræ g̃. v. aceti & ceræ parum, fiat vnguentum, quo tum renes *Linimentum pro renibus & iecoris regione.*

tum iecoris regio illinetur. Idem præstabit ceratum album, aut vnguentum rosatum, oleo viol. & nenuph. vel amygd. dulcium solutum; aut cùm roborare partem conuenit, vel vlceri cicatricem inducere, mastichino & cydonior. aut myrtino. Bractea plumbi tenuissima in succo plantag. aliquandiu immersa, multisque peruia foraminibus, lumbis præcingitur, ad renum ardorem. Quòd si vesica affecta est, aut in penis ductu exulceratio inest, aut aliâ quauis ex causâ dysuria vrget, pubis & perinæi regio vtiliter illinitur sequenti vnguento, quod ardorem demulcet.

Aliud pro pubis & perinæi regione.

℞. mucag. tragac. psyll. & althæ. factæ cum aq. portul. an. ℥ß. ol. viol. & amygd. dulc. (vel nenuphar. & myrtin. si corroborandum) an. ℥i. lactis mulieris ℥iß. ceræ parum, fiat vnguentum, cui medulla spinæ agni miscetur quàm felicissimè. Atque etiam longè meliùs res cedet, si agninum epiploon, aut adhuc calore perfusum, aut decocto maluæ concalescens superimposueris. Idem præstabit lac candido oui liquori cum aqua rosacea commistum, si linteola iis imbuta perinæo ac genitali parti insternantur. Quòd si dolor extremam pudendi partem quasi adurit, mentula vtiliter aut in tepente lacte, aut in decocto leniente immergitur. Quin etiam iecoris æstum, vnde acrior vrina prodit, aut mordax bilis in renes deriuatur, epithematis & vnguentis compescere oportet.

Clysteres anodyni.

Conueniunt prætereà renum ac vesicæ vlceribus clysteres anodyni ad dysenteriam compositi; sed præcipuè ex lacte, cum oleo violat. cassia, saccharo, & ouorum luteo. Aut si lactis desit facultas, ex mundi hordei decocto, cui eadem insint. Hæc sunt quæ renum & vesicæ vlcera, purulentas & exiguo cruore perfusas mictiones, omnem denique vrinæ difficultatem, non solùm ab vlcere, sed etiam ab humorum acrimoniâ profectam curant.

CAPVT XXX.

Sanguinis mictio.

QVibus sanguis ex vrinæ viis profluit; ij non aliâ noscendi mali signa desiderant; satis enim profusione sanguinis vitium exprimunt. At vnde is procedat, apertè iudicabitur loci dolore, ac profusi sanguinis cum vrina permistione: sed euidentiùs ex sanguinis copiâ: quòd neque à vesica, nec ab vretere multus prodire possit; à renibus autem, aut sphinctere ceruicis vesicæ musculo, & penis ductu, copiosus effluere queat. Atque hinc purus & sincerus redditur; A vesica autem tanquam à distantiore sede, vrinæ toti æquabiliter permistus, vt in pure comprehensum iam est.

Ex quâ parte sanguis prodeat in mictu cruento.

Curatio

Curatio.

Si vrina copiosum sanguinem trahit, ídque vel disruptis venis à casu & ictu, vel erosis ab humorum acrimoniâ, vel laxatâ & infirmiore renum substantiâ, primùm sanguis è cubito emittatur, cucurbitulæ admoueantur; deinde astringentia emplastica & exsiccantia offerantur, vt trochisci è succino, tragac. bolus arm. lapis hæmat. symphyti, plantag. millefol. polygon. decoctum: Atque vt summatim complectar, medicamentis vtendum, quæ ad cruentum sputum, & exuperantem mensium purgationem, & alias sanguinis eruptiones inscripta sunt. Extrinsecùs autem imponenda, quæ incipientes renum inflammationes reprimant, adiectâ si vis acaciâ, hypocistide, bolo armenâ. At cùm calculo renem proterente cruenta fit vrina, vix huiusmodi remedio opus est: sedato enim motu, cursus sanguinis sponte subsistit, redítque si rursus vehementior subitur exercitatio; fluore tamen persistente, iisdem sanguinis impetus inhibebitur. Si verò per vrinam exiguus cruor & veluti sanies emittitur, vlceri, vt dictum est, auxilia ferantur.

Reuellentia, & sistentia, tam interna quā externa.

Victus in mictione purulentâ & cruentâ.

Oportet conquiescere, cubare molliter, somno indulgere, abstinere ab omnibus salsis, acribus, acidis, & iis quæ maximè vrinam mouere solent, neque vino vti, sed aquam bibere, & quidem mediocriter, vt neque larga eius potione vrina copiosiòr, neque magnâ siti, aut inediâ reddatur acrior. Sumenda ptissana, oua mollia, nuclei pinei recentissimi, semina melonum exempto cortice saccharo inspersa, amygdalatum, amylum, & similia quæ vrinæ & humorum acrimoniam temperant, qualia sigillatim hæmoptoicis, tabidis, & ventriculi vlceribus apta esse dixi. Particulatim autem cruenta mictio cibis etiam astringentibus supprimitur.

Cels. l.4.c.10.

CAPVT XXXI.

De Ischuria & Stranguria.

SYmptomatum quæ in excernenda vrina oboriuntur & excitantur, tria sunt genera, quæ pro rei euentu appellationem acceperunt; si quidem vrinæ difficultas propriè dicitur, cùm lotium ægrè it, & magno doloris aut ardoris sensu redditur, δυσυρίαν Græci vocant, de quâ in vesicæ ac penis vlcere disseruimus. Eandem ceruicis vesicæ inflammatio profert. Hanc etiam sola vrinæ acrimonia interdum parit, túmque vrinæ ardorem nominant.

Dysuria quid.

Dysuria causa.

Stranguria, id est, vrinæ stillicidium, cùm guttatim stilla excernitur. Hæc si vehementi dolore & irritatione fit, dysuriæ obtinet

Stranguria quid, eiúsque causa.

rationem,easdémque cum illa causas habet; vesicæ (inquam) & penis vlcus, & acres humores eò delapsos, qui transitus vrinæ vellicant, ac mordicùs lacessunt, vt ideo assiduâ meiendi libidine lacessente, vrina paulatim destillet,quasi ex duobus implicatum symptoma sit.

Si verò nullo, aut obscuro dolore stillicidium adest, solâ duntaxat magnitudine ab ischuriâ distinguitur, ad quam efficientium causarum continuatione & incremento perueniret. Ischuria, siue suppressio est, cùm remorata vrina prorsus non respondet,neque laborans huius quicquam emittit. Ischuriæ causa est vel obstructio,vel astrictio viarum, per quas vrina meat: supprimitur autem vrina aut vacuâ, aut plenâ vesicâ; éstque impedimenti causa aliàs in vtroque rene, aliàs in vesicæ ductu. Obstructo altero rene vel vretere, vrina nihilominùs per alterum ferri potest; At vtroque præpedito & obturato, vrinæ cursus omninò subsistit. Obstructionis causa si in renibus est,lumbos grauitas infestat, renúmque dolores præcessere: nulla mejendi libido; nullus circa pubem & perinæum dolor, nullúsque tumor est, vesica vrinæ nihil continet, nihílque vel etiam inserto cathetere, remittit. At si quid vesicæ ceruicem vel obstruit, vel coarctat, pubis distensio, dolórque premit; expleta vesica tumorem ostentat; crebra & inanis vrinæ faciendæ cupiditas perurget; genitale sæpiùs depromitur, proinde laborans micturientis quandam præbet imaginem; demissâ æneâ fistulâ lotium profunditur, nisi inflammatio experimentum vetet. Impedimenta, quæ vrinæ vias intercludunt,hæc notantur, calculus,humor crassus ac lentus, sanguinis grumus,pus, inflammatio; atque in penis ductu, præter hæc, tuberculum carnosum vel callosum, ferè ex virulentâ gonorrhœâ, vel neglecto vlcere relictum. Sed & partium vicinarum, & recti intestini, atque vteri inflammationes, nonnunquam vesicæ ductum coangustant. Hæc singula tum propriis signis, tum præteritorum & præsentium diligenti obseruatione distinguuntur. Etenim cruentâ mictione prægressâ si vrinæ cursus repentè subsistat, sanguinis grumus in causa est. Si purulenta,concretum & retentum pus. Si otium, crassorúmque & viscidorum alimentorum vsus præcessit, & crassæ vrinæ, atque albæ inspectæ sint, lento humore ductum obstruente, vrinæ profusio cohibetur. Ita quidem de cæteris statuendum,perpensis tum calculi,tum inflammationis,tum calli, tum adnatæ carunculæ notis. Immisso tamen cathetere, quicquid vesicæ meatum obsidet,nisi sit inflammatio,certiùs exploratur, & vrina euocatur. Cæterum præter has causas, ischuriam sæpè infert vesica vrinam non expellens; ídque nonnunquam principe sentiendi facultate læsâ,vt in lethargo & veterno,in phrenitide,& delirio: In illis enim sensus consopitur; in his mens aliò auertitur.Sic enim per eosdem affectûs,aluus quoque supprimitur,aut obtuso, aut distracto sensu; Aliquando resolutis ex lumborũ ictu,vesicæ neruis,sed musculo sphinctere incolumi:Hinc torpescẽte sẽsu,neque copia, neque acrimoniâ ad vrinã reddendam vesica impellitur. Interdum etiam vesica vrinæ præter modum

Ischuria quid, eiúsque causæ.

Signa causarum ischuriæ.

dum retentæ copiâ turgens, & immodicè distenta, illam exprimere non potest. Itaque quicquid istiusmodi fuerit, manibus compressâ vesicâ, lotium excernitur. Hæc singula rerum euentis & comprobantur, & designantur, vt proinde viros doctissimos à confirmatâ Galeni sententiâ defecisse miremur.

Fernelium intelligit, quē vide l.6.pathol.c. 13.

Curatio.

Indicationes ex causa mali repetenda.

Si vrina parciùs emittitur, vel omninò supprimitur, curandi ratio ex causarum varietate instituenda est. Non enim inflammationi eadem quæ calculo, nec humori crasso, aut grumo obstruenti eadem quæ callo aptari possunt. Cùm ergo mucosus humor, ac pituitosus vrinæ profusionem cohibet, aut coactæ arenulæ, aut pus lentum, aut concretus sanguis, aut aliud quiduis crassum meatûs intercipit, diureticis remorantem vrinam extrahes. Diureticorum quæ sit temperatura, & quæ materia, suprà quidem comprehensum est, cùm hæc ab illis quæ calculum frangunt, distinximus. Quæ verò vrinas strenuè cient, eadem quoque renes & vrinæ ductûs abstergendo & incidendo expurgant. Videntur autem eam facultatem habere radices apij, fœnic. petros. raphani, chamæleontis albi, capparum cauliculus, ononidis radicis cortex, fragaria, smyrnium, erysimum, crithmum, smyrnium, asarum, cyperus, acorus, enula, eryngium, iris, lauri cortex, rubia, daucus, phu, méon, pulegium, origanum, calaminta, prassium, polium, millefol. artemis. betonic. chamædrys, chamæp. pimpinella, dictamnus, sabina, cicer rubrum, semen apij, petros. fœnic. sesel. carúi, pastinacæ syluestris, semen raphani & periclym. ameos, decoctum erui, radicis lupinorum. Adhæc, cardamomum, nardus omnis, malabathum, calamus odor. iuncus odor. myrrha, tereb. cinnamom. flos genistæ, hyperici, quæ quidem vt calidiora & acriora sunt, ita vrinæ angustias validè discutiunt, & in diureticis efficacissima statui debent.

Crassa materia, stranguriæ & ischuriæ causa, diureticis amolienda.

Diureticorum sylua.

Notantur & alia nonnulla modicè frigida, aut temperatis proxima, vt liquiritia, hordeum, radix asparagi, gram. rusci, adiantum, asplenium, trichomanes, helxine, grana halicac. semina fr. maiora, quæ illis temperandis aptissima sunt, quemadmodum punici mali succus. Ergò vt summatim complectar, quæcunque manifestis qualitatibus, arenulas extirpare, cap. de calculo diximus, eadem vrinas pariter mouent, & renum ac vesicæ infarctûs expediunt. Verùm non antè iis vtendum, quàm clystere cum benedicta, in calculo præscripto, alui fæces descenderint, & vomitu proritato expurgatus sit ventriculus. Atque si corpus lento humore infarctum est pharmaco priùs detrahenda pituita, quale est quod agarici trochisc. ʒi. Indi maioris ʒii. aut iii. constat, ex decocto cnici, passul. & liquirit.

Diureticorum vsui præmittendus clyster, syrmaismus, aut catharsis.

Post hæc, fotus, insessus, vnguenta, cataplasmata, & in assumptorum genere syrupi, decocta, aliáque medicamenta quæ ad calculū descripsimus, ducen

ducendis vrinis aptiſſima erunt; quibus opportunè, veluti præmonuimus, vtendum, nec niſi priùs laxatis viis per ea quæ extrinſecùs adhibentur, remediis aſſumptis agendum quæ vrinam cient, ne pleniùs adiecta vrinæ copiâ, naturales exitûs magis obſerentur, præſertim ſi impurum corpus eſt.

Externis remediis priùs vtendum ad prouocandum lotium, quàm internis.

Quamobrem clyſtere identidem repetito, mitioribus primum diureticis; dein vehementioribus eſt opus. Vtriuſque ordinis plurima habes primo capite, quæ aduersùs vrinæ ſuppreſſionem efficaciſſima probauimus. Attendendum tamen ne vel febricitantibus, vel vlcere affectis acriora decernantur, ſed ſemper quadam frigidorum permiſtione repreſſa: alioqui neque vlcere, neque febre reclamante, calidioribus & valde attenuantibus, quæ pertinaciter impacta ſunt, eximere neceſſe eſt. In ídque antiqua theriaca vino albo ſoluta vtiliſſimè datur potanda. Itidem mithridat. diacurc. aut antidotum hæmagogum. Hoc etiam efficax habetur ad vrinæ ſuppreſſiones & ſtrangurias.

Diuretica validiora quibus decernenda, aut non decernenda.

℞. Phu, méu, ſem. apij, dauci, petroſ. rubiæ maior. ſabin. aſari, ameos, fœnic. cinnamom. galang. amygd. amar. an. ʒii. ſemin. melon. ʒi. cantharid. detractis capitibus & alis, ğ. iij. ammon. ℈i. Ammoniacum vino diluitur, & reliqua eo excipiuntur, & concinnantur formulæ inſtar auellanæ, quæ à ʒi. ad ʒij. offeruntur, ex cicerum rubrorum decocto, aut aquâ raphani, aut aliâ aperiente.

Formula diuretica ex liquore aliquo diluenda.

Adnota.

Dein ſi æger poteſt, in labro calidiore inſideat; ſin minùs, calido fotu pars ſubinde perfundatur: ita reſolutis impedimentis vrina profundetur.

Fotus.

℞. Radic. althæ. lilior. enul. & raphan. an. quart. i. atque ſi pertinax obſtructio eſt, rubiæ mai. quart. ß. helxines, ſiſymbr. aquat. an. M. ii. braſſic. maluar. ſampſuch. abrotan. pimpin. artemiſ. praſſ. fol. napi, apij cum toto, fœnic. & petroſ. cum radicibus, fol. cartham. aut ſabin. aut ocymi mai. aut tanaceti, an. M. i. rutæ & puleg. ſiccorum, an. ℥ß. ſemin. lini & fœnugr. an. ℥iß. flor. chamæm. melil. ſambuc. & geniſt. an. p. ii. fiat decoctio affusâ ſub finem vini albi ſelibrâ, quâ perfudiſſe partem auxilio eſt, præſertim magmate decoctionis quam mox adhibito. Aut bubula veſica decocti ſemiplena imponatur pubi. Horum quantitate triplo auctâ comparari ſolium poteſt, cuius tepore vrina prorumpet. Hoc idem ſiſymbrium & helxine, oleo liliorum, chamæmel. irino, & ſcorpion. in ſartagine tabefacta impoſitáque præſtabunt. Vel ſiſymbrium cum raphani & petroſ. radic. ex vino albo mero, butyróque aut oleo concoctum, & pubi calidè adhibitum. Ad hæc lauri & iuniperi baccæ, cum triticeo furfure allióque contritæ, & vino in calenti latere conſperſæ, pubi vtiliter imponuntur.

Semicupium.

Cataplaſmata.

Quin

Quin & ſtercus vaccinum melle ſubactum, & calidè admotum cupidinem meiendi concitat: necnon omentum hœdi, & veruecis, proprio calore tepens pectini alligatum. Galbanum quoque ſcorpionum oleo liquatum, & peni, atque pubi illitum, eandem obtinet efficaciam, præſertim cùm ſuppreſſionis cauſa veſicæ, aut eius ceruici inſidet. Neque diſſimilem myrrha in pueris vim profert. Quocircà ſi hærentem vrinam exturbare velis, hoc præcipuè iuuabit.

Vnguentum vrinam prouocans. ℞. Axungiæ cuniculi & gallin. ana ℥i. galban. myrrhæ, opopanac. aut ſagapen. in vino albo eliquati, ana ℥ß. ol. lilior. & ſcorp. ana ℥ij. puluer. iridis, ſemin. raphan. & apij, ana ʒi. croci & flor. camom. ana ʒß. miſce, fiat vnguentum, cuius illitu ad pubem & perinæum facto confeſtim vrina profluet. Sed meliùs reſpondebit, ſi ſub hæc, decoctum aliquod ex iis quæ calculo adſcripſimus, detur.

Immiſſa.

Iniectiones. Si veſica ſit infarcta, aut craſſum aliquid intus ſe oppoſuerit, præter aſſumpta & admota, oleum ſcorpionum aut ſolum, aut oleo nard. vel lilior. miſtum, aut oleũ è terebinth. aut raphani aquam, aut decocti aperientis portionem iniicito, & vrinæ difficultas expedietur. Interim veſica clementer, ac blandè manibus premenda, & contrectanda erit. *Suffitus.* Sunt qui laborantem veſte inſtrata exacte contectum ſubter ſuffiunt, ſubiecto caſtoreo, quod ſuperpoſitum prunis, nidorem in perinæum expiret. Sunt & qui vini generoſi ſuffitu idem effici putent, modò calentes lateres aliorum capitibus ſuperimpoſitis vini coniecti vaporem refundant. Idem pelle erinacei terreſtris ſubiectis carbonibus impoſitâ moliuntur. Neque deſunt qui ſuctu impedimenta extrahant. Quinetiam obſtructo meatu vrinario, croci pilos indere peni, inprimis vtile eſt. Vrinam quoque accerſes, ſi vel pediculum, vel cimicem foramini quo meat vrina, immiſeris: hæc enim pruritum cient. *Catheteriſmus.* Sed præſentius auxilium erit, cathetere aut candelâ cereâ oleo ſcorpion. vel amygdal. dulc. priùs illitâ, aut petroſ. cauliculo, aut peucedani peruncto, immiſſóque vrinam remorantem euocare. Catheteris immittendi modus ex Paulo colligendus. *Lib. 6. c. 59.* *Curatio iſchuriæ à grumo ſanguinis.* Porrò cùm vrina non redditur, ſanguinis grumo ceruicem obſtruente, protinùs modis omnibus concretum ſanguinem diſſoluere & educere oportet, ne pernicie, animi defectum, ſudores frigidos, ſyncopas, ſpaſmos, ac mortem inferat. Grumum diſſolues partim aſſumptis, partim iniectis.

Aſſumpta, ſanguinis grumum diſſoluentia. In aſſumptis, quæ calculum atterunt, & vrinas mouent, eadem quoque ſanguinis grumum ſoluunt, ſed præcipuè decoctum ſtœch. origan. ſarmentor. vitis, rubiæ, fœnicul. radic. pœon. & ſemin. eiuſdem, cumini, ſeminis apij, adiecto cucumeris ſemine. Datur etiam potui arthemiſ. decoctum, aut ariſtoloch. longæ, helichryſique, vel raphani ſemen, vel liquor laſeris, vel apij ſuccus, ſingula in aceto temperata. Quibus

duntaxat vtendum, ſuppreſſo ſanguinis fluxu, vnde origo grumi fuerat; alioqui fluente adhuc è ſublimioribus ſedibus ſanguine in veſicam, nihil iſtiuſmodi iuuat, ſed ab iniectis auxilium petendum, licet tamen coagulo leporis, aut hœdi, cum ſyrupo acetoſo, aut oxymel. præſertim ſquillit. concreta diſſoluere, & eodem ſolo ſoluta cogere, vt in ſanguinis ſputo comprehenſum eſt.

Syrupus.

℞. Oxymel. ſimplicis vel diuret, vel ſquillit. ℥ij. decocti apij, fœnicul. ononid. liquirit. & cicerum rubr. ana ℥iiij. cineris ficûs aut ſarmentor. ℈ß. vel antidoti hæmag. vel pulueris Iuſtin. vel diaſpermat. vel lithontr. miſce, detur.

Ad grumos veſicæ.

℞. Cardamom. myrrhæ, ſabin. rubiæ tinctor. baccar. iuniper. ammoniac. liquoris cyrenaic. vel aſſæ fœtidæ, quòd ille deſit an. Ammoniacum, fœnicul. ſucco, aut ſimili aliquo læuigatur, & ex eo alia excepta, in catapotia digeruntur: ex quibus ʒi. ter in die cum aperientis decocti ℥iij. propinatur. In vniuerſum iis vtendum, quæ calculos comminuunt, datis ex ſyrupo acetoſo, aut oxymelite, atque interdum ſquillit. nî grumus euincitur. Ad hæc per ſiphonem ſyrupus acetoſ. aut oxymel. præſertim ſquillit. aut ariſtoloch. longæ, rutæ, & abrotani decoctum, aut aqua ſale diluta, aut præſcripta catapotia liquore ſoluta, aut ſubſcriptum lixiuium opportunè iniicitur.

Iniicienda grumos diſſoluentia.

Lixiuium.

℞. Cineris ilicis aut ficûs, aut braſſicæ, cineris ſarmentorum, alkali, cineris abrotan. ana, q. ſ. illis aquâ immerſis, dein per colum transfuſis, fiat lixiuium, cuius modica portio per ſiphonem in veſicam demittitur. Si ne ſic quidem grumus diſſoluitur, proderit nemoralis teſtudinis fel lixiuio immiſcere, aut vnà coagulum leporis, vel hœdi iniicere. Sed & coagulum aquâ raphani ſolutum commodè iniicitur, aut aqua rubiæ.

Admota grumos diſſoluentia.

Veſicæ locus ſpongiâ nouâ calidè fouendus, quæ vel in lixiuio ſarmentorum, aut ficus, vel in poſcâ, vel in acri ſalſamento, vel muriâ, vel aquâ maris maduerit. Mox theriaca & diacurc. antidotus, oleo ſcorp. & & amygd. amar. & laurino ſoluta, & adiecto oxymelite ſuperillinuntur: aut hac formâ.

Litus pectinis & perinæi.

℞. Ol. lior. laurin. ſcorp. & amygd. amar. ana ℥iß. puleg. ſicci, ſemin. dauci, ſeſel. ſemin. raphan. & baccar. laur. ana ʒij. ſinapi ʒi. fimi columb. ℈ij. flor. chamæm. & geniſt. ana p. ß. coquantur ad medias,

percolatis

percolatis oleis adde theriaces electæ, & confect. diacurc. an. ℥i. oxymel. simpl. vel squillit. ℥vi. fiat litus, quo pectinis & perinæi regio sæpè illinatur.

Insessus. Proderit quoque in solio insessus, cui chamæm. stœchas arab. sampsuc. sisymbrium, brassicarum cacumina, ruta, stercus columb. incoxerit. Ita quàm celerrimè lotium mouebitur. Quòd si nihilominùs subsistat, auxiliabitur suctus & catheter, ac reliqua quæ iam crasso humori, aut calculo excludendo accommodauimus. Si calculus vesicæ ceruicem obstruit, metastasi, siue corporis succussu, cathetere, solio, fotu, aliisque præsidiis ille aut eximetur, aut intrò remeabit, atque ita lotium excernetur. *Ischuria à calculo curatio.*

Ischuria ab inflammat. curatio. Inflammatio autem suo modo curanda, cùm tamen eius magnitudine remorante prorsùs vrina sic hæret, vt æger meiere non possit, periculo non vacat, neque facilè remedium adhibetur, neque catheter immittitur, sed inprimis verenda loci illius irritatio. Neque obiicienda quæ acri facultate vigent, vt vrinam pellant. Ea quippe in vrinario meatu inflammationem augent, multóque magis inde vitium gliscit. Itaque calidâ affusâ cui chalastica & anodyna, vt suo loco dictum est, incoxerint, & oleis perunctâ parte, homo vrinam egeret.

Ischuria à tuberculo carnoso curatio. Tuberculum carnosum, aut callus, antequàm vrinam omninò cohibeat propriis remediis extirpari debet. Cùm autem suppressionis causa est, insessu, fotu, vnguentis, chalasticis callum emollire, vias laxare, denique apto cathetere oleo amygdal. dulc. inuncto, non autem diureticis, vrinam ciere oportet. Si imbecillior vesica vrinam non emolitur, alioqui distenta, calorificis vtendum, vnctione, fotu, balneo, chalasticis, clysmis, potionibus & aliis suprà comprehensis, tum assumptis, tum admotis. Plenior vesica manu comprimenda est: interdum enim admota manus vrinam expellit. vtque vrinæ reddendæ libido lacessat, alliciendus laborans meientis cuiusdam intuitu, quod in delirantibus nonnunquam profuit. *Ischuriæ ab imbecillit. vesicæ curatio.* Cùm autem obtusus vesicæ sensus vrinam tardiùs emittit, aut supprimitur, præter cætera iuuatur frequenti vnctione lumborum, & ossis sacri ac pubis, ex oleo costino, irino, è nuce indica, sambuc. lilior. narciss. è castoreo, vnguento marciato, aregon, theriaca cum aqua vitæ, & aliis capite de resolutione expositis: Illorúmque tantillum in vesicam demittitur vtiliter. *Ischuria ab obtuso vesicæ sensu curatio.*

CAPVT XLII.

De Diabete.

Diabetes, quid. IMmoderatum vrinæ profluuium, quod alij diabeten, alij matulæ intercutem, alij dipsacum appellant, proprium est renum symptoma, ex

ex quo laborantes, οὐρητικοὺς Græcis dicunt. His vrina plus æquo profunditur, omnísque potus nil ferè mutatus protinùs effluit, vt idcircò lienteriæ respondeat. Si vel potionis immoderatione & copiâ, vel diureticorum longo vsu, aut frigoris vi, aut aliarum euidentium causarum occasione, vrina multa, eadémque aquosa profluat, diabetes non est. Quemadmodum neque si colliquantis febris ardore multa, simúlque rubra, flammea, aut passea redditur, sed duntaxat cùm interiore renum vitio, ac vniuersi corporis colliquatione vrina cruda immoderatiùs emeiitur, & supra potionum modum sine dolore profluens, maciem, periculúmque facit. Tam graue symptoma & insolens, vix à sola renum calida intemperie excitari putem; quin potiùs cùm illorum substantia, humore calido, nitroso, aut acri imbuta atque stimulata, serum inexplebili cupiditate continenter attrahit, nulláque intermissione in vesicam transfundit. Hinc seroso, ac tenui seorsum secreto, ac violenter rapto, totum corpus digeritur, ac sanguis coit. Quapropter hac affectione qui premuntur, siti inexhaustâ correpti, supra modum bibunt, æstúque flagrant & exarescunt: neque potioni, nec vrinæ modus inest; atque vt in bulimo ingens cibi, sic in diabete potionis inexpleta est appetentia. Hoc mali genus biliosis accidit, ob seri tenuitatem, renúmque, & iecoris ardorem, cùm & diuturnis febribus, effrænatæ veneri, & extremæ lumborum lassitudini interdum succedat; vnde renes incenduntur, & exardescunt.

Diabetis causa.

Diabetis signa.

Curatio.

Prognost. *Indicationes.*

Rarissimum hoc vitium, & quod vbi aliquantulum protractum fuerit, animanti necem infert. Cui initio si deprehendi queat, subuenitur remediis & assumptis & admotis, ad incipientes renum inflammationes expositas. Atque inprimis salutaris est clyster frequens ex cassia, crebráque vomitio: inutilis ac sæpè aduersa venæsectio, nisi vasis supra modum tumentibus. Potio conuenientior atque inprimis necessaria, modo è cassia sit, cum rhéo infuso & syrupo rosato laxante præstantissimo, aut myrobal. citrear. decocto. Vel bolus ex eadem cassia, cum tamarindor. aut myxariorum pulpâ, adiecto violato saccharo. Syrupi qui refrigerent & roborent, tum illic, tum in iecinoris phlegmone præfixi, adiectis tamarindis, & psyllij, ac papau. albi semine, coriandris, myrti baccis, aut myrtino syrupo, aut è rosis siccis, aut syrupo è succo oxalidis, aut affuso succo pampinorum vitis, aut succo mali punici acidi: Ad hæc, trochisci astringentes, quales hi videntur.

Purgantia.

Refrigerãtia, & roborantia.

Trochisci astringentes.

℞. Spodij ℥ß. sem. lactuc. portul. rosar. rubr. boli armen. ana ʒiiß. succi liquirit. ℈ij. balaust. coriandr. siccati, granor. rhois, corall. electri, ana ʒi. gummi arabic. & tragacant. ana ʒß. caphuræ ℈i. terantur in puluer. & plantaginis succo aut mucag. psyllij excepta digerantur in pastillos, quorum ʒi. mali punici succo subacta porrigitur: Atque vbi

minùs

minùs proficit, opij ℈ß. toti compositioni inserito; aut exhibeto è syrupo papau. aut è nymphæa.

Tandem opem trochisci è spodio cum semine acetosæ, aut trochisci è succino præstabunt, quemadmodum plurima alia dysenteriæ præsidia, & maximè condita. Vbi tamen corpus insigniùs emarcescit, ab exsiccantibus assumptis temperandum: Quæ enim vehementiùs exsiccant, corporis molem vehementiùs absorbent, atque diripiunt: sed multò magis arcenda humida, quibus vrinæ copia succrescit. Accommodatissima sunt, quæ crassa sunt & emplastica. Eiusmodi est symphytum, tragacanth. gummi arab. amylon, bolus armen. terra lemnia, mucilago cydonior. aut psyll. quæ in opiatæ formam vtilissimè coguntur.

In insigni corporis macie, ab exsiccantibus temperandum.

Crassa & emplastica diabeti optima.

Opiata.

℞. Conseru. symphyt. & carnis cydonior. saccharo condit. ana ℥i. conseru. rosar. antiq. ℥ß. boli armen. ʒij. puluer. diatragac. frigid. & trochisc. de spodio cum semine acetos. ana ʒiß. cum syrup. de papauer. & myrtino, reduc in formam opiatæ, de qua detur instar iuglandis. Eiusdem facultatis alia quamplurima hæmoptoicis præscripsimus. Extrinsecùs autem vsui sunt, quæ refrigerent, & astringendo roborent, qualia è succo solani, plantagin. portulac. aut semperuiu. parantur, cum oleo myrtino, rosato, melino, omphac. è nymph. è semine cucurb. è papauer. adiecto spodio, rosis, santal. malicor. aut balaust. aut acaciâ, aut bolo armen. & caphurâ parantur. Præter hæc, & solium aquæ frigidæ, in quod resupinus æger à genibus ad vmbilicum demergatur, temperando renum ardori destinabitur. Itidem portulaca, plantago, rasura cucurbit. commodè renum regioni superligantur. In id quoque laminam plumbeam variis peruiam foraminibus, ac succo plantagin. aut solan. aut portulac. sæpiùs immersam, lumbis circumferre iuuat. Vt igitur summatim dicam, omne remedij genus, quo renum calor temperatur, & vrinæ acrimonia obtunditur, dari potest. Cuiusmodi etiam videntur esse quæ ex papauer. succo, philon. Romano, aut Persico, recenti theriacâ, aliisque id genus parantur. Sed mirum, quomodo antiquâ theriacâ morbus hic calidus siccus iuuetur, nisi aut absumptâ, aut sudorum eruptione deriuata efficiente mali causâ. Præstabit nihilominùs laconico, aut exercitatione, aut potiùs frictione sub sole, vel ad ignem, sudores elicere, quàm assumptis. Et quia fluoris impetus vires plerunque carpit, his præcipuè consulendum ouis sorbilibus, amygdalino lacte cum refrigerantibus præparato, hordeatis è torrido hordeo, sed præcipuè lacte in quo chalybs, aut calculus fluuiatilis sæpè extinctus sit; oryzâ, amylo, pane eloto, è similagine, animantium extremis, & aliis incrassantibus, & iusculis quibus semen papauer. lactuca, portulac. incoxerit, per quæ

Externa præsidia.

Semicupium.

Lamina plũbea lumbis instrata.

Theriaca antiqua.

Sudorem prouocantia.

Analeptica, leuiter incrassantia.

Cardiaca frigida.

malo inprimis occurritur. Itaque ne corpus ardore colliquefcens abfumatur, fedulò reficiendum ea ratione, quâ tabe confectos inftaurari docuimus, recreandæque vires cardiacis frigidioribus in fyncope comprehenfis. Sed ab omni calidorum vfu, & vino, (nifi æger deficiat, cui aufterum permittitur) & iis quæ vrinas citant, abftinere oportet, atque conquiefcere decet, neque tamen decubitu fupino. Interim litis inclementiam aptiffimè temperabimus affiduâ frigidæ tum ingeftione, tum vomitione, modò ventriculi imbecillitas non reclamet, & potu lactis acidi (oxygala dicti) è quo butyrum coactum fit: cibifque comprimentibus, omphacio & rhoë obfoniorum præparatis.

Præter hæc fubinde os frigidâ colluere, ac cryftallum ore continere iuuat.

CAPVT XLIII.

Vrinæ incontinentia.

Vrinæ incontinentia.
Caufa incontinentiæ vrinæ.

VRinæ incontinentia eft, cum ea nullo dolore, nullóque doloris ftimulo, præter voluntatem exit, & intempeftiuè redditur. Id mali creat refolutio mufculi fphincteris, qui tanquam cuftos aliquis in ceruice veficæ pofitus inhibebat, ne fponte proprióque impetu proflueret vrina. Quamobrem refolutis neruis qui è lumborum regione in eum feruntur mufculum, idque vel defluxione, vel frigoris iniuria, vel ictu, cafúve, aut vulnere, mufculus occludi non poteft, effluítque nolentibus vrina. Huic & alia affectio vicina eft eorum, quibus non vigilantibus, fed dormientibus duntaxat, vrina excidit. Vitium hoc pueris familiare, fenibus non infuetum. Fit autem non paralyfi, fed folâ mufculi laxitate & mollitie, pituitæque redundantiâ, præfertim nocturnis locis humentibus, ac per fomnum languente retinendi facultate. Continentur enim recrementa hæc, voluntate & vi animali, quæ cùm maximè fopita eft, expelluntur tanto naturæ impetu, qui nihilominùs in fomno viget.

Mictio iniuffa per fomnũ, eiúfque caufa.

Curatio.

Pro caufarum varietate varianda curatio.

Si refoluto ceruicis veficæ mufculo vrina continenter excidit, ægrè admodum cohibebitur; tentanda tamen ea remedia, quæ & paralyticis afcripta funt, præcipuè topica quibus lumbos & perinæum illinere oportet. Si laxatæ lumborum vertebræ, hæ (modò fieri poffit) in fuam fedem compellendæ: Cùm enim in partem interiorem procidunt, reduci vix queunt. Si fphincter vulneratus, vel à lithotomo laceratus, nufquam deinceps vrina continebitur. Itaque fpongiâ feruitutis indignitas obtegenda eft. Quòd fi mufculi infirmitas, laxitas, atque mollities ex humoris affluentia nocturnam permictionem inducit, mox vt

Vrinæ incontinentiæ ob fphincteris effeminationem, curatio.

primum

primum ventriculo humidiori prospexeris, si quidem illinc malum fouetur, victûs ratione exsiccante est opus, roborantibúsque potissimum vti conuenit: sed inprimis auxiliantur renes, & testiculi leporis arefacti, eiusdem cerebrum; vesica & priapus tauri, vesica suilla, aut capræ, aut ouis, lingua anseris, gallinæ guttur combustum, caro erinacei, thus, eiúsque cortex, mastiche, myrobolani, nucleus tum myrobal. tum palmular. intimus castanearum cortex, coriandrum præparatum, spica, agallochum, cyperus, baccæ myrti, rosæ, mentha sicca, glandes, nux cupressi, rasura cornu cerui, cornu capræ delimatum, scobes eboris, vnionum puluis, & quidquid sibi exsiccantem facultatem vendicauit.

Victus exsiccans.

Horum ergò alia qualitate manifestâ musculum roborant, alia proprietate quadam reconditâ vitium corrigunt, quæ simul misceri par est, atque cinnamomo, vel rhodosaccharo condita pulueris specie ex vino dormituris exhiberi.

℞. Testiculorum leporis siccorum, vesicæ tauri arefactæ, & linguæ anseris eadem arte præparatæ, ana ʒi. corticis thuris ℥ß. granor. myrti, coriandr. præparat. ana ʒij. cyperi ʒiß. rasur. eboris, cornu cerui vsti, & aquâ rosar. loti, & cinnamom. ana ʒi. ligni aloës, si extet, ʒß. fiat puluis: dentur ʒij. dormituris, ex vino, aut plantagin. aquâ, aut consolidæ, aut sorborum, aut aquâ è punico malo recenti, totidémque manè. Eadem possunt conserua symphyti excipi cum syrupo de mentha, aut conseruationis acori. Similem effectum præbet quod sequitur.

Puluis pro ἐνεργῶς.

℞. Priapi tauri exusti, & gutturis galli gallinac. ana ʒi. sacchari rosat. tabulat. ℥ß. glandium, gummi arab. torref. ana ʒij. boli armen. & nucum cupressi, ana ʒiß. rasur. dentis apri, corall. rubr. vsti & loti, & caryophyll. ana ʒi. galliæ mosch. & cinnamom. ana ℈ij. puluerisentur.

Alius.

Commendatur etiam à multis glandium assatarum puluis ex aqua chalyb. aut vino cui baccæ myrti, glandium calices, rubentia rhois grana immacerata sint.

Iuuat etiam in natu maioribus, vbi viget humida frigidáque intemperies, theriacæ antiquæ, aut mithridat. aut tripheræ magnæ tantillum ieiuno offerre, aut quidpiam eorum quæ humido, frigidóque ventriculo destinata sunt. Neque verò interim omittendum, quin per ea quæ extrinsecùs adhiberi possunt, iuuetur æger. Itaque perinæum & spinæ extremum, & penis radix, decocto eorum quæ corroborant, fouenda sunt, atque insuper vnguentis & emplastris, quæ simili facultate pollent, firmanda.

Externa præsidia ad vrinæ incontinentiam.

Fotus roborans.

℞. Radic. cyperi ℥ij. saluiæ, calament. sampsuch. puleg. lauend. rorismar.

rorifmar. abfinth. menthæ, ana M. i. baccar. & folior. myrti, M.ß. nucum cupreffi, num. vi. flor. ftœchad. rorifm. & rofar.rubr. ana p. i. florum chamæm. p. i. incoquantur vino aftringente: foueantur inde partes defignatæ; dein vngantur fequenti.

Vng. roborans. ℞. Rofar. rubr. fol. abfinth. & menthæ ficcor. ana ʒi. maftich. thuris, an. ℈iiij. caryoph. ℈ij. caftorei ℈i. olei nard. & de fpica, vel maftich. ana ℥ij. ceræ parum, fiat vnguentum. *Emplaftr.* Quinetiam emplaftrum contra rupt. vel de maftiche, oleo lentifc. vel de abfinth. malaxatum, iifdem locis commodè imponitur & affigitur.

SECTIO SEPTIMA.

Vitia obfcœnarum partium.

CAPVT XLIV.

De Priapifmo, Satyriafi, & Gonorrhœa.

Priapifmus, quid. PRiapifmus eft conftans & inuita penis erectio, fiue incrementum præter naturam, citra congrefsûs defiderium, ac veneris illecebras. Erigitur quidem coles fecundùm naturam, fi conflagrat mas ardore coeundi, móxque repreffo libidinis æftu, deprimitur, ac flaccefcit. Hîc verò genitalis pars, tanquam in tetano, rigida intentáque perfiftit, & moleftiffimum diftenfionis fenfum affert, quafi funiculo peni fubtenfo. Itaque ftabilis eft colis inflatio; at fupino decubitu, aut aliter incalefcentibus lumbis orta, facilè folubilis, inconftans, ac veluti pertranfiens. *Priapifmi caufa.* Huius caufa proxima, nifi ex inflammatione fit, craffior flatus eft, fiue halituofus fpiritus ex lentis & craffis humoribus caloris vi fufcitatus, qui penem repentè implet, arrigit, viáfque diftendit: Dum enim qui concauus eft in pene neruus, eiúfque arteriæ à coërcito intus flatulento fpiritu inflantur, pudendum in ingentem tumorem exurgit: flatum quippe arguit affectionis celeritas.

De Satyriafi.

Satyriafis, quid. Satyriafis priapifmo finitima, pudendorum quoque tenfio eft, & quafi palpitatio, fed manifefto libidinis ftimulo, & titillationis fenfu exagitans. *Satyriafis caufa.* Fit autem aut vaforum fpermaticorum ardore, & quadam velut inflammatione aut incendio, aut feminis redundantiâ, atque affluentiâ fupra mediocritatem. Siue enim feminis vafa turgent, & immoderatâ feminis copiâ diftenduntur, vt in iis qui præter confuetudinem diutiùs à coïtú temperârunt, fiue eiufdem acrimoniâ, & pru-

ritu

ritu incitantur & irritantur, ſatyriaſis, quaſi effrænata & indomita venus euadit, magno certè virium diſpendio. Solers quidem natura moderatam libidinem ex ſeminis ardore, & moderatâ eiuſdem copiâ excitat. At in ſatyriaſi, exuperantibus cauſis, neque colis tentigini, nec illecebris modus conceditur. Quamobrem iis qui ſupra modum rei venereæ indulgebant, intermiſſa diu venus ſatyriaſim promouet, tracto, congeſto, & coaceruato ſemine multo vi præpotente teſtium, maximè ſi reliquum corpus opimum eſt, ſucci plenum, otioque diffluens. Quinetiam interdum in ipſa humorum penuria teſtes vel naturâ, vel exercitatione robuſtiores, vberiorem ſeminis materiam, quàm ſibi opus eſt, rapiunt, atque ita corpus exugunt & eneruant. Sed & acrium alimentorum vſu, præſertim ſi flatulenta illa ſint, ſimulque ignea renum & teſtium conſtitutio affuerit, coërcitum ſemen impetu, ardoréque corpus perturbat, tum maximè cùm à rebus externis libido incenditur. Hinc venereus ardor atque ſtimulus in pudendis exortus ex ſemine, rigidum penem exhibet. Itaque ex intento cole priapiſmi nomen plerumque ſatyriaſi accommodatur, tametſi propriè differentes illorum cauſæ ſint, & diſſimilis appetitio.

Gonòrrhœa.

Gonorrhœa quid.

Gonorrhœa dicitur, cum ſemen, cole non extenſo, immoderatè ac præter voluntatem excidit, nullo veneris impulſu, nullóque voluptatis ſenſu. Quæ enim arrecto cole, vel per veneris inſomnia, vel in firma venereorum comprehenſione, atque vehementi cupiditate, non citra oblectationem fit ſeminis excretio, propriè gonorrhœa non eſt, ſed iam ſatyriaſim æmulatur, in qua rigido pene ſemen nonnunquam effluit. Etenim vberrimè congeſtum ſemen, turgidumque ſpiritus vbertate, vix poteſt ſuis vaſis contineri, ſed cogitur foràs exilire, ingenti voluptate, non modò vigilantibus, ſed & plerumque dormientibus tum viris, tum mulieribus, coctum id quidem, craſſum & coactum: at in exquiſita gonorrhœa, crudum, tenue, aquoſum, & copioſum profunditur. Hoc vitio conſtat hominem poſſe tabe conſumi. Cæterum vt lienteria ventriculi, ſic gonorrhœa vaſorum ſpermaticorum imbecillitate accidit, ob quam aut ſemen non conficitur, aut non arctè continetur, dum integrè ſit concoctum. Vaſa autem imbecilliora redduntur, ſi laxiora euaſerint, & calore, aut laſſitudine defeſſa immodicè patefiant, vt in iis accidit, qui ætate immatura, ſupra modum rei venereæ indulgent, qua robur diſſoluitur. Gonorrhœæ finitimum eſt, ſi leui momento ac prima titillatione ſemen proſilit, idque aut vaſorũ infirmitate aut ſeminis acrimonia. Gonorrhœa ergò vaſorum duntaxat ſpermaticorum; priapiſmus pudendorum; ſatyriaſis verò amborũ eſt affectio, quaſi nunc huius, nunc illius vitij rationẽ obtineat.

Gonorrhœæ ſigna. *Celſ l. 4. c. 2 8.* *Gonorrhœæ cauſæ.*

Curatio.

Horum affinitas atque coniunctio facit, vt vnam omnium curationem proponamus, in quâ tamen quidque proprium liceat animaduertere.

Indicationes. Vniuersalia. remedia. Primùm ergo corpori vniuerſo proſpiciendum, ſi quidem hinc vitij cauſa eſt, atque ſi opimum corpus eſt, redundantis ſeminis materia, venæ ſectione, inediâ, duris partium ſuperiorum frictionibus, digerente, & ſiccante balneo detrahenda. Si calidum, & ſiccum, & acriore halitu confertum, minuenda humorum acrimonia, non cathartico, ſed mitiore medicamento, clyſteribus qui lumbos degrauent, crebris vomitionibus quæ auertant. Domandum item corpus refrigerantibus, quæ ferocientes & turgentes humores coërceant, ac teſtium, atque pudendorum illecebras reſtinguant, adiectis inſuper quibuſdam, quæ ſpiritum halituoſum diſcutiant. *Particularia remedia.* Ab his non erit alienum, in gonorrhœa præſertim & ſatyriaſi, lumbis aſtringentia & refrigerantia circumponere; in priapiſmo verò, atque etiam in ſatyriaſi; rigidam partem genitalem initio quidem non calfacientibus, quæ vberiorem flatum ſuſcitant; ſed leniter refrigerantibus illinere: Deinde verò detracto iam fomite, iis quæ digerant & rarefaciant perungere oportet. *Semen extinguentia.* In vniuerſum quæ iis affectibus conferre traduntur, alia quidem genitale ſemen extinguunt; ſedantque veneris impetûs, vt nymphæa, lactuca, cucumis, portulac. ſemperuiuum, caphura, atque in admotis prætereà, iuſquiamus, cicuta, & quicquid validè refrigerat, & lumborum ardores reprimit. *Exſiccantia ac roborãtia.* Alia ſeminis materiam abſorbent & exſiccant proindéque roborant, ac retentioni adiumento ſunt, neque ſemen diffluere ſinunt, vt corall. ceruinum cornu, delimata eboris ſcobes, margaritarum puluis, os è corde cerui, cinis priapi tauri, limatura chalybis, quæ idcircò gonorrhœæ præcipuè auxiliantur. *Carminantia* Alia flatulentum ſpiritum diſſipant, priapiſmo cohibendo aptiſſima, vt viticis ſemen, ac rutæ tum ſemen, tum folia, & peculiari ratione verbena aſſumpta, gummique iuniperi pudendo illitum. Hîc ergò & quæ flatûs ſuſcitant & quæ vrinas cient, exceptâ iride, planè arcenda erunt. *Litus lumborum.* Porro lumbos totos inungere expetit vnctione aliqua refrigerante, qualis ex omphacino oleo, & roſaceo, & melino & myrtino, & è nymphæa conficitur, adiecta ne diffluant cera, *Cerata.* vnde ceratum comparari poſſit, cui iam in mortario, vt decet, ſubacto, ſuccum aliquem refrigerantem affundere conuenit, qualis ſemperuiui, aut ſolani, aut vmbilici veneris, aut pſyllij, aut polygoni, aut tribuli, aut lactucæ, aut portulacæ, quæ tuſa ſuccum non remittit, niſi affuſo tenuiore humore, qualis vuæ immaturæ eſt, & roſarum. Ex his igitur tum vnguenta, tum cerata conflantur, quæ genituram coërcent, & deſideria veneris obtundunt, præſertim ſuperimpoſitis mollioribus viticis, & folior. rutæ

foliis,

foliis, atque interdum rosis. Quæcunque verò ex papauere, aut mandrag. aut opio vnctiones fiunt, prorsus inhibendæ sunt, quod genitalia supra modum infirment; & omnem generandi potestatem eripiant. Sed neque prædictis refrigerantibus vtendum, cùm in declinatione vitium est. Nunc remediorum formas exprimamus.

Narcoticis vnctionibus minimè vtendum.

Clyster refrigerans, flatûs discutiens, & roborans.

℞. Quatuor sem. frigid. maior. contusor. an. ʒiii. sem. acetos. portul. an. ʒi. sem. anisi aut viticis, aut si renes exardescant, seminis hyoscyam. an. ʒii. flor. chamæm. rorismar. an. p. ii. flor. nymph. p. i. fiat omnium decoctio: in colat. ℔i. dissolue sacchar. & mellis despumat. an. ℥ii. olei rosat. ℥iij. vitell. ouor. num. ii. fiat clyster in gonorrhœa & satyriasi conuenientissimus; atque in priapismo, si diaphœn. ℥i. dissoluatur. Hîc vacuationis eo genere vtendum, quod & vitio, & naturæ ægri, magis conuenire videtur, aut venæ sectione, aut crebrâ vomitione, & repetito clystere, frictione, atque tenui victu. Si purgandi necessitas incidit, purgandum quàm rarissimè; atque parcissimè: neque id catharticis moliendum, non enim tutò queat humorum cursus deturbari in inferiora.

Purgatio qualis hîc administrari debeat.

Quare in satyriasi atque humorum acrimoniâ, prunorum, tamarindorum, myxariorum decocto liquanda aluus, hoc modo.

In satyriasi, seu spermatis ardore.

℞. Prunor. tamarind. & sebest. an. p. viij. sem. melon. & cucurbit. an. ʒiß. sem. anis. & agni casti, an. ʒß. flor. nymph. p. i. decoquantur, & in colaturæ ℥iiij. dissolue syrup. rosat. solut. ℥ii. aut diapruni lenientis, aut catholic. ℥i. misce, fiat potio.

Potio purgans.

In Gonorrhœa, medicamentum, purgando astringens.

℞. rhéi electi in puluerem redacti ʒi. cortic. myrobal. citrinorum & cepul. an. ʒiß. syrup. rosat. laxantis ℥ii. aquæ stillat. nymphææ & absinth. an. q. s. misce, fiat potio: Vel tryphera Persica, quæ cathartica non excipit, sed cassiam, rheum, myrobal. vnciæ pondere in bolum cum saccharo concinnetur; aut ad ℥ß. cum ℥iß. syrupi rosat. laxantis pro medicata potione imperetur.

In priapismo autem seu colis inflatione, vix possit humor crassus & viscosus, flatulenti spiritûs comes, ante præparationem, nisi vi & perturbatione deduci. Atqui ea quæ materiam crassam incidunt, lentamque detergunt, è subiecto humore flatum accumulant, mali

Clysteres & syrmaismi frequentes in Priapismo vsurpandi.

mali authorem. Quapropter satius fuerit clystere identidem repetito, atque frequenti vomitione, si quidem facilis ea sit, materiam eripere; deinde attenuante & discutiente illo decocto vti, quod posteà describemus. Nunc ad satyriasim & gonorrhœam redeundum.

Decoctum ad seminis acrimoniam, & veneris impetum, satyriasi & gonorrhœæ aptum.

℞. Rad. nymph. candidæ. & irid. an. ℥i. portul. lactuc. adiant. ceterac. acetos. hepatic. aut in gonorrhœa, plantag. an. m. i. quatuor sem. frig. maior. an. ʒiij. sem. acetos. portul. & papau. albi, aut in gonorrhœa, sem. rhois, an. ʒii. sem. anis. & viticis, an. ʒiß. flor. nymph. p. iij. decoq. ad ℔i. in expresso iure dissolue syrup. nymph. & sacchar. albiss. aut in gonorrh. sacch. rosat. aut syrup. rosat. simplic. aut myrtini, an. ℥iij. pulu. triasant. ʒi. fiat syrup. ad tres doses, cui licebit in satyriasi prunor. ac tamarind. ℥i. adiicere. In priapismo autem detractâ refrigerantium copiâ, attenuantium & discutientium, vt viticis & rutæ seminis modus sensim augendus. Non tamen protinùs initio quæ vehementer calfaciant, tutò licet vsurpare, nisi aliorum temperatione ac permistione repressa quodammodo sint. At humore crasso, vnde flatus erumpit, iam vtcunque aut clysteribus, aut vomitione detracto, quæ flatûs discutiant & exsiccent, pleniùs imperentur, cuiusmodi plurima suo loco ad ventriculi cruditates, & coli cruciatûs descripta sunt. Quin & hoc priapismo idoneum.

Attenuantibus carminātibúsque vtēdi locus.

Decoctum attenuans, & flatus discutiens in priapismo.

℞. Radic. acori vulg. cyperi, galangæ crass. & irid. an. ℥i. corticis citri sicci ℥ß. menthæ siccæ ʒiij. adianti, ceterac. verben. (cuius in hoc affectu eximiâ vis est) an. manipul. i. sem. vitic. anis. ameos. an. ʒii. sem. rutæ ℥i. flor. nymph. p. ii. flor. rorism. & stœchad. an. p. i. fiat decoctio ad ℔iß. in quâ dissolue mellis rosat. colat. vel oxymelit. simplic. ℥vi. pulu. aromat. rosat. nouell. vel diagal. ℈iiij. fiat syrupus ad quatuor doses; à quibus ad clysteres redire vtilissimum est, nisi diaphœnicum ad. ℥ß. cum syrup. adiant. ℥i. ex aqua absinth. admittas. Deinde propriis remediis pugnandum.

Antidotus, siue Opiata flatum discutiens in priapismo & Gonorrhœa firmata.

℞. Confect. aromatic. maioris ℥ii. semin. vitic. cocti (si habeatur

ʒii. ſem.aniſ. & cineris priapi tauri,an. ʒiß. corall. rubr. vſti, & aq.roſ. loti ʒiii. raſur. eboris ℈iiij. ſem.rutæ ʒi. cum ſyrupo conſeru.cortic. citri, reduc in modum opiatæ, è quâ capiat inſtar fabæ, quatuor horis ante prandium, mox bibendo cochl. ii. aq. chalyb.

Miſtura ad eadem efficax.

℞. Carnis cydon. ſaccharo condit. ℥iii. cortic. citri ſacch. condit. ℥i. corall. rubri vſti & loti ʒiii. pulu. roſat. nouell. ʒii.aniſ.ʒi.coriandr. præpar. ʒß. roſar. rubrar. ℈ii. ſacchar. albiſſ. q.ſ. fiat miſtura à paſtu ſumenda, cochlear. menſurâ, nil ſuperbibendo.

Puluis ad Gonorrhœam, priapiſmum, & ſatyriaſim.

℞. Menthæ ſiccæ ʒiij. ſem. portul. & lactuc. an. ʒiß. corall. rubri vſti, & aquâ roſac. loti, & raſur. eboris, an. ℈iiii. ſem.rutæ, viticis, & radic. irid. an. ʒi. flor. nymph. & roſar. an. ℈ii. pulu. margaritar.elect. ʒß. ſacchari ad pondus omnium, fiat puluis, detur cochlearis menſura, tum manè,tum dormituro.

Plumbi lamina perforata lumbis appoſita.

Probatur etiam à multis tenuiſſima plumbi lamina, variè cribri modo perforata, & lumbis appoſita, præſertim ſi priùs refrigerantibus ſuccis, vt plantag. aut portul. aut acetoſ. aut aizoi immergatur, maceretúrque triduo,aut quotidie, ſi videtur, permutato ſucco. Extrinſecùs autem in gonorrhœa & ſatyriaſi, patefacta ſeminis vaſa conſtringere & roborare, & lumborum ardorem mitigare conuenit. Itaque ſi vel viris, vel mulieribus genitura profluat, poſt aliam adhibitam diligentiam, inſeſſibus vtendum, qui habeant decoctum roſarum, myrti, rubi, lentiſci, ſalicis, plantag. & reliquorum, quæ naturam ſibi refrigerandi & aſtringendi vendicârunt.

Inſeſſus ex refrigerantibus, & aſtringendo roborantibus.

Deinde partes illinentur ſequenti.

Litus genitalium.

℞. Ol. maſtich. lentiſc. nymph. vel cydon. an. ℥ij. ſantal. alb. & rubri, & rad. ireos, an.ʒii. ſem. viticis ʒiß. caphuræ ʒi. flor.roriſmar. & hyperic. an. ℈ij. ceræ quantum ſatis, fiat litus, quo oblinantur in lecti ingreſſu lumbi, ſuturæ teſtium & pubes, inguina, femorâque. Vel:

Vnguentum earundem partium.

℞. Ol. roſat. omphac. nymph. aut myrtin. an. ℥ii. ſucci aizoi, & ſucci coriandr. humidi, an. ℥i. mucag. ſem. pſyllij, & cydon.extractæ cum aqua chalyb. aut fabrorum, an. ʒvi. boli arm. calycum glandium, lapidis hæmat. an. ʒiß. maſtich. ʒi. ſemin. hyoſcyam. ℈ij. caphuræ ʒß. ceræ parum, fiat vnguentum, addendo aceti tantillum, inungantur prædictæ partes. Eiuſdem facultatis ſunt epithemata in renum inflammatione conſcripta. Neque ſecùs cataplaſmata ex palmulis, &

Topica variis priapismi temporibus apta.

cotoneis, cum acaciâ & hypocystide fiunt. In priapismo autem per initia refrigerantibus, at non adeò constringentibus vtendum. Primùm itaque tum iis, detractâ tamen astringentium portione, tum vnguento rof. & cerato santal. aquâ endiu. loto, cum oleo nymph. & viol. pudenda, lumbósque perlinere iuuat; posteà verò chamæmel. & anethino misto; atque in declinatione rutaceo, cum viticis semine.

Caustico inurendus tibiæ fonticulus.

Vbi cætera non prosunt, efficacissimum est internis tibiarum partibus paulò sub poplite, causticum pastillum Vigonij ciceris magnitudine admouere, cúmque crustæ deciderint, vlcera ex arte prorogare. Interim si corpus emaciatur, & ex seminis profluuio contabescit, picatione vtendum est.

SECTIO OCTAVA.

De Morbis vteri.

CAPVT XLV.

Inflammatio vteri.

Inflammationis vteri causa.

VTERVS inflammatur sanguine plurimo & calidiore, in proprium ipsius corpus pleniùs confluente, idque per eas venas quibus alitur, ab iis maioris venæ ramis ortas, quæ in crura descendunt. Fit autem huiusmodi inflammatio vel ex ictu, casu, attritúque graui, vel ex violento effrænique concubitu, vel ex immaturo & difficili partu, vel fœtu intùs mortuo qui excuti non possit, vel suppressis mensibus, & maximè cùm edito partu, sanguis parciùs erumpens illic subsistit & putrescens inflammatur, aut mulierum errore, quæ tum luxuriantes mammas astringentibus contrahunt, nimióque formæ studio illinc sanguinis vbertatem in vterum repellunt; aut acrioribus pessis alliciunt, & sæpè impuro corpore admotis pubi cucurbitulis, aut emplastris calidis.

Inflammat. vteri signa.

Inflammatio cognoscitur, si vteri corpus, eiúsque ceruix cum dolore intumuit, neque demitti coarctato & conueniente eius osculo, digitus potest: Si pubes, lumbi pariter, & inguina dolent; si acuta febris non deest, eáque ferè in noctem augetur; si inordinati rigores accedunt; si cum siti sentiuntur in imo ventre punctiones & pulsationes molestæ, præsertim cum etiam insignis est inflammatio, & eâ totus vndiquaque obsidetur vterus. Mox incipit affici ventriculus, cui cum vtero quoddam consortium est. Præter hæc, respirandi difficultas insequitur, oppressio, iactatio, ceruicis, capitísque dolor ad oculorum radices pertingens,

tingens, delirium; quibuſdam etiam ex loci conditione, vteri ſtrangulatus, ac ſæpè vterinus furor: ſub quo interdum animaduerti mulierem enixam, accenſis ex vteri ardore ſeminis vaſis, ita libidinis ſtimulis concitari, ac ſi viri amplexibus impeteretur. Hinc deliria omni pudore abiecto fœdiora, ſequitúrque tandem cum vomitu & ſingultu, cúmque tremore mortifera neruorum diſtenſio. Conſiderandum autem eſt, in quam partem inflammatio hæc magis tendat. Si in poſteriorem, lumbi grauantur, aluúſque preſſo inteſtino aſtricta eſt. Si in priorem, vrina ægrè it: quod ſuper pubem eſt, intenditur ac dolet. Si in alterutrum latus, coxa & directum inguen acerbiùs cruciatur, inclinátque vterus in aduerſum. Inflammato ſolùm vteri fundo, ad vmbilicum tumor, dolórque ſubeſt, neque in ceruice quicquam durum, rigidúmque deprehenditur. Si vuluæ os, eiúſque ceruix phlegmone tentatur, quod frequentiſſimum eſt, tum dolor imum ventrem affligit, íſque quàm afflicto vtero vehementior, & tumor cum feruore, immiſſo digito promptè occurrit, tactúque vel blandiſſimo excandeſcit. At verò ingens inflammatio, & vniuerſum comprehendens vterum, omnibus iis, multóque grauioribus ſymptomatis ſtipatur.

Hiſtoria.

Signa quibus diſcernitur, quam in partem vteri magis tendat inflãmatio.

Curatio.

Vuluæ inflammatio terrere nos debet, niſi maturiùs occurramus. Oportet ergò, ſi vires patiuntur, ſanguinem mittere, ſectâ primùm interiore cubiti venâ, tum maximè cùm immodica plenitudo premit, recénſque ac vehemens eſt inflammatio; Deinde ſaphenâ, quæ & in vetuſtiore malo, & in ſanguinis penuriâ, & edito partu, ſi purgatio non reſpondet, ſola inflammationem coërcebit. Neque ſubinde omittenda quæcunque alia reuulſionum genera renibus inflammatis adhibuimus. Neque blandum è caſſiâ medicamentum, neque leniens clyſter, faciliſque vomitio. Quinetiam ſanguinis & humorum exagitatio, per ea quæ ſumuntur refrænanda eſt. Ab iis mox, atque etiam inter hæc, imponenda ſimul reprimentia, & modicè refrigerantia, lumbis & imo ventri; quamdiu inflammatio increſcit; quæ cum validiùs refrigerant, vtero ſunt aliena, & proinde iiſdem atque inflammatis renibus vti conueniet, quibus, ne ex phlegmone indureſcant, mitiora ſufficiunt, cuiuſmodi hoc cataplaſma eſſe videtur.

Prognoſis. Reuulſiones per Phlebotomiam ex ſuperioribus & inferioribus. Medicam. è caſſia.

Refrigerantia intus ſumpta. Topica reprimentia, ac modicè refrigerantia.

Cataplaſma.

♃. Farinæ hordei ℥ii. farinæ lentium exempto cortice, ℥iß. ſucci plantag. & burſæ paſtoris, (ſi exquiſita phlegmone) vel raſuræ cucurbitæ, ſucci ſemperuiui, aut lactuc. (ſi eryſipelatis ſit particeps) an. ℥iij. omnia incorporentur oleo roſato, aut omphac. aut ſi eryſipelatodes eſt, violaceo, lumbis & imo ventri ſuperponantur; quibus adiici roſar. aut

ſanta

Epithemata. ſantalor. aut myrtill. ℨi. caphuræ ℨß. poteſt. Si hæc grauant, epithemata imperentur, ex aquis aut ſuccis roſar. coriandr. nymph. plantag. endiu. vmbilic. vener. ſemperuiu. polygon. portul. ſolani, pampinorum vitis, cucurbit.& ſimilium. Ibidem roſaceum, aut oleum melinum cum pauco aceto: vel ſi hoc ſuſpectum eſt, vino miſtum vtiliter admouetur: Itaque his imbuta linteola imo ventri tepidè inſternantur. In id etiam iniectio in vterum prodeſt ex lacte acido, in quo portulaca, plantago, & roſæ coxerint. Aut in eryſipelate, ex mucagine pſyllij deprompta cum roſacea aqua, & ex oleo roſato, aut violato, aut myrthino, aut è papau. Vel ex aquis roſar. & plantag. quarum ſelibræ, ſyrupi è roſis ſiccis ℥i. aut ℥ß. ſit admiſta. Vel ex ſuccis illis reprimentibus quiſpiam iniicitur; aut decoctum plantag. ſolani, endiu. lentium cortice reiecto, granor. myrthi, rhois, & roſar.

Litus.

Iniectiones in vterum.

Porrò aduersùs incipientem vteri inflammationem, peſſi ſubter indendi ſunt ex prædictarum herbarum foliis contuſis, vel ſuccis, hoc modo:

Peſſus. ℞. Vnguenti roſat. ℥iij. ſucci plantag. polygoni, vel ſereos, vel intybi, an. ℥ii. colliqueſcant in vaſe fictili, & peſſus illitus indatur. Si dolor vrget, qui in ceruicis vteri inflammationibus, eſt ab exquiſitiore ſenſu acerrimus, adde opij g̃.iiij. & croci g̃. iij. Vel: Lacrymæ papau. inſtar lenticulæ cum lacte muliebri & ſucco fœnugr. in peſſo ſubiiciendum. Vel capita papauerum tantiſper in peſſo decoquantur, dum contabeſcant; dein tortiuo iure expreſſo, & excolato, cerui medulla, vel vituli, vel adeps anſerinus, pro ratione inſeritur ad vsûs. Si verò calor ingens vterum infeſtet, atque inflammatio ſit eryſipelatodes, recentia ſolani folia cum muliebri lacte trita imponito. Hæc ſunt quæ phlegmones incrementa & ardores extinguunt.

Inflammatione vteri repreſsá, topicis reſoluentibus vtendum. Cæterum phlegmone iam ſedata à reprimentibus detractis, vtendum calidis ex farinâ cataplaſmatis, quæ reliquias digerant, qualia ex farina hordei, ſem. lini, fœnugr. radic. althæ. anetho, chamæmel. meliloto parantur cum mulſa; in quâ, ſi ardore igneo pars flagrat, papaueris capita cum ſemine coxerint, adiuncto ſubinde oleo vel ſimplici, vel roſaceo, vel chamæm. vel nardino, adiectis etiam, cùm dolor excruciat, ouorum coctorum luteis. Itaque ad ſedandum dolorem, cataplaſma fiat ex mica panis in lacte cocta, affuſo ſubinde chamæmelino oleo.

Cataplaſma reſoluens.

℞. Radicum althæ. minutatim inciſarum ℥iiij. matricar. arthemiſ. maluar. violar. acanthi, an. M.i. flor. chamæm. melilot. anethi, an. p. j. coquantur in mulſa, dum contabeſcant, tundantur, & cribro cernantur, poſteà adde farinæ ſemin. lini & fænugr. an. ℥j.

an. ℥i. adipis gallin. anseris,& anatis, an. ℥iß. olei chamæmel. & aneth. an. ℥iij. vitellos ouorum Num. ij. rursus modicè coquantur in cataplasma, cui croci ʒi. inspergitur. In id præterea insessûs & fotûs perutiles sunt, ex decocto eorum quæ laxare, & discutere possunt, vt fœnugr. lini, althæ. malu. artemis. brassicæ, iunci odorati, nardi indicæ, puleg. melilot. leucoij, affuso quoque oleo. Omnia denique eodem modo facienda, qui in nephritide positus est.

Insessus, & fotus.

Sed hîc præterea conuenit pessis, atque si profunda est inflammatio, iniectionibus digerentibus & emollientibus; interdum etiam si res cogit, suppurantibus vti, eâ ratione quam subiiciam.

Iniectio resoluens.

℞. Succi althæ. ℥iij. lactis ouilli, aut caprini ℥ii. croci ʒß. Misce fiat iniectio, quæ in latus affectum vtilior est. Salutaris etiam est ex oleo lilior. aut chamæm. aut benioin. aut è decocto resoluentis cataplasm. quod suprà posui. Vel:

℞. Sem. lini, fœnugr. althæ. an. ℥i. caric. v. coquantur ad lentorem succi, cui ptissanæ cremorem admisceto. Vel:

℞. Medullæ cruris vituli, & axungiæ gallin. an. ℥i. ol. lilior. ℥iß. myrrhæ electæ, & ladani puri in pulu. redactorum, an. ʒi. Misce, & cum ℥iij. aquæ sampsuc. aut betonic. aut arthemis. fiat iniectio per metrenchyten calidè. Quin etiam quinto ferè die pessos adhibere conuenit, qui emolliant & digerant, ex œsypo, butyro recenti, medullâ ceruinâ, aut cruris vituli, adipe anserino, vel gallinaceo recentissimis, oleo lilior. aneth. vel irino, admistis subinde ouorum vstorum luteis, & croco in hunc modum.

Pessus digerens & emoll.

℞. Coctorum ouorum lutea ii. adipis anatis, medullæ cruris vituli, an. ℥i. ammoniac. & styrac. an. ℥ß. fæcis olei è lilio ℥i. croci ʒii. soluantur vino, & fiant pessi. Hoc etiam efficax est: fœnugræcum bis térque aquâ purissimâ lotum & maceratum excoquitur, & exprimitur; Dein in eo iure percolato adeps anserinus aut gallin. liquatur; hinc refrigerari sinitur, & concretus pessis aptatur & illinitur. Aut tetrapharmacum, quod basilicum vocant, rosaceo solutum applicatur & infunditur, præsertim si inflammatio cum duritiâ infestat. Aut pessus enneapharmacos inditur, aut crocodes, aut aureus, à Paulo descripti; tandémque emplastrum imponitur è bdellio, styrace, ammoniac. aut opopan. castoreo, mastic. & croco, vt reliquias digerat.

l. 7. c. 24.
Emplastrum.

Inter hæc aluus ducenda, vtendúmque clystere, eóque cùm primùm ardor viget, refrigerante, sed aliquantò pòst emolliente, cui cassiæ vis insit. Reliqua curatio & victûs ratio ferè eadem quæ in aliis partium

Clysteres.
Victûs ratio.

internarum inflammarionibus; ſed adhibitâ diligenti obſeruatione, vt neque inflammato, neque diſtento vtero menſes vllo modo proritentur. Iam de abſceſſu.

CAPVT XLVI.

De Abſceſſu vuluæ.

Cauſa abſceſſus vuluæ. *Signa abſceſſus vuluæ.*

INflammatione in abſceſſum tranſeunte, omnia quidem ſymptomata intenduntur, ſed præcipuè inæquales febrium horrores, dolor, ardor, & pulſatio. Leniuntur verò maturatâ phlegmone. Quanquam dum pus viam ſibi parat quà dimanet, plerumque dolores & punctiones renouantur, & acriùs infeſtant. Imò verò nonnunquam vrina, nonnunquam aluus ſupprimitur. Interdum etiam tumor in pube eminet, illícque inundationis ſenſum exhibet, cùm fuerit abſceſſus inſignior. Hoc rupto, pus modò in vteri capacitatem effluit, & facilè excernitur; modò in abdominis ſpatium penetrat, & inter inteſtina hæret, vnde nonnunquam per cutem foràs ſibi viam parat. Sic & ceruicis vteri abſceſſus interdum per ceruicem pus eructat, aliàs in aluum, nonnunquam in veſicam eruptionem facit; hícque vrina, illic alui fæx puri commiſcentur. Cùm ergò tumor in pus vertitur, neque diſcuti poteſt, ſupppuratio eius acceleranda cataplaſmatis ex fœnugræco, ſemine lini, althæ. rad. polline frumentaceo, caricis pinguibus, oleo & melle, adiecto interdum fimo columbino, præſertim cum rumpi abſceſſus nequit.

Ex vomica ruptione pus quam in partem effundatur.

Indicatio.

Cataplaſma ſuppurans.

℞. Radic. althæ. & lilior. an. ℥iij. malu.viol.an. manipul. i. caric. ping. & paſſul. mundat. an. par. x. dactylor. par. iij. flor. melilot. & chamæm. an. par. i. coquantur, tundantur, & cribro cernantur; deinde adde farin. tritici ℥iii. farin. fœnugr. & ſem. lini, an. ℥i. olei lilior. & Keirini, an. ℥iii. axung. gallin. & anatis, an. ℥ii. fiat cataplaſma.

Fotus. *Inſeſſus.* *Suffitus.*

Fotu prætereà idoneo ad inflammationem, vel ſi licet, inſeſſu frequentiùs vtendum, incoctis & attrahentibus vt arthemiſ. puleg. marrub. ſaluiâ, lauro, dictamno, & ſiſymbrio. Sed meliùs res cedet, ſi huius decocti vapor in vterum per infundibulum excipiatur; vel alioqui laborans ollæ fictili inſideat. Loci etiam iugiter fouendi ſpongiis eo decocto imbutis. Peſſis quoque pugnandum ex terebinthina, myrrha, coctíſque ficubus, œſypo, butyro, adipe aut gallinaceo, aut

Peſſi.

aut anserino, medulla ceruina, aut vituli, atque croco; & cùm dolor vrget, ouorum tostorum luteis. In idque veterum Medicorum pessus crocodes, & χρύσεος, & enneapharmacos probatur. Hic autem habet adipis anserini & vitulini, ceræ albæ, tereb. butyri, medullæ ceruin. mellis, olei rosſ. & ricinini, (aut eius vice Keirini, aut irini) singulorum pares portiones, simul omnia liquefiunt, & vniuntur, ad pus mouendum & laxandum: quibus si adiiciatur crocum, fiet crocodes; si cum croco vitelli ouorum, reddetur aureus pessus. Iis tandem adiici potest cuminum, & iris, & ficus, & nitrum, vt abscessus rumpatur. Qui si ne tum etiam disrumpitur, vel concitato sternutamento, vel tussis impetu, & quouis alio corporis succussu puris eruptio iuuari debet. At si hæc parum profuerint, pessis acrioribus vtendum est: vt

Pessus enneapharmacos.

Pessus croceus, & aureus.

♃. Adipis anserini, ficuum contus. terebinth. an. ℥ii: rutæ ℥iij. iridis illyric. ℥iß. nitri ℥i. fiat pessus ex lanâ oleo irino tinctâ; nam & nitrum cum vua passa exacinata, aut cum ficu, vomicam rumpit. Abscessu rupto, siue in vesicam, siue in aluum, siue in propriam vteri ceruicem pus effundatur, vlcus manet curandum: Quapropter iisdem opus est medicamentis detergentibus, sarcoticis, & epuloticis, quæ in dysenteriâ & vlceribus vesicæ, & quæ proximè exponentur. Cùm autem abscessus in vteri ceruice considens rumpi non potest, partibus quæ puri incumbunt, iam extenuatis, ad sectionem maturè perueniendum est.

Pessus acrior, ad rumpendā vomicam.

Vlceris vteri ex abscessu relicti curatio.

In id autem coueniet speculo vterino, quod dioptram dicunt, naturalia blandè amplificare. Ita laminis tridentis speculi diductus sinus tumorem exhibebit. Qui si mollis & tenuis occurrat, parte eminentiore scalpello oblongo aperiatur, eo apparatu seruato, quem Paulus aptissimè expressit. At si altiùs delitescit, ferro attingi non debet, nam sic ægrè sanescit. Sed fomentis calidis, & insessu, & pessis emollientibus subinde repetitis, ad maturitatem & ruptionem perducendus.

Abscessus in vteri sinu consistens, quomodo ferro aperiēdus. lib. 6. c. 73.

Educto pure, linamentum in longitudinem implicitum tenerrimum ex oleo ros. & oui luteo imponetur fissuræ & sinui muliebri, sine compulsu.

Curatio post apertionem vomicæ adhibenda.

Biduo, triduóve exacto, linamentum vel rosato melle, aut oui luteo, cum tereb. subacto, aut vnguento aureo oblitum, in fissuram leniter inseretur. Inter hæc autem adhibitis extrinsecùs cataplasmatis, inflammatio sedabitur. Sin autem difficilè abscessus expurgetur, collui debet auriculario clystere, ex hordei, absinth. plantag. iridis, aut hyssopi, aut aristol. rot. decocto, cum melle rosato, eâ ratione quam proximo capite describam.

Cum autem pus non per ceruicem, sed per aluum fertur, clystere sequenti dysenteriæ apto; vt si per vrinas, iniectionibus & lenientibus potionibus, ad vesicæ vlcera conscriptis expurgandum illud est. At si in abdominis spatium secedens foràs tumorem osten-

ostentat, promptè, accuratéque dissectâ cute, illinc extrahatur, túmque potissimùm nececesse est, ex Hippocratis sententiâ, emmotum fieri, id est, concerptum linamentum, ac idoneis remediis obductum, exhiberi.

Aph. 47. l. 5.

CAPUT XLVII.

Vlcus vteri.

Vlceris vteri causæ.

IN vtero ex eiusmodi abscessibus vlcera oriuntur sordida, quæ vix vnquam sanescunt. Fiunt etiam sponte ac seorsim ex acri & mordaci humore, qui altiùs in vteri substantiam se figens, eam magnis cruciatibus erodit, & perniciosissimè exulcerat. Denique ex fœtûs corruptela, & violenta eius extractione. Hîc ergò morsus doloris acer, & ingens ardor est, ísque ferè assiduus, sed qui per interualla mirum in modum exacuitur, & præcesserunt effectrices vlceris causæ; vt certissimè ex iis quæ excernuntur, innotescit vlcus: recens quidem sanguine, & aliquantò pòst sanie; inueteratum autem, pure & putri colluuie ex vtero manante: Quæ tolerabilior est pauca, modicè crassa, subalbida, aut subrubicunda; mala est nimis tenuis, multa, citrina, aut liuida, aut nigra, aut glutinosa, aut fœdi odoris, & acris, qualis ex maligno & depascente vlcere profluit, maximè vbi in cancrum degenerat. At pus inter hæc optimum, quod album, læue & æquale, cuiusmodi ex vlcere iam ad sanitatem spectante prodit.

Vlceris vteri signa.

Cels. l. 5. c. 26.

Sordidi, aut puri vlceris signa distinctiua.

Quamobrem si sordidum vlcus est, multa quidem exeunt, sed cum minori cruciatu; si purum, admodum pauca, æqualia, modicè crassa, & minimè fœtida, cum exacto partis sensu. Si inflammatione cingitur, cruenta quædam aut fœculenta cum acerbissimo dolore manant. Si prætereà nomodes est, aut depascendo serpens, color est vel liuidus, vel niger, (si speculo vterino inspici queat) odor fœdus, & tetra sanies; circà dolor est, & inflammatio: Interdum etiam febris oritur, nonnunquam & ex vlcere sanguis erumpit, dum in vicinas partes serpit. Quæ omnia sæpè intenduntur. Id vlcus & per se nascitur, & interdum vlceri ex alia causa facto superuenit.

Nomodis vlceris signa.
Cels. l. 5. c. 28.

Ceruicis vteri leuis exulceratio.
Eius causa, & signa.

Porrò sæpè vteri ceruicem leuis exulceratio occupat, quâ interior duntaxat tunica abraditur. Ea fit à difficili partu, aut violento concubitu, aut pessis acrioribus, qui colocynt. aut veratrum, aliáque vehementiora excipiunt; sed maximè à diuturno vteri fluore, aut humore acri, salso, & nitroso, qui partes illas in transitu rodit. In hac dolor vellicans, ardor & prurigo naturalia infestat, quæ concubitu molestissimè irritantur; nonnihil sanguinis descendit, & erosionis sedes exposita est, vt vel per se, vel instrumento locis inspiciendis idoneo deprehendi queat. Non sic autem cùm altè magis vlcus insedit. At multò deterius habetur, quodcunque ex lue venereâ contractum est.

Curatio.

Curatio.

Vulua vbi exulcerata est, diu malè habet: atque initium eius quidem mali recipit curationem, præsertim si in ceruice est; vbi autem altiùs hæret, & malignum vlcus est, insanabile redditur. Huius ergò quia nulla alia curatio est, quàm quæ in renum & vesicæ vlceribus esse consueuit, iam eâ parte explanatâ, hanc quoque eò relego. Quædam tamen auxilia, non ex iis quæ assumuntur, quemadmodum est lactis potio cum melle rosato, aut tereb. cum eodem melle boli formâ; & emulsio quatuor. sem. frigidor. maiorum cum saccharo, esse potest: Sed quæ admouentur, & iniiciuntur, & induntur, proponenda esse duxi, quibus reddatur vlceris curatio illustrior. Vlcus sordidum quidem, aut inflammationi coniunctum est, aut omnis expers inflammationis crassiore pure obducitur. Illud mitioribus, hoc vehementioribus expurgandum. Cùm ergò nondum tota phlegmones ruptæ inflammatio restincta est, aut cùm vlcus ardore atque dolore torquet, tuta admodum & vtilia sunt hæc: Decoctum hordei, cichor. endiu. plantag. rosar. rubr. quarum succus, vt & plantaginis, cum astrictione leni quæ detersionis est particeps, vlcerum malignitatem emendat: Hinc melli rosato, & syrupo è rosis siccis, detergendi facultas singularis. Itaque hæc decoctis immiscere par est, hac formâ.

Prognosis. *Indicationes.* *Assumenda.* *Admouenda in vlcere sordido vteri, cũ inflãmat.*

℞. Hordei integri p.i. folior. plantag. m.i. rosar. rubr. p. ß. fiat decoctio: & in colat. quart. v. dissolue mellis rosat. colat. & sacchar. rubr. an. ℥ii. vel syrupi è rosis siccis, parem modum, diamoron. ℥iß. aut ℥ii. fiat iniectio per metrenchyten ad triduum vel quatriduum. Sic lactis iniectio cum melle vel saccharo, instituitur, quod etiam dolori leniendo aptissimum est, sed ipsius serum detersione præstat. Crassiorem vlcerum sordem detergunt validiora, si modò eorum vis hac in parte citra dolorem perferri potest. Hanc vim obtinent mulsa, in qua fœnugr. sit decoctum, aut furfur, aut lenticula exempto cortice. Si tenacius, & copiosius, fœtidùmque est pus, validiùs detergit decoctum melissoph. vel marrub. vel absinth. agrimon. aristol. erui; vel decocto adiuncta cum melle iris, aut erui farina, aut myrrha, aut tereb. Si vlcus sordidum est, & cacoëthes:

Iniectio in vterum. *Admouenda in vlcere sordido vteri, sine inflammat.* *Paul. l. 3. c. 66.*

℞. Marrub. absinth. plantag. an. manipul. i. melissoph. m. ß. rosar. rubr. p. i. fiat decoctio: in colat. ℔i. dissolue mellis rosf. colat. ℥iiij. iniiciatur. Si maior adhuc detersio exoptatur, vel myrrham, vel aloën, vel irim dissolue; aut vnguenti diuini ℥i. aut apostol. ℥ß. Vel:

Iniectio in vterum, validiùs detergens.

℞. Vini albi ℔ß. aluminis vsti ʒß. viridis æris ℈i. macerentur tribus horis ante iniectionem. Atque iis validioribus vti non oportet, nisi magna necessitas cogit. Hæc autem quæ mitiora subiiciam, non modò detergendi, sed etiam agglutinandi facultatem obtinent.

Iniectio detergens.

℞. Lactis muliebr. ℥iiij. olei rosat. completi ℥ii. tuthiæ præparat. ʒß. aloës ʒii. Omnia simul diutissimè ducantur in mortario plumbeo, dum vnguenti mollis speciem sint adepta; huius portio soluta decocto hordei iniiciatur, Aut in crassiori pure:

Alia.

℞. Tereb. lotæ in aqua matricar. ℥iij. olei ros. ℥ii. litharg. ℥i. myrrhæ, aloës, an. ʒii. tuthiæ præpar. ʒiß. Ducantur omnia in mortario plumbeo in vnguenti consistentiam: dissoluatur portio in lacte ouillo, si detersio maior; aut vaccino, si agglutinatio potiùs exoptatur. Eadem quoque in pessos coaptari possunt, quibus inest ad expurganda ceruicis vteri vlcera vis efficacior.

Pessus Detergens.

℞. Mellis rosat. ℥i. & vitellum oui, hæc cum farinâ hordei crassescant ad vnguenti formam. Illitum linamentum pro pesso indatur naturalibus; & vbi maior necessaria est detersio, additur tereb. ʒiß. si adhuc maior, quod in ceruicis vteri vlceribus rarissimum est, myrrhæ ʒi. aut iridis par modus immiscetur. Sed interim adhibenda obseruatio est, ne caro in ceruicis vlcere supra modum increscens, internum vteri os præcludat.

Si dolor vlcera comitetur, vt occurrendum.

Iam verò si dolor immaniter excruciat, hunc omni ratione lenire conuenit, etsi tum exquisita vlceris curatio retardetur. Iniectiones in id idoneæ, omninò eædem sunt quæ vesicâ exulceratâ. Pessulis insuper gracilioribus, aut vnguentis idem præstabitur, qualia ex ouis, croco, adipe anserino, mucag. psyll. aut sem. cydonior. aut papau. alb. factâ ex aqua rosar. componuntur; aut ex oui candido, & sem. frigidorum emulsione, adiecto etiam lacte, aut passo, in quo papau. capita coxerint. Sedato dolore, tum rursus idonea instituetur vlceris curatio, dum planè expurgetur. Id autem cùm vel detergentibus purum euasit, vel per se purum est, cicatrice obducetur medicamentis siccis & astringentibus citra morsum, qualia fiunt ex bolo arm. terra lemnia, cerusa, litharg. balaust. rosa, plantag. myrto, lapide hæmatit. calaminari, tuthia, sarcoc. plumbo vsto & eloto, atque stibio sic quoque præparato: pars enim naturâ sicca est, & excrementis affluens, vt idcircò duplici iure medicamentis validè siccantibus opus sit: Quæ modò iniectionibus accommodantur, cuiusmodi plurimas vlceri vesicæ aptauimus; modò excepta cerato ex oleo rosato, myrtino, mastich. omphac. in vnguenta conformantur, quibus illita linamenta, pessi specie conduntur naturalibus.

Paul. loc cit.

Epulotica medicam.

Cur validè siccantia medicam. ad vlcera vteri expetantur.

Pessus

Pessus cicatricem inducens.

℞. Cerus. lotæ arte præparat, (vel litharg.) plumbi vsti & loti, an. ʒii. boli. arm. lapidis hæmat. in cote fricati, an. ʒiß. malicorij ℈iiij. ſucci plantag. ℥ii. ol. roſat. q. ſ. agitentur diu in mortario plumbi ſolis radiis expoſiti, dum fiat vnguentum, ſubiiciatur in peſſum. Aut ex decocto caudæ equinæ, burſæ paſt. ſymphyti, myrti & polygon. Iniiciatur. Aut ℥ii. vnguenti diapomphol. lactis ouilli ℥viij. ſolutæ imperentur ad iniectionem. Itidem collyrium album Rhaſis aſinino lacte, aut caprino ſolutum, præſtat. Vel ceruſæ, litharg. aloës, ſang. drac. thuris, an. ʒii. in lactis caprini ℔ij. coquantur ad medias, deinde percolatum lac iniicitur. Neque verendum eſt hîc detergentia quædam epuloticis aut agglutinantibus permiſcere, nam locus continenter ſordeſcit. Extrinſecùs etiam emplaſtrum è ceruſa, & diachalciteos, vtiliter imponuntur. Quibus omnibus ſi ad cicatricem vlcera non perducuntur, ſuffitu exſiccante vtendum erit, vt

Iniectiones exſiccantes, & cicatricem inducentes.

℞. Ladani puri, ſtyrac. calamit. maſtich. thuris, cortic. eiuſdem, myrrhæ electæ, gummi iuniper. an. ℥ß. ſuccini, auripigm. rubri, roſar. rubr. ʒij. fiat puluis; qui tereb. exceptus, aut mucag. tragac. extractæ cum aqua roſar. concinnetur in trochiſcos, pro ſuffitu; cui addi poteſt cinnabrij ℥ß. aut odoris gratiâ, benioini tantundem.

Suffitus exſiccans.

Cæterùm vbi depaſcendo ſerpunt vlcera, & mali moris ſunt, cohibentur, ſi inflammatio aſſidet, dolórque vehemens adeſt, iniecto ſucco plantag. endiu. ſolan. ſemperuiu. minor. per ſe mox cum vino auſtero. Sed & nonnulla ex iis quæ inflammationem reſtingunt, extrinſecùs aptè imponentur.

Malignorum vteri vlcerũ cum inflammat curatio.

At citra inflammationem ſi vlcus ſerpat, & vicinas partes exedat, aſtringentia valentiora iniicientur, veluti decoctum malicorij, roſarum, ſummit. oleæ, cupreſſi, rubi, lentiſci, rhamni, rhois coriarij, ex vino auſtero. Si minùs iis proficitur, ex decocto aluminis, acaciæ, hypociſt. aut lycij, modò extaret. Neque temerè in vehementiora prorumpendum, cuiuſmodi ex charta, aut chalcitide, aut vitriolo parabant veteres nomis, phagedænis, chironiis, malignis, putridis, & depaſcentibus vlceribus; quibus ne longiùs ſerpant, cohibendis, ex alumine comparata aqua conuenientiſſima eſt: Et cum attingi vlcera poſſunt, vt quæ in vteri ceruice conſiſtunt, ſublimata, per ſpecilli mucronem, ſicut in aphthis dixi. Nam illud hac in parte ignorari non oportet, acriora planè eſſe ſuſpecta, & nimiùm periculoſa, quibus plerumque vehementiores dolores ſuſcitantur, quàm vt ferri poſſint.

Eorundem, ſed citra inflammat. curatio.

Paul. loc. cit.

Aqua aluminoſa, & ſublimata.

Acriora præſidia in vteri vlceribus periculoſa.

Sed in iis in quibus remedio locus non eſt, ſatius fuerit à curatione abſtinere.

CAPVT

CAPVT XLVIII.

De Carcinomate vteri.

ID malum vt maximè in fœminarum mammis, ita & in vulua naſcitur: & nonnunquam ſine vlcere tumorem habet, nonnunquam huic vlcus accedit. Hoc ſi nondum exulceratum eſt, tumor occurrit in vuluæ oſtio durus, inæqualis aſpredine quadam, colórque eius lenticulæ ſimilis eſt, interim ſubliuidus aut nigricans. Circa locum aliqua quaſi puncta ſentiuntur, tactúque is locus ſæpè dolorem & calorem affert; interdum etiam torpet: nihilominùs dolor inguinibus, & pubi, & feminibus eſt, qui identidem excandeſcit. Quod exulceratum iam eſt, præter tumorem, duritiem, & dolorem, vlcera habet eroſa, & inæqualia, ferè ſordida, liuida, fuſca; interdum etiam cruenta, labris prætumidis, inéſtque multus humor cœno ſimilis, odor intolerabilis, maiórque quàm pro modo vlcerum inflammatio, ſanies inde manat tenuis, nigra aut fulua, acerrima, & grauiter olens. Nonnunquam verò ſanguis profunditur, cum altè corpus vorans grandiorem venam exedit. Cancrum facit, non frigidus humor melancholicus, ſed atra atque retorrida bilis, omnium pernicioſiſſima, qualis ex æruginoſa, aut praſſinâ, ardoris vi, & vetuſtate gignitur.

Cancri vteri non exulcerati ſigna. Celſ. l. 5. c. 28.

Cancri exulcerati ſigna. Celſ. ibid. Paul. l. 3. c. 67. Aëtius l. 16, cap. 94.

Cancri cauſa.

Curatio.

Peſſimum eſt vtrumque mali genus, tollíque nullâ poteſt medicinâ: quin omnia curationibus irritantur, & quò maior vis adhibita eſt, eò magis. Itaque nulla aut adurentium medicamentorum, aut candentis ferri, aut ſcalpelli vis adhibenda eſt, quâ tollere id malum tentemus; ſed imponenda tantùm lenia medicamenta, quæ quaſi blandiantur, & ſymptomatum ſæuitiam compeſcant. Videntur autem eam facultatem habere, quæ ex malua, althæ. fœnugr. lini ſemine, chamæmel. meliloto, fiunt inſeſſus, & fotus, & cataplaſmata ſimilia. Inſigniter etiam leniunt & ſolantur, excandeſcente malo, quæ ad inflammationem reſtinguendam ex papau. coriandro, ſolano, polygono, melil. ficub. pinguibus aut palmulis comparantur, adiecto roſacei paululo. Hæc dolores ſedant, quemadmodum & cerata ex roſaceo, myrtino, melino, quæ extrinſecùs adhibentur.

Prognoſis. Celſ. ibid.

Indicationes. Cancris blandientia medicamenta.

Paul ibid.

Iuuat etiam cataplaſm. ex fæce officinarum fabrilium, quæ aſſata læuigatur, acetóque roſ. excipitur in emplaſtri formam. Intùs autem eodem roſaceo iniecto contenti eſſe debemus, vbi fuerit vlceratum; aut roſaceo, & è vitellis ouorum non vſtor. Quæ ſimul commiſta, diúque in

Celſ. ibid.

mortario plumbeo agitata, iniectáque quotidie, dolorem præcipuè leuant, aut lacte muliebri, aut tepente plantaginis succo, admisto interim, cùm dolor nimium vrget, lacrymæ papauer. gran. i. atque altero. Non desunt qui fœdissimo, sed efficaci remedio stercoris humani stillatitiam aquam & oleum vsurpant, ex quo & hoc ad vlceratum cancrum extat. *Paul. ibid.*

℞. Caprifol. scabios. phlomi, fœnugr. stercoris humani, an. omnia vrantur & cineris ʒiij. excipiantur ℥vi. aquæ solani, ad iniectionem. Cùm autem sanguinem eructat, salutaris est polygoni & plantag. infusus succus, cui mastic. thuris, boli armen. & similium puluis quàm tenuissimus sit inspersus; sed ne puluis lædat, percolato succo cui illius vis insit, vti malim. Ad dolorem autem, pessuli ex croco, lacte muliebri, opio, & œsypo. Sed iis præstantius medicamentum est, quod habet lithargyri endiuiæ succo loti ℥iij. plumbi vsti & loti, cerusæ lotæ, tuthiæ præparat. ana ℥ß. cineris cancror. fluuiatil. aquâ solani loti ʒiij. thuris masculi, adipis suilli recentis, seui hircini, ceræ, ana ℥ij. olei rosat. ℥iiij. lithargyrus, & alia metallica liquatis omnibus adiiciantur, & fiat vnguentum. Aut hoc præstantissimum Rhasis: *Iniectio in vterum.* *Vnguentum.* *Lib. 9. ad Almans. c. de rhagad. vului.*

℞. Succi portulac. semperuiu. lactuc. aut mucag. psyll. ana parem modum, quàm diutissimè agitentur in mortario, & pistillo plumbeis, solis radiis expositis, dum vnguenti crassitudo acquiratur. Id admisto rosaceo dilutum iniici potest: aut rosaceum succis immistum vnà ducatur in mortario ad iniectionem. Sunt qui maximè probent quod subiunxi.

℞. Succi granor. solani vesicarij ℥iiij. olei rosat. ℥viij. ceræ citrin. ℥vi. misceantur omnia in mortario plumbeo: dein adde cerusæ lotæ ʒij. plumbi vsti & loti, tuthiæ præparat. ana ʒiß. thuris ℥ß. æris vsti, antimon. balaust. radic. chelidon. sang. drac. cadmiæ argenti, pulu. vermium terrestr. ana ʒij. hæc omnia exactissime trita cum illis commisceantur in vnguenti formam, quod aut pessis illitum, aut plantag. succo dilutum immittatur. Ergò vt summatim dicam, quæ sine morsu refrigerant & exsiccant, cancro sunt idonea. His remediis placatâ subinde morbi acerbitate, laborans quominùs ad senectutem perueniat, non prohibetur. *Aliud vnguentum.* *Cels. ibid.*

CAPVT XLIX.

De Scirrho vteri.

Scirrhus etiam in vtero, eiúsque ceruicem nascitur, indiscussis prægressæ inflammationis reliquiis, vel per se ex crassâ, lentáque pituita, aut melancholico humore, qui illic cōgestione assidua vsque adeò resiccatur, vt altè impactus, durum tumorem indolentem, maximè si exquisi- *Scirrhi vteri caussa.* *Scirrhus quid.*

Scirrhi vteri signa. tus est, ac renitentem proferat, cum grauitatis & molesti ponderis sensu, ob quem in intenta ambulatione spirandi difficultas est, & corporis segnities. Laborans si recta steterit, pondus in partes obscœnas sentit procumbere; si sedeat, vel supina iaceat, rectum intestinum vicinâ mole premi; vnde contracta aluus ægrè excernit. Ita quidem, cum prono decubitu, sæpè vrinæ difficultas inest. Sed & hæc maximè conspicua sunt, vbi scirrhus grandior est, quo nunc totus vterus, nunc eius pars aliqua obdurescit, túmque vterus in oppositum latus contorquetur. Hic ex paruulo incipit, & diu paulatímque increscit, vt proinde obscura sint prima illius rudimenta.

Curatio.

Prognosis. Scirrhum recentem non facile est discutere; at si inueterauit, omninò persanari non potest: solétque ex eo, vbi parum occursum est, cachexia nasci aquam intercutem repræsentans. Ergò cùm primum in vtero id vitium notatum est, eadem facienda sunt quæ in cæteris interioribus visceribus obduratis, atque etiam multò vehementiora, quæ nullo partis respectu duntaxat emolliant, & validiùs digerant, non item roborent. *Indicationes: Emollientia, ac validiùs digerentia. Cataplasm.* Eiusmodi sunt insessûs, & fotûs ex decocto rad. lilior. ebuli, bryon. iridis, cucumer. agrest. cyclamini, althæ. folior. ebuli, acanthi, maluar. flor. chamæmel. violæ luteæ, aut lupul. aut sambuch. semin. lini, fœnugr. caricar. ping. adiectâ subinde arthemisiâ, pulegio, aut origano, quæ attenuent. Cataplasmata, ex iisdem coctione in hydrelæo tabefactis, tusis, & cribro transmissis, additâ farinâ lini, fœnugr. aut lolij, atque adipe gallinaceo, anserino, aut anatis, & bubulo, caprinóque stercore ex aceto subacto, atque coniuncto. *Vnguenta* Item vnguenta, quæ galban. ammon. bdell. opopanac. sagapenum, styracem, medullam cruris vituli, aut cerui, adipem anserinum, gallinaceum, aut butyrum, aut œsypum, mucaginem semin. lini, fœnugrec. cum oleo lilior. aut sesamino, aut amygdalar. dulc. aut sambucino coacta excipiunt. *Emplastra.* Vel emplastra ex iisdem præscripta, quale extat diachylon, & de mucilag. Quamobrem omnia, quæ iecinoris & lienis scirrho emolliendo aptauimus, si spicam, schœn. & absinthium dempseris, eadem huic quoque proficiunt.

Hæc autem modò extrinsecùs imponuntur, modò pessi aut vnguenti formâ naturalibus immittuntur, præsertim si scirrhus internum vteri os, & eius ceruicem obsidet.

Pessus emolliens.

℞. Mucag. althæ. sem. lini & fœnugr. extractæ cum decocto caricar. ping. ℥iij. axung. gallin. anseris, & medull. cruris vituli, aut œsyp. aut butyr. recentis, ana ℥iß. galban. & ammoniac. oleo lilior. solut, ana ℥ß.

myrrhæ

myrrhæ electæ ℥iij. iridis ℥iß. ol. ſeſamini, & lilior. ana quantum ſatis, ad vnguenti craſſiuſculi formam: hoc peſſis inductum condatur naturalibus. Eandem vim habet peſſus enneapharmacus, & aureus, & croceus, & Libanius, & Titianus, apud Paulum. Quinetiam decoctum ſeminis lini, & fœnugr. cum oleo liliaceo, & ſambucino aptè iniicitur: aut chamæmelinum cum adipe anſerino, & medulla cruris vituli, ex radicum & herbarum emollientium decocto, quo etiam conuenienter vnguenta ſoluuntur ad iniectionem. Neque interim hîc omittendus frequens clyſter ex pingui iure inteſtinorum veruecis, aut ex ſuperiore decocto, cui caſſiam, & liliorum oleum, & butyrum adieceris. Sed libram non excedat quidquid infunditur, vt & faciliùs & diutius ſuſtineatur, quia vtero rectum inteſtinum ſubſternitur. Si verò tumor ſub iis curationibus non deſidit, ad naturales aquas ſulphureas & bituminoſas relegandæ ſunt.

Lib. 7 cap. 24. Aët. lib. 16. c. 83. & 84.

Iniectiones.

Clyſteres.

Therma ſulphurea & bituminoſa.

CAPVT L.

De Mola, ſiue carnoſo Tumore.

Mola eſt indigeſta & rudis carnis moles in vteri capacitate genita, ſeu perperàm concepta. Hæc neque oſſibus, aut cartilaginibus, neque neruis aut viſceribus conſtat, ſed confusâ carne, membranis circumtectâ, & multiplici venarum propagine reſpersâ, per quas influente ſanguine alitur, & plantarum modo accreſcit: at nullâ aut rudi partium diſtinctione, nullâque figuræ concinnitate. Figitur quidem acetabulis, nec ſtato tempore exit. Sæpè enim languidiùs adhæreſcit, vt facilè quarto menſe diſſolutis vinculis excidat: ſicque mulier errore ſimul & affectu vindicatur: Nonnunquam firmiùs affigitur, ita vt conſtantibus illis, in annum vel etiam in omnem vitam aſſeruetur. Hoc irrito & fallaci conceptu venter prominet, ac diſtenditur; mammæ turgeſcunt: menſtrua præter conſuetudinem ſubſiſtunt, cibíque ſuper hæc faſtidium, & ſtomachi ſubuerſio increſcit, vt idcircò per initia mulier verè concepiſſe putetur.

Mola quid.

Mola ſigna.

Hæc quidem molam à ſcirrho perſpicuè diſtinguunt, ſed cum concepto fœtu ita confundunt, vt ſæpè vel exercitatiſſimos fallant. Verùm tempore inutilis conceptus manifeſtiùs ſe prodit graui moleſtóque pondere, quod in eam partem prolabitur ſubitò, & impetu irruit, in quam mulier fuerit deuoluta. Tum nec aliàs, nec aliter molæ motus obſeruari poteſt. Neque enim per ſe vnquam mouetur. At non ſic in vero conceptu, in quo quaſi volitantis muſcæ blanda excuſſio, & leuis titillatio percipitur, præſertim calente manu impoſita, cuius ſenſu calcitrat infans.

Signa diſtinctiua mola, & legitimi conceptus.

Quinetiam dum mola eſt, mammæ aliquantò celeriùs & multò pleniùs quàm ex vera imprægnatione tumeſcunt: ac ventre intumeſcente reliquum corpus emaciatur; nec venter contactu leuis & inſtabilis, neque color bonus, neque formæ dignitas eſt; mulier implacida atque moroſa alienum quidpiam præſentit; difficilior ei inceſſus, quo molis quædam grauitas, & partes ſuperiores deorſum retrahens, pudendo incumbit, & ſæpè imum ventrem dolor infeſtat, lumbíque ingraueſcunt, vteri os aliter quàm prægnantibus afficitur; nam aut ſupra modum calet, aut durius percipitur, aut in alterutrum latus contorquetur. At certiſſimè deprehenditur, ſi vltra legitimum prægnationis tempus ventris tumor perſeueret. Porrò mola quidem ferè ſimplex & vnica, interdum multiplex, aliquando etiam vnà cum perfecto fœtu vtero geritur, quem aut vitiat, aut ſenſim abſumit. Hic tamen tumor non vt hydrops, prementi digito cedit, aut fluctuantis humoris vel tympani ſonum edit, niſi tandem malum malo implicetur. Exiſtimant nonnulli, fœminam ſolam ex ſeipsâ rudem hanc quandam & inchoatam carnis molem producere, quod ex gallinarum ouis quæ ſubuentanea vocantur, & infœcunda ſunt, probare nituntur. At non de mola idem pronunciari poſſit, neque hanc fœmina per ſe, nullóque maris congreſſu vſquam gignere viſa eſt: & iuſtâ quidem ratione, ne ex mola diſtento, aut virginis, aut viduæ vtero, aut ouis quæ marito non fruitur, ne, (inquam) obtrectatorum calumniis inuiolata illius caſtitas malitiosè impetatur. Quocircà non ſanguis menſtruus, neque fœmineum ſemen, nec vtrumque ſine maris ſemine (quod efficiens, ídque præcipuum motûs principium eſt) molam producit. Sed vbi alterutrum crudum, vitiatum, languidum, & infœcundum fuerit, vt alteri commiſtum, nihil attracto ſanguine conformare, nedum abſoluere poſſit; vnius quippe vitium, permiſtione in omnem materiam confertur. Huiuſmodi verò aut inepta ætate, aut malè affecto corpore proferri ſolet: tale enim vel nihil, vel imperfectum duntaxat, poteſt conſtituere. Vnde natiui caloris imbecillitate fit mola, & irritus conceptus.

Molæ differentia.

Molæ cauſa, Fern. lib. 6. pathol. c. 15.

Mola ſine maris ſemine gigni nequit.

Quamobrem rectè Hippocrates, à pauco & vitioſo ſemine menſtruorum copia obruto fieri dixit: Cùm enim aut copioſior, aut craſſior in paucum & imbecillum ſemen confluxerit, vt ab eo regi & conformari non poſſit, tum hæc informis carnis maſſa profertur. Proinde cùm mulier plurimum ſanguinis menſtrui emittat, ſola ex omni animantium genere molam profert.

L. 1. de morb. mulier. & l. de ſteril.

Sola mulier inter animalia molis obnoxia: ex Ariſt. probl.

Curatio.

Prognoſis.

Mola omnis & moleſta & pericoloſa eſt, adeò vt quædam, eâ prolapsâ & hærente, intra paucas horas expirauerint. Quandoque etiam hydropem affert. Curatio eſt, vt rectè notato mali genere diligenter

pro

prouideas, tum venæſectione & valida purgatione, tum remediis omnibus, quæ vuluam præcluſam laxant, & ſcirrhos emolliunt; deinde iis quæ validè menſes cient, dum ad ea fiat tranſitus, quæ fœtum emortuum & adhærentes ſecundas excutiunt. Interdum tamen vehementiſſimis, vel iteratis, non cedit, vt idcircò præmeditatione, & prædictione ſit opus. *Indicationes.*

CAPVT LI.

Inflatio Vteri.

TVmet prætereà, & moleſtiſſimè diſtenditur vterus craſſo flatulentóque ſpiritu, modò in eius ſpatio, modò inter tunicas concluſo, qui aut ex imbecillitate & frigida intemperie, aut ex fœtûs corruptela, aut ex putreſcente ſanguinis grumo intùs genitus coarctatur, vel nonnumquam frigoris immoderatâ vi, quod ſe in vacuam vteri capacitatem, mox à partu, aut à balneo, aut erumpentibus menſibus ingurgitauit. Huius affectus ſigna ſunt, tumor æqualis circa pubem & imum ventrem, qui pondere leuis eſt, & pulſatus reſonat; moleſta diſtenſio ventriculum, vicináque præcordia contrahens, & inguina conuellens, ac ſæpe moto corpore ſuffocationem inferens; murmur, rugitus, & ſubinde punctionis torminúmque ſenſus, etiam per vteri ceruicem manifeſta flatuum eruptio. *Inflationis vteri cauſſa.* *Inflationis vteri ſigna.*

Curatio.

Flatulenta vteri diſtenſio eodem prorsùs remediorum genere curatur, quo & dolor colicus, & tympanites, admiſtis interim quibuſdam vterinis: ſed & ſuffitibus & peſſis diſcutientibus opus eſt, quales in vteri ſtrangulatu exponemus. Verùm, quoniam & frequens eſt vuluæ inflatio, & ex ea creber dolor maximè cruciat, tota eius curatio his remediis contrahenda. Primùm iniiciendus clyſter colicus, adiectâ arthemiſiâ: Dein pituita, quæ flatuum fomes eſt, præparanda ſyrupo ex arthemiſ. melle roſ. & anthoſ. ſyrup. è ſtœchad. è duabus, aut v. radicibus, cum aquis beton. fœnicul. apij, calamint. arthemiſ. hyſſopi; aut earum, & origan. puleg. chamædr. chamæp. ſabinæ, & ſimil. decocto. A præparatione mox expurganda illa eſt diaphœnico, hierâ picrâ, diacartham. indo maiore, cum agaric. ʒi. aut pilul. de hiera, de benedicta, fœtidis, cocciis, adiectis caſtor. gran. viij. vtique ſi frigidior vterus eſt. Sed diebus inſequentibus theriaca efficaciſſima, confectio è baccis lauri, diacumin. diagal. tryphera magna ſine opio, trochiſc. è myrrha, diacurc. & quæcumque ex dictamno, pulegio, arthemiſ. *Indicationes.* *Clyſteres.* *Præparantia pituitam.* *Phlegmagoga.* *Carminantia interna.*

galang. zedoar. ſemin. dauci, cumin. rutæ, nuce moſch. cinnamom. caryophyll. maci & ſpicâ, compoſuimus: Quæ eadem ex partu dolores mirificè diſcutiunt. Quamobrem pilul. de aromatis & de hiera ſæpiùs ſumendæ. Extrinſecùs verò, illitus ex oleo rutac. anethin. chamæmel. keirino, ſambuc. adiecto vino Cretico adhibentur. Vnguenta ex iiſdem cum galanga, pipere, caryophyll. nardo, ſchœnant. iride, cumino, & rutæ ſemine, pyrethro, caſtoreo, nitro. Fomenta & inſeſſus ex rutæ, puleg. arthemiſ. origani, calaminth. fœnugr. baccar. lauri & iuniper. aneth. chamæmel. melil. decocto. Sacculi ex iiſdem, ſed præcipuè ex ſemin. aniſ. fœnicul. ameos, apij, cumini, dauci, adiecto milio, ſale. Cataplaſma ex baccis lauri, & diachylon ireatum. Ad hæc, cucurbitulæ affixæ. At ſi per hæc inflatio non tollitur, vtiliſſimi dropaces, & ſynapiſmi, & aquæ naturales. Peſſi ex ruta, melanthio, cardamo, cumino, caſtor. melle anthoſ. ſemin. viticis, ameos, & nitro, aut opoponace, aut galban. vel confectione è baccis lauri, theriaca, mithridat. benedicta, tryphera ſine opio, cum ſucco mercurialis, aut pulpa ficuum, aut terebinth. Aut ſi os vteri conniuet, cum fœnugr. ſucco, aut butyro, aut alio ex relaxantibus. Quin & iniectio ex ſuperiore decocto, in quo aut theriaca, aut diagalang. aut diamoſchi, aut trypheræ ℥ß. ſit ſoluta; vel ex oleo chamæmel. irino, aneth. rutaceo, & aliis diſcutientibus imperanda. Suffitus quoque aromatum & ſeminum calidorum cum myrrha & ſtyrace. Si verò ex fœtus corruptela, aut retento ſanguinis grumo ſuborta inflatio eſt, quæ fœtus mortuos excludunt, aut concretum ſanguin. diſſoluunt, neceſſaria huic ſunt.

Carminantia externa. *Dropaces & ſinapiſmi.* *Peſſi.* *Iniectiones.* *Suffitus.*

CAPVT LII.

Aquoſus vteri tumor.

TVmet quoque vterus plurimo humore aquoſo intus collecto, qui nutrientium viſcerum & victûs errore genitus, eò ſenſim per abditos receſſus ſtillans penetrauit, dum tandem conniuente oſculo, ingens ſeri copia cumuletur, quæ expreſſam hydropis ſpeciem gerit. Itaque quod ſuper pubem eſt, intenditur, & æquabiliter tumet. Moto corpore illic fluctuantis humoris ſonus obauditur. Reliqua inflationis ſigna, ſed grauitas maior. Cæterùm, in hydrope auctiora ſunt omnia, & magis conſpicua, tumórque non imas tantùm, ſed ſublimiores etiam ventris regiones obſidet.

Hydropis vterini cauſa. *Hydropis vterini ſigna.* *Quomodo ab hydrope aſcite differat.*

Curatio.

Indicationes. Similes magnâ ex parte caſus & curationes ſunt, vterini hydropis, & aſcitis,

ascitis, adiectis tantum quibusdam vtero dicatis, vt arthemis. matric. beton. nepet. & aristoloch. Sed & vtero aquæ copiâ turgido pessis, hydragogis, & aperientibus insuper opitulandum. Eiusmodi sunt qui menses trahunt, maximè verò qui ex iisdem irim, aristoloch. dictamni mercurial. agaric. excipiunt, hac formulâ:

℞. Aristoloch. rot. irid. ana ℥iij. agaric. trochisc. & folior. brassic. marinæ, ana ℥iß. cinnamom. cumini, ana ℈ij. (vix enim seri copia est citra flatuum commistionem) moschi gr. iiij. trita excipiantur succo radicis ebuli, & cum serico rubro raro concinnentur in pessos. Si per hæc altius immersæ aquæ non ducuntur, soldanellæ pondus augendum est; aut cucumeris agrestis succo reliqua cogenda sunt; aut hellebori albi momentum adiiciendum; aut trochisc. alhandal. gran. iij. inserenda. Neque alienum est iniectionibus idem moliri, ex eâ decoctione, quæ hydropicorum clysteribus accommodata est. Prætereà obstetrix digitis petrolæo inunctis, & in vteri ceruicem immissis sæpè conclusi humoris nonnihil educit. *Pessus.*

Salutares quoque sunt suffitûs aridi, quos ciendis mensibus dicabimus. Neque prætermittendi dropaces & sinapismi. Quamobrem huius mali curatio est ex ascitis remediis, & suppressorum mensium pessis, suffitibúsque pleniùs repetenda. *Suffitus. Dropaces.*

CAPVT LIII.

De Vteri ascensu, prolapsu, conuulsione.

VVluæ motus errores varij sunt: nonnullis ad superiora recurrit, & globuli instar vmbilico incumbit; sæpe laxatis vinculis descendit, atque interdum maiore vi foràs prolabitur; nonnunquam etiam in alterutrum latus descendit. Ascensus fit, conniuente & præcluso interiore vteri osculo, aut inflammato, aut plenitudine distentis superioribus vinculis, per quæ ilibus nectitur. Cùm enim præclusum os vuluæ conceptorum humorum exhalationi non patet, inflatus vterus sursum effertur, atque rei aduersæ odio lacessitus impellitur, quemadmodum odorum suauitate allicitur. Sic vi inflammationis in aduersam sublimiorémque partem conuertitur. Ascensus, oppressionem, respirandi difficultatem, & quandam vterinam apnœam inducit; à qua tamen symptomatum vehementiâ discerni potest. Non enim exanimat vt mens peruertatur, & motus intercidat, aut sopor obrepat. Nihilominùs curatio eadem est, quæ præclusam vuluam laxet, tetrósque vapores discutiat. Vulua autem procidit, ídque duobus modis, nam modò parum descendit & deorsum inclinat, modò in exteriorem locum venit, & foràs exit, euersáque prominet, non tamen à suis appendiculis omninò exoluta, tota excidit. *Ascensus vteri causa.* *Ascensus vteri signa.* *Descensûs vteri differentia.*

Fit

Descensus vteri causa. Fit autem descensus ab iis causis, quæ vteri vincula infirmant aut laxant, vt ab ictu, casu, oneris grauitate, immoderato & vehementiore motu, frigoris vi: præsertim mox à partu, aut erumpentibus mensibus, graui vteri gestatione, difficili aut crebro partu, hydrope, tenesmo, ingenti animi & corporis perturbatione, qualis aut nunciato filiorum interitu, aut horrifico insultu hostium, aut aspero bellicorum, instrumentorum strepitu, aut fulminis terrore, aut periculosâ nauigatione incutitur. Hinc quippe totâ mole corporis solutâ, vulua simul à propria sede desilit.

Fit prætereà multò frequentiùs ab internis causis, cùm humor pituitosus mucosus, ac lubricus exuperat, qui vel multitudine vincula emollit, vel lentore partes eas lubricas efficit. Hoc maximè in vetulis, & iis quorum corpora mali habitûs sunt, humidiore victu, pluuioso cœlo, ac regione humida, euenire solet: feréque in illis pudenda multo humore madent. Prolapsus ascensu grauior quidem est, sed multò rarior, quem constat à vehementissimo pariendi conatu interdum accidere, quo vterus fœtum excludens simul forâs prouoluitur, aut obstetricis imprudentiâ, quæ fœtum emortuum, aut pertinaciter adhærentes secundas ineptè extrahens, diuulsis membranis vterum inuertit. *Descensus vteri signa.* Cùm procidit vterus, sæpè lumbi, & circa pubem superiores partes dolent, sempérque grauitatis eiusmodi sensus illic est, & veluti pondus naturalibus incumbit; ac quippiam persentitur, aut anserini oui, aut gallinacei magnitudine, laborans nec stare ex facili, neque sedere, neque prona, aut supina iacere, nisi ægrè potest; modò enim vrinæ quædã cupiditas, sed difficultas est; modò aluus cum labore excernit; neque grata venus est. Omnium autem certissimè, immisso obstetricis digito explorabitur. Causas autem promptè agnoscimus ex iis quæ narrando aut percontando, audita fuerint. *Conuulsionis vteri causa.* Porrò cùm vterus in alterutrum inguen contorquetur, conuulsio quædam est, hinc maximè profecta, quòd ipsius vincula vel plenitudine, qualis ex suppressis mensibus accrescit, distenta, vel nimium exhausta contrahantur, & vterum adducant in eam partem in quam inseruntur. Tum vterus eiúsque ceruix, conuulsionis vi in alterum latus inclinat, & inflectitur. *Conuulsionis vteri, siue distortionis signa.* Hæc quâ parte est, coxendicem attrahit, & vehementissimo inguinis dolore torquet, qui vbi atrociùs insultat, furorem vterinum affert. Interim crus directum frigore torpet, ac per incessum claudicat. Sunt tamen quibus nullo dolore vulua, firmatâ conuulsione obliqua est, sed immisso obstetricis digito interioris oris peruersio atque obliquitas facilè deprehenditur. Eandem affectionem inducit aduersæ partis inflammatio, vt suprà posui. Eandem quoque parit oppositi vinculi laxitas ex paralysi aut putredine magnos abscessûs, aut vlcera sequente. *Contractio vteri recta, quid.* Quod si æquali robore vincula in vtrumque latus intendantur, recta erit & sine inclinatione vteri contractio tetano respondens, quam vtriusque inguinis dolore, geminato malo, agnosces.

Curatio.

Curatio procidentiæ vteri.

Si vulua procidit, tutò restitui non potest, nisi ætate florenti recens vitium est: alioqui in vetustiore casu, reposita, mox leui de causa relabitur. Oportet ergò ante omnia, subductâ aluo; & vrinâ excretâ, resupinam mulierem sic collocare, vt coxas habeat sublimiores, & poplites inflexos, cruribus diuaricatis. Dein hapsum lanæ tenui linteolo pessi formâ inuolutum, & astringentium quæ minùs odorata sint, vel succo vel decocto imbutum, demittere in vuluam, quam obstetrix, perunctis oleo myrtino, aut melino, aut lentisc. digitis, collocare poterit, aut pessulum indere ex thure, mastic. acacia, hypocyst. rosis, myrti baccis, nuce cupressi, bistorta, cinere testæ oui è quo pullus exierit, & assa fœtida, cum succo porri, hoc modo in natiuam sedem blandè repellere.

Prognosis.

Repositio vteri procidui.

Pessulus astringens.

Deinde ne recidat, pesso lanam, vel spongiam, vel linteolum, vel stupam superdare, vino austero, cui astringentia sint incocta, imbutam; & ventrem inferiorem eâ ratione & iisdem fouere, quibus procidens anus contrahitur, & emplastris astringentibus lumbis & ventri admotis vuluam firmare; quæ ad enterocelen, aut mensium exuperantiam præscribuntur: maximè quæ thus, mastichen, gummi arabic. & tragac. caryophyll. nucem, mosch. myrtum, rosam, aliáque astringentia cum pice & tereb. excipiant, adiecto etiam moscho aut ambra.

Emplast. astringentia.

Simúlque iisdem astringentibus vti, ore sumendis: quomodo nonnulli cornu cerui, myrt. & folior. lauri siccor. an. ℥i. ex vino austero dare solent. Interim cum iacebit mulier, componat se aptatis inuicem cruribus, vt alterum alteri incumbat, ac fasciâ cingatur. Sed hîc prætereà cucurbitulæ vmbilico & vtrisque ilibus cum largiore flammâ imponendæ sunt, ac subinde renouandæ. Vincula brachiis; odorata naribus; fœtida partibus obscœnis admouenda tum pesso, tum suffitu. Cúmque fœtidorum non adeò tutus sit vsus, à mitioribus ad vehementiora progrediendum.

Astringentia ore sumenda.

Situs decumbentis agræ.

Fœtidorum vsus parum tutus.

Suffitus.

℞. Nepetæ m.i. contundatur, & immergatur oleo de spica, cui galban. aut assam fœtidam miscueris, & imposita carbonibus in suffitum accommodetur; aut inuoluta concinnetur in pessos. Suffiri quoque bubuli stercoris nidore potest. Aut:

℞. Galban. aut assæ fœtid. thuris, mastic. cortic. thuris, acaciæ, hypocist, puris, bistortæ, nucum cupress. balaust. baccar. & folior. myrti, gallar. & vsneæ arefactæ, an. fiant pastilli pro suffitu, adiectâ si vis, terebinthinâ.

Præsente mucoso humore, qui vteri vincula emollit, purgandum.

Cùm autem mucoſus humor vincula emollit, non antè illa proſunt quàm pituitoſi humoris redundantia frequenti purgatione & medicamentis ad paralyſ. & alba mulierum profluuia congruentibus, exhauſta ſit: cum hac tamen obſeruatione, vt neque clyſteres, neque medicamenta emollientibus conſtent. At nil vomitione vtilius. In id etiam conferunt peſſi, & ſuffitûs qui exſiccant, & lentos humores abſorbent, quales in albo ſordidóque vteri fluore conueniunt; ſed eximenda odorata, & fœtida quædam adiicienda. Quòd ſi prolapſa vulua intumeſcat, & inflata non iterum poſſit in ſuam ſedem reponi, decocto flatûs diſcutiente, atque interdum emolliente ſæpiùs fouenda eſt.

Peſſi, ac ſuffitus.

Fotus.

Quamobrem fotu ex cumino, aniſo, baccis lauri & iuniperi, fœnugr. ſaluia, ruta; aut mentaſtro & abrotan. aut nonnunquam malua & althæa in vino rubro, aut hydromelite coctis, tunc vti neceſſe eſt. Hinc detumeſcens, reducenti paret, & priùs aſtringenti vino perfuſa, tutò reſtituitur. Hoc idem, vbi prolapſa refrixerit, faciendum, atque dein eadem omninò quæ ſuprà dixi; Sed interim ſummâ cum animi, tum corporis quiete mulier cruribus elatis decumbere debet, atque diu ſic reſidere, quemadmodum in enterocele. Ergò cauſa eximenda, vulua reponenda, ibíque confirmanda eſt ſubere vel filo. Deſperatis remediis, vnicum reſtat quod mali tædium lenire poteſt. Globulus inſtar oui columb. aut gallin. Liquatâ cerâ imbutus, plenéque obductus, in pudendi ſinum demittitur, ac ſubligaculo arctè continetur.

Epilogus dictorum.

Globulus inceratus.

Curatio vuluæ conuulſæ.

Venæſectio.

Si vulua in alterutrum latus inclinat & obliquè contorquetur, plenitudo vincula diſtendens quamprimùm exhaurienda; Atque ſi ſanguis eſt, apertâ malleoli venâ, è regione eius partis, in quam vterus inclinat, niſi ex inflammatione ſit, ob quam illa in aduerſum latus deflectit. Mox admouenda diſtento inguini chalaſtica, & mediocriter digerentia, qualia conuulſis ex plenitudine artubus conueniunt: vt ex oleo lilior. chamæm. irino, mucag. lini, fœnugr. althæ. & axungiâ gallin. anſeris; Dein affigendæ aduerſo inguini frequentes cucurbit. quæ in eam partem adducant, & inflectant. Neque interim prætermittendus frequens clyſter qui emolliat. Sed & inſeſsûs ciendis menſibus apti, & peſſi emolliendo ſcirrho idonei vſurpentur. Itaque ſi vteri ceruix obliquata eſt, dirigetur obſtetricis digito, & peſſo ex emollientibus & odoratis comparato. Verùm ſi frigidorum humorum copiâ vteri habenæ impleantur, eadem quoque purgationis ratio neceſſaria eſt quæ in vterino fluore. His vterus in priſtinam ſedem plerumque reuertitur.

Chalaſtica topica.

Clyſteres.

CAPVT

CAPVT LIV.

Vuluæ Hæmorrhoides, Rhagades, & condylomata.

Noſcuntur pruritu, acrimoniâ, & dolore, atque interdum exiguâ cruoris profuſione, præſertim mox à viri congreſſu, quem ægrè ferunt, atque idcircò perhorreſcunt: ſed exactiſſimè manûs contactu, & vterino inſtrumento. Ita enim ſciſſuræ & hæmorrhoïdes in oſtioli circuitu oculis patent. Hæc autem vt eandem, quam in ano, cauſam habent, ſic eodem vincendæ ſunt curationis genere. Peſſi quoque vtiles ſunt ex adipe anatis, œſypo, medullâ cerui, cerâ, oleo lilior. aut è narciſſo. Vtiles quoque ex oui luteo aſſo, & lacte ſubacto. Quòd ſi vehemens ardor & acrimonia ſubeſt, vnguentum è ceruſa, aut è litharg. cuius vnciæ aluminis ʒi. adiiciatur, aut diapomphol. aut aliud roſaceo liquatum immittitur, aut vnguentum è plumbo, quod leniendo cancro aptauimus. Auxiliantur etiam hæc.

Horum vteri affectuum ſigna.

Cauſa, & curatio.

Peſſi.

Si ardor & acrimonia ſubſit, vnguenta idonea.

Vnguentum.

℞. Tragac. gummi arab. in aquâ roſ. infuſor. ceruſ. lotæ, oliban. ſang. drac. vel boli arm. an. ʒii. litharg. ℥iii. plumbi vſti & loti ʒiß. ol. roſ. & ceræ, quantum ſatis, ad vnguenti conſiſtentiam, addendo ſi ardor vrget, ſucci plantag. & ſolani, an. ʒi.

Iniectio.

℞. Ceruſ. aloës, oliban. ſang. drac. boli arm. an. ʒii. coquantur in ℔i. lactis caprini ad tertias: percolentur ad iniectionem, quæ pruritum & ardorem ſedat. Hæc ſciſſa etiamſi mitioribus non vincuntur, minimè tamen adurentibus, aut ferro attingi debent, niſi iam vetuſtate callum contraxerint, tunc enim ſcalpello tumentes oræ refricentur.

At ſi condylomata, & prominentes thymi, & cæcæ hæmorrh. & quæcunque carnoſa aut calloſa tubercula illic p. n. excreſcunt, veterum conſilio volſellâ prehenduntur, & ferro amputantur, & inſperguntur gallâ læuigatâ; magna cura adhibita, ne partes quæ iuxtà ſunt, violentur, & profuſione ſanguinis officiant. Sed tutiùs exterentur iiſdem medicamentis, quibus hyperſarcoſim in penis ductu curauimus, vt puluere mercurij, aut aquâ ſublimatâ, aut paſtillis ex ſabinâ, alumine, vitriolo.

Chirurgia horum affectuum.

Cathaeretica.

CAPVT LV.

Muliebrium astrictio & præclusio, quæ phimos.

Cels. verba l. 7. c. 28.
Phimi differentia, & causa.

NAturalia fœminarum nonnunquam occluduntur, & inter se glutinatis oris concubitum non admittunt, neque menstruæ purgationi patent: ídque interdum euenit protinùs in vtero matris, interdum exulceratione in iis partibus factâ, & per malam curationem his oris sanescendo iunctis. Si ex vtero est membrana ori vuluæ opposita est; si ex vlcere, caro id repleuit, aliàs quidem in imo, aliàs verò in alis, sæpè etiam ne medio ceruicis spatio excrescentes. Hæc autem modò omnem ductum occludit & intercipit prorsus; modò leniùs occupat, vt angustior via supersit. Eandem angustiam & astrictionem scirrhus, atque indurata phlegmone relinquit. Hanc quidem, vt & natiuam angustiam, insessu crebro ex emollientibus, & pessis qui præclusam vuluam laxant, curare oportet. At si aut nihil, aut minimum patet, intersepientem membranam, aut carnem, scalpello fistulis accommodato, necessarium est rectâ lineâ incidere, magnâ curâ adhibitâ, ne vrinæ iter violetur. Deinde intus implicitum in longitudinem linamentum, medicamento astringente & emplastico tinctum demittere, quò sanguinis fluor supprimatur, supráque linteola oxycrato madentia imponere. Lapso triduo, si nihil noui interueniet, vlcus, sicut alia vlcera, curare. Cùm iam ad cicatricem tendet, plumbeam fistulam medicamento cicatricem inducente illinere, eámque intùs dare, ne diducta labra rursus coalescant; aut pesso idem medicamentum inserere, donec ad cicatricem plaga perueniat.

Phimi muliebrium curatio.
Insessus, & pessi.
Chirurgia.
Cels. ibid.

CAPVT LVI.

Menstrua purgatio.

Menstrua, quid.
Menstruorum prima eruptio, & postrema meta.

SAnguis qui naturæ impulsu singulis mensibus foràs profunditur, rectè menstruorum nomen assumit. Menstruorum eruptiones secundùm naturam fœminis circa pubertatis annos primum obtingunt: quo tempore sanguis auctior, calore ita diffunditur, vt vix suis receptaculis cohiberi possit; atque constanti ætate iam actâ & decursâ, tempestiuè supprimuntur. Cùm enim menstruum alendo fœtui natura destinârit, non priùs quàm corpus libidine titilletur, illius vtilitas accedit, neque seriùs quàm extinctâ iam procreandi facultate decedit. Itaque menses pluri

mis decimo quarto ætatis anno primùm emanant; paucis ante xii. incipiunt; plerisque etiam vltra xiiii. aduentant, ex sanguinis penuriâ, & pituitæ copiâ. Desinunt autem sæpiùs quinquagesimo anno, non raro citiùs supprimuntur; quemadmodum interdum vltrà prorogantur, ad sexagesimum vsque. Neque verò omnibus eadem purgationis mensura obtingit, neque dierum par numerus excretioni definitus est; multis enim biduo, triduóve sanguis profluit, quod optatissimum est; non paucis ad quintum; aliis etiam vsque ad septimum diem, raro ad duodecimum fluor protrahitur; ídque aliàs vberiùs, aliàs parciùs incidit: quanquam omnibus ex naturæ præscripto, statis mensium circuitibus recurrit.

Menstruorum mensura diuersa, vt & dies horum fluxui destinati.

Tantæ varietatis causa non aliò sanè referenda, quàm ad diuersam temperamenti rationem, & dissimilem viuendi modum: vnde redundantia sanguinis plus aut minùs coaceruatur. Conueniens purgationis modus est, qui naturæ, ætati, ac vitæ generi respondet, nec vires aut defectu grauat, aut exuperantia dissoluit, sed manifestè erigit, præsertim cùm iam planè desierit. Per hanc qui emittitur sanguis, substantiâ est mediocris & colore rubicundus, qualem nuper mactata victima fundit. Qui enim albior est, aquosus, aut viscidus; vel tenuis, flauus & feruidus; vel crassus atque nigricans, genus quoddam sanguinis est vitiatum, & quasi ægrotans: ídque aut proprio vitio, aut humoris alieni permistione, cui fœtor assidens putredinem arguit. At menstrua purgatio quæ nec statum ordinem, nec congruum naturæ modum seruat, ferè eiusmodi sanguinem fœdum exhibet; víxque aliena mensium qualitas aut naturali ordine, aut idoneâ mensurâ prodit.

Huius diuersitatis causa.

Menstrua purgatio quæ maximè sit naturalis.

Hipp. l. 1. de morb. mul.

CAPVT LVII.

Mensium suppressio.

MEnstrua mulierum purgatio præter naturæ institutum aut supprimitur, aut restitat, parciórque fit, magnâ quidem virium oppressione: hinc quippe natiuus calor elanguescit, & viuidi caloris flos perit; corpus quasi lassitudine frangitur, & subinde inhorrescit, collum & spina dolent; lumbi, inguina, femoráque ingrauescunt; supprimitur & attollitur venter; sæpè inter vmbilicum & pubem dolor est, ac molesti ponderis sensus; plurimis partes sub oculis tumidæ sunt & inflatæ; cibi fastidium accedit: nausea & deiecta appetentia, capitis grauitas & dolor pulsans, milléque alia tædia, præsertim quoties inutile mensium tempus redit.

Suppressorum menstruorum symptomata.

Quæ omnia tantò deteriora euadunt, quantò fuerit suppressio diu-

Varij morbi ex longa mensium suppressione oriundi.

turnior: ex quâ tandem grauissimi & contumaces morbi suscitantur, lentæ febres, viscerum, & maximè lienis obstructiones & tumores, cachexia, hydrops, dyspnœa, sanguinis sputum, tabes, cordis palpitatio, vteri strangul. epilepsia, affectio hypochondriaca, desipientia melancholica, arthritis, varices, vitiligo, lepra, cancer, elephas, huiúsque perniciei alia.

Suppressionis mensium causæ euidentes.

Mensium præter naturam, suppressio aut imminutio, aut intempestiua cunctatio sæpè ex causis fit euidentibus, quæ sanguinem & humores vel discutiunt, vel intrò reuocant: vt è parciore victu, multâ exercitatione, prægressis euacuationibus, diuturnis morbis, vel mœrore ac timore graui. Cæterùm non has, sed interiores causas inquirimus remediis oppugnandas. Huiusmodi consistunt aliàs in sanguine, qui multus, crassus aut lentus, ac pituitosus vteri venas obstruit, ac minimè pæterfluens sistitur. Hic autem crassus & viscosus euasit, vel iecoris & viscerum aliorum; vel assumptorum vitio, quemadmodum & frigidæ largâ potione, otióque multo. Quibus ex causis aut menses supprimuntur, aut parcè & tardè fluunt, híque decolores. Quin & interdum calidior & siccior corporis natura, qualis in viragine, paucum & quasi ardore resiccatum sanguinem profert: Neque tamen magna tum menstrui necessitas inest, quòd ipsius materia aliò rapta dissipetur, & potenter discutiatur. Si quid per vuluam excidit, id & perexiguum & cum labore exit, & partes obscœnas sæpiùs ardore exulcerat: Sic enim Hippocrates: Cui menstrua biliosa prodeunt, sæpè linquitur animo, cibum auersatur, æstuat, vigilat, crebrò hiat, motum horret, nec videre sibi videtur, tristis est, & timet.

Eiusdem causa interna, à toto corpore,

loc. proximè cit.

Ab ipsomet vtero malè affecto.

Aliàs causæ sunt in vtero, cuius vitia censentur densitas immodica, & venarum ad ipsum pertinentium aut natiua angustia, aut à frigore inducta occlusio, atque illic insidens obstructio, à mucore vel pituitâ vteri acetabula implente, aut astrictio à tumore præter naturam. His accedit vteri euersio, obliquitas siue contorsio, & interioris osculi nimia coarctatio ab omento pingui, & eiusdem obturatio à callo & tuberculo carnoso, adnatâ membranâ, ex vlcere relictâ cicatrice, quorum si quid adsit, menses exitum habere non poterunt. Suppressio igitur nisi ab euidentioribus fit causis, aut viscerum, aut vteri vitia sunt accusanda. Hæc autem vel per se, vel obstetricis percontatione, facilè deteguntur, vt non aliis signis indigeant: Illa malè affectorum viscerum notas exhibent.

Signa quibus detegitur, an ab vteri, an à viscerum vitio pendeat suppressio mensium.

Curatio.

Prognosis.

Mensium p. n. suppressio, grauissimorum morborum procreatrix, cùm iam in vetustatem incidit, obductis & pertinaciter occlusis meatibus, vix curationem admittit. Maturè ergò vel superuacuè malo succurritur.

Sup-

Suppreſſionis cauſa ſi in principibus partibus, totóve corpore perſiſtit, hanc priùs demoliri ac circumcidere conuenit; Dein vteri rationem habere. At ſi in ſolo eſt vtero, illi tantùm eſt proſpiciendum. Itaque demenda inprimis, ſi fieri poſſit, cauſa omnis quæ menſes inhibet: Hinc naturalis illorum curſus, partim alimentis, partim medicamentis aperientibus reuocandus. Ergò ſi impura ſint viſcera, & obſtructa ac refrigerata, aut ſcirrho dura, ſuis remediis hæc vitia quamprimùm oppugnato, & cacochymiam ſubtrahito. Quemadmodum ſi vteri ſcirrhus ſuppreſſionem inuexit, aut peruerſio, aut oris eius præcluſio à ſanguinis grumo, adipis copiâ, adnatâ membranâ, carneo tuberculo, aut alio vitio, remedia primum obiicito cuique affectui conſentanea.

Indicationes.

Cauſa omnis ſuppreſſionis menſium primùm demenda.

His ita ſummotis, demùm quæ menſes accerſunt opportunè imperato. Sæpiùs tamen & cauſæ & ſuppreſſioni eâdem operâ ſuccurritur, quod maximè expetendum eſt. Nam incidentibus & detergentibus reſeratur viſcerum, vteríque obſtructio, ac refrigeratio corrigitur, menſtruúmque redit. Quamobrem rectè Galenus frequentiores ſuppreſſionis cauſas obſeruans, curationis ſcopos eſſe ſtatuit, ora vaſorum ad vterum pertinentium aperire, & ſanguinem extenuare. Quæcunque id præſtant, verè ac propriè menſes mouent; reliqua verò omnia ex accidenti; Nam & quæ in virium imbecillitate roborant, & quæ in ſanguinis penuriâ eius copiam exaggerant, & quæ craſſum & exuſtum, ac retorridum ſanguinem humectant, refrigerant, & diluunt ardore repreſſo, vt lactuca ex Dioſcoride, non propriè ac per ſe menſes illa ducunt, tametſi eo beneficio adiuta natura conuenienter prouocetur. Iam verò quæ menſes propriè cient, ferè omnia validè excalfaciunt, & ſubſtantiâ prætenui anguſtas vias ſubeunt, venáſque interceptas reſerant, neque tamen vt diuretica, potenter exſiccant.

Causâ ſuppreſſ. menſiũ ſublatâ, menſes euocandi ſunt.

Comm ad aph. 36. l. 5.

Hæmagoga propriè dicta quænam ſint.

l. 2. c. 130.

Gal. l 5. ſimpl. c. 22.

Eiuſmodi ſunt amara & acria, quæ lentos humores detergunt, & craſſos attenuant: quæ idcircò tenuis eſſe naturæ oportet, vt in diſtantiſſimo facilè penetrare queant; atque in tenui ſubſtantiâ calorem ſecundo aut tertio receſſu obtinere, qui vehementer glutinoſos & pigriores humores extenuet, neque tamen æqualem afferat exſiccationem. Nam in menſtrua purgatione venæ magis aperiri, & ſanguis manantior & fluidior euadere debet, quò in vteri venas expeditiùs pellatur.

Quamobrem ex his quæ immoderatiùs exſiccant, & verè diuretica, humectantium certa permiſtione diluenda ſunt. Quemadmodum vbi calida viſcerum intemperies obſiſtit, refrigerantibus admiſtis, vt cichorio, agrimonio, ac rumice temperanda erunt.

Iam omnem eorum medicamentorum materiam, quæ menſes mouent, proponamus. Horum alia mitiora, quæ etiam prægnanti tuta ſunt; alia validiora, quæ ſolutis acetabulis, conceptus & ſecundas pellunt, aut etiam fœtûs euocant: Atque ab illis ad hæc ſenſim fieri debet pro

Hæmagoga alia mitiora, alia validiora.

Suppressioni mensium validiora debentur hæmagoga, mitioribus cicurata.

Hæmagogorũ materia.

progressus. Mitioribus rarior & parcior mensium purgatio iuuatur: suppressio autem etiam vehementioribus indiget. Quibus tamen eâ moderatione vtendum, vt neque febrem excitent, neque ventriculum grauiter offendant; quapropter mitiora quibusdam acrioribus exacuenda, & vehementiora mitiorum permistione lenienda sunt. Hanc vim habent rubia, casia,(si extaret)calam. odorat.cyper. eryng. phu, siliquæ Ægyptiæ cortex,radic.petros. & fœnic. vrinis & menstruis ciendis efficaces, aliæque aperientes,rad.pentaphyll.iris,meum, helenium,pœoniæ radix,peuced. Quin etiam artemis. betonic. vtraque sabina, melissoph. lupul. brassic. lapathum, origan. puleg. calaminth. absinth. hyssopus, dictamn. serpillum, sampsuc. chamædr. chamæpit. thymum, amarant. mercurial. rutæ genus vtrumque,horridior tamen syluestris, & ad effectum valentior; scordium item, & prassium viride, scylla, pancratium, porrum capitatum, cæpe, allia, porrum, nasturt. sinapi, napi secunda species, sion seu lauer, smyrnium, raphanus, crithmum, caucalis, gingidium.

Iam verò consueta semina retardatos menses fœminarum, partûs enectos, & secundas pellunt: vt fœnic. apij, cumini, viticis, fœnugr. dauci Cretic. sesel. ameos, semen erúcæ & vrtic.cicer,phaseoli,melanth. fructus cedri, baccæ laur.grana iunip. & sabinæ,atque alia quæ vrinam prouocant. Sed & flores genistæ, conyzæ, rorism. hyperic. violæ luteæ, chamæmel. sambuc. menses adiuuant, & iunci odorati flos, & nardus, cæteráque aromata,vt zinziber, piper, crocum, cinnam. costus(si haberetur). Accedunt iis agaricum,aristol. & pota & subdita, gentian.radix, asarum, borax, atque omnia gummi genera cæteris vehementiora, vt myrrha, styrax, laserpitium, bdell. syluestris oleæ gummi, terebint. castoreum, sagap. galb. opopan. moschus, ambra.

Horum plurima non tantum assumpta, sed etiam admota, & pessi formâ subdita, atque fotu & suffitu præscripta, menstruos cursus morantes euocant. Sunt & alia quæ menstruis hærentibus tantùm subiicere expedit,aut imo ventri apponere. Sic helleb.coloc. struthium,centaur. min.bryonia, & cyclam. menstruum sang. trahunt vel appositu. Sic lac fici cum luteo oui appositum,aut hederæ corymbi, atque permulta alia deinceps explicanda menses trahunt.

Quando vtendum menses prouocantibus.

l.2, de generat.anim.c.4 & l.4.c.2.

Hoc modo expressâ materiâ eorum quæ ciendis mensibus inseruiunt, nunc ordinatæ curationi propiùs accingamur, quam tum demùm instituere conuenit, cum iam aduentat consuetum menstruæ purgationis tempus, alioqui frustrà hanc tentes. At in quibus nulla vnquam eruptionis significatio fuit, summa opportunitas designabitur senescente lunâ, quæ quidem omnium animantium humores regit, vt iam exacto illius incremento sanguis arctior faciliùs & expeditiùs arte profluat: Lunâ enim crescente, menstrua colligi, decrescente sæpè moueri auctor est Aristoteles, nullâ ætatum distinctione. Cum igitur crassus & lentus humor, ac frigidior intemperies, aut vteri densitas menses supprimit,

hæc

hæc esto curandi ratio, à pituitæ obstruentis purgatione inchoata: Menses enim decolores, nec stato circuitu recurrentes, purgationem indicant necessariam.

Hipp.aph. 36.l.5.

Clyster.

♃. Maluæ, mercur. pariet. artemis. matric. vel nepet. an. Manipul. i. caric. ping. par. xv. sem. lini & fœnugr. an. ℥ß. anis. fœnic. ameos, sileris mont. an. ʒi. flor. genist. & camom. an. p.i. fiat decoctio: & in colat. dissolue hieræ picræ, vel bened. & diaphen. an. ʒvi. ol. chamæmel. ℥iij. mellis ros. ℥ii. fiat clyster, qui emollientibus & aperientibus constans, maximè hîc prodesse solet.

Bolus purgans.

♃. Confect. hieræ picræ ʒvi. cum saccharo fiat bolus: Aut si paulò validiùs purgandum, pilul. de hiera non lotâ aloë, ʒi. formentur pilul. vij. vel diaphœn. ʒiii. dentur ex aqua artemis. cui si agaric. ʒi. accesserit, non erit alienum.

Sectio venæ inferiorum.

Postridie nisi quid obstet, poplitis aut malleoli venam pertundito, & sang. ℥vii. aut minùs detrahito, ne profuso sanguine copiosiore purgationis materia subripiatur, quæ naturam promptiùs incitaret. Suppressos menses, etsi frigida sit intemperies, vena in poplite aut malleolo, instante duntaxat purgationis tempore, cæsa mouet. Nam sanguinis impetu deorsum conuerso, venæ quæ in vterum desinunt, resignantur.

Plethorico corpore, ex superioribus venis primùm mittendus sanguis.

At si plethoricum corpus est, primùm sectione interioris venæ brachij; Dein interpositis quatuor aut quinque diebus, saphenæ est opus. Vbi verò exsuccum, & vel prægressâ inediâ, vel immodico labore, vel insigni euacuatione, vel morbo diuturniore anteà exhaustum est, frustrà venam eliseris: tum quippe instaurandum potiùs corpus est, ac priùs reficiendum quàm venæ sectione, aut attenuantibus menses deuocentur: hæc enim extenuatum corpus magis exsiccant, vt nihil inde possit effluere.

Aperientium vsus.

A venæ sectione, atque etiam sæpiùs ante hanc, præparandi sunt humores & reserandi aditûs iis quæ menses cient. Non autem hîc magni interest, à venæ sectione, an ab aperientibus curationem inchoes, purgato tamen priùs ventriculo, ac primis venis. Quanquam si non immodica plenitudo premit, & crassior humor est, vt ferè est, tutiùs incidentia quæ fluxuro sanguini viam faciant, inferiorum venarum sectioni præmittuntur: quemadmodum & cucurbitulis, & crurum frictionibus, & vinculis, & aliis quæ deorsum sanguinem trahunt, atque medicamentis quæ menses validiùs impellunt. Ad mouendos menses, & ad expurgandum vterum, extat syr. capill. ven. è duabus, & v. radic. mel rosat. oxym. simplex, & diuret. & scilliticum, syr. è calamento, ex hyssopo, ex artemis. qui in præparandis humoribus duplo aquarum fœnic. gram. absinth. vel cuscut. vel puleg. vel beton. vel calamenth. vel sabinæ, diluendi, quomodo sequitur.

Sanguinem deorsum trahentia.

Syrupus.

℞. Syrup. è v. radic. ℥iij. syrup. arthemis. & mellis ros. colat. aut oxymelit. an. ℥iß. stillat. aq. fœnic. capill. vener. & lupul. aut betonic. aut pimpin. aut artemis. aut sublimioris rutæ, quæ inprimis est efficax, an. ℥iiij. pulu. cinnam. interior. vel macis ʒi. misce, fiat syrup. ad tres doses, quas reiterare conueniet; aut è plantarum decocto.

Apozema.

℞. Radic. rubiæ maior. eryng. valerian. petrosel. aut fœnic. aut si lien malè afficitur, rad. cappar. infusar. in vino albo, an. ℥i. rad. peuced. & calam. odorat. vel pœoniæ & cyperi, si cerebrum afficitur, an. ℥ß. artemis. matric. beton. melissoph. sabinæ, chamædr. chamæp. origan. calamint. puleg. mercur. & (si ex suppressione vteri suffocatio imminet) dictamn. an. M.i. passul. mundat. par. xx. caric. ping. par. v. 4. sem. frig. maior. quæ illorum siccit. diluant & temperent, an. ʒiij. sem. fœnic. apij, dauci, aut ameos & sesel. an. ʒiß. flor. genist. violæ luteæ, & rorism. an. p. i. cicerum rubror. p. iß. decoq. adiecto sub finem vino infusionis radicum: & in colat. ℔ii. dissolu. mellis ros. col. q. s. puluer. cinnamom. elect. & puluer. diagal. aut diambr. an. ʒi. fiat apozema clarum ad v. vel vi. doses. Dein paulò pleniùs expurgandum corpus, & vteri sordes detrahendæ medicamento phlegmagogo.

Potio purgãs. ℞. agaric. recent. trochisc. in oxymel. simpl. aut squillit. infus. ʒiß. zinziberis ℈ß. factâ expressione dissolue Indi maior. aut bened. ʒiiß. vel paulò plus, aq. artemis. aut betonic. q. s. misce, fiat potio, *Alia.* Vel bened. simpl. ʒiij. electar. Indi ʒii. ex aqua melissæ fiat potio, quâ non tantùm semel, sed & sæpiùs, pro rei necessitate vti expedit. Blandiùs tamen purgare conuenit, ne humorum ac seri copia menstruæ purgationi necessaria exhauriatur. At si pilularum forma potiùs exoptetur.

Pilulæ. ℞. Massæ pilul. fœtidar. aut è sagap. aut è sarcoc. descript. Mesu. (assumenda enim ingrati odoris esse conuenit) ℈ii. pilul. è bened. aut ex hiera compos. ℈i. malax. cum aqua arthemis. & fiant pil. vij. Aut:

℞. massæ pilul. fœtid. maior. ℈ii. castor. ℈ß. trochisc. alhandal, & croci, an. gr. iii. malax. cum aqua beton. vel matric. formentur pil. vi. Postridie.

Bolus menses ciens. ℞. Mithridat. aut theriac. antiq. & prob. ℈iiij. conseru. capil. ven. aut flor. rorismar. ʒiß. sileris mont. ℈ß. croci gr. iij. misce, fiat bolus, detur sequenti die à purgatione, v. horis ante prandium, præsertim obesioribus.

Insequen

Insequentibus autem diebus, cum iam tempus menstruæ purgationis instat, humorum cursus deorsum conuertendus est, sanguine, si videtur, rursus ex talo misso, aut hirudine popliti affixâ; admotis subinde cucurbitulis imo ventri & inguinibus; validis etiam frictionibus; denique arctissimis partium inferiorum vinculis ad tres aut quatuor dies: concitato etiam, si videtur, sternutamento, quò vterus concutiatur. Inter hæc autem eorum remediorum, quæ propriè menses mouent, aliquid imperandum, cuiusmodi plurima subiecimus, è quibus liquidiora solidioribus præstant.

Potio mensibus hærentibus idonea.

℞. Succi sabin. & artemis. depurat. an. ℥i. cinnam. interior. exactissimè puluerat. ʒii. croci gr. iiij. aq. stillat. raphani, aut pimpinel. aut decocti calament. & beton. an. ℥ii. misce, detur ieiuno pars media, sacchari tantillo respersa; altera in sequentem diem seruetur pari ratione haurienda.

Itidem succus eryngij cum vino albo potus eximiè præstat; aut succus raphani syluestris cum vino, in quo agaricus præmaduerit, extractus & sumptus ad ℥ii. Delicatioribus, & his quæ ingrata medicamenta respuunt, vtilissimum est vinum aromatites, præsertim quod ex vino albo & tenui, multóque cinnam. comparatum est, & vsûs tempore aquâ aut decocto eryng. dilutum. Gratum quoque neque minùs efficax cicerum rubror. cum petrosél. rad. comparatum iusculum, insperso cinnam. puluere ac croci tantillo.

Vinum aromatites.

Iusculum cicer. rubr. & rad. petros.

Alia potio multò efficacior.

℞. Capitum croci, num. ii. rad. filicis, rubiæ tinct. agaric. & aristol. an. ʒii. puleg. hyssop. sabin. artemis. an. ʒi. sem. petros. & apij, an. ʒß. granor. halicac. ℈ii. cicer. rubror. pi. ß. lenticular. rubr. aut phaseolor. rubror. p. j. contusa decoquantur, & in colat. ℥iiij. dissolue syrup. capill. ven. ℥i. fiat potio cinnamomo condita, detur in aurora, triduo ante consuetum menstrui tempus.

Potio menses, & extinctos partûs, & secundas remorantes excludens.

℞. Boracis mineral. ʒi. cassiæ ligneæ ʒß. croci gr. iij. moschi gr. i. pulueren tur, & ex aquâ arthemis. dentur. Aut.

℞. Trochisc. è myrrha ʒi. vel trypheræ magnæ sine opio & narcoticis, parem modum, dentur ex aqua athemis. Aut antidotum hæmagogum detur, instar, auellanæ maiusculæ. Castor. ℈i. aut ʒß. cum pulegio ex decocto artemis. potum, Galeno fuit probatissimum.

l. xi simpl. c. de castor. Diosc. l. 2. 61 & 164.

Asphodeli quoque radix in vino albo vetere decocta, si id vinum cyathi mensurâ detur.

Puluis menses adiuuans.

℞. Betonic. schœnanth. cinnam. cyperi, asari, melanth. cassiæ lign. aristol. rot. aut rubiæ tinctor. puleg. ireos, dictamn. an. ʒi. croci ℈ß. puluerentur subtilissimè, detur ʒi. ex vino albo aut aquâ gram. manè; atque si videtur altera, dormituræ mulieri. Aut quò gratior sit, sacchari aquâ artemis. soluti q.s. Excipiatur puluis in electarij formam, aut cum pulpa passul. in opiatæ modum, aut coaptetur in pilul. cum oleo amygd. dulc. temperanda enim siccitas, ne purgationis materiam absumat. Eodem spectant trochisci dicti è myrrha, in pilulas, odoris & saporis gratiâ, conformati. Aut probatissimæ pilulæ sequentes.

Pilulæ. ℞. Sem. apij, cassiæ ligneæ, an. ℈ß. moschi g̃. vii. trochisc. è myrrha ʒiß. cum succo apij cogantur in massam, è cuius ʒi. fiant pil. vii. Dentur v. quotidie manè triduo, superbibendo aquam apij aut rubiæ, præsertim interposito semihoræ spatio. Aut sequentes.

Pilulæ quæ menses, partûs emortuos, vel transuersos, & secundas eiiciunt.

℞. Aristol. rotund. ℥ß. radic. gentian. & myrrhæ electæ, an. ʒiß. aloës, cinnam. an. ʒii. zinziberis ʒß. omnia exquisitissimè trita excipiantur oleo recenti amygd. dulc. in pilul. massam, cuius detur ʒiß. aut ℈iiij. ac protinus sorbendum cicerum rubrorum cum croco iusculum, quo diluantur, & in distantissima ocyùs penetrare possint. Aut tantillum vini albi quod sit aromatites. Vtilissimè autem medicamenta, quæ menses potenter mouent, emollienti balneo insidentibus dentur; aut cùm vel fotu, vel suffitu inferiores venæ laxantur, vt omnibus in vnam effectionem concurrentibus felicior sequatur euentus. Itaque hausto medicamento, protinus aquâ calente pedes & crura abluantur.

Hamagoga commode in balneo, aut post fotum vel suffitum exhibentur.

Opiata Mulierum purgationibus succurrens.

℞. Conseru. capill. ven. & iridis, an. ℥i. conseru. flor. genist. aprij. aut enulæ, an. ℥ß. aut conseru. eryngij & confect. diacurcum. aut dialaccæ tantundem, trochisc. de myrrha, & de capparibus, an. ʒi. cinnam. interior. ℈iiij. electar. diambr. ℈ii. schœnanth. ℈i. croci g̃. vii. cum syr. è v. radic. fiat opiata, ex quâ singulis diebus ieiuno ventriculo detur instar nucis iuglandis superhausto vini albi tantillo. Sed interpolatis diebus pilulæ de hiera cum agarico duæ, aut tres, lentos humores in vterum fluxuros blandè reuellunt.

Admo

Admota.

Nunc autem his quæ extrinſecùs admouentur, aut induntur, aut vapore intrò ſubeunt, venæ quæ in vterum eiúſque ceruicem pertinent. reſerentur ac patefiant. Primo genere continentur ſolium, fotus, ſacculi, vnguenta, emplaſtra, & cataplaſmata, omnia quidem molliendo & relaxando vtero, & ciendis menſibus deſtinata.

Solium primas tenet, in quod reſupina mulier à genibus ad vmbilicum demergatur, & in eo tepente paululum reſideat, quò minimè protitentur ſudores (Si enim aliò auertunt, & menſtruæ purgationi repugnant) ſed duntaxat emolliatur & colliqueſcat fluxurus humor.

Solium ſeu inſeſſus, & fotus.

℞. Radic. lilior. ℔i. radic. ariſtol. vel rot. vel longæ, an. ℔ß. vel rad. iridis, vel helenij, parem modum: radic. valerian. vel rubiæ, vel aſari; cùm validè purgandus eſt vterus, quart.i. althæ. cum toto, vtriuſque artemiſ. ſabin. calaminth. puleg. origan. meliſſoph. beton. nepet. mercur. pariet. an. faſcic. i. chelidon. ſummit lauri, ſampſuc. praſſ. rutæ, meu, an. faſcic. ß. ſem. lini & fœnugr. an. ℥iii. flor. chamæm. hyperic. viol. citrinæ, geniſt. vtriuſque ſtœchad. & roriſmar. an. p. iii. coquantur in aq. q. ſ. ad inſeſſum; vel fotum, acceptâ duntaxat horum omnium tertiâ aut mediâ parte, affusâ ſub finem vini albi ℔i. & alterâ.

Suffitus humidus. Quin & decocti eius vapore in vuluam per infundibulum ſuſcepto humidior ſuffitus comparari poteſt eliciendis menſibus aptiſſimus. Nec deſunt qui ſimili decocto in multos dies crura ſerò & manè abluere iubent.

Pedum lauacrum. *Litus.* Ab iis vtile eſt mox imas ventris partes emolliente & aperiente aut oleo aut vnguento illinere, quo venæ ad vteri ceruicem conſtitutæ reſerentur, & colliquentur humores. In id præcipuam vim habet oleum liliorum, è ſpica, Keirinum, irinum, chamæmel. muſcellin. amygd. amar. balaninum, è narciſſo, rutac. ſambuc. è iuniper. è croco, cui moſchi tantillum inſit, laurinum, è caſtor. aut oleum cui calamintha & artemiſ. ſicca, vel lauri tenella folia, vel ſabina, aut ariſtol. incoxerint, aut aliud quidpiam eorum quæ recenſuimus, adiecto flore chamæmel. aut geniſtæ. Eâ tamen lege, vt quæ calidiora ſunt, mitioribus & chalaſticis temperentur: Illa enim vehementiùs ſiccant, digerunt, & ſang. abſumunt, futuræ purgationis materiam.

Vnguentum.

℞. Olei è violis luteis ℥ii. olei è croco ℥i. adipis gallin. & taxi,an. ℥ß. croci & cinnam. artemiſ. an.℈ß. ceræ q. ſ. ad vnguenti compoſitionem: vngatur imus venter, & ſpinæ regio, tum maximè cum aperientia ore ſumuntur;idque diebus circiter octo ante expectatum menſtruæ purgationis tempus. Vel:

℞. Ol. lilior. è ſpica, aut laurin. an. ℥ii. adipis anſerini & anatis, an.℥i. ſtyrac.calamit. galban. aut opopan. an.ʒiii. calami odorat. ariſtol. aut aſari,an.ʒi. caſtorei & croci, an.℈ß. miſce,fiat vnguentum. At cùm galbani fœtor eſt moleſtus,eo adempto benioinum adiiciatur,& moſchi gr.iii. aptentur, præſertim ſi vuluæ ſtrangulatus ſit ſuſpectus. Neque alienum videri poteſt magmate præſcripti decocti eaſdem partes obducere; ſed multò commodiùs in cataplaſmatis formam conferetur, immiſsâ lupinorum farinâ, & affuſo oleo irino vel rutac. & croci ʒi. inſertâ.

Cataplaſma.

Quinetiam nepeta vel artemiſia trita,ventríque appoſita menſes trahit, cui ſi tuſos hederæ corymbos adieceris, meliùs excretio reſpondebit. At ſi ne tum quidem menſium difficultas emendatur, cyclaminum & helleborum cæteris commiſceto, aut aliud quiduis eorum quæ vel appoſitu menſes exciunt.

Optimè prætereà res cedet, ſi calidum panem idoneo puluere aſperſum imo ventri ſæpiùs admoueris, alio ſubinde renouato cùm primùm ille refrixerit. In id autem puluis, qui in admouendis præſcriptus eſt, adiectâ helleb. chamæmel. & calami odor.an.ʒi. conuenientiſſimus eſt. Hic idem reconditus in ſacculos pari ratione vteri vitia emendat.

Fotus ex ſacculis.

Emplaſtrum menſtrua & ſecundas extrahens.

℞. Lupinor.& abſinth.an.℥i.helleb.& myrrhæ,an.℥ß. ſtyrac. rutæ,& calami aromat.an.ʒij.tuſa excipiantur felle taurino in emplaſtri formam. Si nil his fuerit adiutus, dropax tandem aut ſinapiſmus in vteri ſtrangul.deſcriptus,lumbis,pubi & inguinibus applicetur.

Dropax, & ſinapiſmus.

Immiſſa aut ſubdita.

Secundi ordinis ſunt quæ in vteri ceruicem immittuntur,modò peſſi formâ modò in vlcere ſubdita,modò etiam metrenchyte iniecta. Rarior tamen iniectorum eſt vſus.Eſt autem peſſus lana concerpta,aut quodcunque aliud teres digiti formam referens; quo medicamenta ſuſtinentur. Interdum tamen concerpto lanæ,aut bombacis,aut ſerici flocco excepta

Peſſus quid.

Naſcale,quid

ſubiiciun

ſubiiciuntur, præſertim virginibus, quibus indecora, difficilis, & inuſitata peſſi forma eſt; at reliquis accommodatiſſima vſúque trita. Sic equidem gentianæ radix ſubiecta menſes allicit: ſic iridis aut ariſtol. tenuioris, aut erythrodani radix glandis modo cum melle ſubdita, præſertim nigellæ, aut ſabinæ puluere inſperſo, menſtrua quæ ſubſtiterunt, ſtimulat. Sic centaur. minor. ſuccus in vellere ſubditus menſes & partus extrahit; Sic lupinos cum myrrha & melle menſtruis hærentibus, & partibus ſubiicere expedit. Atque hæc ſimpliciora ſunt: Quæ verò proximè ſubnectam, arte magis conſtant. Componuntur autem omnia ex attrahentibus & aperientibus. Attrahunt, quæ calida ſunt, & prætenui ſubſtantiâ pollent, quâ humores ex alto corpore in ſumma euocant, vt calamint. ariſtol. dictamn. tum cathartica, vt agaric quod etiam in peſſulo ſubditum menſes educit, aloë, aſarum, iridis ſuccus, & mercurial. Aperiunt tantùm cinnamom. gentiana, zinziber, atque his ſimilia odoramenta, quæ ita compones.

Simpliciores peſſi.

Compoſitiores peſſi, ex attrahentibus & aperientibus medicam.

Peſſus menſes prouocans.

♃. Trypheræ magnæ ſine opio, & pulu. bened. an. ℥ß. agar. ʒi. fol. mercurial. M.ß. contund. omnia, & cum exiguâ mellis roſ. col. quantitate, fiant duo peſſi inſtar medij digiti, ſerico rubro raro inuoluti: indatur vnus filo coxæ alligatus, præſertim locis inſeſſu aut fotu adhuc madentibus. His quippe ſanguis deorſum vergit. Ligari verò decet, vt faciliùs retrahi poſſit.

♃. Trypheræ magnæ ſine opio ℥i. trochiſc. de myrrha, ſem. iunip. nigell. ana ʒii. ſpic. nard. ſtyrac. calamit. ana ʒiß, colocynth. ʒß. incorporentur, cum ſucco mercur. aut chamædr. & ſindone rubro inuoluendo fiant peſſi. Alius.

♃. Mithridat. ℥ß. trypher. magnæ, & hieræ picræ, ana ʒiii. trochiſc. è myrrha, nigell. rom. tritæ, & cinnam. interior. ana ʒi. Omnia ſyr. è radicibus, aut pauco ſucco mercur. aut melle mercurial. alligantur, & circumpoſito ſerico raro, fiant duo vel tres peſſi.

Mercurialis ad ciendos menſes & ſecundas, miris laudibus in mulierum vſu prædicatur, adeò vt ipſa per ſe trita, & ſyndone rariſſimo, aut veruecis, aut hœdi peritonæo excepta ac ſuppoſita iuuet. Quin & imbuta eiuſdem ſucco linteola proſunt; ſed multò euidentiùs inſperſo ſabinæ aut benedictæ puluere. Alius:

Mercurialis vires.

♃. Aloës, myrrhæ electæ, caſtor. radic. ariſtol. gentian. iridis, & folior. dictamn. vel eius defectu puleg. vel ſampſuc. ana ʒi. ſucco mercurial. aut tereb. excipiantur, & concinnentur in peſſos.

At ſi ne his quidem menſes erumpunt, vehementioribus eſt opus, cuiuſmodi ſunt cathartica. Itaque adiectâ aut coloc. ʒß. aut helleb. ℈i.

Peſſi interdũ catharticis acuendi, non tamen temerè

℈i. aut ſcammon. ℈ß. vel euphorb. ℥. vi. curationi ſatiſfiet. Neque tamen in hæc acriora prorumpendum temerè: Etenim ſæpiùs ardorem incredibilem excitant (quem dein aquâ roſaceâ, aut oui candido, aut lacte, aut oleo viol. aut butyro recenti, aut medullâ aliquâ lenire neceſſe eſt.) Interdum etiam pudendo vlcus inurunt, quod non adeò facilè curationem admittit. Quapropter hæc vehementiſſima, aut à peſſorum compoſitione prorſus arceantur, aut parciſſimè & rariſſimè in iis vſurpentur, & paulùm hæreant, móxque alter peſſus emolliendi naturâ præditus, mulcendi gratiâ, inſerendus.

Alius.

℞. Theriac. antiq. & probatæ ℥ß. myrrhæ ʒi. ſucci ſabinæ ʒiß. miſce, fiat peſſulus, cui adde galliæ moſch. ʒß. aut rutæ ſiccæ & calamenti, an. parem modum.

Alius.

℞. Antid. hæmagog. aut pilul. è ſagap. ʒi. hieræ picræ ℥ß. excipiantur pulpâ ficuum, & ſucco mercurial. fiant duo peſſuli, vt artis eſt; immittatur vnus. Aut:

℞. Caſtor. & myrrhæ, an. ʒi. moſchi, ambr. & croci, an. gr. iiij. ſoluantur oleo ſambuc. aut Keirino, aut è iunip. aut irino, aut rutac. in quo dein immerſa lana, aut bombacis floccus, vel concerpta linamenta peſſi modo naturalibus indantur. Eadem felle vaccino, aut hircino illini poſſunt: ſed in vehementioribus cautio adhibenda, vt per noctem dimittantur, metu, inflammationis, aut vlceris. Per metrenchyten autem iniiciuntur ſucci ſabinæ, artemiſ. vel praſſij, duplo aquæ betonic. aut fœnic. diluti, adiecto inſuper melle roſato. Aut decocta extrahendis menſibus apta, qualia iam præſcripſimus. Sed quàm rariſſimè hæc remedia mulieres admittunt. Si quando tamen mali vis efflagitat, & laborans facilè aſſentiatur, præſcripta ad fotum decoctio ſelibræ pondo iniectioni accommodabitur.

Iniectiones per metrenchyten.

Suffitûs vteri, tam humidi, quàm ſicci.

Aph. 28. l. 5.

Poſtremæ claſſis habentur, quæ ſuffitu per infundibulum intrò ſubeunt, nam vapor inde efflatus refrigeratum vterum roborat, vaſorum oſcula patefacit, & concretos humeros fundit, colliquat, & obſtruentem craſſitiem extenuat: vnde. Hippocr. Suffitus aromatum muliebria ducit, ſed capitis grauitatem parit. Eſt autem ſuffitus aliàs humidior, in quo madidus quidam vapor è ſubiecto herbarum decocto ſublatus fertur in vterum; hic billioſis naturis conuenientior: Aliàs ſiccior, qui in arido quaſi fumo ſitus eſt. Primum genus exemplo non indiget: Eadem enim eſt fotûs & humidioris ſuffitûs præſcriptio; ſed vtendi ratio diuerſa. Ille per ſpongiam imo ventri admouetur; hic expirato ſurſum vapore per infundibulum in vuluam ſuſcipitur. Itaque longè efficacior ad ſuffitum decoctio erit, incocto cyclamini radicis quadrante, aut helleb. aut coloc. ℥iß. Suffitus autem ſiccior fit exaridiore quadam, & in halitum pronâ

mate

materiâ, ciendis mensibus idoneâ. Hæc trita prunis candentibus inspergitur, vt fimum eiusdem facultatis participem in vuluam expiret. Conueniens suffitûs materia est styrax, succus Cyrenaicus, aut benioin. myrrha, galban. sagap. opopanax. castor. aristoloch. radix sicca, zedoar. pœoniæ rad. asarum, dictamn. melanth. arthemis. calament. sampsuch. hyssop. thymum, puleg. origan. schœn. calamus odor. cardamom. zinziber, pyrethrum, cinnamom. nardus. Atque vt vehementiùs stimulet, coloc. aut helleb. Quæ ad suffitum conferuntur, vel pulueris formâ, ex aridioribus solis; vel in pastillos gummi aliquo, aut resinæ genere coacta & conglobâta.

Suffituum siccorum materia.

Trochisci ad Suffitum.

℞. Styrac. calamit. liquoris Cyrenaic. seu benioin, galban. sagapen. ana. ℥iij. nigell. Rom. schœnant. calamit. odor. spic. nard. aristoloch. rot. erythrod. radic. pœon. irid. colocint. ana ℥ij. dictamn. & artemis. siccæ, nepet. vel sabinæ, ana ℥iß. trita omnia, & terebinth. excepta concinnentur in trochisc. instar auellanæ, quibus, si ditior est mulier, commisceto galliæ mosch. ℥i. iucundum enim & odoratiorem fumum expirare conuenit. Igni supponatur vnus aut duo, indéque emergentem vaporem mulier veste obuoluta subter excipiat per infundibulum: sic autem moderandus is calor est, ne vterus supra modum exarescat, eiúsque vasa exurantur.

Suffitus alius pulueris formâ.

℞. Myrrhæ, & styrac. calamit. ana ℥iß. veratri alb. rubiæ tinct. asari, centaur. minor. fol. rutæ & artemis. granor. sabinæ, ana ℥i. schœn. calami arom. & cinnamom. ana ℈ij. croci ℈i. fiat puluis ad suffitum, benè circumtectâ muliere, ne capitis grauitatem pariat.

Victus ratio.

In vniuersum, victu attenuante, & incidente est opus; qualis præscribitur viscerum obstructionibus, & renibus calculosis. Particulatim autem aromatis vtendum, vt croco, zinzibere, pipere, cinnamomo, aniso, fœnicul. Arcenda viscida, extrema animalium, legumina, caseus, & cætera ex lacte comparata: Item frigida, acerba, & crassæ compactæque substantiæ alimenta.

Suppressio ab aliis causis.

Si ab vlcere derelicta grandior cicatrix, aut callus, aut adnata caruncula, aut pellicula, menses supprimunt, nullum curationis genus ten-

Lenientia & emollientia. tandum, nisi fortè lenientia & emollientia experiri cogaris, qualia vuluæ præclusæ duritiáque laboranti medentur, adiecto insuper sabinæ puluere, aut aliquo eorum, quibus penis hypersarcosin absumi diximus. *Chirurgia.* Alioqui præclusio chirurgiam efflagitat. Et reuerà malum hoc vix vlli medicinæ paret, quemadmodum neque conformationis naturale vitium. Sanguinis tamen prouentus tum victu tenui est inhibendus, tum aliò deriuandus, quo affectus ex corporis plenitudine futuri arceantur.

Suppressioni mensium ex sanguinis penuria, analeptica edulia. Quòd si vtero os inflexum & distortum, dirigere oportet eo modo quem in vteri conuulsione exponemus. Si ex sanguinis penuria, corporis extenuatione, & sicciore intemperie menses substiterunt, frustrà naturæ repugnamus mouendis mensibus, vtpote dissipatâ, aut in corporis nutritionem conuersâ illorum materiâ. Quocircà reficiendum corpus est, atque cibis boni succi & frequente balneo dulcis aquæ humectandum, cui malua, althæa, acanthus, viola, artemis. semin. lini & fœnugr. hordeum nymph. & chamæm. melilot. & iis similia incoxerint; fotu prætereà & suffitu ex eodem decocto; & inunctionibus ex amygdalino, chamæmel. liliaceo, butyro, adipe gallin. vel anserino, & croco, siccior vterus emolliendus & relaxandus est. Quæ in iis quoque facienda, quibus menses parcè & cum dolore emanant. *Mensibus impunè defectæ, nullis fatigandæ medicamentis.* Quæcumque mulieres nullo valetudinis incommodo mensibus non purgantur, frustrà iis medicamentis fatigantur; nisi fortè procreationis desiderio, cuius causâ sanguinem deorsum ferri necesse est, quò naturæ hortus, siue procreationis ager primùm irrigetur: Sic enim sensim assuefacta natura, dein tempestiuos imbres facilè in fœcundum vterum demittit, vt fœtus generetur, nutriatur, & increscat.

CAPVT LVIII.

Mensium exuperantia.

Causæ mensium exuperantiæ. IMmoderata mensium eruptio, & diuturna purgatio, aut frequentior quàm menstrua, contrariis ex causis fit. Profusionis enim causa vel in sanguine est, qui multus, tenuis, aut acer est; vel in venis quæ aut ruptæ, aut apertæ, aut exesæ iam sunt. Sanguinis igitur immodica fit effusio à plethora, aut laborioso partu, vel externo ictu venas disrumpente, vnde sanguis confertim effluit: à tenuitate sanguinis oscula referante; ab acrimonia, exedente & exulcerante, tumque sanguis parcè, ac sensim quasi diuturno, stillicidio emanat, nonnunquam sincerior, aliàs sero perfusus, aut etiam saniei speciem exhibens. Causarum & signorum plenior distinctio, ex iis quæ in sanguinis sputo prædiximus, repetenda.

Curatio

Curatio.

Fluxus hic nisi exuperet, cohibendus non est. Vbi autem immoderatiùs prorumpit, (quod ex insequente virium imbecillitate deprehenditur) sedulo reprimendus. Causa, vt sistas, exploranda, & color sang. fluentis animaduertendus. In vniuersum tribus præsidiorum generibus agendum. Primum euacuat, aut venæsectione, aut purgatione, aut hirudine, aut scarificatu. Aperienda basilica dextra, vbi sang. copia, ac suppressio prægressa effrænatæ eruptioni occasionem dederit, virésque adhuc constent, sed pondo ℥ij. aut iij. Sin verò labant, & magna plenitudinis pars effusa sit, illius vices cucurbitul. mammis affixæ, aut potiùs hypochondriis adhibitæ, tempestiuè suppleant: quibus non modò semel, sed sæpiùs vtendum. Quinetiam humerorum scarificatus & hirudines scapulis adhibitæ, non inutiliter vsurpantur: ídque maximè vbi sanguis externarum causarum impetu, ictúve profluit. Quòd si vel tenuitate, vel acrimoniâ, immoderatus sanguis emanet, rhéo, myrob. citrinis, tamarindis, sebesten, ac rosac. syrupo laxante acer humor expurgandus. Aut si tenuior & maximè serosus, additâ fumariâ, kebulis, succo rosarum, quæ aquas educunt citra agitationem. Si verò consueta aliqua vacuatio suppressa, eruptionis causa est, sedulò renouanda, nisi quid obstet. Itáque sanguinem è naribus prolicere licet: At neque hæmorrhoïdas, neque vrinas mouere, quia deorsum ferunt; neque hidroticis sudores, quia sanguinem commouent & exagitant.

Prognosis. *Indicationes. Euacuantia. Venæsect.* *Cucurbit. Aph. 50 l. 5.* *Scarificat. & hirudines.* *Purgatio.* *Solenniũ vacuationum suppressarum renouatio, præterquàm hæmorrhoidum, vrinarum, ac sudorum.*

Euacuatione & reuulsione præmissâ, quæ tum præscriptis modis fiat, tum vinculis arctioribus digitorum, ac brachiorum, frictione superiorum partium, & calfactione, dein præsidiis posteà vtendum, quæ erumpentem sanguinis impetum sistant, ac patefacta vasorum oscula occludant: Astringentibus & siccantibus vasorum apertioni oppositis; incrassantibus humorum tenuitati; & glutinantibus acrimoniæ ruptionique accommodatis. Quamuis enim omnibus iis simul vti conueniat, quibus eadem operâ variis causis obsistamus, & affectibus differentibus medeamur; attamen pro causarum varietate, hæc vel illa in compositione primas tenent, ac cæteris antecellunt, additis etiam corroborantibus, quæ deiectas vires instaurent, ac reficiant. Horum autem alia assumuntur, alia immittuntur aut induntur, quorum materia ex hac simplicium serie depromenda.

Reuellentia. Sanguinis effluxum inhibentia.

Materia supprimentium sanguinem.

Astringentia, quæ apertis vasis inprimis præsidio sunt: Galla, præsertim si deflagrans igne, austero vino, aut aceto extincta sit; lysimachia, polygonum, millefol. lentisci, myrti, rubíque folia horúmque

Astringẽtia, anastomosi vasorum idonea.

succus, polygonatum, portulaca, peruinca, bursa past. mentha, symphyti radix, equisetum, nuces cupressi, balaustia, cytinus, cortex mali punici, cynosbatus, calyces glandium, cortex quercus, myrtus, & eius baccæ, acini vuæ, mala cydonia, mespila, sorba matura, corna, rhus, ribes, dactyli immaturi, acacia, hypocistis, rosa, omphacium, & omnia alia aŭstera & acerba, quæ retentricem vim firmant, laxásque vasorum tunicas stabiliunt.

Glutinantia, diæresi accommodata. Glutinantia & sarcotica, quæ peculiariter ruptis & exesis accommodantur: mastiche, aloë, thus, gummi tragacant. & arabic. pix sicca, colophonia, gluten, mummia vulgaris, gypsum, farina volatilis, amylum, lapis hæmatites, terra sigillata, argilla, bolus armen. sanguis drac. albumen oui, flos chamæleontis, flores salicis, lanugo castanearum, & cotoneorum, aranearum tela: omnia denique emplastica, quorum glutino tanquam visco, disiunctæ partes adhærescunt, & in vnum coëunt.

Exsiccantia diapedesi aptiora. Exsiccantia, quæ sanguinis serum absorbent: cuminum torrefactum, coriand. torref. spica, vbi calfaciendum; carabe, corall. cornu cerui vstum & lotum, cortex oui, spodium, aut antispod. alumen, scoria ferri, antimonium, terra vsta è clibano excidens.

Ischæma à proprietate. Præter hæc, alia proprietate & recondita facultate conferunt: pulu. ranarum, porrum, vrtica, iaspis virens.

Ex hac materia variæ medicamentorum formæ comparari possunt: atque illorum alia, vt dixi, assumuntur, alia extrinsecùs admouentur, vel induntur, nunc in puluerem trita, inspersáque, nunc pilis leporis, lanugine castanearum, cotoneorum, aut salicum ex oui candido excepta. In iis autem administrandis plurimùm refert, à quonam curationis exordium ducas. Quæ enim aut admouentur, aut immittuntur in vteri sinum, protinùs adhibita periculo non vacant. Periculum autem est, ne effusus iam extra venas sanguis concrescat in grumum, qui in vtero retentus, ac putrescens, febrem, animi defectiones, ac syncopas, frigidos sudores, conuulsiones, aliáque symptomata terroris plenissima accersit. Quamobrem ab assumptis incipere necesse est, per quæ sensim ordinatímque firmatis venis, ac crassescente sanguine, eruptionis impetus remittitur; dum tandem quæ ad vterum pertinent ora venarum, aut sponte sua, aut medicamentis inditis occludantur.

Ab assumptis ad admota, atque immissa progrediendum.

Assumpta iuuant hæc.

Potio sanguinis fluxum supprimens. ℞. Corall. rubr. pulverat. boli armen. ana ʒß. trochisc. de spodio, & de Karabe, ana ℈i. lapidis hæmatit. & semin. plantag. pulverat. ana ℈ß. syrup. de rosis siccis, vel cydonior. ana ℥i. aq. plantagin. & rosar. ana quart.ß. misce, fiat potio, quæ exhibeatur ieiuno ventriculo, & horâ matutinâ, ac subinde repetatur. Huic potioni, si sanguis serosior

rosior sit, addi potest, ℈i. scoriæ ferri crematæ, & in aceto extinctæ, ac pulueratæ.

Quòd si vigiliis torqueatur cum virium imbecillitate, somnum conciliato: hic enim omnes euacuationes sistit, præter sudorem.

℞. Confect. de hyacintho, & puluer. diamarg. frig. ana ʒß. corall. rub. aut trochisc. de succino, ℈i. terræ sigillat. (si haberi potest) aut boli armen. aut lapidis hæmatit. ℈ß. syrup. papauer. ℥i. syrup. myrtin. ℥ß. aq. nenuphar. & rosar. ana ℥iß. misce, fiat potio, propinetur horâ somni. *Alia potio ischæma, ac hypnotica.*

Syrupus.

℞. Syrup. de ribes, & myrtill. ana ʒvi. aquæ vel decoctionis bursæ pastoris, & plantagin. ana quart. ß. pulu. diamargar. frigid. ℈i. fiat syrupus.

℞. Syrup. cydonior. ℥i. syr. de rosis siccis ℥ß. aq. bursæ pastor. & rosar. ana quart. ß. pulu. corall. ʒi. fiat syrupus. *Alius.*

Puluis.

℞. Radic. bistort. rad. consolid. maior. siccar. ana ʒij. corall. rubr. boli armen. semin. plantag. ana ʒiß. lapidis sanguinalis, trochisc. de spodio, ana ʒi. mastic. margarit. electar. hyacinthi, ana ʒß. fiat puluis: sumat cum ouo sorbili circa mediam noctem, aut medio inter duos pastus tempore. Albumen oui cum puluere gummi tragacant. vel arabic. aut semine plantagin. sumptum, magnam vim habet. Puluis ossis sepiæ ex vino exhibitus eadem præstat.

A sanguine seroso.

℞. Mastic. sumac. myrtill. cornu cerui vsti, boli armen. cumini torref. granor. vuæ acerbæ, & radicum consolidæ siccarum, partes ij. sacchar. quantum satis, fiat puluis, cui scoriæ ferri crematæ & in aceto extinctæ, ac pulueratæ, partem vnam addere licebit.

Opiata.

℞. Conseru. rosar. antiq. & carnis cydonior. saccharo condit. ana ℥i. conseru. symphyt. ʒvi. carnis myrobal. emblic. saccharo condit. ʒiij. puluer. corall. rubr. ʒi. puluer. diamarg. frigid. & boli armen. ana ʒß. sem. plantagin. puluer. ossis sepiæ, ana ℈ij. mastic. electri, & tragacant. ana ℈i. cum syrup. myrtino, aut de rosis siccis, reduc in formam opiatæ, ex qua capiat ad quantitatem castaneæ, superbibendo parum aquæ rosar. vel myrti, vel plantagin. vel bursæ past. aut decoctionis eiusdem.

Pauperibus accommodatum.

℞. Succi consolid. maior. bursæ pastoris, caudæ equinæ, plantagin. & succi cydonior. & aq. rosar. ana, sacchari solidi, quantum satis, fiat decoctio: Deinde inspergatur puluis corall. rubri, ossis sepiæ, mastic: & fiat syrupus, qui cum aqua myrti detur; aut paretur ex decoctione earum plantarum.

Catapotia.

℞. Trochisc. de carabe, de terra sigillat. de spodio, ana. fiat puluis cum succo arnogloss. deuorentur tres manè & serò. Dum verò siti premuntur, hanc sedato conserua rosar. aut syrupo cydonior. de ribes, aut de rosis siccis, diluto cum aqua chalyb. Manus Christi cum margaritis ore contineri poterit.

In sanguinis acrimoniâ Electarium.

℞. Terræ sigillat. aut boli armen. semin. plantagin. semin. portul. flor. nymph. gummi Arabic. & tragacant. granor. berberis, ana ʒß. lapidis hæmatit. subtilissimè triti ℈ij. sacchar. rosat. ℥vi. aquæ folior. salicis, vel aquæ rosar. cum succo granor. sumac. aut berberis ℥ij. fiat electarium.

Potio. ℞. Puluer. caudæ equinæ, flor. cucurbit. ana ℥ß. dato cum ouo sorbili admiratione dignum.

Alia. ℞. Puluer. porcellanar. vstat. aut aliarum concharum vstarum, & lotarum aquâ rosar. ʒij. cum aq. decoctionis sumach, cydon. & dactylor. immaturor. aut cum syrupo aliquo astringente.

Narcotica. Si ne his quidem sanguis acquiescat, narcoticis erit vtendum, quæ soporem faciant, & frigore sanguinem compescant: quo nomine Athanasia Nicolai ʒi. pondere ex succo aut aqua plantagin. aut philonium Persicum ad ʒi. Item trochisci de corallio Auicennæ, aut de carabe, qui mitiores existunt, vsurpantur; his quippe sanguinis cursus subsistit.

Admota.

Admotis quoque impetus ruentis sanguinis supprimitur, fotu, epithemate, vnguento, aut emplastro minimè calidis: Vias enim incipere oportet, per quas scilicet sanguis decurrit: In his quippe frigido est vtendum, vnde fluit sanguis, aut fluxurus est. *Aph. 23. l. 5.*

Solium: vel etiam fo. us: ℞. Radic. symphyt. bistort. maceratar. in aceto, an. quart. i. fol. plantag. bursæ past. fol. myrti, lentisc. polygonati, equiseti, fol. salicis, ana M. ij.

fol.

fol. abſint.& menthæ,an. M.i.gallar.corticum granator. cytinor.alumin. ana ℥ij. granor. myrti, ſumach, & nucum cupreſſi, ana ℥i. roſar. rubr. p.ij. fiat decoctio in aqua pluuia extinctionis ferri, ex qua paretur ſolium, cui frigidiuſculo inſideat ad vmbilicum; vel ſi vires minùs conſtent, foueatur pars ima ventris. Ex reſidentia præſcriptæ decoctionis paretur cataplaſma, contuſis & tranſmiſſis omnibus per colum ſetaceum. Epithemata ex earundem plantarum ſuccis ritè iam dictis partibus, & lumbis, aptari poſſunt; aut ſtuppæ cannabinæ aquis roſar. & plantag. ac pauco aceto madefactæ, & puluer. aſtringente conſperſæ. Aut panni imbuti ſucco plantagin. vino aſtringente, & exiguo aceto, quibus incoxerint myrthus, rhus, balauſtia, gallæ, alumen, & ſimil. quæ actu frigida admouentur;aut inungatur imus venter ſequenti vnguento.

Cataplaſm.

Epithema.

Vnguentum.

℞. Ol. cydonior. & nenuphar. ana ℥ij. (aut lentiſc. aut myrtini, aut iuſquiami) ſemin. plantagin. myrtillor. boli armen. ana ʒi. roſ. rubrar. ſantal. omnium, puluer. biſtortæ, maſtic. gummi Arabic. tragacant. & corall. ana ℈ij. ceræ citrinæ parum, fiat vnguentum, quo vngantur partes inferiores ventris: poſt fotum addendo aceti parum. Vnguentum quoque comitiſſæ in id præſtantiſſimum eſt. Gluten ex vaccarum coriis, aceto eliquatum, validóque linteolo illitum, lumbis vtiliter agglutinatur, quemadmodum etiam ſucci aſtringentium amylo inſpiſſati.

Litus inprimis efficax.

℞. Succi plantagin. ℔. ß. ſucci burſæ paſtoris ℥ij. ſucci aizoi ℥iß. lapidis hæmatit. ſang. dracon. ana ℥i. rubricæ fabrilis ℥ij. gummi tragacant. maſtic. hypociſt. ana ℥ß. acaciæ ʒvi. carabes ʒiij. calycum glandium, nucum cupreſſi, balauſt. ana ℥ß. omnia exactè puluerentur, & cum albuminibus ouorum, & pauco aceto, fiat litus, quo imbuta lintea ventri & lumbis inſternentur.

Emplaſtrum.

℞. Maſſæ emplaſtri contra rupt. & de maſtic. ana ℔. ß. malax. cum oleo cydonior. & fiat emplaſtrum, admouendum regioni renum, aliúdque ſimile imo ventri. Verùm iis quæ extrinſecùs admouentur, exigua lentáque vis eſt. Neque tamen omittendum, quin iecoris ardor, vnde fluxionis origo, temperetur, aut vnguento roſato, aut cerato ſantal. quod oleo nymphææ, aut myrteo ſit immiſtum.

Iecur temperandum.

Quinetiam chelidonium maius admotum mammis, diſcutiendo, vterinam ſanguinis profuſionem ſiſtit.

Chelidon. maius.

Indita vteri collo.

Pessus.

℞. Cortic. ouor. puluer. radic. bistortæ, & cineris ranarum, ana ʒij. granor. myrti, radic. symphyti maior. nucum cupressi, calycum gland. rosar. rubrar. semin. plantag. ana ʒiß. boli armen. corall. rubr. lapidis hæmatit. gummi tragacant. & Arabic. ana ʒi. hypocistidos, acaciæ, fæcis suillæ, aut asini, ana ℥ß. succi plantagin. bursæ pastor. & succi porri, ana, quantum satis, eliquentur cum succis hypocistis, & acacia; Dein pulueres misceantur, addendo pilorum leporis, & lanuginis medianæ corticis castanearum, ana ʒi. fiant pessi: Indatur vnus coxæ filo alligatus.

Pauperibus.

Alius.

℞. Balaust. gallar. thuris, acaciæ, aluminis, gran. myrti, chartæ combustæ, ana ʒij. nucleor. nucum vstarum, & cortic. ouor. ana ʒiij. cum stercore asinino, & succo plantag. puluerata excipiantur, & leporis pilis immistis in penicillos conformati pessi supponantur. Quibus si ex sanguine seroso fiat, addi poterit scoria ferri.

Puluis sanguinem sistens vndecunque fluat.

℞. Lapidis hæmatit. ʒi. thuris, mastic. boli armen. gallarum viridium, ranarum exsiccatar. gypsi, fuliginis, farinæ volatilis, telæ aranearum molendini, ana ʒij. vitrioli combusti, tragacant. ana. ʒiij. rasuræ tergoris arietis, vel hirci, chartæ papyraceæ vstæ, pilor. leporis, & bombacis torrefactor. ana ʒi. stercoris asini ℥ß. fiat puluis, qui seruetur vsui, nam cum prædictis succis facilè excipi potest. Pessuli etiam parantur è lana, bombace, aut concerpto linamento, quibus astringentia excipiuntur; aut eadem circunuoluuntur serico raro, vel linteolo.

Pessus.

℞. Thuris masculi, sumach, hypocist. acaciæ, colophon. myrti, an. pilis leporis, & oui candido excipiantur, & in partes obscœnas indantur.

Vel:

Nascale.

℞. Stercus caprarum montanar. siccum & tritum, & cum thure mistum, deinde lanâ succo myrti aut plantag. madente exceptum, supponatur loco pessulorum, à quibus plerumque abhorrent. Lanâ, aut bombace, aut molli linteolo succis astringentibus imbuto, aut madente vtitor, aut memoratâ lanugine castanear. vel cydonior. benè depexâ, atque carminatâ. Pannorum etiam laciniæ in linamenta formatæ inseruntur.

Iniectiones in vterum.

Iniectiones astringentes etiam commendari possunt, vt ex succo arnogl.

aut polygoni,aut psyllij,quæ in hoc affectu à ruptis venis excitato, mirum in modum probantur; hísque acacia, mastic. aloë lota, thus,bolus arm. sang. drac. hæmatites, amylum, & similia immisceri possunt.

In vterum verò iniiciantur per metrenchyten ad ℥iii. aut iiij. aut paulò plus. Mirè etiam auxiliatur mucago gummi arab. & tragac. extracta cum aqua plantag. ad ℥iiij. & pari eiusdem succi quantitate diluta, quæ partim iniecta, partim cum sacchato rosf. pota efficax est. Neque desunt, qui spongiam probent liquidâ pice imbutam, & in olla vstam, tritámque, siue sumatur, siue ex succo plantag.iniiciatur. Suffitus quoque parandi ex pinearum cortice, cui picis plurimum sit mistum. Suffitus è fimo vaccæ depastæ foliis vlmi, siccato,& carbonibus iniecto: è stercore ouillo, caprillóve cineribus calentibus imposito. Idem præstant coriorum fragmenta cum gallis suffita per infundibulum.

Suffitus vteri.

Suffitus.

℞. Mastic. colophon. gummi Arab. boli arm. sang. drac. thuris,baccar. myrti,rosar. an. excipiat vaporem per infundibulum.

His accedunt quæ peculiari dote & reconditâ facultate sang. sistunt, iaspis viridis,onyx,lapis carneolus collo suspensus, puluis ranæ maioris etiam sacculo conclusus & gestatus,tum aliis præsidiis commistus. Atque hæ quidem immoderatæ eruptiones confestim ac repentè factæ, sic reprimuntur: in quibus eadem victûs ratio seruanda,quæ in hæmoptoicis & hæmorrhagia narium explicata est. Obseruationem hanc tantùm habet necessariam, vt in cubili ægra decumbat non plumaceo, cruribus inuicem complicatis.

In culcitis plumeis non decumbendũ.

Cùm autem sanguis per se,ac sensim illabitur, vt in diuturniore fluxione, interdum quidem purus, aliàs serosus & quadam saniei specie, tunc causa venæ exesio est, modò simplex, modò vlceri coniuncta. Illa superioribus, hæc vlceris remediis sananda, deterso priùs vlcere decoctione hordei, cui sacchari tantillum sit immistum. Dein astringentibus erit vtendum anteà descriptis.Postremò metallicis exactè lotis,& in puluerem tenuissimum redactis, lithargyro, cerusâ, stibio, plumbo vsto & loto, bolo arm. cum succo plantag. mistis, aut decocto astringentium exceptis, vel pessi formâ, vel iniectionis, de quibus in curatione vlcerum fusiùs. Interim non te latebit, caustica minimè vsurpanda, parte neruosâ & exangui laborante.Auicenna lateres clibani exustos,acaciam, hypocistid. simul decocto gallarum immaturarum excipit. Hic fluxus non facilè cedit remediis,feréque immedicabilis est.

Curatio diæbroseos cum vlcere.

21.3.fr. 3. cap. 4.

CAPVT LIX.

Vteri ſtrangulatus.

Celſ. l. 4. c. 20.
Hyſtericæ paſſionis ſymptomata penè innumera.

EX vulua fœminis vehemens præfocatio naſcitur, quæ ſæpiùs exanimat. Vterus enim aut ſurſum recurrens,& mole grauiter viſcera opprimens, aut conceptæ materiæ tetro vapore nobiliorum partium functiones intercipiens,miris modis corpus laceſſit.Aliàs quidem(vt mitior eſt vapor)ſolâ nauſeâ & cibi faſtidio, cum murmure ventríſque rugitu, laborantes fatigat,ſi ventriculus afficitur. Aliàs difficili & crebrâ reſpiratione quaſi pectus opprimatur, cum in diaphragma vapor efflatus irruit: Aut leuiore animi defectione, palpitatione, metu, vitæque deſperatione, ſi cor vaporis malignitate attingitur. Plerumque etiam ſuffocationis metum incutit, & vocem obſcurat,aut adimit, vbi moleſtiùs in fauces effertur, quas tanquam manu prehenſas præcludit. Cùm autem vapor in caput irrepſit, vel fictas imagines oculis repræſentat,& quadam vertigine turbulẽtos ſenſus & motus reddit;vel mentis functiones aliàs cum riſu, aliàs cum lachrymis interturbat,& furore peruertit; vel cerebrum implens & degrauans, motûs omnes ſenſúmque conſopit, atque animæ vim ſentientem ſtupidam reddit;vtique ſi frigidior eſt,vnde mulier quaſi extincta iacet,cum reſpiratione obſcurâ, paruáque eatenùs, vt ne percipi quidem poſſit. Interdum cerebrum acriter feriens epilepſiam infert, quâ vniuerſum corpus concutitur. Tanta ergò & tam multiplex ſymptomatum varietas non aliò ſanè referenda, quàm ad diuerſam ferientis auræ venenatæ conditionem,& partium quas attigerit, naturam, quarũ vires & functiones permagno diſcrimine oppugnat.Quò enim ex vtero ſublatus vapor copioſior & malignior fuerit; & partium in quas inciderit facultas imbecillior, hoc deteriorem mali acceſſionem infert, quamplurimarum viriũ iacturâ, & ſymptomatis immanibus comitatam.

Symptom. ventri. uli.
Partium ſpiritalium.
Cerebri.
Vnde tanta ſymptomatum hyſtericas infeſtantium varietas.

Continens igitur acceſſionis hyſtericæ cauſa eſt,interdum quidem vteri aſcenſus,quoties ille laxatis vinculis, rei noxiæ iniuriâ laceſſitus, aut odoratorum ſuauitate affectus,de proprio loco decedit,& vicina præcordia comprimit. Sæpè verò infenſus vapor, qui non modò per venas,arterias,& neruos, ſed etiam per cœca ſpiracula ex humore aliquo efflari conſueuit. Effertur autem non continenter & aſſiduò, ſed circuitibus quibuſdam, haud ſecùs atque in rabie & epilepſia; ídque aut peculiari humoris motu,aut quoties adeò aucta, cumulatáque ſunt excrementa,vt partem ad excretionem proritent.Hæc autem ſunt,retentum menſtruum cohibitum,putreſcénſque ſemen,quod vitiatum,maiorem quàm menſes vim & noxam corpori infert.Sed & craſſior grumus,& aliquando craſſior mucus illic inhæreſcens,ſeu pituita putris, vt in ſexagenariis, & quiuis alius humor vtero concluſus,ex loci conditione vterinam ſuffocationem inue

Continens hyſtericæ paſſionis cauſa.
Periodicæ acceſſionis in affectu hyſterico cauſa.

inuehere poteſt,dum veneni labe & pernicie aſperſus vaporem noxium in partes principes effundit; ſæpè enim fluor vterinus intempeſtiuè ſuppreſſus hanc profert. Cùm acceſſio inuaſura eſt, humor in vtero concluſus,anteà quidem ſopitus,concitatur, & quaſi à ſpiritu concepto turgeſcens,excandeſcit,vterúmque flatu diſtendit, ipſo quidem impetu multum de ſe tetrum vaporem,ferè auræ frigidæ perſimilem,quoquouerſum expirans, à quo artus degrauantur, inſitúſque calor hebeteſcit. Hinc refrigeratum corpus,nullâ aut obſcurâ reſpiratione indigens,tranſpiratione ſolâ conſeruatur ac viuit,exiguum vitæ calorem intus collectum habens,aut veriùs ſopitum. Itaque aduentante paroxyſmo mentis ſtupor adeſt,corporis ſegnities,crurum imbecillitas,pallens faciei color,aſpectus horridus ac mœſtus, ventris inflatio, ob quam è pube in ſtomachum efferri quippiam præſentitur,& in partes ſuperiores. Sed & obſtetrices in vteri ceruice contractâ aut auersâ notas quaſdam ineſſe fatentur,quibus meritò credi poſſit. Cùm autem ſe remittit & declinat laxata vulua,humor quidam è locis muliebribus erumpit,crebri ructûs eduntur, ventris rugitus, & murmur quoddam exauditur, genæ rubore perfunduntur, mens erigitur,motus firmatur, ſenſuum functiones viribus collectis reuiuiſcunt, omniáque alia ſymptomata reprimuntur, ſubinde tamen recurſura, niſi malo victis aut in totum perſanatis, in quibus aliquando præteritorum recordatio eſt. Affectus hic autumno potiſſimùm & hyeme ingruit; Iuuenculas inprimis & virgines, & viduas naturâ ſalaciores adoritur,maximè conſueto veneris vſu intermiſſo,tum quæ viri conſuetudine priuantur,ſed ſteriles & infœcundas præſertim immoderatâ menſium purgatione exhauſto,laceſſitóque vtero, aut quauis occaſione refrigerato,& flatibus turgente,aut malè purgato; tum etiam fœcundas ex frequenti abortu & crudo partu infirmato vtero. Quapropter ſuffocationis cauſæ,non ſignis, ſed percontatione ſolâ deprehenduntur. Grandis nonnunquam hyſtericæ quædam lipothymiæ,oppreſſionéſque accidunt ſuffocationi finitimæ,cum vterus alimenti penuriâ inareſcit, ſurſúmque recurrit. Vteri ſuffocatio à ſyncope diſcernitur pulſu, qui illic obſcurus, hîc nullus apparet, madore, colore, & odoratis quæ ſyncopen iuuant naribus obiecta; ſtrangulatum augent,niſi vuluæ indita.

Acceſſionis prodroma ſigna.

Acceſſionis præſentis ſigna.

Acceſſionis declinantis ſigna.

Quæ fœminæ hyſtericæ affectioni magis pateant.

Suffocationi hyſtericæ affine malum.

Suffocationis hyſtericæ & ſyncopes diſcrimen.

A catalepſi, quòd vigor nullus inſit, nec laborans vigilantis formam retineat. Ab apoplexiâ, ſenſu liberioréque reſpiratione,quæ in hac violenta eſt,& cum ſtertore grauiſſimo, & cum membrorum omnium reſolutione. A ſopore, quòd ſubitò comprehendat, ille verò ſenſim obrepat, lentéque ingraueſcat: lethargo autem febris adiuncta eſt. Ab epilepſia diſtat,eo quòd neque oculi vertuntur,neque ſpumæ profluunt, nec nerui diſtenduntur. Niſi ſuffocatio vteri epilepſiam acceſſat. Sed hîc perpetuò malè affecti vteri indicia ſubſunt.

Item catalepſis,apoplexia,ſoporis,lethargi,& epilepſiæ diſcrimen,ab hac paſſione. Celſ.loc.cit.

Curatio.

Vt malum hoc per circuitûs recurrit, concitatúrque vehementiùs,ita

curandi ratio duplex, vna libera & methodo constans, quæ in ipsa intermissione causas mali effectrices submouet atque exterminat. Altera symptomatis effrænatione coacta, & illegitima, quâ persistentibus causis accessionis vehementiæ diligenter succurritur. Quæ ad hanc pertinent, primùm exponemus; deinde breuiter perstringemus quæ accessione sedatâ futuram inhibeant. Ergò vbi hæc incidit, distrahantur tetri vapores qui partes principes lacessunt, reuocetur vterus, eiúsque inflatio discutiatur. In accessionibus antequàm aggrediare, mortis imago detegenda, explorandáque est, carpto lanæ vellere, aut bombacis flocco, aut candelæ flammâ, aut terso speculo naribus obiecto, aut vasculo aquâ pleno xyphoëidi ossi imposito, sed fidelissimè cum maximè dubia res est, concitato sternutamento. Vt iam de vita constat, perfricare coxas & poplites oportet, idque aliàs panno aspero, aliàs manibus oleo sambucino aut irino inunctis, cui salis & aceti tantillum insit. Sed interim loco splendido caput sublime habendum, summos etiam pedum digitos, atque interdum crura arctissimè deligare conuenit. Cucurbitulæ nihilominùs cum larga flamma defigendæ sunt, inguinibúsque atque imo ventri, & leues, & cute incisâ. Si diutius aut iacet, aut alioqui iacere consueuit, reuocabitur vterus odoratis vuluæ inditis, impelletúrque fœtidis ad nares expositis. In id autem admouere oportet naribus extinctum ex lucerna linamentum, corium combustum, atque in oleum lini mox immersum, perdicis plumas igne deflagrantes, exustos pilos, cremata cornua, corrupta oua, & matulam cum vrina, lanásque laciniásque combustas: laxantur enim suffocationes iis olfactis. Quomodo peucedanum strangulatus vuluæ, nidore vstum recreat, atque ruta naribus obiecta. Quin & incalescens castoreum, vel (si grauior sopor obrepit) aceto acerrimo solutum, galbanum incensum, assa fœtida. Bitumen, petroleum, sagapenum, opopanax, & euphorbium dantur olfactanda in vuluæ strangulatu, modò nulla euidens plenitudo, aut cacochymia cerebrum occupet. Alioqui verendum, ne fusis liquatísque humoribus, aut catarrhus, aut grauior sopor, aut Apoplexia succedat. Optimum tutúmque auxilium, quod & plerumque vnum satisfecit oleum è gagate, aut è cornu, præsertim accensum, aut aliud si quid fœdioris odoris esse possit quod mulierem excitet. Allucinantur qui vinum naribus admouere iubent: vtiliora quæ magnoperè viroso odore fastidiuntur naribus admota, cuiusmodi præcipitur hic suffitus.

Curandi ratio in ipso paroxysmo.

Frictiones artuum inferiorum.

Ligatura dolorifica. Cels. loc. cit.

Cels. ibid. Fœtida naribus obiiciẽda.

Diosc. l. 3. cap. 89.)

Oleum è gagate.

Suffitus fœtidus.

℞. Galbani, castorei, assæ fœtidæ, peucedani, & sulphuris, an. parem modum, cum petroleo fiant trochisci instar auellanæ. Imponatur vnus carbonibus, dirigatúrque fumus in laborantis nares. Ad hæc globulus ex castorei, galbani, assæ fœtidæ & ceræ æquis partibus comparatur, qui horrendo odore vteri strangulatum præsentem sedat, imminentem arcet.

At

At in vuluam odorata immissa, ipsam solent allicere, ac retrahere; cuiusmodi notatur ambar. Zibethum, moschus, vnguis odoratus, caryophylli, cinnamomum, macis, iris, pretiosissima confectio Neræ, trochisci galliæ moschatæ, aut aliptæ mosch. & quæcunque alia iucundum odorem spirant, fœtida enim vuluæ ingrata & aliena, odorata verò iucundissima sunt & amica, quorum suauitate & desiderio sic illa incitatur, recreatúrque vt quasi gestiens iis occurrat, appetitu inquam solo naturali, citra vllam vtilium cognitionem. Hæc igitur λοχύσας mulieres, & vteri strangulatu concidentes, cùm subter suffiuntur, induntúrve, exsuscitant.

Odorata pudendis adhibenda.

Indita.

♃. Trochiscorum Galliæ mosch. ʒi. excipiatur bombace moschato, & indatur naturalibus. Aut:

Pessus odoratus.

♃. Galliæ vel aliptæ mosch. ʒi. cinnamomi, folij, macis, caryophyll. ligni aloës, si suppetat, an. ℈i. ambræ, moschi, an. gr. iii. ladani puri, styracis, an. ʒiii. cum aqua florum aurantiorum, aut lauendulæ; aptentur in pessos & immittatur vnus partibus obscœnis.

Alius.

Quorundam præclara hæc pessi forma est, instante aut præsente accessione vsurpanda.

Pessus.

♃. Pulu. Galliæ mosch. & confectionis Neræ descriptione Nicolai, an. ʒiß. ligni aloës, violæ luteæ, quam Keiri nominant, & florum hyperici, an. ʒß. ambræ orientalis ℈ß. moschi gr. iii. syrupi conseruationis corticis citri, aut mellis anthosati, quod sufficit ad incorporandum. Inuoluatur serico rubro quàm tenuissimo in pessi formam.

Alius.

♃. Olei muscellini ℥iß. Galliæ mosch. vel confectionis Neræ ʒi. ceræ tantillum, fiat vnguentum, mittatur in vuluam; vel exemptâ cerâ fiat pessulus è bombace oleo madente. Sic etiam oleo irino, vel laurino, vel è spica, vel sesamino, vel iasmin. moschum & ambram, aut zibetum admiscetur: indéque ceruix vteri vtilissimè quidem, sed turpissimè perfricatur, blandiùs tamen obstetrici cum virginibus agendum. Nec desunt qui bombacem aceto acerrimo & aquâ salsâ, aut solâ hac imbutum, similiter inserendum putent, quò facultas ad excernendum incitetur, & quæ concreta sunt resoluantur, quibus omnibus est suffitus aptior.

Suffitus.

℞. Benioini, ladani, caryoph. mucis mosch. macis, cinnam. origan. nardi. Gallicæ, calam. arom. blattæ bizantiæ, an. ʒii. moschi, ambræ, an. ℈ß. aut g̃. v. si tenuioribus opibus prædita est, aut trochiscorum galliæ mosch. ʒii. Si ditior est, omnia styrace liquido excipiantur, vel aquâ lauendulæ, vel florum arantiorum: coquantur, & in pastillos referantur. Igni superponatur vnus, vel duo, indéque expirans vapor infundibuli tubo conceptus, in vuluam dirigatur. Sed diligenter obseruandum, ne quid vspiam transpiret, transferatúrque in nares.

Sensus potenter mouentia. *Sternutatorii.* *Aph. 35. l. 5.*

His tantisper pugnandum est, dum ad se redeat. Et vt à grauiore paroxysmo excitetur, vellicandæ aures, nares, ac maximè pili qui in pube sunt. Insuper crebris, altísque clamoribus instandum, in nares ore exsufflandum. Postremò si aliis non discutiatur, sternutamentum pipere, nigellâ, veratro, aut sinapi, aut castor. in nares proiecto proritandum, de quo scripsit Hippocrates: Mulieri quæ ab vteri strangulationibus infestatur, aut quæ difficulter partum edit, sternutamentum superueniens bonum. Idem licebit vtiliter arte promouere, minimè tamen repleto capite, & priùs exploratis superioribus auxiliis: Illud enim valido succussu & sopitam facultatem suscitat, & quæ vteri sinu arctiùs coërcentur, excludit, atque impetu deorsum conuerso conscendentes vapores exultantémque vterum deprimit, quomodo strangulatûs insultum leuat, præcipuè compressis naribus, dum sternutamenti impetus adest. Eâdem ratione probatur à nonnullis vomitus, qui suscitet robur; hic tamen rariùs locum habet, ac tum maximè cùm à cibo malum accessit. Quod si longiùs accessio prorogetur, ad ea veniendum quæ tetros vapores absumunt, flatúmque discutiunt, continentem hystericæ accessionis causam: Etenim menstruum, seménve cohibitum flatulentam in vtero refrigerationem excitat. Huiusmodi sunt, quæ colica dicuntur, adiectis vterinis, partim quidem ano & vuluæ subdita, partim verò admota, atque interdum etiam assumpta: Sed in his diligenter animaduertendum, simpléxne sit & solitaria vuluæ suffocatio, an febri complicata, aut hypochondriacæ melancholiæ connexa. Etenim tum ab assumptis calidioribus prorsus abstinendum, quod febrem exasperent, quemadmodum & à dulcibus, acidísque syrupis, quòd errabundo & irritato vtero non parum aduersentur, dulcia enim promptè in flatum facessunt, acida verò cruditatem augent, vt idcircò assumendorum difficile sit iudicium, arduáque præscriptio. At in cæteris remediis nihil istiusmodi delectus est habendus.

Vomitus. *Causam mali auferentia.* *Hysterica præfocatio modò simplex, modò complicata.*

Clyster.

℞. Mercurialis, parietariæ, origani, calaminthæ, puleg. artemis. matricariæ, nepitæ, an. m. i. semin. cumini, sileris montani, dauci, & fœnic.

an.

an. ʒiij. baccarum lauri contusarum, sem. rutæ & viticis, an. ʒij. florum chamæmeli, & meliloti, anthos, stœchad. an. p. i. coquantur, & in ℔i. colat. dissolue benedictæ, vel diaphæniconis, ʒvi. aut ℥i. confectionis è baccis lauri ʒii. mellis anthos. ℥ii. olei chamæmel. & rutæ, aut anethi, an. ℥iß. fiat clyster.

Glans.

℞. mellis cocti dum crassescat, ℥i. pulu. ireos simplicis ℈ii. pulu. cumini, & salis gemmei, an. ℈i. concinnentur in glandes, adiecto, si vis, rutacei succi tantillo, aut hieræ semunciâ, aut agarici ʒi.

Immissa.

Porrò in vteri os pessi demittuntur qui aperiant, flatum discutiant, & præclusam vuluam laxent, admixtis odoratis; quapropter plurima quæ ciendis mensibus pessi formâ aptauimus, fœminarum strangulationibus succurrunt, præsertim exemptis fœtidis, additísque odoratis, vt moscho, ambra, zibeto, gallia mosch.

Pessus.

℞. Gentian. myrrhæ, dictamn. calaminth. aristol. melissoph. iridis, cinnamomi electi, macis, cumini, dauci, seminis viticis, baccar. lauri, & salis gemmæ, an. ʒi. galliæ mosch. benioini ℈ii. folij, & spicæ nardi, an. ʒß. croci, ambaris, moschi, an. ℈ß. Si diuitiis affluat; Sin minùs, gr. iij. omnia trita serico raro concludantur in pessulorum formam, aut pulpâ ficuum excepta, & raro linteolo inuoluta concinnentur in pessos adiecto si licet priapo vulpis, aut hœdi arefacto, & in puluerem redacto ad ʒii. sed præsentius auxilium erit, si felle testudinis terrestris cogantur, aut adiiciatur eiusdem iecur arefactum, aut elixum, hoc modo:

℞. Iecoris testudinis terrestris cum aqua artemis. elixi ℥ii. Nigellæ Rom. ʒii. colocynthidos ℈ii. succi mercurialis q. s. ad incorporandum, fiant duo pessi panno lineo inuoluti. Aut: *Alius.*

℞. Confectionis de baccis lauri, vel theriacæ antiquæ ℥ß. cumini, sem. rutæ, & viticis, an. ʒi. galliæ mosch. ℈ii. cum succo mercurialis fiant pessi serico raro inuoluti: indatur vnus in partes obscœnas.

Admouendorum formæ.

Extrinsecùs autem fotus, olea, vnguenta, sacculi, cataplasmata, quæ conceptum spiritum digerant, salubriter admouentur, qualia ad purgandos menses præcipuéque ad colicos dolores leniendos comparata sunt: sed inprimis efficax hoc oleum, quo vuluæ strangulatus, & à partu dolores, omnémque vteri inflationem sæpiùs sedauimus.

Oleum

Oleum ſingulare.

℞. Ariſtol. rotundæ ℥i. artemiſiæ, matricariæ, origan. calamenth. puleg. dictamn. abſinthij, ſabinæ, rutæ, omnium an. ℥ß. ſem. lini, fœnugr. baccar. lauri, iuniperi, ſeminis pœoniæ. cumini, ſileris montani, dauci, ameos, ſeminis rutæ, & agni, an. ʒiii. flor. ſtœchad. roriſmar. chamæmeli, & ſummitatum anethi, hyperici, an. p. i. coquantur in ſufficienti quantitate olei antiquiſſimi, cui vini generoſi, aut aquæ vitæ tantillum inſit, benè obturato vaſe fictili nouo ad vini conſumptionem: Deinde percolentur, & hoc oleo imus venter oblinatur ad vmbilicum. Adiicitur interdum ſtatu corporis atque aëris frigidiore, ſub decoctionis finem cinnam. piper. caryoph. pyrethr. zedoariæ, irid. zinziber. an. ʒii. longè etiam meliùs res cedet incoctâ lilij radice, cum præſertim duritia quædam ſubeſt. Vuluam enim emollit, & præcluſam laxat, in ídque ſtyrax, & myrrha conuenienter adduntur. Salutaris quoque habetur vnguenti huius forma.

Vnguentum pro litu imi ventris.

℞. Axungiæ gallinæ, & anſeris, an. ℥i. ſtyracis, myrrhæ, benioini, an. ʒiij. ariſtol. rotundæ, & iridis, an. ʒii. ſeminis rutæ, & viticis, an. ʒiß. florum camom. & anethi, an. ʒi. zibeti gr. v. olei muſcellini, lilior. & irini, an. ℥iß. Miſce, fiat vnguentum, quo imus venter illinatur. Sunt qui filicem miris laudibus efferant in vuluæ ſtrangulatione, eámque tuſam, & cum abſinthio, rutâ, ſemine libiſtici coctam, formâ cataplaſmatis imponant ventri medio, hanc enim vterus aduerſatur, eáque impoſitâ procidit. Itaque feliciſſimo euentu hanc cum ruta, calamento, & abſinthio, & pulegio, vel in ſartagine, vel ſupra candentem laterem torrefactam, vinóque aſperſam, ventri medio imponere ſolent. Sed ſi hoc remedio vuluæ ſtrangulatus non diſcutitur, emplaſtrum ceroneum, quod digerit, & concluſam illuuiem abſumit, aut emplaſtrum è galbano probatiſſimum vmbilico ſeu ventri medio impoſitum iuuat, cuius compoſitionem ſubſcripſimus.

Filicis radix.

Emplaſtrum.

Empl. è galbano.

℞. Galbani electi in aceto & ſucco rutæ diſſoluti ℥i. bdellij mollis, aut (ſi hoc deficit), myrrhæ electæ, ʒii. pulueris matricariæ ʒi. ſeminis dauci & calamenti ſicci, an. ʒß. Miſce, fiat emplaſtrum in formam rotundam: & ventri medio imponatur, ita vt vmbilicum comprehendat, & fœtore vterum ſubſultantem deturbet; ſed multò præſtantius reddetur admixtâ mithridatij ſemunciâ, caryophyllorum ʒi. Hoc tamen ſic maturè imperetur, vt vel clyſtere, vel balano priùs alui excrementa deſcenderint, & peſſis acrioribus quodammodo expurgatus ſit vterus.

Dropaces & ſinapiſmi. Celſ. loc. cit.

Si nec iis etiam fœmina reuiuiſcit, dropaces tandem, vel ſinapiſmi ſpinæ extremo; & ſuper imum ventrem imponendi, dum corpus

corpus rubeat; Interdum etiam pedibus applicandi, vt attrahant, & internis coxis, & natibus.

Sinapismus.

℞. Pulpæ ficuum in decocto calamenthi, artemiſ. & rutæ maceratarum ℥iiij. ſinapi ℥iß. cumini, dauci, an. ʒii. ſeminis rutæ, & viticis, an. ʒiß. pyrethri, piperis & caſtorei, an. ʒi. miſce. Si nec hoc ipſo adhuc reuocatur, adde euphorbij ʒß. plus minúſue, pro cutis denſitate. Atque hæc, ſiue cum febre, ſiue ſine febre ſit vteri ſtrangulatus, tuta ſunt; non ſic autem aſſumpta.

Sumendorum forma.

Iam verò cùm hyſterica acceſſio quibuſdam horis irritetur vehementiùs, maiore ipſius tranquillitate aſſumi nonnulla poſſunt, quæ ſtrangulatus vuluæ ſedant, ſi quidem abſque febre ſint, ac ſeorſum perſiſtant. Ita namque ſemen eius paſtinacæ quam erraticam vocant, contritum, & ʒi. pondo in vino, aut potiùs in aqua arthemiſiæ potum ſuffocationes mulierum, doloreſque lenit. Simili modo vrticæ ſemen potum, vuluas ſtrangulantes aperit; nec aliter pœoniæ grana xv. aut baccæ iuniperi, ſtrangulationibus vuluarum medentur. Quemadmodum imperatoriæ, vel pœoniæ radix; & aniſum, cuminum, ſpondylium: ſed inprimis caſtorium, ſemidragmæ pondo, in artemiſiæ, aut rutæ, aut radicis dauci ſtillatitiâ aquâ; aut calamenti, rutæ, & viticis decoctum ſumptum: & in compoſitis diacuminum, diagalanga, diacalaminth. theriaca antiqua, mithridatium contra vuluæ ſtrangulatus dantur: Atque vt ſummatim dicam, omne remedij genus quod attenuantem & diſcutientem facultatem ſibi vendicauit, coliciſque idoneum. Placuit tamen nonnullis cryſtalli puluis ex vino potus, maximè ſi à ſemine profectum eſt malum: ſed efficaciora hæc quæ mox ſubiiciam.

Simplicia hyſtericam paſſionem iuuātia.

Compoſita eundem vſū præſtantia.

Potio Vuluæ ſtrangulatum emendans.

℞. Seminis dauci ℈ii. cumini, & baccar. lauri, aut iuniperi, an. ℈i. ſem. vrticæ ℈ß. ſpicæ nardi gr. v. oxymelit. ſcillit. aut ſyrup. è calaminth. ℥i. aquæ artemiſiæ, vel apij, quod ſufficit, fiat potio, detur miteſcente acceſſione.

Sed mirum, fœminas ſtrangulatu vuluæ preſſas ſtillatitiâ terebinthinæ aquâ reuocari celerrimè, decem in potu guttis; grauiter enim olet, vt etiam naribus admota iuuet. Quòd ſi pilulas liceat deuorare, huiuſmodi vuluæ ſtrangulatum emendant.

Aqua ſtillat. terebinth.

Pilulæ in acceſſione & remiſſione ſalutares.

℞. aſſæ fœtidæ ℥i. dauci & caſtorei, an. ʒß. ſem. viticis ℈i. ſpicæ nard. ℈ß. cum oxymelite ſcillitico, aut melle roſato colato, aut ſucco nepitæ vel apij ſubacta, cogantur in maſſam, è cuius ʒi. formentur pilulæ vi. Dentur iij. in acceſſionis meliore ſtatu, aut duæ quotidie manè tempore intermiſſionis. Aut:

℞. Mithridatij electi ℈ij. aſſæ fœtidæ ℈i. caſtorei & dauci, an. ℈ß. cum ſyrup. artemiſiæ cogantur in maſſam, ex quâ ℈i. aut ʒß. in duas tréſve pilulas formata, laboranti præbeatur; & cùm ſuffocationis acceſſio eſt, & cùm deceſſio eſt, ſeu intermiſſio.

Oxyrhodinũ. Caſtoreum.

Probatur quidem à nonnullis in ipſa paroxyſmi acerbitate ſyncipu oleis odoratis vt muſcellino, vel è ſpica perfundere; at temerarium nimis eſt auxilium, candente ferro eam partem inurere, niſi fortè deſperatis rebus omnibus, in quibus nonnunquam temeraria medicina locum habet; ſed antequam eò peruentum ſit, caput oxyrrhodino perfundendum, ſic tamen vt roſaceo acetum plurimum miſceatur, in quo ruta, ſerpillum, ſpondylium, atque etiam caſtoreum ſit, quod naribus obiectum inditúmque iuuat.

Venaſectionis & purgationis occaſio.

His ita paroxyſmo ſuccurritur, non autem purgatione aut venæ ſectione; hæc enim exanimat, illa conturbat, atque coarctatis viis, aut inutilis aut moleſta futura eſt: atque vacuatio non excandeſcenti, ſed miteſcenti morbo afferenda, acceſſione ſedatâ, vbi mulier ad ſe planè rediit. Hoc etiam exacto iam triduo, recreatíſque viribus, repeti poterit. Sed agnoſcenda exactiùs cauſa eſt, & ſenſim otióque multo demolienda futuræ acceſſionis materia. Hæc ſi retentum eſt menſtruum, eâ arte pellendum, quam ſuprà dedimus, omníque ratione, atque etiamſi videtur, malleoli venæ ſectione, menſium difficultas adimenda, & cucurbitulis, frictionibus, inſeſſu, fomentis, oleis, ſacculis, ſuffitu, peſſis deorſum incitanda, & euocanda naturalis purgatio. Si verò cohibitum putreſcénſque eſt ſemen, nullum remedium melius marito; alioqui crebrâ purgatione eſt opus, quæ craſſos, mucosóſque humores detrahat, tanquam mali fomitem, non autem venæ ſectione, niſi admodum euidens ſit plenitudo. Etenim corrupti ſeminis pernicies vacuato ſanguine in cor & in venas faciliùs penetrat, & ferociâ maiore ſæuit. Vtilior purgatio, cuius forma ex capite de ciendis menſibus repetenda, quæ agaricum in oxymelite ſcillitico, benedictam, aut hieram, vel ſimplicem, vel diacolocynt. efficaciſſimam recipiat; vel pilulis fœtidis inſtituatur, & è benedicta admixto agarico. Hinc erunt opportuna, quæ venerem inhibere, & quæ ſemen extinguere in priapiſmo & ſatyriaſi diximus, vt nymphæa, portulaca, vitex, ruta, & quæ ex his compoſita ſunt, cuiuſmodi nonnulla ſubiunximus, omni cauſæ accommodata.

Hyſterica paſſio à menſtruis retentis, vt profliganda. A ſemine putrido.

Semen extinguentia.

Puluis

Puluis menses euocans, & semen absumens: quomodo vuluæ strangulatu liberat.

℞. Folior. rutæ, folior. viticis, aut seminis eiusdem calamenth. seminis seseleos, dauci, aristoloch. rubiæ, an. ʒii. cinnamomi, macis, dictamn. an. ʒi. cumini ʒß. croci ℈i. sacchari ad pondus omnium, detur ʒi. ex vino albo, aut cum saccharo aquâ artemisiæ dissoluto, fiat electuarium per tabellas rhomboïdes. Quòd si retento semine strangulatus suscitatur, adde seminis portulacæ, radicis & foliorum nymph. candidæ, an. ʒiß. atque interdum ʒii. quibus si nondum veneris stimulus satis retunditur, adde seminis cicutæ, aut papaueris albi ʒi. Sunt qui certissimo euentu succum viticis, vino aut aquâ artemis. dilutum præbent, maximè si à semine est, sed conuenientiùs pulueris viticis ʒi. mell. rosati excepta ℥i. in multos dies quotidie sumenda præcipitur. Eodem spectant pilulæ superiores à quacunque causa fit: Item descripta potio; quin & castorium, quod vnum quibusdam ad integram curationem abundè fuit. Ad hæc vinum album, in quo bryoniæ radicis ℥i. efferbuerit. Theriaca quoque, ac Mithridatium, quæ concepti veneni vim extingunt, diacuminum, diagalanga, diatrion pipereon, & efficacissimum electuarium è seminibus descriptum à Mesuéo; tryphera magna sine opio, atque alia id genus, nisi calida iecoris intemperies obsistat: tum quippe refrigerantium quæ dixi, permixtione temperanda illa sunt, eâ ratione quam corporis ambientísque constitutio indicauerit.

Electuarium, seu opiata, Vuluæ strangulationes arcens.

℞. Pulu. electuarij è seminibus ʒiii. pulu. diagalang. & diacumini, an. ʒiß. sacchari electi ℥iiij. syrupi è calamentho, quod sufficit ad electuarium molle conformandum, detur ℥ß. quotidie manè.

Bolus vterum expurgans.

℞. Tereb. venetæ aquâ artemis. lotæ ʒiii. seminis dauci, viticis, an. ℈ß. cinnamomi ǧ. vi. cum melle rosato, aut conseru. anthos, fiat bolus, qui vteri colluuiem eluit. Excogitatum est à nonnullis remedium è moscho, aduersus vteri strangulatus excellentissimum, præsertim consentiente cerebro, quod huic loco inferendum duxi.

Pilulæ è moscho.

℞. Seseleos, rubiæ, pulegij, mediani corticis cassiæ solutiuæ, medullæ granorũ pœoniæ, calami aromatici, an. ʒiii. moschi oriẽtalis ʒß. (moschus enim tũ sumptus, tũ pesso subditus vteri strangulatũ inhibet) spicæ nardi ℈i. cũ succo artemisiæ cogantur in massam: è cuius ʒi. fingãtur pilulæ vj.

Dentur ii. vel iij. ante cœnam horâ vnâ, interpolatis diebus. Porrò insessus, fotus, illitus, cucurbitulæ, sinapismi, & pessi qui euocent ac flatum digerant, vel sedatâ accessione salutares: Quemadmodum etiam balnea sulphurea, & nitrosa. Post hæc crebrâ exercitatione, & frictione quotidie vtendum: sternutamentum excitandum: hypochondria fasciis constringenda. Excutiendus mœror: prohibendus longior somnus: aërísque ac loci constitutio humidior, frigidiórque vitanda, quòd humores intrò compellant, nec liberè exhalari sinant. Circumcidendum etiam vinum est, cibi parcimonia, tenuiórque victus imperandus, arcenda dulcia, flatulenta & odorata, & quæ semen augent, & valentis materiæ alimenta, atque viscosa, etiamsi casus idem non reuertitur. Inter hæc autem cor oppressum cardiacis medicamentis, minimè tamen odoratis, muniendum, ac aliæ partes principes in quibus mali impetus, topicis propriis roborandæ sunt, vt irruenti iniuriæ magis obsistant.

Victûs ratio hystericarum.

Cels. loc. cit.

Quòd si grumi sanguinis vlla est suspicio, qui suffocationem inuehat: dissoluatur quàm mox remediis quæ concretum in vesicâ sanguinem dissecare retuli. Obstetrix prætereà immisso digito peruncto, grumum incumbentem si attingat, extrahat leuiter id atterens, rursúsque admouebit cataplasma ex ficu, nitro, absinthio, ruta, calamentho, semine cumini, apij, vel baccis lauri: proderunt quoque insessus, & pessi acriores, & sinapismi.

Hysterica præfocatio à grumo sanguinis.

At si alius humor, vt melancholicus aut biliosus, in vtero corruptus, hysterica pathemata inducit, expugnandus ille est, corroborandúsque vterus eâ ratione quâ solet in fluore muliebri.

CAPVT LX.

Sterilitas & impedita Conceptio.

Sterilitatis descriptio.

STerilitas naturæ & æternitati aduersa, vt mors, fingitur quasi dissolutio naturæ eius finis; fœcunditate enim continuantur viuentium ortus, & procreationes, vt quod singulari substantiâ seruari non potest, specie saltem persistat. Sterilitatis causa est aut in principibus partibus; aut in semine viri, mulierísve; aut in vtero & partibus obscœnis. In principibus quidem partibus, atque etiam in toto corpore si quæ grauior est offensio, ea in seminis vel materiam, vel facultatem necessariò confertur. Quandoquidem in semine, quod aptum est ad procreationem, præter materiem, species quædam existit, quæ spiritus & natiui caloris vim summam obtinet. Materiam quidem seminis è toto corpore, speciem & facultatem è tribus principiorum fontibus maximè deriuari ex eo constat, quòd cui vel cerebrum, vel cor, vel iecur, earúmque partium aliqua

Sterilitatis caussa.

quæ ipsis auxiliantur, grauem offensionem acceperit, infœcundum reddetur: Quemadmodum si leuius fuerit vitium, prolem gignere solet morbis obnoxiam. Ex quo fit, vt venis & arteriis ponè aures dissectis fœcunditatem eximi dixerit Hippocrates. Quamobrem iis qui vel ætate, vt senibus, vel ex morbo pessimè se habent, quin & pueris, & ebriis, & crapulâ expletis, & nimium veneri indulgentibus, & effœminatis (quos imberbes, voce gracili, & molles esse notamus) seminis minimum inest: atque siquidem è vasis spermaticis emittitur, id prorsus infœcundum est, nec quicquam constituere potest, id proinde crudum est, aquosum & liquidum, non crassum, album & coactum, quale à benè temperatis flore ætatis emitti solet. Quin etiam ex graui mœrore & metu, & medicamentis refrigerantibus & siccantibus, vis illa seminis effectrix occumbit, virilisque animus extinguitur: quo modo plurimæ glacialibus aquis epotis, aut caphuræ vsu, aut filicis decocto, aut hederæ corymbis, aut aquæ extinctionis ferri potu, steriles euaserunt. Quapropter vtrumque semen benè temperatum esse debet, non calidius & velut exustum, non frigidius & quasi glaciatum, nec humidius & aquosum, nec siccius ac minimè sequax. Tale autem ex totius corporis & testiculorum temperamento euadit, quod quale sit, signis à Galeno in arte parua expressis indicatur, atque distinguitur: Porrò obscœnarum partium vitia, quæ conceptionem impediunt, notantur, in viris quidem penis resolutio, per quam arrigi non potest, exilitas, vastitas, & quæuis mala conformatio: vasorum spermaticorum imbecillitas, qualis in gonorrhœa est, obstructio, coarctatio, contusio, aut diuulsio, qualem λιθοτομία inferre solet. Sic quibus execti, aut attriti sunt testes; aut quibus immodicè refrixerint, vt hyoscyami vel cicutæ illitu; aut alia quadam intemperie, aut vitio affecti sunt, iis omnis generandi potestas est adempta. In mulieribus verò eadem testium & vasorum spermaticorum vitia, atque insuper ceruicis vteri angustia, aut nimia amplitudo, oris interni peruersio seu obliquitas, conniuentia & occlusio ab omento pingui, à cicatrice, tuberculo, callo, adipis copia, membrana, quibus ex causis nec menses effluere, nec semen rectà immitti, excipíque potest: atqui tum facilè mulier concipit, cùm mensibus expurgata fuerit; & quæ iis non purgatur, infœcunda existit. neque tamen immoderatiùs effluere oportet: hæc enim sterilitatem quoque accersit. Hæc autem vel enarrando, vel percontando, & obstetricis contactu, euidentiora fient, quàm vt signis egeant. Porrò vteri vitia sunt vlcera, scirrhi, prolapsus, inflatio, sed maximè auctior omnis intemperies, præsertímque frigida & humida, aut mucosi humoris adhæsio, ob quam & attrahendi & retinendi facultas languet, atque dissoluitur, & semen aliquanto pòst elabitur. Id verò vterus fœcundus vtique proliciet, & auidè arctéque continebit, modò amborum semina opportunè conueniant, & æquabili congressu se copulent: hoc autem est, cum mulier eodem impetu atque vir, aut non multo pòst semen

Seminis infœcunditas vnde.

Vitia partium genitalium vtriusque sexus.

eiaculatur; alioqui vnum ab altero nimiâ morâ destitutum, & aliquamdiu distractum, euanescente spiritu, nihil ad generandum confert. Ergò ad exquisitam conceptionem hæc necessaria sunt: primùm quidem viri semen rectà affatímque emissum fœcundum esse, & copiâ & qualitate procreationi accommodatum: Secundò, vterum repurgatum seminísque appetentem, auidè hoc ipsum attrahere. Tertiò, tractum omni ex parte comprehendere, & continere. Postremò, vterum fœcundum esse, qui semen concipiat, & sopitam ipsius facultatem, tanquam terra ferax, excitet, atque ad agendum impellat. Fœcundus autem est, qui temperamenti mediocritatem obtinuit. frigidior enim nimio frigore genituram extinguit, & densior factus acetabula occludit per quæ alimentum fœtui confertur: Humidior mucoris redundantiâ seminis fœcunditatem, tanquam terra palustris inhibet, submergit, & obruit, neque id diu continet: siccior alimenti vbertatem, vt solum arenosum combibit & absorbet, nec fœtûs incremento cedit: calidior semen ardore torret, ipsiúsque spiritûs exoluit, veluti flagrante caniculâ, aut regione æstuosâ, herbæ & germina vruntur. Itaque vterum in coitu concepturum mediocri quodam madore seu rorido vapore perfusum esse conuenit. Sed & plerumque ex intemperie profecta recrementorum impuritas, inclusum semen aut contactu, aut permixtione corrumpit. Intemperies vteri qualis sit, suis signis internoscendum. Ferè quidem ille viscerum, totiúsque corporis temperamentum imitatur, particulatim tamen si calidior est, masculus & virilis animus inest, libidinis ardor incenditur, celerrimè pubes erumpit, naturalia calent, menses pauci, & biliosi exeunt, qui ardore partes in transitu vellicant; ac si remorantur, mordaci qualitate, pruritum & pabulas mouent. Huic corporis habitus siccus & gracilis; pulsus magnus & celer, venæ conspicuæ, vrina coloratior, citatior motus, vox grauior, & sæpè temerarius ausus: Mulier æstuat, vigilat; os illi aridum, & sæpè aphthis aut tuberculis asperum, labra rimulis diffissa, & lacerata; atque hæc omnia magis in sicco, minùs in humido. Si frigidior, menses supprimuntur, aut suo tempore non redeunt, etsi decolores; nullo, aut hebetiori veneris stimulo mulier concitatur, lumborum & crurum stupor, pubísque natura minùs hirsuta; in summâ, totius corporis signa superioribus contraria. Si humiditas prætereà comes est, menses tenues & liquidi; sæpè alba, sordidáque profluuia quibus vteri ceruix continenter madet, quare lubrico madore semen non retinet. Cùm siccior est, menstrua purgatio rara, sanguis paucus, crassus & rarus, & nigricans illac decurrit, móxque genitalia exasperescunt: venus quidem experitur sed perexiguum emittitur, corpus ferè extenuatum est: Et ita quidem vtero fœcunditatis vim adimit grauior intemperies. At modicè intemperati cum intemperatis pari in contrarium recessu conuenienter coniunguntur; & idoneâ ad concipiendum permixtione mutuò se temperant: aliàs verò cum similibus infœcundi, & ad conceptionem inepti habentur. quocircà ad integram & exquisitam

Res ad conceptionem necessaria.

Aph. 62. l. 5.

Intemperiei cuiusque vteri signa.

ſitam conceptionem horum omnium neceſſarius eſt concurſus. At ſi quid deſit, aut nullus, aut irritus conceptus, & aborſus ſuccedet. Mulierem ergò quæ fœcunda reputetur, & virum proli idoneum, omni huiuſmodi vacare culpâ, atque integris viribus eſſe oportet, non obeſiore, nec immodicè extenuato corpore; quanquam in omni corporis habitu interdum fœcunditatem inueniri contingat. Hanc Hippocratis conſilio ſuffitu licèt explorare, aut naturalibus indito allio, quorum odor ſi naribus non impertiatur, mulierem infœcundam arguit: perinde atque ariſtolochia contrita, & cum melle ſubdita, ſi ſaliua non dulceſcat: intercepti quippe: aut difficiles ſunt aditûs. Vbi verò in nares perferatur, non protinus fœcunditas credenda. Etenim præter obſtructionem, aliâ etiam causâ inhabilis eſſe poteſt.

Fœcunditatis ſigna.

Hipp aph. 59. l. 5. & lib. de ſteril.

Ariſtoteles & Plinius ex oculorum illitu idem experiuntur, fœcunditatis (inquit hic,) notam hanc accepimus, inunctis medicamine oculis ſaluiam infici, meatûs enim liberi eſſe cenſentur. Exiſtimant quoque nonnulli mictione lactucam irrigatam emarceſcere vrinâ eius qui ſterilis ſit. Quin & tritici, & hordei grana, vel fabæ aliquandiu in vrina viri aut mulieris macerata, ac dein ſepulta, & quotidie non imbre ſed vrinâ irrigata, ſi decimo die germinent, fœcunditatem deſignare, ſin minùs, ſterilitatem. Sunt & ita qui pronuncient: cuius in vrina ſulphur viuum inſperſum vermes procreat, huic operi minimè deeſſe. Alij præterea ſterilem eſſe, cuius vrinâ decem diebus irroratum furfur citiùs vermes gignit. Sed omnia huiuſmodi dubia ſunt, & admodum incerta. Cauſarum verò ſignificationibus tutior fides adhibenda eſt; mulier enim quæ in tempore non concipit, ſi aut corporis, & viſcerum, aut vteri partiúmque obſcœnarum vitio tenetur, in ipſam referenda culpa eſt; nec aliter de viro iudicandum,

Ariſt. l. 2. de gener. anim. c. 7. Plin. l. 7. c. 16.

Fern l. 6. pathol. c. 17.

Horum ſignorum incertitudo.

Curatio.

Sterilitatis cùm variæ ſint cauſæ, harum quædam facilè curationem admittunt; nonnullæ vix vllis remediis abigi poſſunt; aliæ nulli prorſus medicinæ parent. Omnem curationis modum reſpuit ſterilitas quæcunque naturali conformationis vitio contracta eſt, quo vel inſtrumenta ad congreſſum neceſſaria deſunt, vel certè figuram vitioſam obtinent. Nec etiam paret medicamentis, quæ ex vlcere relicta cicatrice, callo, ſcirrho, exemptis aut attritis teſtibus inuritur: nec quæ ex ſeminis defectu; nec etiam, aut ægrè admodum quæ euulſo calculo, aut quæ medicamentorum vi, & malignitate, aut incantamentorum maleficiis inducta eſt. Aliis mederi quidem licet, etſi plerumque difficile. Vbi verò iam exploratum eſt, cuiuſnam culpâ conceptio reſtitit, vt ſterilis fœcunditate donetur, primùm vniuerſo corpori

Prognoſis.

Indicationes.

corpori atque præcipuis viſceribus erit conſulendum, præcipuè ſi in ſemine vitium eſt. Deinde vtero vel partibus obſcœnis proſpicitur. Viſcerum morbi ſuis remediis curandi, hoc eſt, intemperies, obſtructio, ſcirrhus, atque hinc nata vel cachexia, vel atrophia, vel lenta febris, vel alia quædam impreſſio cacochymiæ. Quemadmodum & vteri vitia quæcunque conceptionem impediunt, abolenda ſunt iis remediis quæ inflationes curare, præcluſam vuluam laxare, hiantem conſtringere, conuerſam vel diſtortam reducere, procidentem intrò compellere, remorantes menſes ciere; cohibere immoderatos diximus. Nec ſecùs in viris partium obſcœnarum vitia ſuis remediis eximenda ſunt. Reliqua & præcipua curatio eſt quamlibet immodicam vteri intemperiem corrigere; atque humorum conceptorum vitia emendare, quæ ſterilitatem faciunt. Omnium frequentiſſima curatio eſt, frigidæ & humidæ, quæ, vt & mucoſi humoris adhæſio ſæpiùs conceptionem impedit. Cùm igitur frigidis lentiſque humoribus tum corpus ſcatet, tum vteri latera oblita ſunt; purgatio inprimis neceſſaria eſt, atque eo typo reſtituenda, quem in menſium ſuppreſſione notauimus.

Vteri frigida & humida intemperies vt curanda. Vniuerſalia præſidia.

Atque ſi obeſior corporis moles eſt, diæta ex guaiacino ligno; aut ſalza parilla decernenda eſt, qua extenuetur. Nec abs re fuerit caſtorium, vel mithridaticam compoſitionem, vel theriacam cum raſura eboris, ſumere, & ex ſeminibus odoratis, cyminum, aniſum, pulegij comam, iuniperi fructum, pipere ſingulis adiecto, aut alia quæ illic deſcripta ſunt. In hac enim conſtitutione flatuum copia non deeſt, quibus ſæpè diſtenditur vterus; ideóque ſemen non arctè amplexatur. Ab his conuenit impuriorem vterum expurgare peſſis, iniectiſque medicamentis incidentibus, detergentibus, & odoratis: cuiuſmodi etiam multa, præſertim in vterino ſtrangulatu præcepimus, vt de his non ſit neceſſe plura dicere. Poſtremò remediis quæ calorem ſuſcitant, imbecillum vterum corroborare, & ſopitam libidinem accendere oportet. Itaque præmiſsâ totius corporis purgatione, & dein peſſis accuratè repurgato vtero, mox aſſumptis, admotis, immiſſis, atque ſuffitibus odoratioribus & calidioribus vterus ad futuram conceptionem reddatur idoneus: Remediorum quæ id præſtant, alia languentem venerem ſtimulant; alia vterum firmant; & ad ſeminis retentionem præparant. Priori claſſe continentur quæ genituram augent, vt nuclei pinei, auellanæ, piſtacia, amygdala, ſemen fraxini, cerebellum paſſerum, & columbarum, teſticuli gallorum nondum coëuntium, oua recentia, lac, mel, ſaccharum, & in ſumma, benè nutrientes cibi. Adhæc quæ ſemen euocant, vt flatuoſa & acria, quomodo radix vtriuſque paſtinacæ, bulbus, eiúſque ſemen, erucæ & ſinapi ſemina, fabæ, cicer, caſtaneæ, tubera & alia id genus, veneri gratiſſima, ſed præcipuè eryngium conditum, ſatyrium, & zinziber viride pariter ſaccharo conditum, & præſtantiſſima, diaſatyrium, tum quæ proprietate iuuant, vt priapus tauri, aut verris arefactus, & quæcunque alia ſuo loco in-

Particularia vteri præſidia.

Semen augentia.

Semen euocantia.

citare

citare diximus. Quæ verò vterum corroborant ſicca ſunt & adſtringentia, quibus retinendi vis firmatur. Sic biſtorta, delimata eboris ſcobes, electrum, raſura cornu capræ, deraſa cupreſſus, maſtiche, nux moſch. macis, caryophylli, folium, cardamomum, galanga, imperatoriæ radix, cyperus, nardus, ſchœnant. ſtellaris herba, ſaluia quam mulieres edunt, eiúſque ſuccum hauriunt ad conceptûs facilitatem; ſemen ameos, & ſeſeleos, quibus accedunt moſchus, & ambar. quæ tum ſumpta, tum peſſo indita non ſolùm venerem proritant, verùm etiam vterum odore recreant, & roborant, concipiendíque ſpem augent. Sed & coagulum leporis, matrix eiuſdem; Atque in compoſitis, electuarium è gemmis, aromaticum roſatum, diamoſchum, plires cum moſcho, diambra, ex quorum permiſtione & varia temperatione non pauca remedia decerni poſſunt. His autem non indiſcriminatim nec quouis tempore, ſed per aliquot dies ante venereos complexûs vti conueniet, præſertim cum iam à menſibus mulier repurgata fuerit, peſsíſque detergentibus, emundata vulua.

Vterum corroborantia.

Syrupus.

♃. Rad. eryngij & ſatyrionis, ana ℥iß. acori, & biſtortæ, an. ℥i. corticis citri ſicci, calam. arom. & galãgæ, an. ℥ß. artemiſ. vtriuſque, meliſſæ, beton. hyſſop. ſalu. ſampſuc. eryſimi, an. M. i. granor. iuniperi, ℥ß. ameos, ſeſeleos, aniſi, dauci, an. ʒiij. florum roriſm. aut valerianæ, aut ſtœch. p. i. fiat decoctio: ſub finem addendo zinziberis, zedoariæ, caryoph. cinnamomi, ſpicæ nard. ſchœnanth. cubebarum, piperis longi, cardamomi, ana ʒi. & in colat. ℔. i. ß. diſſolue mellis antoſ. quart. ß. moſchi ʒß. fiat ſyrupus ad iiij. doſes.

Opiata.

♃. Nucleorum pineorum recentium, & in vino Cretico infuſor. aut ſi minùs exſiccandum, in lacte maceratorum ℥i. zinziberis conditi, & conſeruæ eryngiorum, an. ℥iß. pulu. aromatici roſati, aut ſem. mercurialis, an. ʒiß. coaguli leporis, (quo tamen minimè vtendum eſt, vbi iam concepiſſe creditur) biſtortæ, raſuræ eboris, & cornu capræ, an. ℈iiij. ſem. fraxini, cardam. galangæ, ana ʒi. moſchi ℈ß. cum ſyrupo conſeruationis corticis citri, reducantur in formam opiatæ, ſumat inſtar auellanæ maiuſculæ ſerò & manè, hauſto mox vini poculo, ſed potiſſimum vbi à balneo emergit.

Alia.

♃. Conſeruæ ſatyrionis ℥iß. zinziberis viridis, & corticis citri ſaccharo conditorum, ana ℥i. pulu. electuarij de gemmis, & diamoſchi dulcis, ana ʒi. matricis leporis, ſeſeleos, limaturæ cupreſſi, an. ℈iiij. cyperi, caryoph. macis, an. ℈ij. amb. ℈ß. cum ſyrupo conſeruationis myrobal. aut

zinziberis,concinnetur opiata. Addi poſſunt ſi haberentur renes & cauda ſcincorum, ana ʒiß.aut damæ vterus arefactus, ſemen napi & paſtinacæ, vel bulbi vt hebes ſollicitetur ad venerem. Quòd ſi cui hæc forma opiatæ grauis & inſuauis foret, in eam quam mox ſubdam, iucundiùs aptabitur.

Confectio ſolida.

℞. Piſtaciorum recentium,& auellanarum torref.℥i.pulu.pliris cum moſcho ℈iiij.puluer.diambræ,& tripheræ,electri,raſuræ eboris, biſtortæ, ana ʒi.ameos,ſeſeleos,limaturæ cupreſſi,medullæ nucis indicæ, ana ℈ij. linguæ auis,coaguli leporis non rancidi,priapi tauri exſiccati,& in puluerem redacti,piperis longi,cinnamomi,an.ʒß.galliæ,vel aliptæ moſch. ℈i.ſacchari albiſſ.in aqua artemiſ.& meliſſoph. diſſoluti, q.ſ. fiat confeſtio ſolida. Aut exemptis piſtaciis, fiat electuarium in tabellas rhomboeides ʒiij. aut hoc:

Electuârium humidis idoneum, & quibus inflatio vterina conceptum impedit.

℞. Cinnamomi,caryoph.cardam.an.ʒß.galang.macis,cyperi,nucis moſch.piper.longi, cubebar.glycyrr. raſuræ eboris,vnguis odorati, ſeſeleos,an.℈i.roſarum,ſpicæ nardi,ana ℈ß.ambræ & moſch.ana gr.v.radicis biſtortæ ʒi.ſacchari aq.beton.diſſoluti,aut vino Cretico,q.ſ.fiat electuarium in tabellas ʒij Detur i.quotidie manè,& altera dormituræ,cum vini momento:idque tantiſper dum concepiſſe fœminam coniectura ſit;quod in cæteris erit quoque audiendum.

Curatio.

℞. Raſuræ eboris,ſeſeleos,an.ʒiß.cinnamomi,cyperi,calami aromatici,ſchœnant. radicis & granorum pœoniæ,ana ʒi.nardi, caryoph.folij, maſtic.an.ʒß.ambræ Orientalis ℈i.mellis kebulati,aut ſyrupi conſeruationis corticis citri,an. q. ſ. fiat confectio mollis. Doſis ʒiiij. ad ℥ß. cui vulpis, aut verris teſticuli arefacti vtiliter addi poſſunt.

Puluis, aut etiam Opiata.

℞. Priapi cerui,aut tauri aridi,ac vſti,ſem.erucæ ſylueſtris, ana ʒiij. caudæ & renum ſcincorum ʒiß.piper,biſtortæ,ſeſeleos,raſuræ eboris,an. ʒi.cubebar.& cinnam.ana ʒß.fiat puluis,ſumat ʒi. cum vino generoſo, aut ex eo cum ℥ij. conſeruæ ſatyrionis, & ſyrupi conſeruationis zinziberis viridis, fiat opiata.

Puluis alius.

℞. Linguæ auis, & raſuræ eboris, ana ʒi. pulu. confect. Neræ ℈i. croci, meliſſæ ſiccæ, & hyperici & fol.artemiſ.an.℈ß. moſchi, & ambaris, ana gran.iij. puluerentur omnia ſeorſum, ac dein miſceantur. detur ʒi.ex vino optimo, aut in quo flores toriſm. præmaduerint.

Medicamenta gratiora.

Si aliquando palato eſt conſulendum, ſcobes eboris, aurei pondere,

aut mastic.electæ grana aliquot dentur: Aut si frigidior est vterus, pœoniæ grana confracta ex vino rubro sumantur, aut adiiciendum iis pulueribus saccharum; atque cinnamomum non modò addendum, sed etiam augendum.

Rustico experimento constat, radicem lappæ maioris contusam, & cum triticea farina in placentulas coctam fœcunditatem adiuuare, si quotidie per 12. dies manè placenta edatur, subiuncto vini potu. *Lappa mai. radix.*

Sunt qui hoc in cœlum laudibus efferant, quod mox subiiciam.

℞. Fœnigr. ℥iß. arthemis. siccæ, beton. nepetæ, maioranæ, ana. ʒij. auellanar. torref. ℥iij. zinziberis, cinnam. caryoph. pip. longi, cardam. ana ʒiß. nucis mosch. nucis cupress. ana ℈ij. moschi orientalis gran. vi. mellis optimi & despumati ℔ß. fiat antidotus: hac serò & manè quotidie vtendum. *Antidotus.*

His quidem veneris cupiditas incenditur, atque vterus incalescit & firmatur, quapropter tum viro, tum mulieri vti licet.

Cæterum inter hæc, atque etiam mox à purgatione menstrua, perutile erit conceptutam balneo insidere, à genibus ad vmbilicum vsque, aut naturalibus thermis vti, & earum sudationibus extenuari, si obesior est.

Balneum.

℞. Rad. pastinacæ & dauci, ana ℥iiij. rad. galang. acori vulgaris & cyperi, ana ℥iij. schœnanth. ℥ß. absinth. matricar, orig. calam. foliorum melissæ, nucum cupressi, pulegij, betonicæ, saluiæ, mercurialis, sabinæ, sampsuch. prassij, summit. lauri, myrthi, & citri, ana M. ij. semin. fœnugr. ʒij. anisi, granor. iuniperi, ameos, sileris montani, semin. pastinacæ, ana ℥ß. flor. camomil. p. iij. flor. rorismar. caprifolij, lauendulæ & stœchad. ana p. ij. rosarum p. i. fiat decoctio in duabus partibus aquæ & vnâ vini, in hac resideat triduo. Deinde pari dierum numero fotus balnei vices suppleat, qui ex illorum triente comparatus sit, cuius etiam vaporem fœmina sellæ insidens conuenienter excipiat; atque decocti fæcem genitalibus applicabit, vsque dum eam concepisse constiterit. Sed multò præstantius fore duco, si illa vase concoquantur obturato, & ita occluso vt nihil prorsus expiret, nisi quâ parte tubum capit, qui longo ductu in mulieris vuluam dirigatur, eóque tepidum vaporem perferat. Sed & mulierem lecto incumbere par est; atque si obdormierit, vapore insiliente, melius: verum moderandus vaporis calor est. Cum ea tamen obseruatione, vt in quibus menstrua purgatio plenior esse consueuit, aut os nimium hiat, ex quo semen facilè relabitur, tum detractâ aperientium portione, adstringentia copiosiùs addantur. Itaque radix bistortæ, lentiscus, symphytum, vsnea, myrthi baccæ, rosæ, chamæleont. flos, & punici mali, alumen, iisque similia in decoctione ponenda; sin parciùs menses fluant, phu, sabina, origan. chamædrys, chamæpit. aliáque aperientia decoctioni adiicienda. *Fotus.* *Suffitus.*

Emplastrum.

℞. Mastic. ladani puri, galbani, ana ℥ß. massæ emplastri pro matrice ℥ij. styracis calamitæ ʒij. galliæ aut aliptæ mosch. ʒi. misce, fiat emplastrum quod lumbis & vmbilico inducitur, superpositâ pelle vulpina, aut leporis. Vel:

℞. Massæ emplastri de mastic.& contra rupturam, ana ℥iß. galban. ʒiij. radic. bistortæ, caryophyll. & schœnanth. ana ʒij. trochisc. galliæ mosch. ʒi. malaxentur, fiat emplastrum rotundum, cui adde terebinth. parum, vt firmiùs hæreat, & in medio ponantur moschi & ambræ odoratæ, ana gran. viij.

Vnguentum.

℞. Croci, spicæ, mastic. styracis, ana ʒiij. rad. bistortæ, cyperi, ana ʒiß. caryophyl. & folij, vel macis, ana ʒi. ceræ ℥i. olei myrthini, & de spica, ana, q. s. fiat vnguentum, imus venter oblinatur, eique adiiciantur vnguenti comitissæ ℥ij. modò extet; aut ad venerem stimulandam imperetur quòd anteà descripsi.

Oleum è styrace. Oleum quoque è styrace vterum roborat, & exsiccat lubricos eius humores. Vel:

℞. Olei è castor. & muscellini, ana ℥i. zibethi gran. vi. moschi gr. iiij. misce, fiat linimentum, quo partes vicinæ pudendo illinantur.

Suffitus.

℞. Stercoris leporis, rad. pœoniæ, semin. eiusdem, cumini, ameos, myrrhæ electæ, ana ℥ß. thuris, mastic. styracis rubri, & nucum cupressi, ana ℥i. cyperi, calami odorati, schœnant. ana ʒiij. fiat puluis ad suffitum, quo tum sterilitas corrigitur, tum fœcunditas intermissa affertur. Sed & huic adiici possunt auiculæ cypriæ, vel aliud quidpiam odoratum, vt cùm diuitiæ affluunt, moschi & ambaris, ana ℈ß. Aut:

Alius. ℞. Radic. bistortæ, sileris montani, thuris, mastic. ana ℥iiß. styracis calamitæ, ladani puri, benjoini, carabes, vernicis, ana ʒiij. caryophyll. nucis mosch. macis, baccarum myrti; vel si minùs astringendum, lauri, ana ʒij. vel cumini, tantundem: trochiscorum galliæ, & aliptæ mosch. ana ʒiß. confectionis Neræ ℈i. puluerisentur, & cum aqua florum citranguli eliquato gummi tragacanth. aut Arabic. excipiantur, & fiant pastilli pondere ʒß. imponatur vnus prunis candentibus, vt odoratum fumum expiret in os vteri, obuoluto corpore. His cum Auicenna licebit aliquando arsenicum rubeum adiicere, quò mucosi humoris affluentia & prouentus inhibeatur; aut saltem aluminis ℥ß. aut tartari tantundem.

Pessus.

Pessus.

℞. Nucis cupressi, styracis liquidæ, mastic. thuris, ana ʒij. radic. bistortæ, caryophyll. rasuræ eboris, ana ʒi. ambaris, aut moschi, aut zibethi, aut vnguis odorati ʒß. hæc enim odoris suauitate vterum recreant: cogantur cum vino odorifero, vel terebinth. & fiant pessi: locis genitalibus indatur vnus trium horarum spatio continendus, quod triduo, quatriduóque ante congressum factitandum est, atque instante congressu, coaguli leporis ʒß. conuenienter adiicietur. In vniuersum omnia quæ calfaciendi & exiccandi, astringendíque vim nacta sunt, cum quadam odoris suauitate, ea rectè pessis inseruntur, sed ante hos accuratè repurgatum vterum esse conuenit, pessis detergentibus, ex benedicta & triphera magna, & myrrha, castoreo, iride, nardo, croco, aut mithridatio, mercuriali, agarico, melanthio, gentiana, arthemis. sicca, iuniperi granis, & similibus, vt dictum priùs est: maximéque ex terebinth. aut ex contusa mercuriali, cuius succum etiam aut decoctum antiqui dabant ad conceptum. Hic etiam pessus vtrumque præstat; sed commodiùs astringentibus præmittitur.

Alius. ℞. Myrrhæ electæ, (bdellij, si extet) styracis calamitæ, calami aromat. cyperi, ana ʒiß. spicæ nardi, castorij, nucis mosch. meliloti, cardamom. ammoniac. aut eius vice caryophyll. ana ʒi. croci ℈ij. ambræ ℈i. trita excipiantur adipis anserini & gallinacei, ana ℥i. admixtis ouorum duorum luteis semicoctis: deinde mollior lana hoc delibuta medicamine naturalibus conditur, vel puluis serico conclusus in pessos coaptatur. His peraliquot dies vti conueniet, antequàm astringentibus corroboremus. Nec secùs allium oleo incoctum & tabefactum, ac dein pessi modo in lana subditum conceptiones adiuuat, sed efficaciùs coagulum leporis subter in vuluam inditur instante concubitu, hoc modo.

Alius. ℞. Croci ℈ß. moschi, ambræ, ligni aloës, an gran. iij. coaguli leporis, q. s. fiant formulæ dactylorum ossibus similes, immittatur i. si ne his quidem conceptio accidit, pessus hic subiiciatur.

Alius. ℞. Florum hyperici, rasuræ eboris, ana ℈iiij. confect. Neræ ʒi. moschi, ambræ orientalis ℈i. cum succo pilosellæ, aut nepitæ, & polline orobi coacta, formentur cum serico rubro in pessos, quibus puluis testium mustellarum, aut vulpis, in clibano exsiccatorum vtilissimè admiscetur, aut in eorum defectu fel leporis aut galli, pondo ʒi. vel labracis piscis, quem lupum appellant.

Si pre plethorâ impediatur conceptio, vena secanda. Cæterùm si sanguinis copiâ semen obruitur, & menstrua purgatio alioqui abundans minimè satisfacit, sanguinem aperta interiore brachij dextri venâ detrahere iuuat, vt sic tantum sanguinis relinquatur, quantum ad futuram conceptionem videbitur esse necessarium.

Vteri calidæ & ſiccæ intemperiei curatio
Remedia interna.

Iam verò ſi calida & ſicca intempies (quod rarius eſt) fœcunditatem adimit, vt in viragine: inprimis leuiter purgandi humores, ſi qui ſunt acres, & eorum reliquiæ medicamentis refrigerantibus, exceptâ nymphæâ humidíſque temperandæ, dum calor miteſcat. Hinc reficiendum corpus alimentis boni ſucci, vt opimum fiat, & carnis molem conſequatur; quare facienda eadem ſunt, quæ in iecinoris ardore, atque atrophiâ expoſui, & victus idem ſeruandus qui tabidis. Nam & ſucculentis, & lactis vſu, & ſomno, & quiete, & dulcis aquæ tepente balneo humectandum corpus eſt. Quinetiam iecinori, lumbis, & imo ventri frigida epithemata, vnguenta, & cataplaſmata applicanda, & peſſi, quales increſcenti & vigenti inflammationi, aut eryſipelati, exemptis tamen narcoticis, adiectóque gummi tragacant. & arabico: Ad hæc humidi ſuffitus qui eadem polleant facultate. Eiuſmodi ex balnei vapore comparatur, maximéque è decocto maluæ, althææ, lactuc. foliorum ſalicis, pampinorum vitis viniferæ, ſaluiæ, abſinth. flor. violarum & roſarum, & iure pingui capitis, pedum, & inteſtinorum veruecis: In ſumma illic calcaribus, hîc fræno eſt opus: adeò vt aquæ potio, & pomorum eſus, aliáque iis ſimilia fœcunditatem conferant, non modò in mulieribus, ſed & in viris multò magis, dum exuperantem calorem in quandam moderationem reducunt. Itaque ſeminis acrimoniâ paululùm repreſsâ, id non vt anteà, præproperè exilit, neque anticipat, ſed tempeſtiuè cum altero emittitur, vt ex vtroque vnum fiat, & concipi poſſit. Ex quo grauis multorum error præclarè cernitur, qui neglectâ aut potiùs ignoratâ cauſarum diſtinctione, omnibus eadem calida & acria profutura exiſtimant. Si quid huiuſmodi ad ſeminis vim experiri cogaris, mitius id eſto, & refrigerantium, humectantiúmque permixtione temperatum; tutiúſque hîc eſt medicamentis & alimentis quæ proprietate iuuant, & benigni ſucci copiam exaggerant, idipſum moliri. Vt:

Remedia externa. *Error multorum, circa vſum remediorum fœcunditatem largientium.*

Confectio.

℞. Raſuræ eboris ʒij. coaguli leporis, matricis eiuſdem, ana ʒiß. priapi tauri ex arte præparati, aut teſticulorum vulpis, aut verris, aut priapi eiuſdem ʒi. puluer electuarij triaſantali, vel diarrhod. ℈iiij. vel margaritar. tantundem, amygdal. dulc. mundatar. & granor. pini recentium in lacte infuſorum, ana ℥iß. piſtaciorum recentium, vel auellanar. torref. ℥i. ſacchari albiſſ. in aqua roſarum diſſoluti, q.ſ. fiat confectio in morſellis, aut cum ſyrupo è pomis redolentibus, & conſerua roſarum, vel borraginis, fiat opiata.

Vteri intemperiei ſiccæ curatio.

Quòd ſi intemperies ſicca ſine caloris exceſſu fuerit, eadem quæ in ſcirrho, & phimoſi, ſeu anguſtia facienda ſunt, & emollientibus peſſis coagulum miſcendum; Quemadmodum ſi ceruicis vteri amplitudo, eadem quæ in menſium exuperantiâ imperanda erunt.

Victus ratio, maximè frigidis & humidis conueniens.

Aëris & regionis conſtitutio temperata eſſe debet, aut paululum in contrarium deuergens. Exercitatio moderata, frequens hilaritas, & con-

cipiendi

cipiendi ſpes,loci amœnitas,& odoratiorum perfuſio,omniáque blandimentorum genera veneri gratiſſima,victus ſplendidus & liberalis (nam ſine Cerere & Baccho friget Venus) niſi cum humidior intemperies, atque obeſior corporis habitus fœcunditatem inhibet, tum quippe victus calidus & ſicciorimperandus:In eóque vitanda omnia,quibus conceptio malitiosè præpeditur;vtendum verò iis quæ ſemen augere,atque languentem venerem excitare dixi, habitâ ſemper corporum ratione, prohibendâque contraria ſunt. Ergò ab acidis, crudis,frigidis,& præcipuè aceto,abſtinendum,atque omnibus quæ flatus inſigniter diſcutiunt. Quamobrem laudatis carnibus ac ſæpè lepuſculis,& eorum renibus, & teſticulis gallorum nondum coëuntium, & cerebellis paſſerum veſcendum.Ad hæc borragine,ſaluiâ, maioranâ,mercurialis cymis,eruca,paſtinacâ,rapis,porris, cœpis tantillùm vti licet: quin etiam oryzâ,fabis freſis,cicere,caſeo,lacte,ouis,prætereà nucleis pineis, auellanis, amygdalis, piſtaciis,dactylis,ficubus pinguibus,vua paſſa,caſtaneis,ſcolymo,& aliis anteà notatis.Concubitus verò rarus & tempeſtiuus eſſe debet.Frequens enim corpus ſoluit.Cùm autem frequens non numero ſit,ſed naturâ,ratione ætatis & corporis,ſcire licet,eum non inutilem eſſe,quem corporis neque languor,neque dolor ſequitur;idem interdiu peior, noctu tutior, ita tamen vt neque expleto mox ventre,neque prorsùs inanito fiat.Cùm ergò mulier iam menſibus expurgata fuerit, (tum enim ſumma conceptionis opportunitas eſt,quia & acetabula aperta ſunt,nec ſanguis adeſt largior qui ſemen copiâ poſſit obruere) cúmque viri ſemen turgidum ſpiritus vbertate vix ſuis vaſis contineri poteſt,tum liberis procreandis operam dare conuenit,prægreſſis tamen illecebris, quibus veneris furor magis, ac magis in vtroque accenditur;ſic enim ſæpè qui imparatus eſt, præparatur,vt eodem impetu, paritérque ſemen poſſit eiaculari. Neque verò protinùs aſſurgendum, ſed in complexu paulülum conquieſcendum, poſt quem iacebit mulier aptatis inuicem cruribus, ac ſomno indulgebit,corpore priùs in dextrum latus leuiter conuerſo,ſi mas; aut in ſiniſtrum,ſi fæmella potiùs expetitur: atque vbi ſemen ſubſtiterit,ſumma corporis & animi quies neceſſaria:Ideóque ſi fieri poteſt,nec ſternutamento,nec tuſſi,nec alio motu exagitandum corpus:ac reliqua ſeruanda quæ in abortu præcauendo neceſſaria dicemus.

Celſ. c. 1 l. 1.
Concubitus ratio.

CAPVT LXI.
Conceptionis ſigna.

NOn minùs neceſſaria quàm difficilis & abſtruſa imprægnationis cognitio & ſæpè fallax ac temeraria aſſertio, tum maximè cùm prima fœtus iaciuntur fundamenta. Hanc tamen ſignis euidentiſſimis aperire conabimur, cùm non deſunt quæ ad probam & exquiſitam conceptionem deſiderantur.

Mulierem

Signa conceptionis recèns facta.

Mulierem concepiſſe credimus, ſi maris ac fœminæ fœcunda ſemina opportunè conuenerint, quod percontatione cognoſcitur. Si ſemen è ceruice vteri non excidit: ſi vterus non ita pridem menſibus repurgatus ingenti voluptate & auiditate id attraxit, id eſt, ſi tum ardentior quàm aliàs libidinis fuit impetus; ſi locus qui modò madebat, reſiccatus mox ſentiatur, ac veretri pars inſita vteri ſuctu protinus exareſcat: ſi horror breuis aut leuiuſculus à congreſſu mulierem cepit; ſi imus venter obmurmurat, & cum rugitu ſe ſe vterus contrahit, & ſurſum conglomeratur, quem modò præ ſenſerat mulier in partes obſcœnas prouolui ipſo libidinis furore: ſi poſtea internum ipſius os ita ſit occluſum, vt obſtetrix immiſſo digito, id ſine duritie prorſus conniuere ſentiat: ſi venter deprimitur, ſubſidet, ac planior quàm dudum euadit; coarctato ſcilicet ex omni parte vtero; ſi circa vmbilicum & lumbos obſcurior dolor pulſanti ſimilis oboriatur: ſi inguina, crura, coxendicéſque dolent; ſi congreſſum fœmina reſpuit, aut hebetior eſt ad venerem: ſi præter conſuetudinem nunc mœret, nunc gaudet, aut leui momento irâ concitatur. Hæc quidem prægnationis initio, præſertim concepto maſculo.

Signa conceptionis paulò vetuſtioris.

Quod verò dubium adhuc eſt, aduentante menſium circuitu certiùs prodetur, tum quippe menſtrua purgatio præter conſuetudinem ſubſiſtit. At neque ex ſola ſuppreſſione, ſpretis ſuperioribus ſignis, temerè de conceptu pronunciandum: quandoquidem ex venarum interceptione, & cruoris craſſamento vel lentore, poteſt ſine fœtu menſtruum ſubſiſtere. Quinimò in conceptu interdum etiam prodit, ſi ſanguis redundat; ſed multò quàm anteà, parciùs, ídque è riuulis qui in extremam deſinunt vteri ceruicem, dum ſecundo aut tertio menſe prorsùs ſupprimatur. Plurima mala grauidæ mulieri adueniunt, maximè ſi valetudinaria eſt, quòd primis menſibus fœtus minore egeat alimento. Itaque nauſea, cibi faſtidium, varia vomitio, frequens ructus, cordis dolor, malacia, corporis grauitas, quibuſdam interdum maxima in ſomnum propenſio, capitis dolor, fœdus ſæpiúſque citrinus faciei color, oculorum cauitas, eorum ſugillatio, ſuffuſio, vertigo, interdum & leuior animi defectio obrepit, aut leuior cordis palpitatio, prompta hilaritas, ſed promptior mœſtitia: denique mollities & languor quidam eſt prægnantium; Quæ omnia quarto menſe diſcutiuntur, auctiore iam fœtu, & vomitu eductâ cacochymiæ portione, ac per inediam euictâ. At mulier integrè ſana nihil iſtiuſmodi perpetitur, eadem quoque coniectura, ſi pupillæ minuuntur, ſi oculi album maius apparet, ſi flaueſcit, ſi eiuſdem venæ turgent, & maximè quæ inter angulos oculi maiores & naſi radicem extant; ſi palpebræ molliuntur, indéque vultus non ita gratus; ſi ſub lingua venæ vireſcunt.

Prægnationis progreſſæ vlteriùs ſigna.

Geſtationis progreſſu venter aſſurgit, & diſtenditur, lumbíque manifeſtè amplificantur, mammarum papillæ dolitant, colorémque mutant, ac prominent, vbera tumeſcunt, atque pectoris & colli venæ implentur, & conſpicuæ euadunt. In facie nonnullis lentigo enaſcitur,

tur,

tur, quæ macula est fusco citreóve colore,& lentis magnitudine; ceruix calidior, & dorsi spina frigidior quibusdam notatur: quandoque vrinæ difficultas oritur, eiúsque stillicidium excitatur; præsertim cum fœtus est grandior; arteriæ vehementem calorem,& frequentem pulsum edunt, ac multò quàm anteà pleniorem. Vrina prægnationis initio tenuis & perspicua, sed mox crassiuscula, & aliquando virescens, ac per summa in cœruleum vergens, cuius in medio quid innatat, & discerptæ lanæ flocculo simillimum. id est. enæorema crassum ac dimulsum: quin & leui agitatione & concussione facilè conturbatur, atque si transfunditur, paruæ & tenues bullæ, granorum milij instar, sursum deorsúmque feruntur, & volitant plurima tenui farinæ aut amylo similia, quæ mox in quiete subsident. Vix tamen ex vrina certa sunt auguria. Præterea non desunt experimenta, quorum hoc Hippocratis est, si mulsa cruda dormituræ in potu datur, torminibus excitatis, fœmina ventrem perferre creditur. Quod ne ita fallat, inassuetam huic potioni mulierem esse oportet, atque iam cibo expletam. Sed nec ante secundum mensem id explorandum. Sunt etiam qui allio dormituræ in vuluam subdito, aut aromatum suffitu idem, fallaci tamen coniecturâ experiantur. Tradunt quoque nonnulli, sed incerto experimento, grauidam deprehendi erigeri succo epoto, si vomitionibus non reddatur. Sunt & alia pleraque irrita. Certissimum verò est conceptionis testimonium, cum primos motuum insultûs mulier obseruat, & quasi volitantis muscæ excussionem percipit; sæpe quidem mas, vbi iam ad tertium mensem peruenerit, fœmina verò ad quartum, moueri & calcitrare incipit. At certè motionis initium tempore admodum varium est, ex prægnantis, & eius quod intùs geritur, robustiore naturâ. Hic quidem motus blandus est & leuis, quem admota calens manus plerumque renouat. In mola autem & scirrho, grauitatis ac molesti ponderis sensus inest, præsertim vbi corpus in alterutrum latus prouoluitur: In inflatione verò motus & rugitus obauditur, ac sæpè digito percussus minùs venter sonat.

Pragnantium vrinæ.

Experimenta. Aph.41.l.5.

Certissimum conceptionis signum, motus infantis.

Quis sexus perferatur.

Vbi fœmina conceperit, plurimis signis comprehendere licet, quem sexum generauerit, quoniam mares in dextris magis, fœmellæ in sinistris perferuntur, & sentiuntur. Grauida si marem conceperit, benè colorata est, hilari & nitidiore vultu, in quo gena dextera sæpiùs rubore suffusa notatur; si fœminam decolor & tristis, & ad motum segnior, túmque in facie, maculæ lenti similes emergunt. Obseruatum quoque sæpiùs, cibi maiora subesse fastidia, & aliorum symptomatum incursiones vehementiores, quorum nuper mentionem fecimus. Mas sæpiùs ad tertium mensem, fœmina ad quartum moueri incipit. Sunt qui ex oculorum diuersitate de concepto fœtu pronunciant. Si enim oculus dexter celeriùs nutat, si eius pupilla magis splendescit & latior est, quàm sinistri,

Aph.48.l.5. Aph.42.l.5. Ephelides.

marem gerit; Sic & quæ in temporibus, aut iugulo, aut carpis micant arteriæ, dexterâ parte ſunt tumidiores, & vehementiùs pulſant. Et quæ ſub lingua extant venæ, tam dextrâ quàm læuâ parte, ſunt eminentiores, ſi marem conceperit. Fœmina progreſſura, authore Plinio, dextrum pedem ſi primum loco moueat, maſculum; ſi verò ſiniſtrum, fœminam procreabit: dum corpus erigitur aut reſidet, vt brachio dextro vel ſiniſtro ſæpiùs innititur, ſexum declarabit. Quin etiam ſi mamma dextra tumidior & ſolidior appareat, & latiores venas oſtentet, ſi ea papillam aliquantò plus exerat quæ in ambitu latiùs nigreſcit, mas edetur. Vbi mamma ſiniſtra lac fundit, conceptus fœmineus eſt, præſertim ſi illud aquoſum ac tenuitate diffluit, quod in maſculino fœtu craſſius & candidius eſt, & magis cohærens, adeò vt ſoli expoſitum inſtar fulgentis margaritæ in orbiculum cogatur, aut prægnantis vrinæ immerſum rectà imum petat, víxque in eo ſal colliqueſcat: Si venter rotundior eſt & magis conglobatus, non autem planior, ſi ſuperiore potiùs ventris regione fœtus geſtatur, adeò vt inſtar globi cuiuſdam in ventriculum ac præcordia videatur incumbere: iis ſignis, quæ non aliter quàm in turba valent, prægnans ſe marem enixuram fatebitur.

Cauſæ, & ſigna ſexuum.

Sexus & temperaturâ, & moderatione accidit principum & agentium qualitatum quæ in ſeminibus ſunt. Cùm enim vtriuſque parentis ſemen calore & ſiccitate præcellit, mas procreabitur: Cùm autem frigidior & humidior qualitas dominatur & vincit, fœmina. Ergò ex robuſtis parentibus quadam temperatione calidis, neque veneri frequenter indulgétibus, & ſeminis copiâ turgentibus, vbi conſentaneâ moderatione tempeſtiuè conueniunt, mares ferè naſcentur, ídque à dextri potiſſimum teſticuli ſemine, & in dextro vteri ſinu iecori vicino, quod Hippocrates aſſeuerat. Cùm hircire quis cœperit, animaduertendum vter teſtis magis promineat: nam ſi dexter, maſculos; ſi ſiniſter, fæminas procreabit. Illinc quippe ſemen magis coctum & coactum exit: vtpote non ab emulgente, ſed à vena caua reni dextro ſubſtrata, materiam habente minùs ſeri participem. Rursùs mares in dextris magis, fæminæ in ſiniſtris. Et ex Galeno, quibus teſtes naturâ calidi ſunt, iis venter imus & crura hirſuta ſunt, genitura craſſior quæ mares exſuſcitat. Sic etiam de euidentibus cauſis iudicandum. Ætas præcocior & ingraueſcens, fœminas; florens veráque iuuentus maſculos: ambientis conſtitutio ex regione, anni tempore, & cœli ſtatu, natiuo robori, & inſito calori accommodatior, mares; veluti cùm aquilonius ſpirat ventus; contraria, vt cùm auſter perflat, fœminas generabit. Quemadmodum & in cruditate, ac ventriculi plenitudine, frequens concubitus fœminas; in aurora, & perfectâ coctione, rariórque, mares progignit. Permiſcentur plerumque ac prorſus repugnantes exiſtunt obſeruationes, quò fit vt mas effœminatus, aut fœmina virago ſuſcitetur. His igitur ex cauſis mas vel fœmina conci

in Art.parua.

Signa confuſa concepti ſexus, mares effœminatos, aut viragines, deſignãt.

concipitur, quarum dein obſeruatione ac repetitione plerumque ſexus internoſci poteſt.

Obſeruationes ad concipiendum marem vtiles.

Sunt qui præcipiant, vt cum progenerari marem velimus, ſiniſtrum teſticulum funiculo lineo, aut ſerico filo, alióve quolibet obligemus; cùm fœminam, dextrum. Quod in admiſſariis equis & tauris eſt veriſſimum compertum. Sic noſtri arbitrij fore tradunt, vter ſexus concipiatur. Cæterum vbi quiſpiam marem naſci velit, ſic temperanda erunt omnia, vt paulò frigidior viri vel mulieris natura tum aſſumptis, tum admotis corrigatur, atque vterus peſſis & ſuffitibus odoratioribus incaleſcat, eâ formâ quæ priùs comprehenſa eſt. Quin etiam rarior concubitus imperetur, qui ſemen elaboratum proferat, atque omnes cauſæ euidentes diſponendæ ſunt, vt ſuprà deſignauimus. Arcenda frigidæ potio, & lactucarum eſus, & quæcunque eódem ſpectant. Sed loci amœnitas, aromatúmque perfuſio, eam ſexûs effictionem iuuat. Vtilis ſub ipſo conceptu viuidi maſculi comprehenſio, firmáque cogitatio: Sic fixis oculis & intento animo virorum modo aptè inſpicitur.

Africanus. l. 1. Veterin. medic.

CAPVT LXII.

Cura prægnantium.

PRægnantibus cùm valetudinariæ ſunt, conuenientem curam adhibemus, vt minimùm moleſtiæ vel offenſionis perpetiantur toto prægnationis decurſu. Danda ergò opera, vt à primis menſibus quiete fruantur tum animi, tum corporis: Deinde verò, medio, aut poſtremo geſtationis tempore exercitationibus credi debent, quò lac eis præſtantius ſuppeditetur, atque faciliùs partus edatur. Videndum tamen ne aut pluſculum laborent, aut frigidis locis inhabitent, quòd algor prægnantibus maximè obeſt. Æſtate aliquod frigus aſpiret. Omnis arceatur tædarum nidor, ac horrendus ſonus. In deliciis verſari grauidæ debent, ſi euacuationis neceſſitas grauidæ inceſſerit, vt ei quæ vel cacochymiâ vel plenitudine premitur, vel morbis inde profectis, tum non temerè, ſed acri iudicio & cum præmeditatione decernenda aut venæ ſectio, aut purgatio.

Victus ratio grauidarum.

Ei quæ aliquo plenitudinis morbo conflictatur, aut vehementi partium internarum inflammatione corripitur, cubiti, non malleoli vena ſecanda, ídque non ſolùm mediis prægnationis menſibus, ſed etiã primis, quibus sãguis redundat, & fœtus minore eget alimẽto. Poſtremis autem nõ citra periculũ ſanguis emittitur. Mulier enim venâ ſectâ magna ex parte abortit. Ei verò, quæ ex cacochymia, morbo tentatur, purgatio largienda eſt, Hippocratis præcepto, iis mẽſib. qui inter tertiũ & octauũ interponũtur, ſi

Venæſectio grauidarum.

Aph. 30. l. 5.

Purgatio.

Aph. 1. l. 4.

si materia turget: Cauere enim oportet à iuniore & seniore fœtu, nam facilè tenella acetabula infringuntur; minor enim fœtus medicamenti vim perferre non potest, auctior autem quauis agitatione præcipitat, haud secùs quàm maturus fructus soluto sponte pediculo. Neque tamen cùm morbus vrget, quouis medicamenti genere vtendum, sed aliquid è mitiorum ordine exhibendum suadet, quod intus geritur; maligna enim fœtui vehementer obsunt. Itaque arcendum scammon. turbith. colocynth. veratrum, & quæcunque ex compositis horum quippiam excipiunt. Arcenda etiam quæ flatuosa sunt, vt senna, polypodium; tum quæ vomitum excitant, vt agaricus; denique & illa quæ vi leniente laxant, vt cassia. Præstantior ac tutior eorum vsus, quæ ita purgant, vt expressa astrictionis vestigia relinquant, quo in genere rhéum, myrobal. & syrup. rosat. solut. Neque enim purgationes ad extremum ducendæ sunt: & hæc de euacuatione. Balneum grauidis aduersissimum, nisi instante partu, quemadmodum & quæcunque succussio corporis, capitis ablutio, & solis æstus, vnde capitis dolor & tussis. Iam si vel nausea, vel deiecta appetentia, vel vomitio, vel stomachi erosio, vel aliquod aliud graue symptoma grauidis accessit, quæcunque diximus ventriculum firmare, eiúsque intemperiem, expeditissima illi sunt, ac minimè periculosa præsidia. Neque enim fœtum vllâ qualitate labefactant. Cibis boni succi modicè ac sæpiùs offerendis recreari debent. In omni victus & medicamentorum genere diuretica & aperientia improbanda sunt, quibus menstrua mouentur. Sed reliqua obseruatio, ex causis quibus contrahitur abortus, innotescit. Has enim omnes vitare oportet.

Purgantium delectus ad vsum grauidarum.

Balneum, an grauidis vtile sit.

Ventriculum firmantia.

Diuretica & aperientia grauidis cauenda.

CAPVT LXIII.

Abortus causæ & signa.

Abortus, quid, & eius causa externa.

ABortus est immaturi fœtus exclusio. Huius causæ vel externæ & euidentes sunt, vel internæ. In internis notantur timor horrendus, mœstitia siue diuturnus luctus, insolénsque gaudium, aut aliud graue animi pathema, quo fœtus enecatur: tædarum ac lucernæ extinctæ nidor, vel sulfuris ingratus halitus, aut suffimenti venenati occursans vapor, aut aëris inclementia extremo frigore aut calore præcellens, balneum relaxans & emolliens, magnitudo sonitus, & peregrinæ rei obiectus conturbans, casus, attritus, omnísque vehemens corporis concussio ligamenta diuellens, qualis sternutamento, saltu, & immoderatâ exercitatione fit, & petulanti coitu, quo fœtus colliditur, præsertim octauo ac nono mense; Ad hæc, inedia, & tenuior parciórque cibus alimentum subtrahens, maximè si fœtus est grandior: Quemadmodum intempestiua venæ sectio, & immodica quæuis euacuatio tum sanguinis, tum aliorum humorum, siue spontanea, siue arte inducta sit, atque inprimis purgatio,

quæ

quæ malignis instituitur medicamentis, & inferiorum venarum sectio, quod impetu deorsum conuerso menses procedant, & præcipitetur fœtus, non minùs quàm diureticorum vsu. Hæc omnia Hippocrates breuiter complexus est; Si prægnans ægrotauerit, aut onus leuârit, aut percussa fuerit, aut saltârit, aut cibum fastidierit, aut animo linquitur, aut plenius parciúsve nutrimentum, aut acre & amarum quippiam acceperit, aut terretur, aut clamat, fœtum corrumpet. Si vulua plena est vento, si magna, parua, densa; si pituitæ frequens à capite in ventrem destillatio, præsertim comite lentâ febre. Et hæ sunt exteriores causæ. Iam in internis habentur, ex cibi exuperantiâ sanguinis & humorum nata plenitudo, quæ fœtum obruit, aut cum acrimonia iuncta menses renouat: cacochymia ex praua alimentorum qualitate, aut viscerum impuritate profecta sub qua fœtus vitiosè alitur & emarcescit; mucosus humor vterum læuigans, & ipsius os laxans, venarum oscula per quæ fœtus alimentum capessit, obstruens, & vasorum nexum infirmans, quo fœtus continebatur. Sic enim Hippocrates: Quæcunque secundo aut tertio mense abortiunt sine occasione manifesta, iis vteri acetabula plena mucoris sunt; fluor muliebris diu perseuerans, cuius acrimoniâ lacessitus vterus fœtum excutit, aut lentore imbecillior factus eum retinere non potest. Et quando vterus naturâ minor pro fœtus incremento amplificari non potest, ideóque fœtum tertio, quartóve mense excludi necesse est. Denique morbus acutus, & quæuis vteri aut partium principum grauior offensa, fœtum immaturo casu præcipitat. Hoc modo ex immoderata vteri intemperie, inflammatione, vlcere, mola, inflatione, quàm frequentissimè, aut oris amplitudine, verus conceptus ante legitimum tempus excidit: aliàs quidem viuus disruptis vinculis, aliàs mortuus, illis etiamnum cohærentibus. Cùm ergò nullâ causarum vi abortus fiunt, aut totius corporis, aut vteri vitia sunt accusanda Hæc autem propriis indiciis facilè internoscuntur. Iam verò futurum abortum prænunciant euidentes primùm causæ ipsius effectrices, dein mammarum gracilitas sine causa manifesta. Prægnans, inquit Hippocrates, cui mammæ repentè extenuantur, abortit. Sic bene turgentes mammæ, ac solidiores viuidum fœtum arguunt; lac sponte effluens, idque aquosum, imbecilliorem testatur & si fœtus anteà moueri cœperat, tunc aut nullo modo, aut languidè mouetur. Præter hæc, lumbi, inguina, cruráque ingrauescunt, ac dolent, sed præcipuè imum ventrem dolores occupant, neque solum interest quales dies sint, sed etiam quales antè præcesserint. Si austri, pluuiæque hyemem occupârunt, ver autem frigidum & siccum est, fœminæ quidem grauidæ quibus tum adest partus, abortu periclitantur; hæ verò quæ gignunt, imbecillos vixque vitales edunt. Postremò, impendente abortu, sanies quædam sanguísve prodit è locis naturalibus.

Abortus causa interna.

Aph. 45. l. 5.

Signa futuri abortus.

Aph. 37. l. 5. & 52. eiusd.

Cels. c. 1 l. 2. idque iuxta Hipp. aph. 12. l. 3.

Præcautio abortus.

Prognosis.

Crudeliores & periculosiores immaturi, quàm naturalis partûs labo-

res esse solent. Neque tamen præsente abortu, iámque disruptis acetabulis, fœtûs exclusionem præpedire fas est. Quocircà tutius est futurum abortum prospicere & præcauere: Est autem præcautio duplex, vna quæ ipso gestationis tempore abortum inhibet, fœtúmque in vtero confirmat. Altera, quæ ante prægnationem causas eximit, ex quibus fœmina aliàs abortire consueuit.

Præcautio abortus, ante grauiditatem.

Cùm leui ex causa, vel ob vteri imbecillitatem, vel ob lubricum lentorem abortus fiunt, antequàm mulier impleatur, expurgandus est vterus & corroborandus eâ ratione, quam in vterino fluore, corrigendáque sterilitate exposuimus. Quæcunque enim conceptum impediunt, eadem si mitiora fuerint, abortum moliuntur.

Præcautio abortus per ipsã grauiditatem

Iam verò cùm mulier ventrem perfert, si aliqua futuri abortûs suspicio intenditur, non ita tutò exscindi causa possit: vix enim cacochymia purgatione, vel plethora venæ sectione, prægnationis tempore, citra periculum eximi potest. Si quid experiri cogeris, id quemadmodum superiore capite definiuimus, moderandum est. Sic multæ, nisi vena brachij circiter quartum mensem reseretur, abortiunt, fœtus enim copiâ obruitur. Sic etiam de mitiore purgatione statuendum est in cacochymia.

Indicationes.

At instante abortu, nullâ eiusmodi euacuatio tutò institui potest. Itaque primùm prohibendæ sunt euidentes causæ, quæcunque ita immaturum fœtum excludunt: mox corroborandus vterus, & conceptus recreandus & retinendus, partim assumptis, partim admotis;

Vterum corroborantia, & fœtum retinentia.

Quo in genere bistortam, caryoph. coral. nucem mosch. succinum, mastic. ceruinum cornu, plantag. nasturt. torrefactum semen, & alia quàm plurima notauimus. Et in compositis diambram, aromaticum rosat. maius, diamoron, troch. de spodio, de carabe, corallis, rosis, è terra lemnia, & quæ eódem pertinent, tum cordi, tum stomacho apta. Sunt etiam quæ singulari naturâ iuuant, vt cancer fluuiat. contusus datúsque, & coagulum lepusculorum, è prægnantium leporum ventre extractum.

Tabellæ.

℞. Radic. bistort. caryoph. ras. ebor. mastich. an. ʒi. corall. rubr. succini, margarit. electar. sem. nasturt. torref. & plantag. an. ℈ij. confect. arom. ros. maioris ʒiij. sacchar. albiss. aq. rosar. vel plantag. soluti q. s. fiat electar. in tabellis ʒii. aut iij. Detur vna quotidie ex vino manè, aut duplo auctâ illorum quantitate, & adiectâ priapi tauri torrefacti ℥ß. fiat puluis, vtatur cochl. mensurâ. Vel.

Opiata.

℞. Conseru. symphyt. & conseru. rosar. antiq. an. ℥iß. carnis cydon. sacccharo conditor. ℥i. corticis citri sacccharo conditi ℥ß. pulu. diamarg. frig. ʒiß. coral. rubr. ras. eboris & cornu cerui, an. ʒß. trochisc. è spodio, aut è succino, cum syr. myrtino, aut è rosis siccis, conformetur opiata, detur instar castaneæ singulis diebus. Eiusdem naturæ quàmplurima extant ad alba mulierum profluuia, & exuperantem mensium profusionem comparata. In summâ quæcunque stomacho apta vomitiones pituitosas & lienterias sistunt, eadem conceptum in vtero confirmant. Neque aliter iudicandum de iis quæ extrinsecùs admouentur, cuiusmodi nonnulla subiiciam.

Externa.

Externa.

℞. massæ emplastri de mastic. vel contra rupt. ℔ß. bistortæ ʒii. caryophill. rosar. rubrarum, santal. omnium, corall. rubr. an. ʒi. malaxentur cum oleo cydon. vel myrtino, & adiecto tereb. pauxillo, formentur emplastra duo, vnum vmbilico, alterum lumbis admouendum. Vel : *Emplastrum.*

℞. Nucis cupressi ℥i. bistortæ ℥ß. mastic. coriandr. præpar. balaust. acaciæ, hypocist. boli arm. an. ʒiij. rosar. rubrar. caryoph. & sem. plantag. an. ʒii. nucis mosch. & spic. nard. an. ʒi. pice & tereb. excepta reducantur in formam cerati, admisto mastichini olei tantillo : Vel ex ladano, mastiche, styrace ac eodem puluere ceratum componatur: Aut aliud quoduis ex iis quæ menses aut fluxum vterinum sistunt, modò neque scoriâ ferri, neque galbano, neque vehementer frigidis vtare. Vel aliâ formâ. *Ceratum.*

Vnguentum.

℞. Olei myrtini, & mastichin. aut si ex humorum acrimonia, omphacini, an. ℥iß. rasur. eboris, caryophyll. bistort. & rasur. cornu cerui, an. ʒii. coaguli leporis ʒiß. ceræ parum, fiat vnguentum. Quòd si ardor renes exercet, adde cornu cerui ℥ß. Valet etiam id quod vocant comitissæ, lumbis & pectini admotum. Sunt qui cyaneum lapidem, aut magnetem collo appensum, vel vrsinam vngulam eisdem subnixam abortum prohibere & grauidas tutari putent.

Cùm autem vel totius corporis, & interiorum viscerum morbo, vel vteri vitio abortus metuitur; ante conceptum, vteri intemperies vel inflatio aliúdve morbi genus his remediis profligandum, seruato interim partis robore, ne fœtus elabatur. Cæterum vbi fœtus, aut nullo modo aut languidè mouetur, cúmque extinctioni est proximus, ita commodè tum vita exploratur, tum conceptus recreatur. Bubulas carnes carbonibus incoquito, semicoctas caryophyll. nucis mosch. & bistortæ puluere inspergito, eásque calentes ventri super imponito, dum refrigescant, alias mox applicato, ídque sæpiùs factitandum, dum ex motu de vita cognoueris. Cæterum quibus angustior vterus fœtui locum non dat, iis non in ipso conceptu, sed ante hunc emollientibus & relaxantibus balneis, fomentis, linamentis, ita comparari & præparari debet vterus, vt liberè distendi possit. Si quid istiusmodi prægnationis tempore experiundum sit, emollientibus, roborantia quædam permisceri necesse est, vt chamæmelum, & rosas, lilior. & althæ. decocto. *Moribundi in vtero fœtus vt recreandi.* *Angustia vteri abortũ suscitani. vt medendum.*

CAPVT

CAPVT LXIV.

De partu difficili.

Partus naturalis quomodo fiat.

ARdua & admiratione pleniſſima eſt infantis excluſio, etſi multa in tam difficili opere concurrunt. Aptum facilémque partum efficiunt, fœtus maturus & viuidus, dum rectà priore capite deorſum fertur, qui inſtante partu calcitrans membranas abrumpit, & acetabulâ diſſoluit, vnde aquarum copiâ vteri ceruix perfuſa & lubrica exeunti patet. Mulier animoſa & benè conformata, quæ validâ laterum contentione, & contractis abdominis muſculis ad fœtum excludendum accingitur. Vterus compreſſo fundo dehiſcens, fœtúmque natiuo robore protrudens. Neque exiguam opem affert temperata, aut aliquantò humidior ambientis conſtitutio & clementia cœli. Horum ſi quid deſit pariendi difficultas metuenda eſt, maximè primo partu, aut iamdiu exoptato fœtu.

Difficilis partûs cauſæ.
1. Ex parte fœta.

Quocircà difficilis partus accidit aut vitio parentis, aut fœtus, aut ſecundarum, aut rerum externarum. Parturientis quidem ſi parua, craſſa, obæsáque ſit: Si imbecilla & dolorum impatiens, vt puella, atque vel ætate vel morbo fracta, ſi timida & demiſſo animo. Huc accedit vteri & ceruicis anguſtia, aut prægreſſa in locis genitalibus vel inflammatio, vel exulceratio vel cicatrix, vel caruncula, & à vicinarum partium mole compreſſio. A fœtu autem eſt, ſi vel inuſitatæ magnitudinis eſt, vel vaſto capite, vel portentoſus, vel geminus, vel mortuus, vel cùm languidior, neque membranas abrumpit, neque ſe inuertens foràs præcipitat, vel cum alieno ſitu exit, vt cum vel ambos pedes, vel alterum, vel brachia primùm exerit, vel duplicatus, vel obliquus exit. A ſecundis quibus inuoluitur, dum hæ craſſiores diſcerpi, & ab acetabulis auelli non poſſunt, Aut promptiùs abruptæ aquas præproperè refundunt.

2. Ex parte fœtus.

3. Ex parte ſecundinarũ.

4. Ex parte rerum externarum.

Ab externis difficultas oritur frigore immodico denſatis, coarctatíſque viis, vnde fœtus laborioſè exit: æſtus iniuriâ vires exoluuntur, & imbecillæ languent. Cùm ergò harum cauſarum aliqua deprehenſa eſt, difficilem partum metuere oportet. Hunc inſtare declarant hebetiora ac lenta ventris tormina, ſopitíque dolores ex longioribus interuallis recurrentes, aquarum & ſanguinis effuſio multo tempore fœtum præcedens, quorum beneficio faciliùs quaſi per lubricum fœtus exit.

Inſtantis partus difficilis ſigna.

Curatio difficilis partus.

Prognoſis.

Ex difficili partu quamplurimæ perierunt, aut fœtus ipſe extinctus eſt, aut vtriuſque iactura facta, maximè primo partu. Primùm

ergò

ergò summoueri omnes causæ debent, ac timidis addendus animus; imbecillis vires reficiendæ modis omnibus in syncope expositis, modò ne astringant, atque ante pariendi tempus cibis euchymis recreandæ; crebrâ variáque ambulatione corpus exercendum, & blandâ crurum frictione vtendum, præsertim cum ad nonum mensem peruentum est, quo tempore vel etiam coitus iuuat. Cùm autem ex locorum angustiis & fœtus magnitudine difficilior partus metuitur relaxandæ erunt partes inferiores insessione aut fotu emolliente ex decocto liliorum, maluæ, althæ. sem. lini, fœnugr. artemis. beton. melissæ, calament. chamæm. melil. affuso largiter oleo dulci, maximè si aquilonia constitutio est, aut ætate prouectiore ceruix vteri strigosior sicciórque euasit.

Indicationes.

Δυστοκίας ob locorum angustiam remedia.

Ad hæc illitu facto circa lumbos, pubem, inguina, & caudam, ex oleo dulci tepente, ex oleo amygd. dulc. liliorum, chamæm. sesamin. Keirino, aneth. mucag. lini, fœnugr. aut ficuum axungiâ, gallin. aut anatis, anseris, aut butyro recenti ouorum luteis, adiecto croco; & cinnamomo, & iridis puluere. Atque cùm partus instat, aristol. vel vnguento dialthæ, resumptiuo, aut alio thoracis affectibus accommodato, cui leniendi vis insit. Sed meliùs cedet, admistis linimentis granis aliquot moschi.

Nec desunt qui suffitu aromatum, & maximè aliptæ moschatæ, partum iuuant. Hæc nono mense quotidie facienda sunt, donec iam pariendi tempus instet, quo etiam vteri ceruix deliniri potest. Tum excretâ, vrinâ, eductísque vel sponte, vel balano alui fæcibus, parturiens loco tepente contineatur, & crebrâ ambulatione corpus blandè promoueat, neque protinus operi accingatur, aut sellæ insideat. Quæ cùm dolorum insultûs persentiscit, lumbis non ossi caudæ in nixa, & robustis viris sustentata, atque externis adminiculis suffulta, vel lectulo incumbens, sibi ipsi quàm maximè potest, opituletur, atque diductis cruribus, compresso anhelitu, & contractis intentísque abdominis musculis, totis viribus connitetur ad fœtum strenuè excludendũ. Neque inter hæc parturientis vultum intueri par est. At si tam difficili & arduo operi deficit, addatur stimulus. In id modò sternutamenta concitentur; Nam mulieri quæ vterinis molestatur, aut difficulter parit, sternutamentum superueniens bonum; modò recreentur vires haustu vini aromatici, siue Hippocratici; aut iusculo, cui cinnamomi crocique plurimum insit; modò cardiacâ & aperiente potione languor & fœtus excutiatur.

Aph. 35. l. 5.

Ergò laborantibus ex partu hæc dari debent.

℞. Confect. alkerm. vel diamosch. dulcis ℈ij. cinnam. interioris ʒß. puleg. sicci ℈i. syrup. è radicibus, aut vini aromatici ℥i. aq. artemis.

Potio.

artemiſ. & beton. vel citrangul. an.q.ſ. miſce, fiat potio, detur. Vel ſtillaritia cinnamomi aqua propinetur., neque temerè vehementioribus impetere fœtum expedit.

Alia. ℞. Radic. aperient. ℥i. beton. artemiſ. matricar. origan. puleg. praſſ. an. M. i. aniſ. ſem. apii & fœnic. an. ʒij. decoquantur ad ſelibram, & in percolato iure diſſolue ſacchari q. ſ. cinnamom. ʒij. croci ʒß. dentur ℥iij. ex interuallis difficilè parturientibus.

Atque vt breuiter complectar, quæcunque menſes pellere narrauimus, eadem fœtus euocant & ſecundas trahunt; ſed blanda validioribus tutiora, his quippe niſi extrema neceſſitas cogit, vti non licet.

Cùm autem in angusto ſpes eſt, ad trochiſcos è myrrha, & eas compoſitiones vel inuitis veniendum eſt, quæ ariſtol. myrrham, rubiam, dictamn. ſabinam, calaminthem, caſtoreum excipiunt. Denuóque vtendum fotu, cui ariſtol. vel rotundæ vel longæ ℔i. inſit. Cauendum autem ne pannis ſupra modum calidis loci ſiccescant.

Porrò quibus ex fœtus vaſtitate difficilior partus metuitur; iis quarto vel quinto prægnationis menſe, aliquid de conſueto cibo detrahendum, atque ſi videtur parum ſanguinis euacuandum eſt. Iam ſi obeſior fœmina eſt, prona inflexis cruribus lectulo incumbens faciliùs parit. Sic enim propendens abdominis moles vuluam minùs comprimit.

Si ſolidior membrana fœtum retinet, hanc digitis oleo perunctis auellere & leniter perfringere par eſt. Si profuſa iam diu aquarum copiâ loci ſicci manent; exitus lubricus fiet iniecto repente oleo, vel pingui humore ſæpiùs illito. Si quæ ceruici vteri vitia ſunt, antequàm partus inſtet, ſuis remediis ſummouenda. Si fœtus alieno ſitu prodit, decumbente fœminâ conuenientiorem facere decet, & inſertâ manu oleo perunctâ dirigere, partim propellendo, partim adducendo, partim flectendo, partim in rectum agendo. Et ſi quidem manum, pedémve præmiſerit, non extrahere oportet, magis enim affirmatur, vel luxatur, vel etiam abrumpitur, verum digitis humero infantis vel coxæ affixis repellere, & in conuenientem ordinem, id quod exit, reſtituere. Si vel duplicatus vel tranſuerſus, vel pronus fertur ſurſum priùs ipſum ab vteri ore ſublimem blandè impellere, deinde prehenſum rurſus, ad os vuluæ ſenſim in caput erigere. At in gemellis maiore prudentiâ opus eſt.

SECTIO

SECTIO NONA.

De articulorum doloribus.

CAPVT LXV.

De Arthritide.

SVpereſt vt ad extremas partes corporis veniamus,quæ articulis inter ſe conſeruntur. Arthritis articulorum dolor eſt, fluxionis vi ſæpiùs ex interuallis repetens. Is enim non vt in lue venerea medios artus obſidet,neque ita certò nocturnis horis excandeſcit,neque vt ſimplex deſtillatio muſculos,ſed articulos tantùm occupat;iiſque ſolis penitûs inſidet. Eſt autem articulus oſſium per vincula connexio. At ſi dolor coxæ articulum exerceat,iſchias:ſi in manibus,articulorum vitiũ eſt, chiragra;ſi in pedibus,podagra vocari conſueuit: ſi verò alio quouis articulo,nondum impoſito proprio, communi arthritidis, hoc eſt, generis nomine vocatur. Nullus equidem laxior eſt articulus, quem dolor hic inuadere non poſſit, cùm & omnes aliquando comprehenderit. non tamen æqualiter: modò enim cum dolore tumor ineſt,cui ſæpè adiicitur & rubor, & calor, atque pulſatio, venarúmque diſtenſio, quæ in podagris, & chiragris eſſe conſueuerunt;modò ſine his dolor excruciat, qui ſi in coxendice eſt infra deuergens, in crus vniuerſum, tibiámque & talum protenditur, ac motu primo excandeſcit. In humero ſine his quoque. In cubito verò & genu,cum his dolor eſſe ſolet: illic enim & maximè in iſchio, humor altè infixus, ob denſitatem loci deliteſcit, neque tumore vel rubore manifeſto ſe prodit.

Celſ. l.4.c.22.
Arthritis, quid.
Pars affecta.
Arthridis ſigna cõmunia.

Proxima omnis Arthritidis cauſa eſt vitioſus humor,ſæpè quidem pituitoſus aut ſeroſus, vel crudus & frigidus; interdum tamen calidus, ſanguineus aut bilioſus,qui ex quauis corporis ſede in articulos imbecilliores confluxit,& vel copiâ illorum membranas, vincula,aut tendines implens & diſtendens,vel acrimoniâ feriens dolorem infert.Itaque huius Arthritidis eædem, quæ & aliarũ fluxionum cauſæ ſunt:vna vitioſorum humorum redundantia,altera articulorum imbecillitas;quibus ſimul concurrentibus,atque connexis fit Arthritis,ex disiunctis verò minimè. Imbecillitas & ex viarum amplitudine,& tendonum,vinculorum, membranarúmque laxitate ac mollitie,potiſſimũ ſpectatur. Hæc autem vel à prima conformatione,ex imbecillo & vitiato ſemine contracta eſt, à parẽtibus nẽpe arthriticis,neque n. eſt alius magis hæreditarius morb. vel ab externis cauſis,quæ vincula & articulos infirmãt,laxãt, aut cõtundũt,vt ſunt immoderata & intẽpeſtiua venus,balneæ crebriores,vinolẽtia neruis inimica,exercitatio vehementior,ſtatio diuturnior,equitatio frequens, vt & ſaltatio, præſertim mox à cibo;nimius & ineptus hydrargyri

Arthritidis cauſa.
Gal. com. ad aph.28.l.6.
Cauſa imbecillit articulorum.

illitus ex malè curata lue venerea, magna frigoris vis, pedum aliarúmque partium attritus, collisio; atque luxatio. Recrementorum autem prouentum gignunt viscerum praua constitutio, atque etiam capitis imbecillitas ex frigida humidâque eius intemperie; vt ex euidentibus causis crapula, ciborum varietas, ebrietas, in vniuersum vita intemperans, somnus diurnus, otium, intermissa exercitatio, euacuationum, consuetarum, vt mensium & hæmorrhoidum, suppressio; denique omnes causæ cruditatis effectrices, quæ materiam suggerunt, & recrementa cumulant. Hæc autem superiorum causarum vi in articulos, vel rapiuntur, vel impelluntur.

Causæ prouentus impuritatum.

Arthritidis differentiæ.

Arthritidis porrò differentiæ ex humorum quoque differentiis statui solent, vt alia frigida sit, alia calida, quæ aliàs à sanguine, aliàs à bile fit; at multò frequentiùs ex variis & commistis humoribus. Id autem partis affectæ calor, & symptomatum impetus, dolorísque proprietas & rerum externarum vsus, siue remediorum experientia declarabit. Etenim si ex sanguine aut bile vitium est, vtrumque acutum est, & supra consuetudinem intenditur, & subitò vt ex subita causa fit, omnísque vel blandissimo contactu vehementiùs excandescit, maximè verò calidis impositis, at frigidis mitescit, magísque si ex bile est; sed particulatim à sanguine, pars quasi inflammata rubescit, pleniúsque tumet distentis admodum venis, eíque molesta pulsatio inest. Si biliosa fluxio est, ea non adeò stabilis est, & partem acriùs vrit, pungítque alternis diebus ferocior. Verùm neque attollit in tumorem, nec ita distendit, colórque ei inest ex rubro flauescens, qui tactu euanescit, móxque redit. Si verò pituitosus & frigidus humor est, quod sæpiùs accidit, tum dolor sine calore grauis est & obtusus, nisi cùm magnâ copiâ diuellit, ac pars mollis, laxa, pallida, & quasi dissoluta, diúque impotens, sæpéque tumida, nisi cùm humor profundiùs delitescit. Rarò autem melancholicus humor in articulos decumbit, sed neque pituita, nisi vel ipsa tenuis sit & aquosa, vel quadam bilis, serique permistione introducta, incitatáque & prouecta. Flatus verò subitò insiliens, distensionem absque grauitate, calorísque sensu infert, quæ facilè dissipatur, si ex permistis & confusis humoribus dolor est, permista quoque signa erunt.

Signa arthritidis sanguineæ, aut biliosæ.

Signa arthritidis pituitosæ.

Signa arthrit. ex miscella variorum humorum profectæ.

Hæc coniunctam Arthritidis causam distingunt, sed multò euidentiùs laborantis natura, ætas, anteactæ vitæ ratio, ambientis constitutio, & alia quibus humorum dominia discernuntur, ex iis quippe curandi ratio inprimis depromitur. Quamobrem miror hoc loco doctissimum ætatis nostræ virum, leuissimis rationibus impulsum à comprobata tot annorum, authorúmque numero sententia plurimùm desciuisse. Is omnem arthritim frigidam esse, & ex humore pituitoso gigni statuit, quem non ex visceribus aut venis, sed è summo duntaxat capitis vertice in articulos profluere vult, quòd humor ex intimis sedibus per venas non possit in articulos excidere purus. Nos contrà, sinceros humores, & impermistos sæpè è venis foràs per varia morborum genera subter cutem

Fernelij opinio de causa arthrit. reiicitur.

erumpere

erumpere videmus,vt in herpete, in ictero, tametsi priùs sanguini erant permisti & maximè confusi. Sed & pus ipsum è sublimioribus sedibus per multiplices venarum ductus sincerum modò in aluum,modò in vrinas sine sanguine ferri & expurgari fatetur, vel ipso rerum euentu coactus,naturæ inquam sese deonerantis conatu, cuius vi quod noxium est & infensum extruditur, & à reliquis secernitur, vt in crisibus & aliis naturæ operibus quotidie cernimus. Sed ex arthritidis defluxione non ea fit humorum secretio. Quid tum postea? quid inde absurdi est? An non id experientiâ per infinitos arthriticos comprobatum est,in quibus plerumque ante doloris impetum,aut eodem momento parti rubor,calor,venarum tumor & distensio inest,vt proinde non doloris vi hæc accersita esse, sed ab eadem causa & dolorem, & hæc omnia processisse videantur? sed obiicit, cur in articulo cum humore collectus sanguis phlegmonen non excitat? si phlegmone tumor est calidus cum rubore, dolore,distensione,& pulsatione,quis illam in arthritide aliquando esse neget? sæpiùs tamen resoluitur,aut obdurescit, rariúsque suppurat, languidior enim articulis calor est. Aliàs mutatione factâ,decliuiorem articulum adoritur. Quinimò interdum caro ibi p.n. increscere visa est, certum affluentis sanguinis testimonium. Quanquam autem cruditas in cachexia, è visceribus in pedes decumbat dum intumescant, podagram tamen non efficit,quòd fortè vel articulorum imbecillitas non concurrat aut humor non satis altè insiliens articulorum membranas minimè distendat,nec illorum vinculis sit impactus. Ita quippe in arthritide tumor apparens,bonum, modò ne id copiâ materiæ fiat, sed potiùs mutatione,foràs enim profertur morbus. Sic argumenta fregimus.

Fernel. opinio,de fluxionis scaturigine in arthritide,expenditur ac refellitur.

Nunc opinionem nouam expendamus. Hæc dum quadam veri similitudine omnis arthritidis fomitem,& fluxionis scaturiginem in externa capitis parte constituit, omnes ipsius differentias tollit, & curationem obscuram. Non enim à capite sanguis, aut bilis, aut alius humor cum sanguine decumbit,qui tamen primo quouis impetu,ac per se dolorem in articulis mouere potest. Et quî possit à summo capitis vertice frigidus humor,quantumuis tenuis,celeriter sub cute in extremum pedis articulum sine sensu defluere? Atqui sæpè ac celeriter podagram impetere notauimus quam nullus aut capitis, aut intermediarum partium dolor præcesserat. Non ergò semper illinc mali origo est. Quin etiam sæpissimè frigido humore à capite influente subiectas & extimas partes irrigari constat, nullo arthritidis euentu, sed interim manifesto rigoris aut frigoris sensu. An quia articulorum imbecillitas non adsit? ergò perperam à cachexia ductum fuerat argumentum. Sed nescio quàm facilis & expedita sub cute, (quæ subiectæ carni coniunctissima est) via fluenti humori concedatur, (non enim per musculos ferri vult) per quam à summo capitis vertice ad extremum pedem repentè possit decurrere: non enim venæ aut arteriæ, non meatûs alij, aut spiracula illinc recto aditu, neque circumflexo in pedis articulos diriguntur, per quæ huius

humoris expedita fieri inuectio possit. Quinimò vix aut difficilè potest illinc humor in scapulas aut lumbos vsquam ferri. Sed esto demus hoc aliquando fieri, non protinùs id perpetuum & vnicum fluxionis iter statuendum erat, quod rarum atque difficile in morbo frequentissimo est. At verò ab internis partibus expeditior & amplior via est ad extimas, quò natura sæpè solet onus quoduis deponere. Sic febres continuas in articulorum dolores solui & desinere videmus, materiâ è venis maioribus, non è capitis vertice in articulos translatâ & excussâ. Sic colicum dolorem arthritide superueniente finiri, desinente verò reuerti, obseruauit Hippocrates. Sic & diarrhœam intempestiuè suppressam interdum hoc vitium attulisse constat. Sic calculos magnâ ex parte arthriticos fieri, & hos sæpiùs calculosos effici, ac sæpè malo altero cessante, aliud sæuire, longâ experientiâ comprobatum est, proüt scilicet humor in renes, aut in pedes procumbit. Sic diuturno crurum vlcere sanato arthritis subit, quemadmodum & hæmorrhoidibus aut mensibus suppressis. Sic arthriticis vrinæ præter consuetudinem tenues, accessionem minantur, & rursus crassescentes solutionem promittunt, diúque dein crassiores emissæ doloris impetum retardant. Sic parcior vrina & sudor consuetæ arthritidis metum incutit. Sic & frequens ventriculi cruditas siue ab esculentorum potulentorúmque vitio, siue à destillatione pituitæ è cerebro suscepta, aut aliis quibusdam ex causis, vt vigiliis, curis, mœroribus orta, sæpe arthritidem inducit, quoties aut iactata, aut aperientiũ, vt vini præpotentis vsu vehementiùs impulsa atque præcipitata in articulos sensim penetrat, vtique si tum quoque horum imbecillitas adest. Quamobrem vel à plenitudine & venarum redundantia, vel à partium excrementis defluxiones fiunt in articulos, modò lentæ, modò præcipites. Quandoque etiam peculiari articulorum vitio & imbecillitate in ipsis frigidi lentique humoris congestio fit, quæ vel leuissimâ defluxione accedente, & coniunctâ dolorem infert. Ex quo nonnulli arthritidem modò à defluxione, modò congestione fieri pronunciârunt.

l. 6. Epid. s. 4. text. 3.

Arthritidi interdum cõgestio accedit.

Cæterùm dolor arthriticus in vno primùm articulo, dein verò in aliis quibusdam sentire solet, clanculum sparso in varias sedes humore; qui in solis articulis coarctatus distensionem infert. Aliquando magnâ causarũ vi, repentè malũ in omnes aut plurimos corporis articulos irruit, & crudeliter distorquet, idque arthritim simpliciter nominârunt. Quibus fluxione frequenti viæ patefactæ sunt, ij quauis ex causa, vt irâ & coïtu, arthritide rursum tentantur. Impactus humor cũ non totus discutitur, maximè si pituitosus est, reliquiæ membranis inhærentes diuturnitate sensim crassescũt, & tenuiori portione dissipatâ magis siccescũt, dũ in mucosam pituitã, qualis sæpe casei formâ eruitur, indéque in gypseã cogantur. Cũque multis defluxionibus ita redeũtibus ex vnaquaq; humoris impacti quidpiã indiscussũ in articulo remanet, vel medentiũ errore, vel partis vitio, nonnihilq; gypseæ pituitæ relinquitur, id tandem coagmẽtatione assiduâ in tophũ siue callũ cõcrescit, ex quo nodosã dixere podagrã, eáq; prorsus

Prognostica.

Podagra nodosa vnde fiat.

prorsus immedicabilem, quâ magis ingrauescente articuli dissiliunt, & magnâ deformitate contrahuntur: Sed interim partes atrophiâ contabescunt. Arthritis rarò vel castratos, vel pueros ante fœminæ coitum, vel mulieres nisi quibus menstrua suppressa sunt; sæpè verò senes & conualescentes tentat ob cruditatem. Inuadit autem maximè vere & autumno, víxque ante quadragesimum diem finitur, vtique si ex pituitâ est. Ac nonnullos in hydropem, quosdam in asthma sine vlla spe salutis præcipitat, nisi subinde reuertatur.

Aph. 28. 29. & 30. l. 6. & inde Cels. l. 4. cap. 24.

Aph 55. & 49. l. 6.

Curatio.

Quoniam morbum hunc defluxio parit, summouenda inprimis est humorum aut redundantia, aut impuritas, ipsáque defluxio modis omnibus intercipienda, dein articulis affectis & imbecillioribus succurrendum, nisi doloris vehementia, hunc ipsum primùm lenire cogat. Vbi ergò dolores in articulis sentiri cœperint, si cum ardore sunt, ac plethora subest, sanguis è directo mittendus est. Id enim inter initia statim factum, sæpè annuam, nonnunquam perpetuam valetudinem præstat. Si verò citra inflammationem sunt, vitiosorum humorum redundantia purgatione est eximenda. Purgatio autem, quemadmodum venæsectio, vel præsente arthritide, vel imminente, præcautionis causâ instituitur. Verùm cùm dolor adest, purgatio mitioribus decernenda medicamentis, & iis quæ citra magnam exagitationem purgant, impresso astrictionis vestigio; cùm verò malum ex corporis dispositione metuitur, vehementioribus vti licet. Cùm enim dolor conquiescit, & collectæ vires meliùs constant, tunc euacuationum impetûs, faciliùs, tutiúsque perferri possunt. At non leui errore fluxionem auget, & irruenti causæ motum vehementiorem affert, quisquis fluxione præsente catharticis corpus perturbat, & humores exagitat, quorum motum sæpiùs sedare conuenit. Ex quo neque diureticis vtendum, nisi fortè purgato ac perpurgato corpore, ne humores in articulos tenuitate, & permeandi impetu præcipitent.

Indicationes.

Cels. loc. cit.

Venæsectio.

Purgatio, quando, & qualis adhibenda.

Diureticorum vsus suspectus.

Ergò si calida arthritis est, sanguinis & humorum impetum, & feruorem temperare ac frænare oportet, iisdem quibus & capitis & iecinoris ardores mitigari, & inflammationes reprimi diximus. Hinc quippe sanguinis & bilis calidioris est origo.

Calida arthritis quomodo curãda.

Ideóque in hac causa iecinori quàm maximè prospiciendum & assumptis, & admotis: sed adiicienda illis sunt nihilominùs quædam arthritica, vt acorus vulgaris, & chamæpitys, quæ articulorum imbecillitati particulatim & propriè destinantur; ob quam neque aceto, neque ex eo acidis syrupis vtendum est. Duæ enim mali causæ sunt, humorum defluxio, & articulorum imbecillitas, in quas coniunctim remediorum omnium vires semper dirigi debent. Itaque sectâ iam venâ, (si quidem licet, ac ferè licet, nisi ex sinçerâ bile sit, aut

vetustior dolor est) præmissóque clystere, purgandum protinus syrupo ros. laxante, atque etiam rhéi & myrobal. citrinarum diluto, ex decocto tamarindorum, myxariorum, prunorum, & flor. nymph. Hinc temperanda humorum acrimonia, vel tenuitas syrupo è rosis siccis, granator. oxalid. & è succo endiu. adiecto etiam melle rosato, maximè si quid inest pituitæ, aut decocto plantag. acori vulgaris, oxalid. endiu. cichor. bugl. beton. iuæ arthritic. aut primul. veris, rosar. & flor. stœchad. Ab his si videtur, rhéi & myrobal. potio resumenda, cui electar. de succo rosarum additum sit ad ℥iß. neque tum ad vehementiora transeundum.

Postea verò aut opiatis, aut conditis, aut electariis refrigerantibus, incrassantibus, & astringentibus reliquiæ humorum coërcendæ ac moderandæ sunt, simulque vnguentis & epithematis hepar temperandum. Et in victu eadem ratio seruanda. Sed interdum ardoris dolorísque vis, aut theriacam recentem, aut Philonium, aut syrup. è papau. cogit dare.

Arthritidis frigidæ ac pituitosæ curatio. Cæterum si frigidus & pituitosus humor arthritim facit, quoniam sæpiùs cruditatis vitiique huius origo è ventriculo ducitur, stomachi cura habenda erit, per eadem quæ eius partis imbecillitatem & cruditatem emendant, cum eo tamen vt aromaticis acrioribus, nimiúmque attenuantibus, & oxymelite abstineamus. Cætera prorsus æqualia. Atque si ventriculi cruditas ex destillatione à cerebro proficiscitur, aut alioqui prima mali labes illinc profertur, (quod ex capitis grauitate ac destillationis signis innotescet) iam tum non alia sumenda erunt remedia, quàm quæ in paralysi & catharrho frigido præscripsimus, vtendúmque errhinis, apophlegm. suffitibus, & aliis omnibus ad sistendam destillationem idoneis.

Remedia topica arthritidis. Cels. loc. cit. Per hæc igitur antecedente materiâ iam sublatâ, aut saltem imminutâ, mox parti affectæ topicis auxiliandum, quæ pro arthritidis specie, ac fluxionis tempore varia decernenda sunt. Vbi enim dolor vrget, interest an cum calore is sit, an sine calore, an tumor iam etiam obcalluerit, ex quo remedia distincta sunt. Horum enim alia statim initio ardorem, si quis sit, extinguunt, & fluxionem inhibent; alia dolorem qui citra inflammationem fuerit, mitigant; alia dolore sedato, impactam materiam attenuant, digerunt & discutiunt: mitiùs quidem, si calida, validiùs verò si frigida & pituitosa illa sunt, ne ibi derelicta, sensim concrescant in tophum, quem demùm emollire sit necesse, antequàm dissipari queat.

Topica in calida arthrit. vsurpanda, per mali initia. Quamobrem cùm calida fluxio est, hanc per initia refrigerantibus extinguere, ac mediocriter repellentibus coërcere oportet, non autem maiore vi humores in partem inflammatam altiùs impingere, quorum dein longior, atque difficilior sit futura resolutio. Pars enim compacta est, & naturâ frigida. Quamobrem si calor inest, refrænando, conueniunt mucilago psyllij & cydonior. oleum rosac. violac. myrtheum, omphacinum præstantissimum, aqua rosar. sereos, lentic. palustr. plantag.

plantag. ſolan. portul. aizoï, aut earum ſucci, quibus aceti tantillum ſit admiſtum, præſertim vbi articulus profundior eſt, & vt in humero, carne circundatus: túncque oxyrhodino vti nihil prohibet, vel oxycrato, cui ſalis paulum inſit: rectéque cùm maior eſt ardor, in aqua frigidiſſima articuli continentur; ſed neque quotidie, neque diu id faciendum, ne nerui lædantur. Quinetiam huic rei vtilia ſunt albumina ouorum, ſuccis & oleis miſta, item lac muliebre; quibus humor altè demerſus eſt, caphura rectè adiicitur; malè bolus armena, aut terra ſigillata, quæ quia nimium emplaſtica ſunt, infarctis cutis ſpiraculis, humorem altiùs impingunt, vt dein facilè diſſipari non poſſit.

Celſ. loc. cit.

Itaque ſupra articulos admouenda non ſunt, ſed tantùm locis paulò ſuperioribus, quibus etiam vehementer aſtringentia tutò imponuntur, vt obſerentur itinera per quæ fertur humor in articulum, hoc modo.

℞ Aq. plantagin. & roſar. ana ℥iij. aq. abſinth. ℥iß. aq. extinctionis ferri ℥viij. decoque in his ſantal. alb. & rubri, ana ℥ij. roſar. rubrar. ℥i. ſumach. ℥ß. fiat epithema admouendum vt dixi. Iiſdem locis bolus armen. aceto & roſaceo miſtus, cum roſa trita, & oui albumine, vtiliter imponitur.

Epithema ſtypticum vicinis articulo locis admouendum.

Supra articulum autem minùs aſtringentia ſunt imponenda, quæ ardorem temperent.

Epithema.

℞. Aq. ſolan. plantagin. & roſar. ana ℥iiij. aceti ℥i. (aut carnoſo corpore, ac parte, ℥iß.) miſce, fiat epithema ex linteolis madefactis identidem articulis admouendum, hyeme calidè, æſtate frigidè. Idem præſtat decoctum ſalicis, ſemperuiui, plantag. adiecto aceto. Atque vbi quod ex eo impoſitum eſt, incaluit, renouandum.

Aliud ipſimet articulo imponẽdum.

Celſ. ibid.

Quinetiam per multa & varia remedia euagari licet, neque eiſdem immorandum, ſi nullum ex eis ſolatium æger perceperit; quòd plerumque remedium vni non alteri conferat, & vni non alteri articulo, & eidem modò opem, modò irritamentum afferat.

Paul. lib. 3. c. 78.

Quapropter id ſedulò vſurpandum, quod experientiâ vtiliſſimum fuerit comprobatum.

Linimentum.

℞. Olei roſ. omphac. & lentiſc. ana parem modum, miſce: Illinantur articuli & partes iis ſuperiores, fluxione inſtante, & incipiente.

Vnguentum.

℞. Vnguenti roſac. deſcript. Meſuei recenter compoſ. ℥iij. olei roſat.

 ℥ij.

℥ij. aceti ℥ß. miſce: vngantur articuli dolore affecti, ſi dolor & ardor vehementer excruciat.

Aut.

℞. Mucag. ſemin. pſyll. aut cydon cum aceto (vel ſi extenuatus æger eſt, cum aqua roſar. & ſolan. depromptæ) ℥iß. olei roſat. omphac. ℥iij. raſur. cucurbit. recentis, aut peponis, aut carnis cucumeris ℥i. vel illius loco, olei de ſemine cucurbit. & ſucci ſemperuiui, aut endiu. aut portul. aut ſalicis, aut ſucci arundinis recentis, ana ℥iß. miſce. Quibus ſi maior eſt dolor, opij ℈i. croci ℈ß. permiſceatur. Deinde verò vbi ter impoſitum fuerit, opio detracto, croci modus augeatur. Aut foueatur pars muliebri lacte, in quo ſemin. papau. albi parum coxerit. Vel:

Cataplaſma. ℞. Fol. hyoſcyam. recent. M. i. inuoluta ſtuppis cannabinis decoquantur ſub calidis cineribus dum contabeſcant, dein contundantur, & cum axungia gallinæ aquâ roſar. aut violar. elotâ miſceantur, affuſóque pauco oleo è ſemine cucurbit. reducantur in formam cataplaſmatis. Eadem folia recentia per ſe, aut cum polenta hordeacea imponuntur; aut ſola in lacte bubulo coquuntur, & cataplaſmatis formâ vtiliter adhibentur; aut ſuper alia medicamenta adduntur, ad acres articulorum fluxiones. Vel papauer. albi & cortices, & ſemina in vino coquenda, miſcendáque ſunt cum cerato, quod ex roſaceo & myrteo factum ſit. Vel ſi dolor ardórque vehementiùs excruciat.

Celſ loc. cit.

Litus narcoticus. ℞. Vnguenti popul. ℥iiij. opij Thebaic. ℈i. miſce, illinatur pars. Aut ſi illud nimium eſt:

Celſ. ibid. ℞. Vnguenti roſac. & popul. ana ℥ij. ſic aliàs pari, aliàs impari portione inter ſe miſceantur. Quòd ſi nihil æger ſuperimponi patitur, atque etiam vnguentum grauat partem, admiſto roſaceo aut oleo violato, aut è nymphæa, aut è papauer. id magis colliqueſcat, dum blandè pennâ ſuperillini poſſit. Sed his narcoticis vti, niſi nimia neceſſitas cogit, non oportet. Neque tamen in iis ipſis quæ articulorum vires eneruant, diu permanendum, ſed ad ea tranſeundum, quæ ſic dolorem vellunt, vt paulatim diſcutiant, parte minimè oblæſâ, quale hoc eſt quod dolores à quacunque cauſa ortos lenit, & arthritidi ex pituita & bile miſtis præcipuè accommodatur.

Narcoticis non temerè vtendum.

Cataplaſma anodynum. ℞. Medullæ panis albiſſimi ℔. i. decoquantur leuiter in lib. iß. lactis caprini, deinde ſimul pinſantur, addendo olei roſ. ℥iij. vitellos ouorum num. ij. croci ʒß. fiat cataplaſma, cui cùm ardor perſeuerat, ſemin. papauer. aut iuſquiam. aut eiuſdem ſuccum, aut opij gran. vi. adiicito. Hoc idem cataplaſmate ex farina hordei, vel fabar. cum vitellis ouor. commiſtâ, & roſaceo, vel chamæmelino præſtabitur, adiectâ etiam ſapâ. Aut eo quod ex virentibus maluis, tunſiſque, & pſyllij, aut lini mucagine fit, admiſtis ouorum luteis, cum oleo chamæmel. aut per

Aliud.

Aliud.

perſeuerante defluxione, roſaceo: Aut eo quod braſſicâ coctâ & contuſa, aceti fæce recenti, binis ouorum luteis, & roſaceo conſtat.

Paul. loc. ſuprà cit.

Aliud.

℞. Ramentorum rapæ, & cucurbit. ana p. i. fol. braſſic. & althæ. ana M. ß. coquantur, & benè terantur: Dein adde axungiæ porci recentis ℥ij. ol. chamæmel. & roſac. ana ℥iß. farin. fœnugr. quantum ſatis, ad cataplaſma.

Cùm autem defluxionis impetus iam reſedit, dolore & inflammatione iam remiſsâ, impactum humorem diſcutere, & reliquias diſſipare oportet. Itaque partem fouere conuenit, aut furfuris decocto, aut ſequente.

Topica vſurpanda in declinatione doloris & inflammationis.

℞. Saluiæ, beton. primul. veris, iuæ arthetieæ, origan. abſinth. ana M. i. ſemin. fœnugr. ℥i. flol. chamæmel. melilot. ſtœchad. roriſmar. & roſar. ana p. i. decoquantur in vino aſpero, & eo ipſo, aut potiùs inde emergente vapore partes foueantur, quas veſtimentis curioſiùs tegere oportet, ac paulatim deinde iuxta labrum ex eodem decocto leuiter infundere, ne calor intùs deſtituat: Mox verò olea digerentia imponere, à mitioribus ad vehementiora facto progreſſu. Vt:

Fotus. Celſ. ibid.

℞. Olei camomill. & lilior. aut lumbric. ana ℥iij. vngantur partes pacato dolore, adiectâ ſi videtur ℥iß. roſacei.

Litus.

℞. Olei irini, & kerini, ana ℥iiij. miſce.

Alius.

℞. Olei vulpini, aut olei in quo ranæ perfectè coxerint ℥iiij. olei è terebinth. ℥ij. miſce, addendo vnctionis tempore aquæ vitæ parum. Conuenit etiam acetum cum ſulphure miſtum; atque ad tophos impediendos lupinorum farina cum oxymelite vel poſcâ. Si ne iis planè humoris reliquiæ diſſipentur, ad ea veniendum quæ frigidis auxiliari mox dicam. Hoc enim commune eſt omnibus morbis etiam calidis, vt humorum reliquiæ calfacientibus & ſiccantibus exhauriendæ ſint & abſumendæ.

Alius.

Paul. loc. ſuprà cit.

Cùm ergò arthritis frigida eſt, dolórque citra inflammationem articulos impetit, non narcoticis vti, non topicis fluxionem repellere, ſed anodynis dolorem compeſcere, atque leniter humoris quippiam conuenit reſoluere; frigidus enim humor eſt, & pars compacta, atque frigida, è qua non facilè is remeare poſſit, maximè ſi conſuetudo eius doloris facta eſt. Itaque initio vtiliora ſunt quæ blando calore dolorem mitigant, & intenſionem remittunt, neque tamen attrahunt, aut fluxionem concitant, quale hoc eſt.

Topica arthritidi frigida idonea, per morbi initia.

Celſ. ibid.

℞. Olei roſat. ℔. ß. ol. chamæmel. ℥iij. ſucci radic. ebuli, & betæ, aut ſylueſtris atriplicis, an. ℥iß. vermium terreſtrium diſſectorum ℔ß. coquantur omnia ad ſuccorum conſumptionem: in colat. diſſolue ceræ ℥iiij. fiat vnguentum.

Vnguentum.

Interim verò locis circunſtantibus quà fertur humor, aptè imponetur

Admouenda vicinis affecto articulo partibus.

tur oleum omphac. cui salis triti, aut aluminis paululum sit admistum; quod etiã fluxionis impetu, vtique si humor tenuis est, vt initio ferè est, supra arthritidẽ imponi potest. Idem præstat supra partem, quod sequitur.

Cataplasma articulo dolenti imponendum.

℞. Micæ panis in decoctione absinth. saluiæ, chamæm. melil. & rosar. maceratæ ℔. i. deinde contundatur, addendo mucag. fœnugr. extracto cum aq. rosar. ℥iß. medullæ cassiæ recenter extractæ ℥i. vitellos ouorum recentium, num. iij. olei rosat. maturi, & camomil. ana ℥iij. croci ʒiß. fiat cataplasma, quo vtendum vsque dum dolor paululum se remittat.

Aliud.

Ac tum ex panis mica in vino, aut lacte, & sapa cocta contusáque, cum axungiæ porci recentis ℥ij. puluer. hermodactyll. ℥i. flor. melilot. & chamæm. an. ʒiß. ouorum lutea duo permisceantur, cum croci ʒi. & cum oleo rosat. aut chamæmel. fiat cataplasma.

Aliud.

Aut ex farina fœnugr. cum oleo ros. & chamæmel. & vitellis ouorum, adiecto quoque melle pauco. In id quoque illitus conueniet.

Litus.

℞. Mucag. semin. althæ. lini, fœnugr. extractæ cum decocto florum camomil. ℥ii. ol. Keirini & chamæmel. ana ℥iß. axungiæ gallin. ℥i. croci ʒi. ceræ parum. Adde posteà cineris è radicibus caulium ℥ß. fiat litus.

Catapl.

Si dolor nihilominùs perseuerat, stercus bubulum, oleo chamæmel. & vulpino subactum, adiectâ fœnugr. mucagine cum pauco melle, vtiliter imponitur; & subsecutis diebus huic cinis radicis caulium permisceatur; aut nutritum ex oui luteis, & rosaceo, aut chamæmel. cum croco. Iuuat etiam ad dolorem rubentis brassicæ folia calidè parti imponere; aut iulis, siue panniculis ex auellana arbore deciduis, & in vino coctis partem fouere. Similiter caprillus fimus per se, vel cum hordeacea farina coctus in posca.

Paul. loc. suprà cit.

Quinetiam cinis ramorum ficus cum vitello oui, pauco aceto, croco & cerâ; aut cinis brassicæ totius cum axungia inductus: sed hæc sedandis doloribus recens adhibenda, discutiendo autem humori vetus, & salsa potiùs auxiliatur.

Paul. ibid.

Topica in declinatione frigida arthritidis vsurpanda.

Iam verò dolore remisso, impactæ humorum reliquiæ attenuantibus & rarefacientibus sensim discutiendæ erunt, ac foràs euocandæ, adhibitâ interim obseruatione, ne calore nimio quod tenue est præproperè resoluatur, & crassum obdurescat, atque in tophum abeat. Ergò dolorum & humorum reliquias discutiunt seruato articulorum robore, Iua arthritica, primula veris, chamædr. beton. saluia, puleg. calament, origan. scord. sampsuc. laurus, ruta, sabina, ebulus, sambuci tenerrima folia, cucumer asininus, radix asphodel. enulæ, bryon. narciss. aristol. gentian. ari, & cyclam. chamæmelum, melilot. leucoium, stœchas, rosmar. hyperic. centaur. minus, hermodact. castoreum, myrrha, crocum, caryoph. raporum decoctum fomentis additum; & quæcunque alia membris resolutis auxiliari diximus, vt oleum camomil. mastic. lumbricor. vulpinum, è vitellis ouorum, irinum, laurinum, rutaceum, maximè si flatulentus dolor est; è terebinth. è cucum. asinino, castoreo. petroleum, aqua vitæ, & alia quæ discutientem facultatem nacta sunt. Hîc tamen ob-

seruatio

ſeruatio neceſſaria, vt ſi craſſior eſt humor, digerentibus mollientia miſceantur; ſi verò tenuis & aquoſus, ſolis diſcutientibus, & exſiccantibus vtamur.

♃. Radic.galang.craſſ. acori vulg. & ebuli, ana ℔. i. rad. liliorum & althæ. ana ℔. ß. rad. enul.campan. narciſſi, & aſphodelor. an.quart.i. aut ſi tophus aliquis emolliendus, radic. cucumeris agreſt. & bryon.an. parem modum, beton. meliſſæ, ſaluiæ, ſampſuc.iuæ arteticæ, primulæ ver. chamædr. orig. calament. puleg. abſinth. fol. lauri, ſummit. ebuli, matricar.ana M.iij. thymi M.ij. ſemin. fœnugr. ℥iij. flor.camomil.melil. ſtœchad.roriſm.& hyperic.ana p.iiij.roſ.rubrar.p.ij. fiat decoctio in duabus partibus aquæ & vnâ vini aſtringentis, in quam coniiciantur candentes lapides, ſic vt æger ſolio inſidens eo vapore inſudet, aut partes affectæ; vel hæ ſolæ foueantur ſpongiâ in decocto imbuta, quæ dein illinantur prædictis oleis,aut eo quod mox ſubiiciam,ad articulorum dolores tum mitigandos, tum diſcutiendos, tum arcendos efficaciſſimum, & à me compoſitum, ac ſæpiùs feliciſſimè comprobatum.

Decoctum pro ſtupha, aut etiam pro fotu.

♃. Iuæ arteticæ, betonic. ſalu. ſiccarum, ana M. ij. abſinth. ſicci, rutæ ſiccæ, origan. calament. puleg. primul.veris, ſampſuch. ana M. i. ſummit. lauri, & ſummit. ebuli, ana M. ß. flor. ſtœchad.roriſmar. ſaluiæ, & camomil. ana p. i. roſar. rubrar. p. ij. fiat decoctio in oleo roſac. omphacino, cui vini generoſi parum additum ſit, lento igne, vitreato vaſe & cooperto, addendo ſub finem ſalis & aluminis, an. ʒiij.caryoph. ʒiß. colatura facta ſeruetur vſui in perpolito vaſe exactè obturato. Si neque hoc ſatisfaciat, vtendum acopis illis, quibus reſoluta membra curari diximus. Vt:

Aliud decoctum vſu comprobatum.

♃. Vnguenti aregon. & marciati, ana ℔. ß. puluer. lumbricor. ℥iß. olei vulpini ℥iij. axungiæ taxi, vel vrſi, vel humanæ, vel medullæ cerui ℥iij. gummi hederæ, vtriuſque ſtyracis, myrrhæ, aloës, an. ʒij.ſpicæ nardi,& croci, an.ʒiß.tereb.℥iß.miſceantur in modum vnguenti. Vel:

Vnguentum.

♃. Olei cucumer. agreſt. ℥iiij. olei è terebinth. & camomill. ana ℥ij. medullæ cruris vituli, aut cerui ℥iij. galbani (ſi materia obdureſcat) ℥ß. iuæ arthritic. ℥iij. caſtor. ʒij. ceræ parum, fiat vnguentum. Vel:

♃. Olei lumbric. & roſat. ana lib. ß. emplaſtri filij zachar. ℥iiij. thuris, maſtic. & puluer. hermodact. ana ℥ß. reſinæ pini ℥ij. miſce. Sunt qui ad reliquias ſudore, aut vapore diſcutiendas, cæparum ſucco articulum illinant, mox nigri piperis puluerem reſpergant, indéque ſpongiam cumini decocto imbutam ſuperimponant. Valet etiam ſulphur, & nitrum, aut ſal cum aceto, cuius calido fotu altè inſitus humor diſcutitur: eóque nomine aquarum naturalium vires experiri conuenit.

Vitriol.& ſal.

Simili modo vrina iuuat in qua ſal coxerit, & maximè vrina mulæ, quâ vel ſolâ fouere partem commodum eſt. Atque ſi humor aquo-

Vrina mulæ.

ſus eſt, fomenta ſicca ex ſale torrefacto iuuant. Ad hæc maſtiche cum cymino, pulegio, ſaluia, lauri baccis, quæ omnia melle excipiantur, & imponantur.

Hoc idem præſtari poteſt lixiuio ex aqua marina, in quo ſaluia, chamæpit. ſtœchas, roriſmarin. & ſimil. coxerint. Quinetiam incluſam materiam antequàm obdureſcat, digerunt emplaſtrum diuinum, ceroneum, oxycroceum, filij Zachariæ, quæ hoc modo permiſcentur.

℞. Maſſæ emplaſtri ceronei, diuini, & oxycrocei, ana ℥iij. ſtercoris vaccæ ℥i. pulu.hermodact. ℥ß. pulu.iridis & ariſtol.rotundæ,an.ʒiij. malaxentur cum oleo lumbricor. fiat emplaſtrum. Vel:

Emplaſt. digerens.

℞. Maſſæ emplaſtri diachylonis communis ℔. i. maſſæ emplaſtri filij Zachariæ ℥iiij. hermodact. puluer.iridis, pulùer. lumbric.& ariſtol. rot. ana ℥ß. flor. camomill. & agaric. ana ʒiij. malax. cum oleo vulpino, aut terebinth. fiat magdaleon, cuius portio alutæ inducta imponatur ſuper articulos, dum humor ſit diſcuſſus. Poſtea verò commodè articulos firmat, & futuros dolores inhibet emplaſtrum diachalciteos duplicatâ chalcitide, quod eo nomine diu ſeruandum, vt partem, eiúſque ambitum minuat.

Emplaſt. diachalciteos.

Tophi priùs emolliendi, quàm digerendi.

Quòd ſi iam nodoſa podagra eſt, tumoréſque occalluerint, eos tophos non priùs digerere oportet, quàm emolliti ſint. Quapropter iiſdem vtendum, quibus ſcirrhos emolliri ſæpè diximus; & quadam viciſſitudine nunc iis, nunc digerentibus.

Fotus humidus.

℞. Radic. lilior. ebuli, & althæ. ana ℔. i. radic. cucumer. agreſt. & bryon. ana ℔. ß. malu. violar. branc. vrſin. ſummit. ebuli, ana M.ij. primulæ veris, & chamæpit. ana M. i. ficuum ping. p. xij. ſemin. lini & althæ. ana ℥iij. flor. violar. p. iiij. flor. camomill. ſambuc. & melilot. ana p. ij. fiat decoctio in iure inteſtinorum & pedum veruecis, addendo ſub finem, olei veteris, aut olei è ſemine lini ℥iiij. foueantur tophi ſerò & manè.

Vnguentũ poſt fotum vſurpandum.

℞. Axungiæ gallin.anatis,& humanæ,ana ℔. ß.axungiæ taxi,vel muris montani ℥iiij. mucag. ſemin. lini, fœnugr. & althæ. ana. ℥iij. butyri recent. aut medullæ cruris vituli, aut cerui ℥iiij. puluer. lumbricorum, & flor. camomill. ana ℥ij. olei lilior. & amygdal. dulc. ana ℔. ß. ceræ parum, fiat vnguentum, quo illinantur poſt fotum. Efficacius euadet adiecto oleo nucis Indicæ. Idem præſtat vnguentum de althæa, aut reſumptiuum, quibus emolliatur. Ceratum quoque ſequens in id efficax eſt.

Ceratum.

℞. Gummi ammoniac. recentis in aq. vitæ liquati, & bdellij, aut eius defectu ſagapeni, aut opoponac. eodem modo diſſoluti, ana ℥ij. œſypi ℥iij. axung. gallin. & anatis, ana ℥iß. vnguenti de althæa ℔. ß. ſtyrac. calamit. aut rubri ℥i. flor. chamæm. melilot. ana ℥i. puluer iridis, & hermodact. ana ʒvi. croci ʒiß. olei lilior. ℥iij. ceræ citrin. & terebinth. an. quantum ſatis, miſce, dum reducantur ad conſiſtentiam cerati; cúmque magis diſcutiendum eſt, pro dialthæa, aut aregon, aut

mar

marciatum imponendum. Cúmque tophus contumacior est, aceti vapore triduo fouendus est, in quo marchasitæ ignitæ, aut lapidis molaris fragmenta restinguuntur; dein admoueatur ceratum præscriptum, adiectis huic casei vetustissimi & acerrimi ℥vi. Etenim ad concretos in articulis tophos propriè facit vetustissimus & acerrimus caseus, cùm in præpingui suillæ carnis salsæ iure maceratus est, & impositus: Nam quod intus coierat, in calculum sæpè ruptâ cute eruitur. Itaque modò attenuantibus & emollientibus, modò digerentibus circulatim, ac sæpè vtendum, donec tumor sit euictus.

Suffitus.

Gal. 10. simpl. c. de caseo.

Præcautio arthritidis.

Quibus articulorum dolor certis temporibus reuertitur, hos antè & curioso victu cauere oportet, ne inutilis materiâ corpori supersit, & crebriore vomitu, & si quis ex corpore metus est, vel purgatione vti, vel etiam venæsectione. Ad hanc tamen non ita prompti esse debemus, quasi per se articulis infensam. Post primum dolorem, etiamsi quieuerit, seruanda arthriticis eadem sunt, quæ stomacho imbecillis, & destillationi obnoxiis: sic enim aliquis securior esse potest. Quidam cùm à vino & venere sibi temperâssent, securitatem totius vitæ consecuti sunt. Ideóque pituitosis & obesioribus, loco vini hydromel, aut quod capit mellis ℔.iß. aquæ fontis ℔ x. anisi ʒiij. aut coriandr. ʒß. parum coquantur, & colo traiiciantur ad tertiæ partis consumptionem. Idem melle anthosato & saluiato redditur vtilius. Biliosis & calidioribus, hydrosaccharum aptissimum est; aut quod habet aquæ fontanæ ℔ vij. sacchari pro arbitrio & gustu laborantis, cinnam. electi, & santal. citrin an. ʒij. leuiter ferueſcant, dein colo Hippocratico traiiciantur. Si vini abstinentia ob imbecillitaté non permittitur, id crassiusculum esse debet, quale aquosum & tortiuum, quod vi exprimitur, appellamus, hyeme aptissimum. Maioré verò curam adhibere debent ij quibus id reuertitur, quod ferè vere & autumno fieri solet. His ergò temporibus, cum iam plenitudo, aliáve causa subesse deprehenditur, anteuertendum & occurrendum est sectione venæ, aut purgatione, si cacochymia subest, & maximè pituitosa: Biliosi enim crebro medicamentorum vsu facilè offenduntur. Atque inprimis, vt dixi, vomitu vtendú, qui ne in inferiores partes cursus fiat, reuulsionis vi vtilissimus est. Purgationis ratio, & cófectiones, & pulueres, sicut in paralysi esse debent. Tutissimè verò incolumitati consulitur, decocto aut ligni guaiacini, si quidem corpus frigidius est & obesius; aut si gracile & calidum, radicis chinæ aut salsæ parill. mensis spatio poto. Per omne verò tempus quo dolor conquiescit, imbecilliores articuli confirmentur, & viæ patefactæ constringantur. Quapropter si frigidæ arthritidis suspicio est, vtilia hæc erunt.

Cels. loc. suprà cit.

Cels. ibid.

Hydromel.

Hydrosaccharum.

Vinum tortiuum.

Cels. loc. cit.

Vomitus.

Decoctum exiccans.

℞. Salis & aluminis quàm tenuissimè tritorum, an. p. ij caryoph. & nucis mosch. ana ℥i. iuæ arteticæ siccæ, & rosar. rubrar. ana ℥ß. in puluerem trita concludantur panno lineo raro, fiant duo sacculi quadrati, quibus vicissim perfricentur articuli quotidie manè.

Fotus siccus articulos roborans.

Aut

Aut foueantur ſpongiâ nouâ, quæ in vinum acerbum demittatur, in quo ſaluia, hedera terreſtris, roſmar. abſinth. beton. ſtœchas, & roſæ decocta ſint, adiectâ etiam aluminis & ſalis portione, atque etiam caryophyll. puluere indito, (vel lixiuio ex cineribus ſarmentorum vitis, & cineribus oſſium humanorum, additâ caſtorei, caryoph. & ſalis q.ſ.) Vel etiam foueantur eo vapore, qui ex iis herbis ſuper calidiſſimum laterem impoſitis, vinóque aſperſis effertur. Sed tunc partem veſtimento tegere oportet, ne calor intùs deſtituat. Si verò cum inflammatione arthritis eſſe conſueuit, fouere oportet vino auſtero, in quo malicorium, rhus, balauſt. gallæ, ſantala, alumen, roſa, ſaluia, flores chamæm. & ſtœchad. coxerint. Qualiſcunque arthritis futura ſit, oleum omphacinum, præſertim intrito ſale, articulis ſæpe illitum, eos confirmat, malíque acceſſionem inhibet, modò ne ſupra modum extenuato corpori & ſqualido membro adhibeatur. Sal enim incidit, tenuat, abſumit, ſiccat, & aſtrictione roborat; oleum verò lenit: & quod omphacinum eſt, mediocriter aſtringit. Si id non eſt, ſal minutim intritus etiam mirificè iuuat.

Suffumigatio. Celſ. ibid.

Oleum omphacinum cum ſale.

Quin etiam ſi quo loco naturales natationes ſunt (vt ſulphureæ, nitroſæ, aut bituminoſæ) iis potiſſimum vtendum eſt, & præſertim in iis agitanda membra, quæ magis dolere conſueuerunt. Quandoquidem bituminis, ſulphuris, nitri, atque ferri incomprehensâ permiſtione admirabiles facultates promunt. Minimè tamen vtiles iis deprehenduntur, qui ſqualidi, extenuatíque ſunt, præſertim æſtiuis ardoribus, accommodæ verò pituitoſis & carnoſis. Sed in iis cautio adhibenda, ne vlla ſubſit in primis venis cruditas. Nonnulli prætereà telam emplaſticam ſubtiliter inuenerunt, quæ parti impoſita articulum roboret, hoc modo.

Thermæ quibus arthriticis adeundæ.

♃. Terebinth. ℔. iß. ceræ nouæ ℔. ß. coquantur ſenſim, ſub finem addendo maſtic. thuris, roſar. baccar. myrti, & iuæ arteticæ, an. ℥iß. Augenda autem calida, & frigida pro arthritidis conditione, & cùm exactè miſta fuerint, immergendum linteum vetuſtate iam attritum, dum vtrinque imbutum ſit ſatis: atque vbi refrixerit partibus imponitur ſupérque corium caninum, coriariorum arte cum gallâ, rhoë, & alumine præparatum accommodatur, aptéque perſtringitur. Hoc enim fluxionem egregiè impedit menſibus ſingulis renouandum. Quamobrem rectè ex caninâ pelle aut caligas, aut chirothecas comparare oportet.

Tela emplaſtica articulos roborans.

Facit etiam ad fluxionem auertendam vlcus aduerſo cruri aut popliti inductum cauſtico medicamento; vt enim fluxio lenta atque diuturna tutiùs è diſtantiſſimis reuellitur, ita & quæ futura eſt arcetur. Cùm dolor non vrget, aut æger conualeſcit, circuncisâ omni negotioſâ cogitatione vel actione, ambulare & modicè exerceri debet, aut ſaltem manu geſtari, & leuiter perfricari. Interdum etiam vbi expurgatum corpus eſt, multâ frictione vti, ſudare, loca, cœlum, non cibos ſæpe

Fonticuli.

Celſ. loc. cit.

ſæpè mutare, atque ſub iis viuendi legibus contineri, dum ex toto conualeſcat. Vindemiarum tempore vuas calcare, aut iam calcatis & calentibus, in labrum pedes cruráque demittere. Semper autem ab aperientibus & diureticis, à ſalſis & acribus, & aceto abſtinere.

Vuarum calcatio, & vinaceorum vſus.

Euchymis vti alimentis, & iis aliquid demere. Arthritidis denique cauſas omnes vitare. Quod ad purgationem, ſequentes pilulæ vtiles valde futuræ ſunt.

Pilulæ catharticæ ad præcautionem.

℞. Rhei electi ʒij. myrob. citrin. agaric. turbith. gummoſi, hermod. an. ʒiß. diagrid. maſtich. caryoph. aut in calidæ arthritidis metu, roſar. an. ʒß. cum ſucco roſar. pallidar. cogantur in maſſam, ex cuius ʒi. formentur pilul. vii. auro coopertæ, pro vnica purgatione. Et deinceps ſingulis xv. diebus ſumat quatuor. Mitiores euadent adiectâ aloës, ʒi. Sed eo purgationis die partes articulis ſuperiores oxyrhodino, aliiſque reprimentibus communiri par eſt.

℞. Sacchari roſat. tabulat. ℥ß. detur ſequenti die.

Tabella.

Laudatur etiam in hanc rem electarium caryocoſtinum, cuius ʒiij. aut ℥ß. vtiliter exhibentur ſingulis xv. diebus.

Elect. caryocoſtinum.

Pilulæ eccoproticæ.

℞. Rhéi ʒij. agaric. trochiſc. myrobal. citrear. vel in pituitoſa, Kebular. ana ʒi. iuæ artetic. ʒß. macis, nucis moſch. caryoph. nardi, an. ℈ß. aloës ſucco roſar. elotæ ad pondus omnium, fiat maſſa, ex cuius ʒi. formentur pilul. ſex, capiat duas bis in hebdomade, horâ vnâ ante cœnam.

Prodeſt quoque caſtoreum ʒi pondere, manè ſumptum, maximè ſi ex frigidâ materiâ arthritis futura eſt, atque etiam tereb. ſæpè deuorata.

Caſtoreum. *Terebinth.*

Pituitoſis hyeme theriaca vtiliter datur, vel enim liberat, vel morbum mitiorem reddit.

Theriaca.

℞, Iuæ arteticæ ſiccæ ℥i. raſur. eboris, raſ. cornu ceru. ana ℥ß. pulu. margarit, ſplendid. aut ſem. hyperic. ʒij. ſacchar. roſ. tabulat. ad duplum pondus omnium, fiat puluis; aut cum ſaccharo aquâ roſ. ſoluto fiat electarium; aut cum conſerua ſtœchad. roriſmarin. & flor. geniſt. vel flor. conſolidæ regiæ, in opiatæ formam redigantur; aut chamæpit. tereb. excepta quotidie menſis curriculo deuoretur; aut iua artetica, ciniſque oſſium humanorum, (quæ affectis

Puluis.

articulis respondeant) cum saccharo, & liquiritia.

CAPVT LXVI. & Vlt.

De Ischiade.

Cels. l. 4. c. 22. *Prognosis.*

COxarum ingens dolor esse consueuit, isque hominem sæpe debilitat, & quosdam non dimittit, eóque id mali genus difficillimè profligatur, quòd ferè post longos morbos noxius humor huc se inclinat, qui altè demersus ob loci densitatem ægrè discuti potest. At nec ischias aliis vniuersalibus remediis, quàm arthritis curatur: Nam vbi calor est, vena è directo secanda; atque si plethoricum corpus est, post basilicam saphena: Si non est, hæc ipsa sola satis reuellit & deriuat. Si verò frigida & pituitosa sit materia quæ dolorem excitat, expurganda similiter cacochymia est; sed vehementibus pilulis, & vomitu crebro, & clysteribus acribus vtendum, (quibus auxiliis magna vis inest) & sumenda eadem antè expressa, quæ roborent, & reliquias digerant.

Indicationes. *Venæsectio.* *Purgatio.* *Roborantia interna.*

Extrinsecùs autem minimè repellendum, sed fouendum primum aquâ calidâ, & vino, in quibus ἀραιωτικὰ & digerentia, aut saltem anodyna coxerint. Deinde vtendum calidis cataplasmatis, aut vnguentis, aut emplastris, quæ quia ex alto trahunt, metasyncritica vocantur, dum tandem ad cucurbitulas, sinapismos, phœnigmos, & dropaces peruentum sit: quibus humor foràs euocatur.

Topica, quibus in ischiade vtendum.

Caustica autem esse oportet hæc omnia, vt nasturtium, sinapi, vrticæ semen, & rutæ agrestis, veratrum, pyrethrum, nitrum, adarce, fæx vini vsta, castoreum, euphorb. stercus bubulum, ciconiæ, columbinum; sed iis nisi purgato corpore vti non conuenit; mitioribus autem anodynis, tantisper dum expurgetur humor, vt oleo chamæmel. aneth. lini & fœnugr. mucagine, vti permittitur. Maximè ergò prodesse videntur quæ mox subiiciam.

Medicam. caustica, purgato probè corpore, adhibenda.

Fotus humidus ex sacculis.

℞. Saluiæ, origan. calament. puleg. sampsuc. beton. chamæpit. balsamitæ, rutæ, thymi, an. p. i. contundantur, & panno lineo includantur, fiant duo sacculi instar folij papyri, qui madefiant in æquis partibus aquæ & vini, & alternatim calidi super coxam latè imponantur. Vel fotus paretur ex decocto eorum, atque radicis helenij, ebuli, cucumer. agrest. iridis, mei, vel papaueris. Deinde fiat cataplasma ex iisdem coctis, tusisque, cum farina lupinorum, aut fœnugr. & lolij, adiecto oxymelite. Aut illinenda pars oleo irino, chamæmel. & de euphorb. æquè mistis, quibus aquæ vitæ tantillum insit; aut vnguentis digerentibus quæ in paralysi, & proximè in arthritide frigida exposui. Vel vnguentum hoc modo paretur.

Cataplasma. *Litus.*

℞. Olei

℞. Olei rutac. vulpini. & ranar. descriptionis Mesuéi, an. ℥iiij. succor. saluiæ, & radic. ebul. vel cucumer. agrest. an. quart. i. vermium terrenorum vino generoso lotorum & exsiccatorum, an. ℥i. axungiæ gallin. anseris, & anatis, an. ℥iß. vnguenti aregon ℔ß. misceantur simul, fiat vnguentum, cui cum humor crassior est, colocynth. ʒij. addi possunt: vel emplastrum hoc modo imponatur. *Vnguentum.*

℞. Succi radic. ebul. radic. vrtic. & iuæ arteticæ, ana ℥ii. gummi pini, & picis, an. ℥i. fæcis aceti siccæ & adustæ, sulphur. viui, staphis. pyrethr. sem. vitic. vel rutæ agrest. & cardam. an. ʒiij. ammoniac. galban. opopan. an. ℥i. myrrhæ, aloës, vtriusque styracis, aristol. rot. radic. irid. & calami arom. an. ℥ß. castor. ʒiij. axung. anseris & vulpis, an. ℥i. tereb. ℥iß. hermodact. stercoris vaccæ, an. ʒx. olei lumbricorum, vel laurin. vel de spica, & ceræ, an. quantum satis, Misce, fiat massa emplastri, quod imponendum est. Sed frictione quoque vtendum asperiore, & eodem die sæpiùs, quo faciliùs ea quæ coëundo nocuerunt, digerantur, eáque etiam ipsis coxis, sicut etiam cæteris partibus adhibenda sunt. *Emplastrum.* *Frictiones. Cels. loc. cit.*

Si ne sic quidem finitus est dolor, incisâ cute admouendæ sunt coxendici cucurbitulæ. Interdum quoque hirudines affigendæ. Si ista malum non soluerint, inter valentissima auxilia sunt, quod ex euphorbio, adarce, nigro veratro, castoreo, pyrethro, pipere, & pedicularia, (quam staphisagriam vocant) simili pondere conficitur. At si ne hoc etiam profecerit, vel reliquiæ morbi remaneant, sulphur viuum cum pice duplâ, vel sinapi cum caricis imponendum. Vel euphorbium ex leucoij oleo illinendum. Vel scammonea ex aceto decocta imponenda. Vel oleum ex euphorbio superioribus adiiciendum. Vel pars melle illinenda, & calce vinâ conspergenda. *Cucurbit. Hirudines. Pauli epispastică, l. 3. c. 77* *Gal. l. 10. κατὰ τόπ. c. 2. §. 2. Paul. loc. cit.*

Vel:

℞. Sinapi, & sem. vrtic. an. ℥iß. sulphur. viui, spumæ maris, aristol. bdellij aut myrrhæ, ammoniac. dissolutor. an. ℥i. hermodact. ℥ß. olei lumbricorum, & irini, & ceræ, quantum satis, misce, fiat emplastrum. Idem præstat lepidium, si eius folia, vel radicis cortex contusus cum adipe suillo, emplastri speciem repræsentet. Inde enim linteolo densiori illitum locis maximè dolentibus imponendum, ibíque tandiu sinendum, donec cuticula nigrescat, aut liuore inficiatur, túncque remouendum. Idem ranunculus, idem mel anacardinum, idem cantharides cum fermento, idem quoque thapsia, cuius decocto locus foueri debet. Quòd si adurentia huiusmodi terrent, emplastris analepticis vtendum, quale hoc est. *Emplastr. metasyncriticum.* *Gal. ibid. § 4. Paul. loc. cit.*

℞. Ceræ, & resinæ, an. ℥iß. tereb. stercoris columbarum siluestr. *Emul. analepticū, Pauli, loc. cit.*

Celſ. loc. cit. fæcis vini recentis combuſtæ, an. ℥vj. galban. ʒiß. miſce. Si malum inuictum diutius prorogatur, vltimum eſt, & in veteribus quoque morbis efficaciſſimum, tribus aut quatuor locis ſuper coxam, cutem, candentibus ferramentis, aut cauſtico medicamento exulcerare, & inducta vlcera protrahere, donec id vitium conquieſcat. *Therma.* Cùm morbus ſe remiſerit, priora emplaſtra vt reliquias digerant, ſuper coxam diu ſinenda ſunt, atque ægri in materialia balnea opportunè deducendi, & eodem victu, quo in podagrâ vtendum.

INDEX

INDEX PRÆCIPVARVM MATERIERVM TOTIVS, huius Operis.

A

Abortus.

Abscessus.

Ægilops.

Alui profluuium.

Angina.

Anhelitus graueolens.

Collu

Appetentia.

Arthritis.

Curatio

Aures.

Axillæ.

B

Balbuties, Balbus.

Bulimia & fames canina.

Carcinoma vteri.

Catalepsis & Catoche.

Catarrhus.

Coma Vigil.

Conceptio.

Condyloma.

Conuulſio.

Cor.

Crithe.

Cruenta alui deiectio.

Cruentum sputum.

Cu

Enchantis.

Epilepsia.

Epiphora.

F

Febris.

Quan

Fluxio.

Vide *Catarrhus.*

G

Gingiua.

Gonorrhæa.

Nar

Gustus.

H

Hæmodia.

Hæmoptisis.

Hæmorrhagia.

Hæmorrhoïdes.

Vn

Hemicrania.

Hordeum.

Hordoleum.

Hydragogōn materia.

Hydrops.

Hypochondriaca affectio.

I

Icterus.

Iecinoris affectus.

Iecoris inflammatio.

paucis

Incubus.

Inteſtina.

Iſchœma.

Iſchias.

Iſchuria.

L

Lac.

Lienteria.

Lingua.

Lumbrici.

Fluen

M

Mammæ.

Melancholia.

quàm

Menses.

Suffi

Mithridatium.

Mola.

Muliebria.

Mydriasis.

Myopes.

N

Nares.

Nausea.

O

Obscœnarum partium vitia.

Oculi.

Tem

Olfactus hebetudo aut priuatio.

Ophthalmia.

Os, Oris morbi.

P

Palpebræ.

Palpitatio.

Paralysis.

Partus difficilis.

Peripneumonia.

Pestis.

Phlegmone, vide, *nares*.

Phrenitis.

Phthiſis.

Puluis

Pleuritis.

Podagra.

Polypus.

Prægnans.

Priapismus.

Pulmo.

Q

Quantitas.

R

Renes.

Rhagades.

Suffuſio

Surditas.

Syncope.

Syrupus.

T

Teneſmus.

Theriaca.

Thorax.

Typhomania.

Tremor.

Tuberculum carnosum.

Tussis.

V

Ventriculus.

Vertigo.

Veſica.

Viſus.

Vnguis.

Vomitus.

Vrina.

Vterus.

Vulua.

FINIS.